HOMILIARVM F. HENRICI HELMESII GERMIPOLITANI, ORDINIS FRATRVM MINORVM S. FRANCISCI,

In Epistolas & Euangelia de sanctis per totum anni circulum ex meris diuinæ scripturæ sententiis miro artificio ac eruditione concinnatarum,

Tomus Tertius.

Cum Indice rerum & sententiarum copiosissimo.

MORI ET NON

DVRARE



PERIRE

LVGDVNI,

APVD CAROLVM PESNOT.

M. D. LXXV.

SPECTABILI
ET EGREGIO VIRO DOMINO PATROCLO GROPPERO. LL.

Doctori doctißimo, prudentia multáque rerum experientia prædito, virtutibus ornatißimo, iustitiæ indefatigabili propugnatori & æquitatis. Reuerendißimi Archiepiscopi Colonien. à consiliis, domino obseruandißimo & patrono, F. Henricus Helmesius Germipolitanus S.D.

NEMO est, vir eruditissimè (nisi factus sit sicut equus & mulus quibus non est intellectus) qui non optet cum Christo sedere in throno eius, ac edere & bibere super mensam eius in regno illius, bonorúmque omnium abundantia frui, timore omni malorum sublato: viam verò arctam quæ ducit ad cœlum, pauci inueniunt. Pauci seipsos abnegare, vim sibi facere, crucem suam quotidie portare & Christum sequi quocunque ierit, contendunt. Volumus quidem omnes in benedictionibus metere, sed non item in benedictionibus seminare. Coronam iustitiæ & vitæ desideramus omnes, pauci autem legitimè certare, tentationes sufferre, in stadio currere satagunt. Itaque fallimus nosmetipsos. Siquidem, omnium calculis gloriam præcedit humilitas, mercedem labor, coronam

legitimum certamen. Si socij passionum sumus, erimus & consolationum. Si compatimur, & conglorificabimur. Si commoriimur, & conuiuemus. Sic Christus pro nobis passus est, iustus pro iniustis: & ab iniustis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. At, quotusquisq;, est vir omnium integerrime, qui calicem salutaris non abhorreat, crucem non fugiat, mortem non expauescat, labores non deuitet, si possit? Sic instar ouium quæ perierunt erramus à via veritatis, salutaria abhorrendo & negligendo, ac noxia cupiendo. Sic pascimus ventos, telas aranearum teximus, vmbras apprehendimus, pertransimus in imagine, mendacia quærimus, vanitatem diligimus. A veritate (quod extremæ dementiæ est) auditum auertimus, sanam doctrinam non sustinemus, sed magis ponimus mendatium spem nostram, & mendacio nos protegimus atque excusamus. Et magis appropinquantes portis mortis, scientiam viarum dei scire nolumus, vt bene agamus, sed nobis magistros placentia loquentes, caput demulcentes, oleum vendentes, in malitiis nostris & mendaciis nos lætificantes, in desideriis nostris malignis nos laudantes, per dulces sermones & benedictiones nos seducentes, viam gressuum nostrorum dissipantes, os nostrum sublinientes, lactantes & beatificantes, mendaciter coaceruamus. Ideo confusa sunt omnia, nullus ordo est in Ecclesia, horribilis & turpissima est facies eius, & nunc nulla est in ea sanitas, sed sempiternus in ea horror inhabitat. Ideo peccata nostra manent, semper proficimus in peius, addimus præuaricationes, in profundum malorum labimur, omne salutis consilium & auxilium aspernamur, desperamus in peccatis, damnamur sine omni excusatione in peccatis nostris.

Non est,ait propheta, omnia vincens veritas, non est misericordia, non est scientia Dei & salutis in terra. Student quidam scientiæ, sed illi, quæ inflat, decipit, stultos facit,& vanitas est. Scientiam verò sanctorum, quam deus magis diligit quàm sacrificia, quàm Ioannes dedit præordinatis ad vitam æternam in remissionem peccatorum ipsorum, quæ ædificat, humilibus consentit, salutem suam cum metu & tremore operatur, quis exquirit? Illi tulerunt clauem scientiæ, sciunt sed non faciunt quæ placita sunt coram Deo. Ipsi regnum cœlorum, bonitatem faciendo, Christum imitando, mandata Dei custodiendo, in dilectione ambulando, non intrant, sed & eos qui illud intrare volunt declinando à malo & faciendo bonum, non permittunt: quia regnum cœlorum ante eos claudunt malis suis exemplis, adulterationibus verbi Dei, deprauationibus scripturarum, colloquiis prauis, peruersis dogmatibus. Hanc scientiam scientiarum Deus reprobat, perdit & damnat cum professoribus suis inflatis.

Scientiam verò salutis, sine qua omnes homines vani sunt, diligit, docet & requirit deus, quia vnitam habet ædificantem charitatem, quæ plenitudo legis est, finis & instauratio. De qua Apostolus ait: Hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia & in omni sensu, vt probetis potiora, & sitis synceres & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem dei. Qui hanc scientiam habet, non potest non dilectissimus esse deo. Hanc dum sacerdotes custodiunt, floret religio Christiana, pax est in omnibus finibus terræ, homines viuunt angelos, pulcherrima est facies ecclesiæ, deus cum hominibus habitat, cunctis

operibus manuum eorum benedicit, omnia facit eis cooperari in bonum. Ad hanc ſcientiam mundum ac ea quæ in mundo ſunt diligentes & ſeipſos, nunquam perueniunt. Semper diſcunt, ſed reti ventos piſcantur, oleum perdunt & operam, vmbras perſequuntur, quia ipſa longius recedit ab eis, multo magis quàm erat: Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abſtemio Danieli cum ſociis ſuis, dum nullam curam carnis ſuæ fecerunt in deſideriis, deus dedit ſcientiam hanc omnium bonorum matrem. Ideo non recedet memoria eorum, & nomen eorum requiretur à generatione in generationem. Hanc ſcientiam Apoſtolus habuit quamuis imperitus eſſet ſermone. Hanc ſenatus Apoſtolicus, homines planè ideotæ & ſine literis, habuit. Hanc Antonius magnus, Paulus primus Eremita, Arſenius, Phaſnucius, Maccharius, Benedictus, Franciſcus & alij multi, quorum numerus ſuper arenam multiplicatur, habuerunt. Literaturam certe per ſtudij exercitium non cognouerunt, nihilominus ſuper ſenes & omnes eos docentes intellexerunt, per vnctionem de omnibus edocti. Pie enim agentibus dat Deus hanc ſcientiam ſalutis. Paruulis reuelatur, ſapientibus apud ſemetipſos & prudentibus in oculis ſuis, abſconditur. Per hanc ſcientiam boni & recti corde ſciunt reprobare malum & eligere bonum. Per hanc edocti fuerunt, quòd ambulauerunt & conuerſabantur in hoc mundo in ſimplicitate, in gratia & ſynceritate dei, omnibus placuerunt in bono, nemini vllam dederunt offenſionem; fructificauerunt in omni opere bono, immaculatos ſe cuſtodierunt ab hoc ſeculo. Qui in hac ſcientia ſeruit Chriſto, placet Deo & probatus eſt hominibus. Hæc ſcientia Dei, profeſſores ſuos diuites facit in fide, in gratia, in omnibus opibus ſupernis,

adeo

adeo quod nihil eis in vlla gratia deest. Hæc eis dat nomina grandia, iuxta nomina magnorum qui sunt in terra. Nam vt pauca summis labiis perstringam, facit eos Deos & filios excelsi omnes, propter ædificantem charitatem quam habet comitem, facit eos reges & sacerdotes, amicos Dei, filios altissimi, fratres, sorores, matres & membra Christi, ac regni illius cohæredes. Facit eos templa spiritussancti, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, ciues sanctorum & domesticos Dei. Breuitet, omnia bona simul homini veniunt, cum scientia illa Dei & innumerabilis honestas per manus illius. Vani proinde (vt prius dicta repetam) nihil, abiecti & reprobi sunt omnes filij hominum, in quibus non subest hæc scientia Dei.

IAM videt E. D. T. quam multi huius scientiæ sanctorum sint expertes, etiam ex illis qui se aliquid esse putant & in magnis & mirabilibus super se ambulãt. Satis etiam vereor, quod multi, non solum iurisprudentiæ, sed & sacræ theologiæ professores, ab hac scientia dei longe sint diuisi. Nouit dominus qui sunt eius. Nostrum est, vt vnusquisque stet super custodiam suam, & humiliter de seipso sentiat. Vt omnem curam vnusquisque subinferat, quod simplex sit oculus eius, cum conuersatione deo & euangelio gratiæ eius digna. Hanc scientiam salutis D. T. E. cum cæteris fratribus tuis & sororibus, quorum memoria in benedictionibus & cum laude est, ab infantia à parentibus didicit. In hac cum gratia dei instar lucis splendentis processit, & vsque ad perfectum diem creuit. In hac omnibus seipsam D. T. E. exemplum omnium bonorum operum præbet, in doctrina sana, in integritate mentis & corporis, & in grauitate morum ac incul-

parte conuersationis. Proinde E. D. T. moneo, macte animi tui esto, ad vsuram sapientiæ & scientiæ acceptum talentum pone. Nam scriptum est: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut spendor firmamenti, verbum vitæ continendo. Et qui multos erudiunt ad iustitiam atque facit E.D.T. fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Hæc meditari debet E. D. T. in his esto, vt profectus tuus in gratia & doctrina manifestus sit omnibus, qui de fonte sapientiæ tuæ bibunt & potantur. Attende tibi & doctrinæ, insta in illis. Hæc enim faciens & teipsum saluum facis, & eos qui dignitatem tuam eximiam audiunt. Verum, ego mecum reputans, quod multi in his malis diebus multa scribunt, non vt hac de qua locutus sum, lectores suos scientia imbuant ad salutem, sed magis vt seipsos prædicent, & discipulos suos corrumpant fermentis errorum & peruersis dogmatibus hæreticorum. Ideo charitas Christi vrget me, vt sermones olim pro mea tenuitate conscriptos, sermone quidem imperito, inculto & neglecto, non tamen scientia, spero, pro indoctis & simplicibus in lucem darem. Nam deum testor & conscientiam, quod ædificantem scientiam salutis, & sanctorum vsquequaque secutus sum. Omnem insuper, quo ad eius mihi possibile fuit, lapidem moui, vt omnia scriberem in ædificationem, neminíque vllam in fide Dei darem vel minimam offensionem, ne ministerium hoc meum, quale, quale est, ab vllo veritatis amatore, fidem electorum habente, vituperari posset. Hos deniqué D. T. E. nuncupare operæpræcium duxi, sicut priores Homilias fratribus tuis, viris certe vita eruditione, & omnibus numeris absolutissimis dedicaui: vt sic in vno Homiliarum fasce, omnium vestrum merita & laudes extremis digitis tangerem, quas alioqui ne-

mo verbis poteſt æquare loquendo, per hoc Ex. D. T. gratuitam erga me pauperculum animi beneuolentiam teſtatam eſſe volens. Velle quidem mihi adiacet, ad quod etiam me obnoxium eſſe non ignoro, abſolutiore volumine aliquo D. T. Ex. & honorare & demereri. Verum cum perficere tale quid in me non inuenerim, hoc offero quod dominus dedit, rogando quapropter rogo, vt promptus animus voluntatis ex eo quod habet, non ex eo quod non habet, acceptus ſit Exi. T. D. Ipſe DEVS pacis D. T. E. ſanctificet per omnia, vt integer ſpiritus D. T. Exi. & anima & corpus ſine quærela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur, Amen.

INDEX SERMONVM IN EPISTOLAS ET EVANGELIA SANCTORVM, QVI IN HOCCE TERtio Thomo Homiliarum copiosè continentur, ordine Alphabetico digestus.

*

Epipha

Philippi

Templi

FINIS.

INDEX RERVM, VOCVM, ET SENTENTIARVM INSIGNIVM, QVÆ HOC CE TERTIO TOMO

Homiliarum continentur, ordine alphabetico digestus.

Animam

¶¶ Caro

E

¶¶ 5 electo

Iustitiam

L

Præconi

Q

R

Saluationis

T

FINIS.

IN FESTO SANCTI ANDREAE, IN EPISTOLAM HOMILIA PRIMA.

* *
*

CORDE *creditur ad iustitiam, ore autem confeßio fit ad salutem.* Rom. 10.

Hodie, chariſſimi, de fide quæ fundamentũ & ianua ſalutis eſt, in epiſtola ſermo texitur. Non de fide qualibet, inani, vana, mortua, aut diabolica, ſed de fide Dei & electorum, quæ omnem Dei bonam, beneplacentem & perfectã voluntatem operatur per dilectionem, & ſuper quam pie in Chriſto viuentes, ſeipſos ædificant in domos ſpirituales, & habitacula Dei in ſpiritu ſancto. Ad hæc, ſuper hoc fundamentum ædificant aurum, in contemplatione & amore Dei. Argentum in dilectione non ficta, proximi. Lapides præcioſos in operatione bonitatis, iuſtitiæ & omnis pietatis, quæ promiſſionẽ vitæ habet, quæ nũc eſt, & futuræ. Per hunc modum fiunt in Deo diuites, & theſaurum indeficientem ſibi theſaurizant in cælo. Per hanc fidem iuſtificamur & acceſſum habemus ad Deũ. Per hãc ambulamus, in ea viuimus, benedicimur & ſaluamur. Nam omnis qui hac fide credit in filium Dei, non peribit, ſed habebit vitam æternam. Per hanc fidem, ſancti vicerunt mundum & regna, operati ſunt iuſtitiam, repromiſſiones Dei ſunt conſecuti. Inſuper, merito hæc in die diui Andreæ epiſtola legitur, quia ille primus inter apoſtolos in Chriſtũ credidit, & alios ad Chriſtum exẽplo ſuo & doctrina ſalutari perduxit plurimos. Per hoc ſe

I Cor. 3. Heb. 11. Rom. 12. Gal. 5. Ephes. 2. 1. Tim. 4. Matt. 6. 1. Tim. 6. Rom. 5. Gal. 3. Iob 3. Heb. 11. Iohan. 1. Luc. 10.

Luc 10. se nobis dans exemplū, vt & nos similiter faciamus, &
eius imitatores sicut filij charissimi simus. Filij quidem
Ioh. 8. sancto-rum sumus, si opera eorum facimus, & sancte,
Tob.2. iuste ac pie in hoc seculo viuimus. Sed epistolæ ver-
Psal. 110 ba dispiciamus, cum sint super mel & fauum dulciora,
Sap.7. & omni auro & argento, lapidibus item omnibus pre-
ciosis meliora. Ait ergo: Corde creditur ad iustitiam
Rom.5. euangelicam, & Dei, quæ per gratiam regnat in vitam
æternam. Ore autē confessio fidei fit ad salutem illam,
Psal.73. quam Dei filius operatus est in medio terræ. In hanc
electi dei custodiuntur in virtute dei per fidem, quæ pa-
1.Pet.1. rata est omnibus bonis & rectis corde, in temporeno-
uissimo reuelari, in qua cū Christo, cū gloria apparebūt,
Colo.3. finem fidei suæ, salutem animarū suarum reportantes.
Vnū horum sine altero nō sufficit ad salutē. Vnde no-
tandū, q quadruplex est genus hominū diuersimode se
habentiū. Quidā nec corde credunt in Christū, nec ore
eum cōfitētur ad salutē. At illi iam iudicati sunt. Et ite-
Ioan.3. rum: Qui incredulus est filio, non videbit vitam æternā,
sed ira Dei manet super eum. Hinc Apostolus ait: Venit
Ephe.5. ira Dei super filios incredulitatis siue diffidentiæ. Quia
Col.3. sine fide impossibile est placere deo. Væ & illis qui di-
Hebr. 11. cunt, Tu discipulus eius sis. Itē, Nō est hic homo à Deo,
Ioan. 9. Et iterū: Dæmoniū habet & insanit. ¶ Quidā credūt cor
Ioh.10. de, sed nō cōfitētur ore, vt Nicodemus & Ioseph ab Ari
mathæa. Sicut scriptū est: Ex principibus multi credide-
Ioh.19. runt in Christū, sed propter Pharisæos non cōfitebātur
eum, vt è synagoga non eiicerentur. Isti tacent. At Pe-
trus ore eum negauit corā hominibus, eos qui occidunt
Mat 16. corpus, timēs. Idipsum fecit & Origenes, teste Nicepho-
Mat. 10. ro, & Papa Marcellus, sed mox resipuerunt à diaboli la-
2. Tim.2. queis, à Domino in benedictionibus dulcedinis & mise
Psal 20. ricordia præuenti, quia ex infirmitate & nō ex malitia in
1. Pet. 2. lapidē offensionis offenderunt & impegerūt. ¶ Quidam
Tit. 1. econuerso cōfitentur ore, sed nō credūt corde & eū ne-
Sap. 12. gant vita & opere. Isti frustra cōfitētur se nosse Deum,
Eccle. 8. quem factis negāt. Isti sunt mali Christiani, Deo odibi-
lia opera designātes, & sine omni timore peccantes. Isti
Osee 9. sunt abominabiles ante Deum, sicut ea quę diligūt & fa
Prou. 15. ciūt. Quia abominatio est deo, vita impij. Sūt increduli,
Matt.7. ac frustra nomē Domini inclamāt, dicētes: Domine do-
Luc 6. mine, cū nō faciant quæ dixit & mandauit, sed quæ non
vult,

vult,prohibet,odit,& punit.Ideo nesciuntur ab eo.Hinc
scriptũ est:Qui dicit se nosse Deũ,& mãdata eius nõ cu 1.Ioan.2.
stodit,mendax est.Et ad Timotheũ:Si negamus eũ(ore 2.Tim.2.
vel opere)& ille negabit nos corã patre suo,qui in cœlis Matt.12.
est,& omnibus angelis & electis suis,dicens:Nescio vos
vnde sitis.Nunquã noui vos,Discedite à me omnes ope Luc 13.
rarij iniquitatis.Eiusmodi nãq; infideles sunt, & infide- 1.Tim.5.
libus deteriores. Sunt ad omnia opera bona reprobi.
¶Alij corde credũt & ore cõfitẽtur ad salutẽ,operibúsq; Ephe. 4.
& vita digne Deo & euãgelio ambulãt. Nã in omnibus Philip. 1.
operibus bonis fructificãt:& lucẽt coram hominibus,in
quibus pater cœlestis glorificatur.Isti in facto suo beati Colo.1.
sunt,& cũ timore & tremore salutẽ suã operãtur.Nã per Mat. 5.
bona opera in Deo,& in fide facta,certã electionẽ & vo- Iaco. 1.
cationẽ suã faciũt.Isti declinãt à malo,nullũ locũ dant Phili.2.
diabolo,nemini dãt vllã offensionẽ,sed faciũt bonũ,diui 2. Pet. 1.
tes fiũt in operibus bonis, quodcũq; potest manus eo- Ephe.4.
rũ,instãter operãtur.Solicite itẽ curãt semetipsos, pro- 1.Tim.6.
babiles exhibere Deo operarios incõfusibiles, & recte Eccle.9.
tractare verbũ veritatis. Proinde,opera quæ facimus in 2.Tim.2.
nomine patris nostri,siue Dei,siue diaboli,hæc testimo-
niũ perhibent de nobis,& de fide nostra,quales nos su- Ioan. 10.
mus & qualis sit fides nostra. ¶Magna ergo laus est fi-
dei,qua creditur & cõfitetur Christus & eius euãgeliũ. Matt.10.
Quia iustificat in præsenti,& saluat in futuro. O bona
fides,quæ cor illuminat,os rectificat,& linguã lubricam
plenã veneno mortifero,in præsenti moderatur,& saluat Iac. 3.
in futuro.Quòd autẽ fides iustificat & saluet,probat per
scripturã,dicẽs:*Dicit enim scriptura*, sacra, quæ vera est,& Psal. 28.
solui nõ potest:*Omnis qui credit in eum,non cõfundetur*.Scri
ptura ergo sacra, quæ de Christo testimoniũ perhibet,
ꝙ ipse est saluator omniũ,maxime credẽtiũ,dicit: Om- Rom.2.
nis qui credit in eũ, fide electorum Dei,sit Iudæus siue Psal. 48.
gẽtilis.Audite ergo diuitias bonitatis Dei nostri,omnes
gẽtes,percipite omnes qui habitatis orbẽ. Quiq; terri-
genæ & filij hominũ,simul in vnũ omnes,diuites & pau- Habacuc.
peres.Qui credit in eũ,nõ tantũ ei vel eũ.Non confun- 1.
detur in futuro cũ iudicatur ei à Domino , iusto iudice, Psal.59.
quamuis in præsenti seculo nequam , sæpe egrediatur Psal. 10.
iudicium peruersum, veritas fiat in obliuionem , & qui
recedit à malo,prædæ pateat. Verùm coram Deo iusto, Ga .5.
qui iustitias diligit , & vnicuique sine personarum

acceptione ſecundum opera ſua retribuit, omnis generaliter, ſiue puſillus, ſiue magnus, qui credit in eum, fide
1. Pet. 2 electorum Dei, per dilectionem operante, Non confundetur æternaliter & in tempore malo. Vobis ergo ho-
3. Eſdr. 4 nor credentibus. Vnde notandum, quòd iuſti non confunduntur, & inconfuſibiles eos reddunt opera virtutum. Verbi gratia. Non confundit. ¶ Confeſſio fidei, non confundit magiſtrum, doctrina veritatis omnia vincentis, quamuis ei contradicatur, ſed præualet in finem Fal-
Pſal. 118 ſitas autem confunditur etiam tunc quando caput extollit vſque ad nubes, & trophæa putabatur ſtatuiſſe. Loquebar (ait vir ſecundum cor Dei,) de teſtimoniis tuis
Pſal. 30 in conſpectu regum, & non confundebar. Et iterum: Nõ cõfundar, quoniam inuocaui te. ¶ Expectatio ſpei. Aſſequi enim cordis ſui deſiderium, expectantem non con-
Pſal. 30 fundit, ſed potius oppoſitum. In te Domine ſperaui non confundar, Non eſt enim confuſio ſuſtinentibus Domi-
Rom. 5 num, quia ſpes non confundit. Et iterum: In te confido non erubeſcam, Neque irrideant me inimici mei, etenim
Pſal. 24 vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur. Reſpicite
Eccle. 2 (quapropter) filij nationes hominum, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permãſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Hoc teſtantur tres pueri
Daniel. 3 miſſi in caminum ardentis ignis. Daniel item in lacum
Daniel. 6 leonum miſſus, & ſuſanna pudicitiæ ſpeculũ à falſis ca-
Daniel. 13 lumniis hominum redempta, quia cor eius erat fiduciam habens in Dominum. ¶ Dilectio veritatis. Oculi
Pſal. 148 namque non confundunt, ſed ornant faciem, & pedes,
Pſalm. 35 corpus, Ideo iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus,
Pſal. 118 reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudi-
Mat. 11 ces terræ, accedite ad Deum geminis charitatis pedi-
Eccle. 51 bus, & illuminamini, (Quia declaratio ſermonum Dei de charitate, illuminat omnem hominem, & intellectum bonum dat paruulis & humilibus corde) & tunc facies veſtræ non confundentur, Et alius ait: Zelatus ſum bonum, ideo non confundar. ¶ Circumſpectio prudentiæ. Seruus enim bonus, non confunditur iuſſa Domini ſui explẽdo, ſed potius honoratur & remuneratur. Vnde ait: maximus vatum: Vtinam dirigantur viæ meæ, ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, quia tunc non confundar, ſed magis glorificabor, & ſuper omnia bona tua conſtiſtituar cum ſeruo fideli & prudente. Rectitudo iuſtitiæ.
Nam

Nam qui reddit vnicuique debita sua, gloria & honore
coronatur,& cum Ioseph, Mardochæo & Daniele super
omnia bona domini sui constituitur. Vnde scriptum est: *Psal.* 118
Fiat cor meum immaculatū in iustificationibus tuis(siue
mandatis)vt non confundar. Et iterum: Confundantur
qui me persequuntur iniuste, & non confundar ego. *Hiere.* 17
Sed confunduntur omnes iniqua agentes, superuacue. *Psal.* 24
¶ Modestia temperantiæ.Nam edones & bibones,in cu- *Rom.* 18.
bilibus & impudicitiis agentes in fine confundumtur. *Tit.*2
At sobrie,iuste & pie viuentes in hoc seculo,dilecti sunt *Psal.*36.
Deo & hominibus, & laudes eorum pronunciat omnis
ecclesia sanctorum. Nouit enim Dominus dies imma-
culatorum, & hæreditas eorū in æternū erit. Nō cōfun-
dentur in tēpore malo.¶ Cōstantia fortitudinis.Nā for- 2.*Tim.* 4
tes in bello,viriliter agētes,hostes triūphantes & vincē- *Iaco.* 1
tes,nō cōfundūtur,sed pro legitimo certamine coronas *Eccle.* 50
varias iustitiæ reportāt.Vecordes autē,& terga vertētes,
cōfundūtur & pereūt.Vnde scriptū est: Posui faciē meā 2.*Cor.*4
vt petrā durissimā,& scio quoniā nō cōfundar. Patiun-
tur multa boni & recti corde,sed nō confundūtur, deii- *Psal.* 36
ciuntur,sed nō pereūt.Quia salus iustorū à domino est,
& protector eorū est in tēpore tribulationis. Et adiuuat *Psal.*93
eos & liberat eos,& eruit eos à peccatoribus, & saluat 1.*Tes.* 5
eos.quia crediderūt & sperauerūt in eo. Persecutoribus *Iob* 21
autē iustorū reddit Deus iniquitatē in caput ipsorū, & *Rom.*2
in malitia eorū disperdit eos, etiā quando dicunt pax & *Sap.*10
securitas,& in puncto ad inferna descendunt.¶ Vide nūc 1. *Tim.*8
qui gloriaris in Deo,& nosti eius voluntatē per fidem,
quàm preciosa margarita euangelica, sit vera fides ele-
ctorū.Nā omnibus offertur ab eo qui omniū miseretur,
& vult omnes homines saluos,& ad agnitionē sui nomi-
nis peruenire. Vide itē quia habet facilē actū videlicet,
credere.Amabili obiectū,quia Deū, qui totus est desi-
derabilis.Deinde habet desiderabile præmiū, quod non
cōfundetur,sed saluatur in vita æterna. Vide etiā diui-
tias bonitatis Dei.*Nō enim est distinctio*,quantū ad salutē: *Sap.*6.
Quia pusillū & magnū ipse fecit,& ęqualis est ei cura de *Rom.* 2
omnibus. *Iudæi*,q se aliquid esse putabāt, & gloriabātur *Ioh.*7
in lege quā acceperant in manu mediatoris, & in dispo-
sitione angelorū,sed nullus eorum seruauit. *& Græci*, id
est,gentiles,quos Iudæi indignos iudicabāt vita æterna,
& cane & angue magis abominabātur. Vnde diuus Pe- *Actu.* 10

Actu.10. trus abundãtes diuitias abyssalis misericordiæ Dei admi-
rans, ait: In veritate cõperi, quòd nõ est personarũ acce-
ptio apud Deũ, sed in omni gente, qui timet Deũ & ope-
ratur iustitiã, acceptus est illi. Et hoc manifestũ est ex
hoc: *Nam idem dominus*, creator, gubernator, cõseruator,
Ephe.4. adiutor, pater & redẽptor *omniũ*, Iudæorũ & gentilium.
Vna fides, vnus dominus, vnum baptisma, vnus Deus &
Deut.32. pater omniũ, qui super omnes, & per omnia, & in omni-
bus nobis. Ipse est pater noster, qui possidet nos & fecit
& creauit nos, *diues in se, & in omnes*, sine delectu, in bo-
nitate erga malos & ingratos. Diues in misericordia er-
ga peccatores. Diues in gratia erga iustos. Diues in glo-
Psal.77. ria erga beatos. Has diuitias indurati, in reprobũ sensum
Rom.2. dati, in arcũ prauũ cõuersi, postquã in profundũ maloum
venerũt, cõtemnũt. Sed diues est in omnes, *qui inuocãt eũ*
2.Tim.2. in veritate, & discedũt ab iniquitate, iuxta illud: Cogno-
uit Dominus qui inuocãt nomẽ eius. *Omnis enim*, siue Iu-
dæus sit siue gentilis, *qui inuocauerit* corde, ore & opere,
nomen domini sanctorũ, admirabile in vniuersa terra, be-
nedictũ & terribile, quod est ipse Iesus Christus, qui est
super omnia Deus benedictus in seculorũ secula, *saluus*
Rom.9. *erit*, in beatitudine æterna. Quia turris fortissima est no-
Prou.18. men Domini, ad ipsam currit iustus & saluatur. Hinc Pe-
Actu.4. trus ait: Nõ est aliud nomẽ sub cœlo datũ hominibus, in
Psal.53. quo oporteat nos saluos fieri. Vnde orat Psaltes: Deus
in nomine tuo saluũ me fac. ¶ O quã dulcia sunt verba
Psal.18. hæc cordi pio, simplici & syncero, vere suauiora sunt su-
per mel & fauum. Nã in eis Dominus cõmẽdatur à tri-
Sapi.12. bus: Nẽpe à potẽtia magna, qua subest ei quæcunq; vo-
luerit, posse: quia idẽ dominus omniũ: à clemẽtia, qua di-
ues est in omnes, & manũ suã aperit ac omne animal sua
Psal.144 bonitate exuberãtissima replet, & benignus est super in-
Luc 6. gratos & malos: à sapientia, qua singulariter eis bonus
est, qui in simplicitate cordis inuocãt eũ & in veritate. In
his vide magnalia Dei. Nã eius potẽtia excellit omnes:
clemẽtia distribuit omnibus: sapiẽtia disponit omnia sua
uiter. Potẽtia patri, filio sapiẽtia, clemẽtia tribuitur spiri-
tuisancto. Excellẽtiã potẽtiæ paternæ ostẽdũt tria: Do-
minãtis vnitas, quia idẽ & solus potẽs, sine dominij di-
uisione. Dominandi potestas, quia dominus vniuersorũ,
sine seruili cõditione. Dominãtis generalitas, qa omniũ,
sine alicuius exceptione. Trãseo multa, ne plixitate ni-
mia,

¶nia,oneri ſim ipſi lectori.Nā ſi priorē epiſtolę huius partē expēdere vellemus & ruminare, videremus in ea duo includi,quę omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem:Nempe bonā vitā,quo ad ſeipſum & ad Deū,& ſanā doctrinam, quo ad proximum.Illud operatur fides viua electorum, quę facit bonitatē.Fides iſta cor purificat, & foris digne *Act. 15.*
Deo & euāgelio ambulat,fructificans & radix ſancta in *Ephes. 4.*
oībus operibus bonis.Hoc operatur fidei cōfeſsio ad ſalutē,in ore, dum ad iuſtitiā erudit plurimos & prędicat vbiq; Domino cooperante,& ſermonem eius confirman *Dan. 12.*
te ſequentibus ſignis.Et hîc ſermo iſte claudendus eſt. *Rom. 16.*

HOMILIA SECVNDA DE EADEM LECTIONE.

IN huius epiſtolę frontiſpicio ad fidem Ieſu Chriſti nos hortatus eſt tuba euāgelij. In altera eius parte dicit,quòd non credentes,nullā in peccatis ſuis & perfidia habent excuſationē. Nā Chriſtus vult oēs hoīes ſaluos *Rom. 1.*
fieri,vult oēs ſub vmbra alarum ſuarum cōgregare,ſicut *Ioh. 15.*
gallina cōgregat pullos ſuos,ſed illi nolunt, & recedunt *1. Tim. 2.*
a Deo ſalutari ſuo. Oēs ad nuptias ſuas regales vocat, *Mat. 23.*
ſed oēs ſe excuſant, alij non poſſe ſe venire mentiuntur.Ecce pater trahit ad filium, & nolumus ſequi. Filius pulſat ad cordis oſtium,& nolumus à mortuis ſurgere,& *Mat. 22.*
ei aperire. Clamat foris in plateis æterna patris ſapientia,vocat & rennuimus,extendit manus ſuas,& non aſpi *Ioan. 6.*
cimus. Deſpicimus omne conſilium eius,& increpatio- *Apoc. 3.*
nes eius negligimus. Abiicimus legem Domini exercituum,& eloquia ſancti Iſraël blaſphemamus.Tranſgre- *Prou. 1.*
dimur leges eius,bonas, iuſtas & ſanctas,mutamus ius, diſsipamus fœdus ſempiternum. Spiritusſanctus gratiam *Eſai. 5.*
ſuam nobis offert,adiutorium ſuum pollicetur, & vitam promittit ęternam.Et nos nihilominus tam ſumus mali, *Eſai. 24.*
quòd tantam negligimus ſalutem. Magis eligimus perire,quàm ſalutem noſtram cum metu & tremore opera- *1. Pet. 1.*
ri. Ideo damnatio noſtra iuſta eſt, & fruſtra declinamus *Heb. 3.*
corda noſtra, & linguas mendaces in verba malitię, ad *Mat. 22.*
excuſationes in peccatis noſtris concinnandas.Perditio *Rom. 3.*
noſtra eſt,ſolummodo à Deo ſalus & auxilium noſtrum. *Pſal. 140.*
Ipſe in tempore accepto nos exaudit,& in diebus ſalutis *Oſee. 13.*
nos adiuuat,vt in illo omnia poſsimus, qui nos confor- *2. Cor. 6.*
tat.Ait ergo infideliū omniū incredulitatem arguendo: *Philip. 4.*

Verum quidem est,quòd omnis qui inuocat nomen Domini in veritate,& discedit ab iniquitate,saluus erit.Sed inuocatio præsupponit fidem. At non omnium est fides electorum.Ideo continuando sequentia prioribus,dicit: *Quomodo ergo inuocabunt eum*, dominum Iesum Christũ in salutem, *in quem non crediderunt?* q.d.nullo modo hoc fieri potest,quia oratio fidem orantis præsupponit. Nemo enim ab eo petit salutem,quem non credit esse sal-
Iacob.1. uatorem. Postulare quippe debemus, in fide nihil hæsi-
Mat. 17. tando. Sic omnia sunt possibilia credenti. *Aut quomodo*
Marc.9. *credent ei quem non audierunt?* Quia fides præsupponit auditum.Auditus autem ille duplex est: Vel intus per Dei
Psa..84. reuelationem,iuxta illud: Audiam quid loquatur in me dominus Deus. Vel foris per hominis prædicationem.
Esai.58. Sic prædicauerunt Prophetæ & apostoli,instar tubæ voces suas exaltantes.Aut per angelos bonos, sicut ange-
Actu.7. lus cum Moyse loquebatur in deserto, & cum aliis Dei amicis,sicut in lege veteri,crebro est videre, & in nouo
Mat. 1.2. testamento.Sic(vt alios taceam) angelus crebrò Ioseph virum Mariæ docuit in somnis.Sic docuit Corneliũ Cé-
Actu.10. turionem,quomodo venire debuit ad salutem. At tu erras sicut ouis quæ periit,si putas illum credere Iesum es-
1.Ioh.2. se filium Dei viui,qui eius promissis nõ allicitur,nec terretur eius comminationibus. Nec eius præceptis obtemperat,nec eius consiliis acquiescit,nec ambulat sicut ipse
1. Cor. 5. ambulauit.Sequitur, *Quomodo autem audient*, euangeliũ
& 13. regni,verba vitæ æternæ,viam Dei & salutis, *sine prædi-*
Mat.10. *cante?* Sic apostoli pro Christo legatione fungebantur,&
Luc.10. Deus exhortabatur per eos.vt reconciliarentur.Ipse dedit eis os & sapientiam cui resistere & contradicere non potuerunt omnes aduersarij eorum. Actus autem prædicandi legitimus,præsupponit authoritatem officij & mis
Ioan.6. sionis ideo sequitur: *Quomodo verò prædicabunt nisi mittantur?* Vel à Deo immediate,sicut Christus missus fuit,
Mat.10. & prophetæ,apostoli item & lxxij discipuli. Vel ab eius
Luc.10. locum tenente,sicut prædicatores alij. Et hoc est, dum mittẽtes sunt sani in fide, sancti in omni conuersatione, iusti ad proximos,sobrij ad semetipsos,& pij erga deum. Nã pseudoprophetæ venerunt olim,non missi à Deo,sicut & lupi rapaces,magistri mendaces,duces cæci,fascina
Tit. 1. tores populi,apostoli Sathanæ,vẽditores olei, modò nõ
Hiere. 14. intrant per ostium in ouile Christi,sed ascendunt aliun-

de,vt furentur,mactent & perdant. Aut enim ingerunt se metipsos impudentissime,aut mittuntur ab eis qui pote *Ioan. 10*
state præditi sunt,sed fermento hereticæ prauitatis corrupti,in reprobũ sensum dati,& reprobi circa fidẽ,à qua exciderunt. Et sic mittendo prædicatores,sua abutuntur potestate,& perdunt semetipsos,& oẽs qui eorum malo exẽplo & prædicatorum doctrina impia seducuntur. Ha- *Iob.13.*
buerunt Arriani epi & imperatores, vt taceam reges & *Mat. 15.*
principes,suæ farinæ præcones,mẽdaces & peruersorum *Mat.7.*
dogmatũ cultores innumeros,sed vnà in foueã corrue- *2.Petr.3.*
runt,& duces cæci,& qui eos sequebãtur. At hi ex fructi *Mal.2.*
bus cognosci debent quos faciũt scripturas adulterãdo, & verba dei deprauãdo. Felices proinde prædicatores boni,recte tractãtes verbum Dei, & ratione dñi,quia mittuntur à Deo. Tum ratione officij angelici,quod est prædicare populo euangelium regni. Tum ratione cõmodi, quod est in Deum credere. Tum ratione finis debiti,qui est Deum colere, & corde puro inuocare. Tum ratione præmij, quod est salus ęterna. Ergo non est vlli homini salus, sine nominis Dñi inuocatione. Nec inuocatio sine fide,nec fides sine auditu,nec auditio sine prædicatione, nec prædicatio sine missione legitima & authoritate. ¶ Multa proinde præconi euãgelij sunt necessaria,videlicet sancta & irreprehensibilis vita. Vt se ipsum exem *Tit.2.*
plum præbeat in oĩbus operibus bonis. Vt sit sal terræ, *Mat.5.*
lux mundi,ciuitas super montẽ, & lucerna posita super *Gal.4.*
candelabrum, lucens omnibus qui sunt in domo Dei: *2.Cor.2.*
Adeo,quod is qui ex aduerso est,nihil mali habeat dice *Mal.2.*
re de eo. Ne destruat operibus vitæ, quæ ædificat verbo *2. Tim.3.*
doctrinę, sicq; præuaricatorem constituat semetipsum. Bona fama ei necessaria est,vt sit bonus odor Christi in omni loco. Sufficiẽs scientia. Sic labia sacerdotis scientiã custodiunt, Et Timotheus ab infantia sacras literas didicit. Et Paulus cum apostolis euãgelium suum contulit.
¶ Intẽtio recta,siue oculus simplex,ne semetipsum prę *Gal.1.*
dicet,sed dñm Iesum Christũ. ¶ Sana doctrina, vt po- *Mat.6.*
tẽs sit exhortari in doctrina sana,atq; formã habeat sano *2.Cor.4.*
rũ verborum,quã multi nõ sustinẽt,ideo fascinãtur & cre *Tit.1.*
dunt mẽdaciis, & cõsentiunt iniquitati. ¶ Euidẽs eloquẽ *2. Tim.1.*
tia,vt cõcrescat,vt pluuia doctrina eius,& fluat vt ros elo *Rom.2.*
quiũ eius &c. Hinc Moyses se excusauit,quia eloquẽs nõ *Exod.4.*
fuit. ¶ Authoritas debita;vt hic in Epistola. Sic spiritus- *Esai.61.*

Ioh.20. ſanctus miſit & vnxit Chriſtũ, & ille apoſtolos miſit eo
Actu.2. modo quo pater miſit eũ. ¶ Charitas vera: propter q̄d
apoſtoli ſpiritũſanctũ acceperunt, prius q̄ irēt ad prędi-
1.Cor.13. candũ omni creaturæ, alioqui eſſent ſicut cymbala tin-
1.Cor.9. niētia, aut æs ſonans. Et aliis prædicãdo, ipſi fierēt repro
Mat. 20. bi. ¶ Ne autē aliqui dicere poſſent, nemo nos conduxit
Mat.22. in vineã Dei, nemo nos vocauit ad nuptias agni, & ma-
gni regis filij. Vel nemo nobis prędicauit euãgelium re-
gni glorię beati Dei: Ideo oſtēdit quod nō eſt defectus
Eſai.52. ex parte Dei, & prędicatorũ fidei, dicens: *Sicut ſcriptũ eſt,*
ad noſtrã conſolationem & doctrinã, in Eſaia Iudęorum
Ephes.6. euãgeliſta. *Quàm ſpecioſi,* id eſt, bene formati, quia calcia
ti hiacintho cœleſtis coloris, & pręparati ad euangelium
pacis faciēdũ & docēdũ *pedes,* i. affect⁹ apoſtolorũ. Et affe
ct⁹ dicunt̄ pedes quia ſicut corp⁹ quo vult ambulat pedi
Cant.5. b⁹, ſic cor & aĩa ſe mouet affectib⁹. Pedes eorũ erãt recti,
Apoc.12. loti & mũdati ab oĩ inquinamento mētis & corpis, directi
in viã pacis. Et lunã habuerũt ſub pedib⁹ ſuis, q̄a mundũ
& ea q̄ in mũdo ſunt, deſpexerũt quaſi lutũ, & arbitrabã
Philip. 3. tur detrimēta. Sic ꝓpheta apoſtolos cōmēdauit ꝑ pedes
Rom. 15. ſpecioſos, de honeſtate & ſanctitate vitę, qua oĩbus pla-
Rom. 14. cuerũt in bonũ, quę ędificatiõis ſunt, vbiq; ſectabãtur, &
non ſolum ab oĩ malo, ſed & ab oĩ ſpecie mala ſe abſti-
1.Teſ.5. nuerunt, & ſancte, iuſte & ſine vlla querela oĩbus adfue-
runt. Deinde effert eos ab vtilitate doctrinę dicēs: *euange*
Philip.4. *lizantiũ pacē* Dei, quę exuperat omnē ſenſum. Pacē Chri
ſti, qua oēs vnum facti ſumus in Chriſto, & habitamus
Ephes.2. vnius moris in domo Dei, quę eſt eccleſia ſanctorũ. Ini-
micitiis in carne eius euacuatis, & medio pariete mace-
rię ſoluto. Sic duos populos in vnã fidē traxit, & pacē in-
ter hoĩes fecit, deũq; nobis recōciliauit, adeò quòd pacē
Rom.5. ad Deũ habemus per eũ. Hãc pacē in pręſenti nobis nun
ciauerunt apoſtoli. Euãgelizauerunt etiã nobis bona fu-
tura quę habebimus, ſi timuerimus Deũ, & receſſerimus
Tob.4. ab oĩ malo, & fecerimus bene. Hęc ſunt illa bona, quę
Pſal.26. credim⁹ & ſperam⁹ videre in domo Dñi nō manufacta,
ſed cœleſti. Hęc ſunt bona illa ineffabilia, quę oculus nō
Eſai.64. vidit, nec auris audiuit, nec in cor hoĩs aſcēderunt, quę di
ligentibus ſe pręparauit Deus, vnde ait: *euangelizan-*
tiũ bona, illa ſupra quę fideles ſeruos conſtituet Deus.
Luc.19. Imitandi ſunt apoſtoli, qui in vita fuerunt ſpecioſi,
forma viuendi, in omnibus irrepręhenſibiles & ſancti,
& in

& in doctrina salutis fructuosi. Nō est ergo perditio multorum prædicatoribus imputanda, sed auditoribus. ergo sequitur *Sed non omnes obediunt euangelio*, Imo pauci vt patet in parabola de semine, cuius sola quarta pars in terrā bonam cecidit, & fructum attulit in patientia. Ideo pauci saluantur, vt patet etiam in eis qui ad nuptias regales & ad cœnam agni sunt vocati. Nolunt intelligere vt bene agant. Nolunt se abnegare & quotidie crucem suam post christum portare. Nolunt in lege domini ambulare, neque in via arcta quæ ducit ad vitam. & ad hoc inducit prophetę testimonium, dicens: *Esaias enim dicit*, signans paucos obedire, & non omnes: *Domine* cœli & terræ, sub quo curuantur qui portāt orbem. Quem columnę cœli contremiscunt, & ad cuius nutū pauent. Solus potes, rex regū & dominus dominantium, *quis credit* obtemperāter *auditui nostro?* Quod audiuit à nobis. Quod de⁹ nobis per spiritumsanctū manifestauit & locut⁹ est. quasi dicat: Multi audierūt auribus corporis, sed pauci aurib⁹ cordis. Imo multi contradicunt nobis, viam veritatis blasphemātes, & verbum Dei repellunt: post tergum suū sermones Dei proiiciūt, ac per hoc indignos se vita æterna iudicāt & faciunt. Prædicatores nihil vtiliū subtraxerunt, nullum laborem subterfugerūt, quo minus annunciarēt omni populo omne consiliū Dei. *Ergo* quia ad fidē necessaria est euangelij prædicatio, quia *fides* est *ex auditu* annunciantis prędicatoris, quāuis Deus solus intus doceat, *auditus autē per verbum Christi*, loquētis per apostolos & synceros præcones euangelij. Deinde concludens asserit defectū fidei in filiis desertoribus & reprobis esse inexcusabilē dicens: *Sed dico*, veritati perhibēdo testimoniū *Nunquid non audierunt?* verbū fidei & salutis, illi qui nō obediūt euāgelio, & Deo, ambulāt ex aduerso, audacter Deum prouocnates, nec Deū timētes, nec homines reuerētes. Imo audierūt *& quidem in omnē terram*, quantū ad terras medias *exiuit sonus eorum*, quæ cœpit Iesus facere & docere *& in fines orbis terræ verba eorum.* Quia testificabantur eum in Iudæa & Samaria & vsq; ad vltimos fines terræ. Nam viuente Petro apostolo, prædicatum fuit euangelium vsque ad mare oceanum. sanctus nanque Sauinianus, in ciuitate Senonensi, quæ tunc erat Metropolis Franciæ, ædificauit ecclesiam Petri, quem audierat iam passum, sed cognito postea, quòd adhuc viuebat, nominauit eam ecclesiam

Luca 13. *Matt. 22.* *Psal. 33.* *Psal. 77.* *Mat. 7.* *Iob 9.* *Iob 29.* *2. Pet. 2.* *Act. 13.* *Psal. 49.* *Act. 20.* *1. Cor. 2.* *Ioh. 19.* *Iob 12.* *Luca 18.* *Act. 1.*

Eccl.26. ecclesiam beati Petri viui. Et eadem ratione euangeliũ
Rom. 16. fuit annuntiatum ad Oriẽtem, Meridiem, & Aquilonem,
Mat.28. respectu Hierusalem, vt prophetæ fideles inuenirentur,
Act.1. qui hoc prędixerunt, & sermo Christi impleretur, qui eis
Ioan.16. dixit: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium
Ioan.15. omni creaturæ. At illi, veri filij obedientiæ, prædicauerũt
vbique (postquam virtute induti fuerunt ex alto, ac omnem edocti veritatem) Domino cooperante, sine cuius ope nihil potest boni cogitare, velle & perficere humana infirmitas. Et sermonem confirmante, sequẽtibus signis:
Psal.66. Qui misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Amen.

IN FESTO SANCTI ANDREAE

IN EVANGELIVM, SERMO.

A AMBVLANS *Iesus iuxta mare Galilaæ.*
Matt.4. Dominus Iesus, cum diues esset, propter
2.Cor.8. nos egenus factus est, vt sua nos inopia di-
2.Pet.1. uites faceret, in omnibus quæ ad salutem
nostram operandam, & quæ ad vitam Chri
Heb.12. stiformem & pietatem necessaria sunt nobis, ita vt nihil
Rom.12. nobis in vlla gratia deesset. Gratiam proinde habemus
Ephes.2. differentem: non quàm meruimus, sed quam ille gratis nobis dedit, vt per eam seruiamus Deo, & salutem nostram operemur cum metu & tremore, & diuites efficia-
1.Tim.5. mur in operibus bonis. Hinc Christus ait: Suadeo tibi, e-
Apoc.3. mere à me aurum probatum & ignitum, charitatis, probatum igne tribulationis, quia patiens est, omnia suffert, omnia sustinet, & ignitum vel ignientem. Nam sola charitas facit ministros dei, flammam ignis siue ignem ar-
Psal.103. dentem. Et locuples fias per vsum charitatis, quæ omnia electis facit cooperari in bonum. Sine qua & eleemosyna & martyriũ, & quicquid facit homo, nihil ei prodest.
Hebr.1. Sic homo charitate vera adornatus & indutus (quia est
1.Cor.13. vestis nuptialis) thesaurum sibi non deficientem cumu-
Matt.6. lat in cœlo, & fit in Deo diues, in gratia & meritis. Per gratiam siquidem & merita, deus fit possessio & hæreditas nostra. Vnde talis dicit: Pars mea dominus, dixit ani-
B ma mea. Et iterum: Portio mea domine. Et iterum: Funes
Psal.15. ceciderunt mihi in præclaris, siue in locis amœnissimis,
& 78. etenim hæreditas mea præclara est mihi. Nã Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæredit

hæreditatem meam mihi. Vnde ipſe ait: Ego ero pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Ideo cum dederit dilectis ſuis ſomnũ mortis, ecce hæreditas domini, quæ eſt ipſe Deus, datur illis. Sicut amatores mundi, & abundantes in hoc ſeculo, cum moriuntur, hæreditatem & omnia quæ habuerunt alienis relinquunt, & nihil ſecum auferunt: Sic electi, qui omnia reliquerunt propter Chriſtum, cum hinc exeunt, cum abundantia meritorum ingrediuntur ſepulchrum, & ſuper omnia bona Domini ſui conſtituuntur. Tunc hæreditas Domini, parata ſtatim illis datur: Ecce filij merces, quàm Chriſtus procurator, dabit pro mercede electis in cœlo, eſt fructus ventris virginis Mariæ, iuxta illud: Ego ero protector tuus, & merces tua magna nimis. Beati ergo pauperes in hoc mundo, propter Chriſtum, quoniam ipſorum eſt regnum & hæreditas cœlorum. Et væ diuitibus in hoc ſeculo, qui habent hîc conſolationem ſuam, & delitiis affluunt, & nihil negant animæ ſuæ quin omni voluptate fruatur & ſe oblectet in his quæ parauit, quoniam gaudium iſtorum in mœrorem conuertetur. Et animas eorum, dæmones hac nocte culpæ & ignorantiæ, qua nolunt intelligere vt bene agant, & ſcientiam viarum Dei nolunt, ab eis repetunt, etiam cum dixerint pax & ſecuritas, & ſepeliunt in inferno, vbi guttam aquæ expectent, & nõ accipient in æternum. Ad euangelium conatus noſtros iam dirigamus, in quo quatuor diſcipulorum Chriſti comminiſcitur vocatio benigna. Domini omnium ſubſtituitur relictio, & Chriſti imitatio perfecta. Præmittitur nihilominus vocatio Petri & Andreæ: *Ambulans ergo Ieſus*, ſine expenſis vſque ad eſuriem, ideo diſcipuli eius ſpicas vellebant Sine equis & curru vſque ad laſſitudinem, ideo fatigatus ex itinere, ſedebat ſuper fontẽ. Sine pompa exercitus & armorum terrore, vſq; ad miniſtrationẽ, quia fuit in medio ſuorum ſicut qui miniſtrat. Sic pauper & in laboribus fuit à iuuentute ſua. Et nos cum laborare fecimus in peccatis noſtris. Sic ergo ambulauit Ieſus, dignos circuiens, quærendo, & in viis ſuis ſe illis hilariter oſtendit, & in omni prouidẽtia illis occurrit. Sic ſol iuſtitiæ circuiuit, & omnem hominem in hunc mundum venientem illuminauit, & ignem ſui amoris in cordibus eorum accendit vehementer. Sic paſtor bonus ambulauit, ouem perditam quæſiuit & inuenit. Sic ambulauit magiſter

Num. 18. *Deut. 18.* *Mat. 19.* *Luc. 12.* *Gen. 15.* *Matt. 5.* *Luc. 16.* *Luc. 16.* *Eccl. 2.* *Luca 12.* *Hier. 4.* *Pſal. 35.* *Mat. 12.* *Mat. 20.* *Sap. 9.* *Mal. 4.* *Ioan. 1.*

ſter verus & doctor paruulorum,vt diſcipulos congregaret,quos vtilia doceret, & de lege ſua erudiret. Sic diues circuit,vt ſuas copias pauperibus diſtribuat & talen-
Pſal.95. ta.Sic medicus circuit,vt vulneribus noſtris medeatur,& omnes infirmitates noſtras ſanet.Sic dux circumambulat,vt exercitum cõſcribat, & negotiator,vt bonas mar-
Pſa.102. garitas quærat,& omnibus ſuis datis,emat.Sic pater mi-
& 106. ſericordiarum circuit, vt eſurientes cibet pane vitæ, ſi-
& 146. tientes potet aqua ſapientiæ ſalutaris, & gratiæ quæ ſa-
Eſa.55. lit in vitam æternam.Vt captiuos redimat,vt vincula eo-
Matt.13. rum dirumpat,quibus captiui detinentur conſtricti ad vo
2.Cor.1. luntatem diaboli faciendam.Vt filios Dei diſperſos con-
Mat.15 gregaret in vnum corpus ſuum,& eccleſiæ ouile. Vt er-
Luce 1. rantes reuocaret,mortuos ſuſcitaret,electos vocaret,vo-
Matt.25. catos iuſtificatos magnificaret. Magnificat enim facere
Eccl.15. nobiſcum.Sic mater pulchræ dilectionis, circuiuit,& ac-
Ioan.5. cenſa lucerna decimam dracmam ſollicite quæſiuit. Vt
& 7. item filiis vbera conſolationis, & lac doctrinæ ſuæ præ-
Pſal.115. beat,in quo creſcant in ſalutem. Sic verus ſponſus ani-
2.Tim.3. marum & ſanguinum circuit, ſponſam ſibi quærens aſ-
Ioh.11. ſumere,& amator factus eſt eius,vt eam redimat, lauet in ſanguine ſuo,& ſibi in fide deſpondeat, ornet gratia & virtutibus, & in cubiculum ſuum introducat & regnum. Sic habes Chriſti laborem in ambulando. Iam eius amorem ſupereminentem ſcientiæ attende, dum vidit. O viſio beata,nam ambulans iuxta mare Galilææ,*vidit*,nõ tam corporaliter quàm ſpiritualiter.De hac viſione plenius vide in Feſto S.Matthæi apoſtoli & dedicationis tem-
Pſal.118. pli.Aſpexit in eos & miſertus eſt eorum,ſecundum iudicium diligentium nomen eius. *duos fratres*,carne & mente.*Simonem qui vocatur Petrus:*Nam ſic cognominatus eſt à Chriſto. *& Andream fratrem eius*, qui prius fuit diſcipulus Ioannis,& primus inter apoſtolos ratione ſequelæ
D Chriſti.*mittentes rete in mare*, & ſic labores manuum ſua-
Pſal.127. rum manducabant,vnde & beati erant, & iam bene illis
Iob 5. eſt.Homo enim naſcitur ad laborem,ſicut auis ad volan-
Gene.2. dum.Sic in ſudore vultus ſui veſcebantur pane ſuo. O beata apoſtolorum ſimplicitas columbina. O innocentia puerilis in qua ingreſſi ſunt, propter quàm Dominus eos ſuſcepit. Non vixerunt de iniquo mammona. Non circumuenerunt in negotiis fratres ſuos. Non de-
Mat.6. derunt pecuniam ſuam ad vſuram. In diem viuebant,

præſentibus

præſentibus contenti,nec craſtini diei eos cura ſollicitauit.Hoc hominum genus fœliciſſimum foret, ſi oculū ſimplicem ſeruarent,& in lege domini ambularent ſine quærela,& fidem alter alteri ſeruaret, ſeſeque mutuo ſyncere diligerent attentius,ſiue impenſe.Sed proh nefas,alter alterius rebus macreſcit opimis. Omnes auaritiæ ſtudent à maiore vſque ad minorem,cuncti faciunt dolum.Ideo merito graue iugum patiuntur, poteſtate præditorum,qui vitam eorum,laboribus duris in amaritudinē vertunt.*erant enim piſcatores* pauperes & deſpecti apud cognationes diuitum.Sic ſtulta mundi elegit Deus vt confundat ſapientes. Et infirma elegit Deus,vt confundat fortia.& ignobilia & contemptibilia mundi, elegit Deus,& ea quæ non ſunt,vt ea quæ ſunt,& ſibi & aliis aliquid videntur,deſtruat,id eſt, ad humilitatem reducat,& nō glorietur omnis caro in cōſpectu eius.Quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum. Sic Dauid fratrum ſuorū minimus,ouium paſtor,cæteris omnibus præfertur & eligitur vt ſoliū gloriæ teneat. Sic & hic piſcatores eliguntur,quia erant futuræ dignationis gratiam,ſui artificij opere prophetantes.*& ait illis* Ecce dignatio ſeruatoris noſtri,qui mitis eſt & humilis corde.Ideo & cū ſimplicibus ſermocinatio eius.Ait illis magnus paruis,ſanctuſſanctorū peccatoribus,diues pauperibus,ſummus infimis,mitis mitibus, humilis humilibus.At ſuperbia noſtra tales abominatur,deſpicit, & ipſa vita reputat indignos,eò quòd nos aliquid eſſe putamus cum tamen nihil ſimus, & ambulamus in magnis & in mirabilibus ſuper nos.Sed quid ſapientia æterna,& magiſter ſummus dicat, audiamus, diſcipulis ſuis.& reuera non eſt contemnendum,vbi Deus Deorum,Rex regum & princips regum terræ loquitur.Ait itaque: *Venite.*Non eſt timendum,vbi tantus dux,qui ait,*poſt me.*Nō eſt protrahendum & pigritandum vbi tantus fructus, quia magnum eſt huius ſequelæ emolumentum.Nam *faciam vos fieri piſcatores hominum,*id eſt,collectores diuerſorum populorum intra vnam eccleſiam , ex hoc mari magno & periculoſo, in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus. illos piſcabitis cum reti prædicationis verbi Dei.& bonos colligam in vaſa vitæ æternæ,malis foras proiectis.Et proprie rectéque loquitur, dicens, faciam, Quaſi diceret,

Ibidem. *Luca 12.* *Luca 1.* *2. Pet. 1.* *Hier. 6.* *Exo. 1.* *Ioh. 12.* *1. Cor. 1.* *Gal. 6.* *Luca. 6.* *1. Re. 16.* *Iacob. 2.* *Mat. 18.* *Prou. 3.* *Hier. 16.* F *Matt. 10*

Iob 10. diceret non estis tales ex vobis, sed ego dabo vobis os & sapientiam,& cætera. Ego per me & per spiritum san-
Act. 4. ctum docebo vos omnem veritatem. Hinc postea Iudæo rum primores, videntes Petri constantiam & Iohannis, competroque quod homines essent sine literis & ideotæ admirabantur. Dicit piscatores hominum, non præbendarum, non decimarum, non multorum beneficiorum,
1. Cor. 9. non collectores pecuniarum, sed animarum. Verum est
G nihilominus quod Dominus ordinauit, & qui seruit altari, viuat de altari. Sed habentes alimenta & quibus tegantur, his contenti esse deberent apostolico more. Iam vero non est finis acquisitionis eorum. Seruit altari, ait.
1. Tim. 6. Quid ergo de his dicemus, qui non seruiunt Christo,
Bar. 3. sed suo ventri? Vel qui seruiunt diabolo, in viciis horrẽdis, in luto luxuriæ, in palea superbiæ, in latere duro aua
2. Pet. 2. ritiæ, & id genus aliis sceleribus. A quo enim vitio quis superatur, eius seruus esse conuincitur. Vnde consequẽs est, quod tot dominorum seruus est peccator, quod viciis
Act. 9. est constrictus. At vasa electionis & misericordiæ, non obdurauerunt corda sua, non neglexerunt gratiam oblatam, non proiecerunt verbum Dei retrorsum, non fuerunt increduli cœlesti vocationi. Secuti sunt tractum patris ad filium. Surrexerunt & aperuerunt filio pulsanti,
Psal. 84. & sapientiæ clamanti obtemperauerunt. Audierunt, quid loquebatur in eis Dominus deus spiritussanctus, cuius misericordia eos preuenit in benedictionibus dulcedinis, gratiam offerendo & in regnum suum cœleste vocando.
1. Pet. 1. Simplices licet essent & idiotæ, non abiecerunt gratiam
2. Tes. 2. Dei, non despexerunt consilium Dei. Sequitur *At illi,*
Gala. 4. oues Christi, simplices filij Dei & obedientiæ, in auditu
Prou. 1. auris voci Dei obedierunt. Effertur autem obediẽtia eo-
Iob. 10. rum encomiis tribus, dignis auditu & salutaribus obser-
H uatu. Nam vt adagio dicitur, in tempore se curuat, quod in vncum crescere debet. Sic isti duo fratres, lumina mundi, sal terræ, præcones euangelij, principes terræ, iudicis assessores, amici Dei mox futuri, in ipso vocationis suæ auspitio, quam mũdus totus debeat imitare perfectionis
Mat. 5. formam, exprimunt in seipsis. Sic sic seipsos in omnibus
1. Tim 4. præbuerũt exemplum bonorum operum. Sic facere cœperunt & docere. Mirabilis igitur horum obedientia hic
Rom. 11. texitur. Vt ex libatione & principio eius, quanta, quàm perfecta, quàm cœlestis & angelica euaserit ex cõtinuo

Christi

Christi conuictu & auditu æstimemus & reputemus in cordibus nostris ad nostram instructionem. Fuit proinde obedientia eorum prompta. Vnde ait euãgelij tuba. *At illi continuo.* Ecce fides, quia crediderunt verbis eius sine mora, sine consultatione, sine deliberatione. Senserunt enim in cordibus suis quandam diuinam energiam, cui locum dabant. Dabat enim voci suæ, vocem virtutis *1.Cor.1.*
Christus virtus & sapientia patris. Et sermo illius potestate plenus est. Sic facta est manus domini super eos, & mox in viros alios sunt mutati. Sic Heliseus, mox vt He *1.Reg.10*
lias pallium suum super eum posuit, omnibus relictis eũ sequebatur. Sic vas electionis Paulus, vt vocem Christi *Actu.10.*
audiuit de cœlo, mox carni & sanguini non adquieuit, *Galat. 1.*
sed domine, quid me vis facere? interrogauit. Paratũ cor meum deus, paratum cor meũ, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Sic puer Samuel, domino dixit: Loquere dñe, quia audit seruus tuus. Fuit integra, quia *2. Reg.2.*
relictis omnibus. Ecce spes & fidutia ad Dei prouisionem. Omnibus inquã. Nempe, seipsis & omnibus quæ habuerunt, aut habere possent: Vnde postea Petrus dixit: Ecce *Mat. 19.*
nos reliquimus omnia, Nempe, domos, agros, vxores & proles, patrem & matrẽ, imo omnem acquirendi & habendi affectũ. Insuper, nosipsos abnegauimus, vt toti ex te pendeamus semper, vt nunquã quod nobis placet, vel vtile est quæramus, neq; quæ nostra sunt, nec nostram vnquã voluntatẽ & quod nos volumus, sed patris tui qui in cœlis est, & quod tu vis. Profecto, si apostoli ad vnum *1.Cor.10*
Christi verbum ea reliquerunt, quibus licite vti poterãt, & quę nullum peccatum est habere. quam obsecro excusationem nos ante districtum eius iudicium habere poterimus, qui verbum Dei quotidie legimus & audimus, *Sap.2.*
& tamen mens nostra adeo excæcata est per malitiam, *Gen.49.*
corda nostra adeo obstinata & indurata sunt per culpam *Hiere.5.*
& malam in peccatis consuetudinem, tam altè somno se *& 7.*
pulta est, vt ad nullum diuinæ comminationis tonitrum excitari possit: Per nullam diuinæ benignitatis flammã *1.Ioan.2.*
emolliri, per nullum euangelij splendorem & lumen illu *Ioan. 12.*
minari, vt relicta malitia, reuertatur ad Dominum, vt *Sap.12.*
peccandi consuetudinem deserat, vt impedimenta salutis suæ à se excludat & abiiciat. Nempe, vt manum & pedem scandalizantem abscindat & à se proiiciat. Vt oculum impudicum, sapientiam carnalem & alta

ſapientem, eruat & abiiciat. Ideo nullam in peccatis noſtris excuſationem habemus. Profecto, ſi illicita & cum quibus damnamur, non relinquimus, quando obſecro relinqueremus ea quæ nos habere licet, & neceſſaria nobis ſunt ad vſum? Sed paratum eſt proter Chriſtum
1. Cor. 13 omnia propenſo animo relinquere. Nã philoſophi multi omnia ſua reliquerunt, vt Socrates & cæteri, & nihil eis profuit ad ſalutem. Ideo de apoſtolorum obedientia hic ſubditur, quod fuit recta, ordinata, & ſalutis meritoria,
Spec. 5. ria, dum dicit: *ſecuti ſunt eũ*. Ecce charitas vera. Secuti ſunt
k eum mente & corpore & vitæ perfectione: Nam ſicut
1. Pet. 2. Chriſtus ambulauit, ſic & illi ambulauerunt. Hinc illud
Iob 23. Iob dicere poſſunt in veritate: Veſtigia eius ſecutus eſt pes noſter, viam eius cuſtodiuimus, & non declinauimus ex ea. Gloria magna eſt homini ſequi dominum, maior
Luc 14. autẽ deum ſuum, longitudo enim dierum aſſumetur ab eo. Vnde ipſe ait: Honorificabit eum pater meus qui eſt in cœlis. Eſt & neceſſarium, ipſo dicente: Qui non abnegat ſemetipſum, quod eſt omnia relinquere, & non accipit crucem ſuam quotidie, & ſequitur me, nõ eſt me dignus, nec poteſt meus eſſe diſcipulus. At qui eum ſequitur, non ambulat in tenebris, malitiæ & nequitiæ. Via enim peccatorũ, tenebroſa, neſciunt quo corruunt. Hinc
Ephe. 5. Apoſtolus, peccatores non ſolum tenebroſos, ſed ipſas
Ioan. 8. tenebras appellat. Nullus ergo peccator ſequitur Chriſtum, ſed diabolũ, qui ab initio peccauit, cuius deſideria & opera facit, & inique agit vſquequaque. Ecce tenebræ & filij tenebrarum & noctis, tenebris excæcatũ habent intellectum, ideo pedibus offendunt, neſciunt vnde veniant aut quo vadant, quia lumen cœli non vident, & lumen iuſtitiæ non lucet eis, nec ſol intelligentiæ oritur eis. Ad hæc, non vident pulchritudinem honeſtatis, nec
Eccle. 23. abhorrent peccati turpitudinem, quia tenebræ eos circundant &c. Inſuper, ſemper in tenebris iſtis ſunt in timore & tremore, eo quod tenebræ eos contegunt. ¶Hic tranſeo multa, Nempe, quare hic apoſtolorum nomina ſunt expreſſa? Quare binos vocauit & miſit? Itẽ de multifaria & multimoda vocatione dei, quoniam de eis in ſermonibus de S. Matthæo, de ſancto Iacobo, & dedicatione templi, plura ſcripſi. ¶Illud tamen obiter notandum, quod ſi huius beatæ volumus vocationis Chriſti eſſe participes (alioquin ſine omni fructu ſalutis feſtum

hoc

hoc celebramus.) tunc apostolorum istorum nomina
attendere debemus & significata. Debemus item eadem *Heb.13.*
nos cogitatione armare & eos imitari, sicut ipsi sunt *1. Cor.4.*
Christum imitati. Simon namque obediens, Petrus, L
agnoscens, Andreas virilis interpretatur. Obtemperemus patri spirituum, & quæcunque dixerit nobis, faciamus: tūc beati sumus in facto nostro, & bene nobis erit. Agnoscamus vocem pastoris nostri, & ipsum verū deum, tunc viceuersa ipse cognoscet nos, & confitebitur nos *Matt.10.*
coram patre suo, & omnibus angelis & electis suis. Agamus viriliter, simus viri, confortemus corda nostra in domino, & in potentia virtutis eius, & dominum sustineamus. *Ephe.6.*
Cognitio iungatur obedientiæ, cognitam Dei faciamus voluntatem, iuxta illud: A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis. *Psal. 118* Ad hoc *Rom.8.*
autem virilitate opus est & virtute dei, qua nos adiuuat & confortat, vt in eo omnia bona possimus. Nam, non auditores legis, sed factores legis, iustificabuntur. Sine *Phili.4.*
obedientia, nullus ad Christum venit siue intrat. Sine *Rom.2.*
sapientia, nullus continuat. Sine virilitate, nullus ministerij sui cursum consummat. Sed obstreperas: Non fuit *Ioan. 21.*
eorum plena & perfecta abrenunciatio, quia ea postea repetiuerunt, vt in euangelio Ioannis est literis exaratum. Sed mentitur iniquitas sibi. Nam quamuis postea resumpserunt, tamen hoc nō fuit ex proprietaris amore *Psal.26.*
vel cupiditate, sed ex vitæ tuendæ & famis propulsandæ necessitate, & ad horam. Non resumpserunt relicta, sed marinariis vsi sunt alienis ad vitæ sustentationem. Laborauerunt cum eis, non vendicauerunt ea sibi in propria.

¶ Sequitur vocatio Iacobi & Ioannis euāgelistæ, quam breuiter discurram, quia vterque festum suum habet in ecclesia dei. *Et procedens inde*, à loco illo in quo Petrum & Andream vocauerat, ad alium, *vidit duos fratres alios* à prædictis, *Iacobum*, cognomento maiorem, *Zebedæi*, videlicet filiū, ex cōmuni vsu loquendi. *& Ioannem* euangelistā, qui in cœna super pectus domini recubuit. Cui virgini, virginē matrem in cruce cōmendauit, & quē Iesus dilexit. *fratrē eius.* Iacobus luctator, Ioānes gratia interpretatur: bona ergo fraternitas, luctę & gratię. nā ꝑ luctā *Ioan. 19*
fit cōtra diabolū fortis in fide lucta, cū quo est iugis nobis colluctatio, bellū assiduū & certamē, cōtētio agonalis pro corona gloriæ. nullus ei locus datur, sub pedibus *1. Pet.5.* *Ephes. 6.*

1.Iohã.3. conteritur,mũdus & ea quæ in mundo eſt triplex noxia,
& damnabilis cõcupiſcẽtia aſpernatur velut lutũ, & ve-
1.Cor.9 lut detrimentũ abhorretur. Caro cum viciis & concu-
piſcentiis crucifigitur, in ſeruitutem ſpiritus redigitur,
Pſal.15 membra mortificantur,vicia eradicantur, noxia vitãtur,
viæ duræ cuſtodiuntur,vim ſibi facit homo, & rapit vio-
lentia cœlum ad ſe.Per gratiã verò,virtutes plantantur,
homo ab omni inquinamento carnis & ſpiritus emunda
2.Cor.7 tur,& ſanctificatio perficitur in timore dei.Per gratiam,
homo acceptus fit deo,& opera eius fiunt meritoria vi-
Rom.8 tæ æternæ,atque omnia ei cooperantur in bonum. Per
Phili.2 eam cum metu & tremore, ſalutẽ ſuam electi operãtur,
Coll.1 fructificant & diuites fiunt in omnibus operibus bonis,
iuſte,ſancte & ſine quærela adſunt omnibus,iuſte,pie &
Tit.2 ſobriẽ viuunt in hoc ſeculo,lucent corã hominibus, per
Mat.5 opera bona,per quæ à videntibus ea, pater glorificatur
qui in cœlis eſt.O ſancta,o benedicta,o expetenda fra-
1.Cor.9. ternitas,vbi Iacobus legitime certat,& ne aerẽ verberet
aut currat in incertũ,Ioannes gratiã Dei adfert.Sic fra-
Eccl.4. ter qui adiuuatur à fratre,quaſi ciuitas firma eſt. Habẽt
namque emolementũ ſocietatis maximum. Si vnus ce-
ciderit, ab altero ſubleuatur. Fouentur mutuo, & alter
Rom.11 alterius ope defenditur.*cum Zebedæo patre eorum.* O felix
tali prole parens.Vere dictum eſt,ſi radix ſancta & rami.
Sic bona arbor,bonos fructus facit,& ex fructibus vna-
quæque arbor cognoſcitur. Zebedæus,fugitiuus inter-
2.Pet.1 pretatur.Nam eam fugit,quæ in mundo eſt concupiſcen
tiæ corruptionem. Fugit quaſi à facie colubri peccata &
occaſiones peccandi,fugit à lupis & mercenariis,nec eos
Ioh.10 audiuit,nec eſt ſecutus. Fugit à ventura ira per iuſtitiæ
operationem & bonitatis,inſtructus per Chriſtum. Ho-
N rum mater Salome vocabatur, id eſt, pacifica, mater fi-
Lu.1 liorum & lucis.Iſti parentes,vt erant iuſti ambo & ince-
dentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini
ſine quærela,ſic & filios ſuos ab infantia docuerũt time
Tren.3 re deum, & abſtinere ab omni peccato, ſecum reputan-
Prou.22 tes,quod bonum eſt homini,cum portauerit iugum do-
mini ab adoleſcentia ſua.Nam adoleſcens iuxta viã ſuã,
etiam cum ſenuerit, non recedit ab ea. Sic in diſciplina
(ſiue in eruditione morũ,vt legit Eraſmus)& correptiõe
domini,beati parentes iſti,filios ſuos educauerũt,exem
plis & verbis.Sic eos ad futuram gratiã præparauerunt.
erat

Erat enim Salome ſoror matris Chriſti Mariæ,vnde ſci-
bant Chriſtum dei filium eſſe,& verum Meſsiam,mundi
totius ſaluatorem. Iuſtructi dubio procul, per virginem
matrem agni.Item per Zachariam & Elizabeth,quibus
deus hoc magnum pietatis ſacramentum reuelauit.Nã
hoc aperte profeſſa eſt Elizabeth, quoniam ad Mariam
dixit:Vnde hoc mihi,vt veniat mater domini mei ad me?
Item, Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus
ventris. Item Zacharias, cum in laudes dei prorumpẽs, *Luca.1*
deum benedicẽs,dixit: Benedictus dominus deus Iſrael,
quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ Iſrael
&c.Item ex teſtimonio paſtorum, & aduentu trium re-
gum,ex teſtimonio iuſti Simeonis & Annæ prophetiſ- *Luca.2*
ſæ.Demum,inſtructi erant per teſtimonium & prædica- *Ioan.1.*
tionẽ Iohannis baptiſtæ,qui ipſum dixit eſſe agnũ dei,q̃
tollit peccata mundi.Itẽ,ipſe eſt Chriſtus qui maior me
eſt,cuius non ſum dignus corrigiã calceamentorũ eius
ſoluere,&c.Hæc omnia,vt erant conſanguinei & propin
qui Chriſti,ſciebãt & credebant firmiſſime.Hæc etiam, *Pſal. 77.*
ſicut mandauit Deus patribus , nota facerent filiis ſuis,
ne fierent ſicut aliorum proles , malorum parentum,
generatio praua & exaſperans,genimina viperarum , a-
dulterinæ plantationes , ſemen nequam , filij ſcelerati,
filij Belial & tenebrarum. At filij gratiæ & benedictio
nis,bonas parentum monitiones , memoriæ commen-
dabant,& opere implebant. Cum patre victum quære-
bant licito modo labore manuum & arte, in quã nulla
fraus eſt aut circumuentio proximi,nec impoſtura. O-
beati filij , qui pro parentum conſolatione cum eis ma-
nent in domo , vt parentibus vicem reddant ſollicitudi-
nis, obſequij et ſubuentionis. Non currebant inuitis pa
rentibus ad bellum. Non eos irritabãt contumeliis,etc.
Non illicitas artes diſcebant, quibus vndecunque falla-
ces ſibi diuitias corraderent et coaceruarent. Beati et
parentes prolium iſtorum , qui gaudium ſummum ha-
bebant in probitate ipſorum. Cum igitur eſſent cum Ze
bedæo patre ſuo,*reficientes retia ſua*, ex paupertate, quia
vnde noua emerent,pecuniam non habebant. *Et vocauit
eos*, forte per eadem verba et eandem promiſſionem,ſi-
cut Petrum et Andream , et quod primis eſt dictum, in
ſequentibus intelligatur. Vel primi nullum habuerunt
motiuum ſequendi Chriſtum,ideo in eorum vocatione

 additur

additur motiuum. Illi ergo præmium, isti exemplum pro
O motiuo vocationis habuerunt. *Illi autem statim*. ecce obedientiæ velocitas, *relictis retibus & patre* suo naturali. ecce obedientiæ plenitudo. Erasmus addit: *& naui*, & sic habetur in Græco. In quibus tria significantur, quæ relinquere debent in perfectionis statu volentes sequi Christum, Nempe, actus carnales, qui per retia. res temporales, quæ per nauim. parētes carnales, qui per patrem significantur. Ergo in retibus actio peccati, in quod homo peccans, mittit pedes suos. In naui possessio mundi instabilis & incerta. Nam nauis modo est plena diuitiis. post momentum temporis, perit cum mercibus. In patre affectio consanguinitatis. Sic dictum est ad Abraham: Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo pa-
Luc 17. tris tui. *secuti sunt eum*, quocunque iuit, & non respexe-
Prou. 26. runt retro sicut vxor Loth, non sunt reuersi ad vomitum
1. Pet. 2. ingrati, vt canes, & sus ad volutabrum luti, sed in vocatione sua qua vocauit eos Dominus, manserunt vsque in finem, & sic salutem sunt consecuti. Vide hic patris Zebedæi eximias virtutes, ne verbo quidem vnico eos remoratur, vel à Christi sequela reuocat. Non conqueritur solatio prolium se destitui in senectute, non exprobrat eis exhibita solatia & beneficia, non dicit, quòd canos suos cum mœrore ducent ad sepulchrum, vt nostri temporis homines faciunt, cum viderint filios aut filias suas in monasteriis reformatis velle Deo seruire. Iam in Dominum cogitatum suum iactauit, cui cura est de omnibus, certissime sciens, quòd ipse eum enutriet, & in diebus famis saturare potest. De matris præconiis, in præsentiarum tacendum puto consilium, gratia breuitatis. Nam quamuis postea pro filiis rogando regni Christi consortium humanum quid passa est, nec est ad votum exaudita. Bonum tamen erat eius desyderium, licet inconsiderata petitio. Et ideo non voluntas, non proposi-
1. Tim. 1. situm culpatur, sed ignorantia: Ignorans enim fecit. Et ideo quamuis impetrare non debuit, simplicitas tamen
Rom. 8. meruit ne confunderetur. Hinc Apostolus ait: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.

Soli Deo laus & gloria.

¶ IN.

IN DIE S. NICOLAI EPISCOPI, IN EPISTOLAM, HOMILIA.

Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus.

Quàm mirabilis & amabilis, benignus *Psal.67.*
et misericors, in sanctis suis Deus sit, vita
eorum Deo digna,& quæ per eos operatur
signa & prodigia,testantur abunde.Nec te moueat,quòd
filij perditionis(qui nullum signum virtutis possunt osten *Sap.5.*
dere,dati in reprobum sensum,venditi sub peccato,vt fa *3.Reg.21*
ciant mala,proiecti & reprobati à Deo, dimissi in scele- *Esai.50.*
ribus suis,& secundum desideria cordium suorum,vt eãt
in adinuentionibus suis,& vt impleant sua semper,fiúnt- *Psal.80.*
que supra modum peccantes peccata,) bonorum conuer
sationem calumniantur,opera eorum bona, in fide & in
Deo facta,damnant,miracula eorum blasphemant, Sa-
tanæ deputant,præstigia diabolica vocant. Non moueãt *Rom.7.*
te tam horrenda mendacia,quæ patrem suum imitando
mendacem,de cordis sui malo thesauro eructant. Nam
cum ipsi mali sint, non possunt de bonis & rectis corde
bona loqui. Secundum hæc faciebant etiam prophetis *Mat. 12.*
patres eorum. An non omne malum dixerũt filij Belial
de sancto sanctorum,vnigenito filio Dei,quando in ter- *Luca.6.*
ris videbatur,& cum hominibus conuersabatur,tam san
ctè,quòd de nullo etiam minimo peccato eum potuerũt *Baru.3.*
in veritate arguere? Nihilominus in vita vocabant eum
Beelzebub,dicebant eum habere dæmonium,esse pecca *Ioan.8.*
torem,legis transgressorem,insanum,seductorem, & in
Beelzebub principe dæmoniorum(non in Deo)miracu- *Mat. 16.*
la operari.Nec à blasphemiis istis serpentinas linguas co *Ioan.9.*
hibuerunt postquàm mortuus fuit, & in sanguine suo, *Mat.12.*
eos ab omnibus iniquitatibus eorum redemit,sed quan *Luc.11.*
to ille maiora eis beneficia præstitit, tanto illi in maio-
rem inuidiam contra eum & opera bona illius quæ ex *Ioan.10*
patre suo eis ostendit,exarserunt. Hoc enim maliciæ pro
prium est & inuidiæ, quòd ex bonitate ac beneficentia *Psal.37*
augetur.Et pro eo quod benefactorem deberet diligere,
detrahit ei, reddit ei mala pro bonis,& odium pro syn- *Psal.148*
cera et vera dilectione. Hinc est quod postquàm inno-
centẽ morte turpissima condemnauerũt et peremerũt. *Sapi.2.*

Mat.27. addiderunt in malo,& seductoré calumniabantur eum esse corã Pilato. Conabantur memoriã eius tollere de ter
Hiere.11. ra,omnẽ mouerunt lapidem (sed frustra)ne nomen eius amplius memoraretur. Hinc prohibuerunt apostolis &
Actus.5. & præceperunt,ne in nomine Iesu loqui auderent ad plebem.Nemo ergo miretur de sanctis, quòd male audiunt à filiis sceleratis Non est seruus maior domino suo, nec
Mat.10. discipulus supra magistrum.Reprobi maledicunt electis, mali bonos calumniantur:at Deus eos benedicit,& glo-
Ioan.19. rificat,ac mendaces ostendit eos qui maculant illos. Iudicat iudicium sanctorum suorum,& redimit eos à calũniis malignantium.Conuertit dolũ eorum in caput ipsorum & in verticem eorum iniquitatem eorum retundit.
Psal.10. Sic gloria & honore coronat deus eos qui propter nomẽ suum sustinent opprobria,& quorum facies operit confu
Psal.115 sio. Qui propter euangelium maledicuntur,persequuntur,& sustinent, quod false omnia mala dicuntur de eis.
Psal.7. Impios autem sequitur ignominia & opprobrium sempi
Psal.68. ternum.Sic dextera excelsi,consusio piorum in gloriam
Mat.5. mutatur:laus autem impiorum perit,& gloria eorum in
Osea.4. ignominiam vertitur & confusionem. ¶ Hoc secum re-
Habacuc 2. putauit sanctus N.Ideo deposuit omne pondus & circunstans peccatum,& per patientiam ad propositum sibi cer
1.Mac.1. tamen cucurrit,per gloriã & ignobilitatem, per infamiã
Heb.12. et bonam famã,per arma iustitiæ à dextris et à sinistris, aspiciendo in authorem fidei et consummatorem Iesum,
2.Cor.6. qui proposito sibi gaudio, crucem sustinuit propter nos (vt nos de potestate tenebrarum eriperet et saluaret in
Col.1. regnum suum cœleste)cõfusione contempta. Atq; nunc
1. Pet.4. in dextera paternæ gloriæ sedet.Eadẽ se cogitatione ar-
Apoc.14. mauit,ideo agnum dei quocunq; iuit sequebatur, ambu
Eccle.23. lando sicut ipse ambulauit.At Dominum Iesum per inuictæ virtutis culmen sequi, gloria magna est, et vera nobilitas,quæ valet apud deum.Per hãc sequelã Christi, fit homo filius altissimi,frater,membrũ et cohæres Chri
Luc.6. sti,templum spiritussancti,ciuis sanctorum et domesticus dei,genus electum,regale sacerdotium,gens sancta, po-
Rom.8. pulus acquisitionis,et hæres Dei.Ergo,imitatione Christi nihil vtilius est, nihil nobilius, nihil magnificentius,
Ephes.2. nihil tandem Deo magis placitum in vita hac homini-
1.Pet.2. bus.Nam qui perfecte Christum imitantur,per hoc par-
Psal. 81. ticipes diuinæ naturæ efficiuntur. Insuper dij sunt et filij ex-

lij excelſi omnes. Iam quomodo ſanctus iſte Deum ho- *Ioan.* 1.
norificauerit, et ab eo glorificatus ſit, breuiter videamus. 1. *Reg.* 2.
Nam Deus diligentes ſe diligit, voluntatem eorum fa- *Prou.* 18.
cit, deprecationē eorum exaudit, et ſaluos eos facit. Ait *Pſal.* 144
ergo, illius virtutes ad gloriam ſuam retexens, et ad no- *Ioan.* 13.
ſtram inſtructionem, vt et nos ita faciamus, ideóq; place
re ſtudeamus. Tunc namq; vere et ſalubriter ſanctorum
feſta recolimus, quando eorum virtutes et opera imita-
mur. Ipſi enim nobis dicūt. Imitatores noſtri eſtote, ſicut
et nos Chriſti. Et iterū: Imitatores noſtri eſtote fratres, 1. *Cor.* 4.
et obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formā
noſtrā. Nos enim in medio nationis prauæ et peruerſæ, *Philip.* 3.
ſancte, iuſte et ſine querela omnibus adfuimus, vt noſ- 1. *Teſ.* 2.
metipſos formam daremus vobis ad imitandū nos. Nos
cepimus cum Chriſto facere & docere, ideo non ſolum *Actu.* 1.
quæcunq; diximus, ſed etiam quæcunq; fecimus, ſeruate
et facite. Quia nihil locuti ſumus, quod per nos prius nō *Mat.* 23.
effeciſſet Chriſtus, exemplum proinde noſmeitpſos vo-
bis dedimus omnium operum bonorum, vt et vos ita fa- *Rom.* 15.
ciatis et ambuletis et deo pl ceatis. Si hæc ſcitis, beati
eritis, ſi feceritis ea. *Ecce* quid magnum et mirabile. Nam *Tit.* 2.
dum deus ſtellam hanc nouam in firmamento eccleſiæ
produxit, tunc omnibus præordinatis in vitam æternam, 1. *Tim.* 4
noua lux oriri viſa eſt, gaudium item, honor et tripudium
apud omnes filios lucis et diei. Quotquot autē lux ſunt *Ioan.* 13.
in domino et armis lucis ſunt induti, in lumine eius am- *Heſt.* 8.
bulant. Male autem agentes, tenebrę ipſe et filij tenebra
rum, hanc lucem odiunt, et magis tenebras quàm lucem *Epheſ.* 5.
diligunt, quia opera eorum mala ſunt, ſicut et ipſæ arbo-
res malę ſunt, fructus malos facientes. Et non veniunt *Ioan.* 3.
ad lucem hanc, vt non arguantur opera eorum mala.
Commendat autem eum à multis. Primò ab officio, di- *Mat.* 7.
cens: *ſacerdos magnus.* Sacerdos Dei ſummi fuit, aſſimila
tus filio Dei, qui et ipſe ſacerdos in æternum eſt, ſecun- *Pſal.* 109
dum ordinem Melchiſedech. Sacerdos fuit, ſacer in ſe,
innocens manibus et mundo corde. Et reuera, tales de- *Pſal.* 14.
cet et neceſſum eſt, vt habeamus nobis pontifices. Nem
pe, ſanctos, innocentes, impollutos, ſegregatos à peccato *Heb.* 7.
ribus, cœlis (qui enarrant gloriā Dei, et in quibus Chri- *Pſal.* 18.
ſtus per fidem habitat) per vitæ merita, excelſiores. Quā *Epheſ.* 3.
do tales paſcunt oues Chriſti, tunc floret dei vinea, ger
minat iuſticiam et laudem in vniuerſa terra. Sacerdos *Eſai.* 61.

 fuit,

Esai.61. fuit,quia dedit semetipsum omnibus bonum exemplum omnium bonorum operum in sua conuersatione & vita.
Tit.2. Dedit omnibus bonam & sanam doctrinā, de thesauro sacræ scripturæ & cordis sui boni,quæ melior est cunctis
Mat.12. opibus preciosissimis,& omnia desiderabilia,ei non possunt comparari. Dedit omnibus gratiam multiplicem
Prou.8. quam accepit de manu domini abundanter,sicut bonus & fidelis dispensator,vt omnes saluos faceret & Christo
1.Pet.4. lucraretur. Sic dedit semetipsum aliis in exemplum placendi deo in bonis operibus. Dedit omnibus scientiam
Luca.1. salutis in sanctis exhortationibus. Dedit omnibus gratiam dei multiplicem, rite dignéq; sacramenta admini-
Mat. 25. strando fidelibus.Ideo à domino audire meruit cùm ex
Luc.19. hoc mundo transiuit ad terram viuentium. Euge serue bone & fidelis,quia super pauca fuisti fidelis super mul-
Psal. 68. ta te constituam,intra in gaudium domini tui. ¶ Fuit sa
Gal.16. cerdos,non qualiscunq;,sed magnus coram domino,quē semper magnificauit in laude. Sunt multi magni coram seipsis & inflati,putantes se aliquid esse,cum interim ni-
Luc.18. hil sint. Isti seducunt semetipsos. Talis fuit pharisæus
Apoc.2. euangelicus, opera sua magnificans, ignorans interim, quod miser erat & miserabilis, pauper, cęcus & nudus.
Daniel.4. Fuit talis Nabuchodonozor, ignorans semetipsum, sed facta manu domini super eum, humiliter sentire didicit de seipso. Alij magni sunt coram hominibus. Illi videlicet,qui potestate præditi sunt,magnificati diuitiis & ho-
Luca.1. noribus cumulati. Sed vanitas est illa magnitudo & vmbra fragilior.Verum Iohannes magnus fuit coram domi
Mat.16. no.Magnus gratia,virtute,sanctitate & omni perfectio-
Iob.1. ne,quia inter natos mulierum,non surrexit maior Iohāne.Sic Iob vir magnus fuit inter omnes Orientales.Nā
Iob.24. simplex erat vt columba,rectus in dilectione, Deum timens ac mandata illius custodiens.& recedens ab omni via mala, adeò quòd cor eius non reprehendit eum in
Exod.12. omni vita sua. Hoc modo, amicus dei Moyses, magnus fuit in omni terra Ægypti. Huiusmodi autem magnitudo virtuosa, qua deus electos suos magnificat,in quatuor consistit,secundum quatuor dimensiones:In altitudine spei,qua iam salui sunt. In profunditate fidei, cum
Rom.8. argumentum sit rerum non apparentium. In latitudine
Heb.11. charitatis,quæ est latum mandatum nimis. Et in longi-
Psal.118 tudine perseuerantiæ finalis in bonitate.Hoc modo deus

cos

eos quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, *Mat. 24.*
hos iustificauit, quos autem iustificauit, hos & magnificauit. *Rom. 8.* Et hoc multis modis. ¶ Primo per gratiam adoptionis *Ioh. 1.* dando eis potestatem filios dei fieri. Sic per fidem *Gal. 3.* sumus filij dei, & gloriamur in spe gloriæ filiorum *Rom. 8.* dei. ¶ Deinde diuites faciendo in gratia, in fide, in virtutibus *1. Tit. 6.* & omnibus operibus bonis. Hoc modo deus *Luca 1.* magna fecit Mariæ virgini, & magnificat facere nobiscum, si in vacuum non recipimus gratiam eius. Hoc *2. Cor. 6.* modo qui mandata dei facit & docet, magnus vocatur *Mat. 5.* in regno cœlorum. Sic magnificatus est puer Samuel *1. Reg. 2.* apud dominum, nam, proficiebat & crescebat in gratia, eundo de virtute in virtutem, & placebat tam deo quam hominibus. Sic & Iosue magnificauit dominus *Iosué 4.* coram omni Israel. Tertio miraculis illustrando. Sic adsertor *Luca 24.* noster potens fuit opere & sermone. Hoc modo *Exod. 11.* Moyses magnus fuit in omni terra Aegypti, signa & prodigia multiplicando. ¶ Quarto honoribus sublimando. *Eccl. 50.* Sic Symeon Oniæ filius fuit sacerdos magnus. ¶ Quinto diuitias ei dando: Sic ibat Isaac, proficiens *Gen. 24.* atque succrescens, donec magnus vehementer factus est. Hoc modo & Nabal stultus iuxa nomen suum, erat magnus nimis. Sic magnificauit Deus Salomonem *1. Reg. 25* in excelsum super omnes reges terræ, diuitiis *3. Reg. 10* & sapientia. ¶ Sexto nomen eius late diuulgando. Vnde dixit ad Dauid dominus: Feci tibi nomen grande, *2. Reg. 7.* iuxta nomen magnorum qui sunt in terra ¶ Septimo, gloria in cœlo exaltando. Qua gloria & honore *Psal. 20.* eos coronat, gloriam & magnum decorem imponit super capita eorum. Magnus proinde & mirabilis est deus in sanctis suis, & magnitudinis huius non est finis, numerus vel modus. Sic in omnibus magnificat *Sap. 29.* dominus populum suum & honorat, & in omni loco assistit illis. Deinde laudatur sanctus iste de hoc, quod *in diebus suis placuit deo.* Sic Samuel placuit tam *1. Reg. 2.* deo q̄ hominibus, quod est Samsonis opus. Verum in *Act. 6.* omni gente, qui timet deum & operatur iustitiam, acceptus *Luc. 17.* est illi. Hinc Paulus ait: Regnum Dei (quod *Mat. 6.* intra nos est, est primum quærendum) iustitia & pax est, *Rom. 14.* & gaudium in spiritusancto: Qui in hoc seruit Christo, placet deo & probatus est hominibus. Hanc ob causam contendebat Apostolus, siue absens siue presen- *2. Cor. 5.*

illi placere. Insuper *& inuentus est iustus.* i. omnibus virtutibus adornartus, omnibúsque numeris ab solutus.
Gen. 6. Noe precio iustitię, vir iustus atque perfectus fuit. Sic Io
Luca 1. seph sponsus Marię iustus fuit. Et Zacharias cum vxore
Rom. 6. sua, ambo iusti erant ante deum. Iohãnes vero filius eo-
Luca 24. rum, homo iustus & sanctus fuit. Taceo Ioseph ab Ari-
Col. 1. mathæa, virum bonum & iustum. Iste ergo iustus erat. quia digne deo ambulauit, deo per omnia placuit, in omni opere bono fructificauit. *in tempore iracundiæ,* quando
Esa. 1. generatio praua atque peruersa, gens peccatrix, populus
Deut. 32. grauis iniquitate, semen nequam, filij scelerati, deum ad iracundiam prouocauerunt & irritauerunt operibus manuum suarum, adeo quod voluit eos disperdere à facie
Ezec. 13. terræ in malitia eorum. Tunc sanctus iste, *factus est reconciliatio.* Ascendit ex aduerso, opposuit se murum pro do-
Psal. 105 mo Israel, stetit in prælio in die furoris domini. Sic moyses mansuetissimus, quando infideles filij dereliquerunt
Exo. 32. dominum, & fecerunt sibi vitulum & adorauerunt sculptile, & dominus noluit eos disperdere, stetit in confractione in conspectu dei, & auertit iram eius, dicens: Aut dimitte populo huic hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo viuentium, quem scripsisti. Et ad preces eius placatus factus est dominus, & non fecit malũ quod locutus fuerat aduersus populum suum, qui eum exacerbauit. Sic Aaron, quando vorax flamma combussit peccatores inter viuos & mortuos stetit orans & incensum
Num. 16. offerens, & mox plaga cessauit. Sic Phinees sacerdos, dũ
Sap. 18. zelauit pro domino, iram dei auertit à populo, vt deus
Psal 105 nõ deleret eos in zelo suo, & meruit sacerdotium æter-
Num. 25. num. Taceo Matathiam cum sobole sua benedicta, quo-
Eccl. 45. rum memoria in benedictione est, & cum laude per om-
1. Mac. 3. nes ecclesias. At nunc omnes corrupti & abominabiles
Esa. 13. facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad
Rom. 3. vnum. Non est iustus quisquam amplius in terra, qui in
Esa. 46. uocet nomen domini & teneat eum. Ideo effudit super
Psal. 68. nos iram suam, & furor iræ suæ nos cõprehendit. Ex hoc in aprico est, quàm multum valeat oratio iusti assidua.
Iacob. 5. Hinc alibi dominus dicit: Circuite vias Hierusalẽ, & as-
Hier. 5. picite & conciderate, & quęrite in plateis eius an inue-
Malac. 4. niatis virum vnum facientem iudicium & querentem fidem, & propitius ero ei. insuper. *non est inuentus similis illi,* alia namque est claritas solis iustitię, qui est Christus.

Alia

Alia claritas lunæ,quæ est intemerata virgo Maria. Alia *Philip. 2.*
claritas stellarũ,hoc est,electorum,qui lucent in ecclesia *1.Cor.15*
sicut luminaria & stellæ in firmamẽto,verbum vitæ continentes. Sed & stella à stella differt in claritate. Ideo quamuis omnes electi deo placeant per fidem,spem,charitatem,pietatem,humilitatem, & alias virtutes,nihilominus vnus non habet virtutes in eodem gradu & in eadem perfectione sicut alius. Ergo non est vnus alteri similis per omnia,& stella à stella differt in claritate & gloria,sicut & hic vnus ab altero differt in gratia.Non ergo est ei similis inuentus in gratia.*qui conseruaret legem excelsi*, in eodem gradu & in eadem perfectione. *Ideo iureiurando*,& per semetipsum iurauit & non pœnitebit eum, *Heb.6.*
ac *fecit dominus crescere in plebem suam*, in gratia,in salutem *1.Pet. 2.*
Sic iustorum semita crescit & proficit vsque ad perfectũ *Prou.4.*
diem,creuit etiam in plebem Dei, quia per euangelium *1. Cor.4.*
ipse multos Christo genuit.Verbum enim Dei,semen in *1.Pet.1.*
corruptibile est, Dei viuentis, ex quo filij regni & pro- *Gen.15.*
missionis generantur, sicut dominus ad Abraham dixit: Suspice cœlum,& numera stellas si potes, sic erit semen tuum.Hæc est generatio rectorum,quæ benedicitur om- *Psal.111*
ni benedictione spirituali in cœlestibus bonis. Enumera *Ephes.1.*
si voles,quot filios in Christo genuit,per bonam,sãctam, inculpatam,& deo dignam suã conuersationem.Per sanam suam doctrinam, & per largam multiplicis gratiæ Dei quam accepit, in alios distributionem, Ad hoc: *benedictionem omnium gentium dedit illi.*Benedictio Dei non est verbum transiens, sed gratia, donum & beneficium saluans.Dedit igitur ei benedictionem omnium gentiũ, *Gen. 15.*
Iesum Christum,in omnem vsum desiderabilem. In na- *Gal.3.*
tiuitate in socium,in cœna in ædulium in morte in prætium,in regno in premium.Ille benedictio est,quia in illo benedicuntur,hoc est,omnibus bonis replentur,omnes gentes.Et pater misericordiarum & gloriæ,cum illo *Rom.8.*
omnia sua donauit, per quæ diuinæ consortes naturæ *2.Pet.1.*
efficimur.*& testamentum suum*,hoc est, pactum quod fecit cum patribus, daturum se nobis. Vt per eum de ma- *Luc.1.*
nibus inimicorum nostrorum inuisibilium liberati,seruiremus illi in sãctitate & iustitia omnibus diebus nostris *confirmauit super caput illius.*& non super caput filiorum *Psal.17.*
alienorum,qui Deo mentiuntur,inueterantur& claudi- *Psal.108*
cant à semitis suis.Isti diligunt maledictionem, & venit

Ecc.41. eis,iuxta illud: Vę vobis viri impij, qui derelinquitis legem domini altissimi.Nam si nati fueritis,in maledictione nascemini, & si mortui fueritis,in maledictione erit pars vestra.*Cognouit eum in benedictionibus,*quia diuitem eũ
Psal. 20. fecit in gratia.Omne desiderium cordis sui tribuit ei, & voluntate labiorum suorum,non fraudauit eum. Pręuenit eum in benedictionibus dulcedinis, posuit super ca-
Psal.33. put eius coronam de lapide præcioso.Et sicut sanctus iste hic dominum benedixit in omni tempore, & laus Dei semper fuit in ore eius. Sic & deus dedit eũ in benedictio
Hest. 15. nem in seculum seculi,& lętificat eum in gaudio cũ vul-
1.Pet.1. tu suo,quæ plena est gratiarum,adeo etiã pulchra,quod angeli in eam desiderant aspicere. *& conseruauit illi mise-*
Psal.32. *ricordiam suam,*qua plena est terra.Quę ab æterno vsque
Psal.102 in æternũ est super timentes eum.Misericors fuit,& misericordiam fuit consecutus à deo,qui diues est in misericordia. Vnde semper lætabatur & exultauit in miseri-
Psal.30. cordia Dei.*& inuenit gratiam ante oculos domini,*hanc deus miserator & misericors omnibus offert,vt ostendat abũdantes diuitias pietatis, benignitatis & charitatis suæ in
1.Pier.2. bonitate super nos in Christo Iesu.*glorificauit eum in cõ-*
Ephes.2. *spectu regum,* coram quibus inuenit gratiam, & quibus
Mat.10. multiplicem gratiam à deo affluenter & gratis accep-
1.Pet.4. tam,gratis distribuit,sicut bonus & fidelis dispẽsator my-
Lucæ 5. steriorum & gratiæ dei.Illis predicauit abundantes diui-
Rom. 16. tias bonitatis diuinæ,& cępit eos hamo & reti prædica-
Lucæ 1. tionis suę, domino cooperante, & sermonem eius con-
1. Pet.4. firmãte sequẽtibus signis, *& dedit illi coronam gloriæ* postquam in sanctitate & iustitia ei omnibus diebus suis ser
2.Tim.4. uiuit. Hæc est immarcessibilis vitæ corona, illis parata, qui se formam gregi suo præbent quam imitentur,ex a-
Apoc.2. nimo.Hanc accipiunt omnes qui bonum certamen fidei legitime certant,cursum suum consumant,fidem seruãt, fideles sunt vsque ad mortem, & sufferunt tentationes.
Iacob.1. *Statuit illi testamentum* pacis,& Euangelicæ gratiæ.*sempiternum*·Quia euangelium pacis,gratiæ Christi,& glorię
Mat. 26. beati Dei nouum & æternum testamentum est, morte
Marc.19. & sanguine Iesu Christi confirmatum, stabilitum, sanc-
Lucæ 22. tificatum & ratificatum.Tres euãgelistę,Matheus,Mar-
1. Cor.11 cus,Lucas & Apostolus ad Corinthios, vocant euangelium nouum testamentum,similiter in epistola ad Hę-
Heb.13. brętos. Sed vltimo eiusdem epistolæ capite, vocat Euangelium

gelium testamentum æternum. *& dedit illi* Deus ex gratia per vocationem suam. Non ingessit semetipsum, vt Dathan, Abiron & Chore moliebantur. Non ascendit aliunde, vt fures faciunt & latrones. Non emit sacerdotium vt vasa iræ & iniquitatis, Alchiminus, Menelaus, Iason & alij filij perditionis, & vasa contumeliæ, quorum perditio iusta est. Nihil enim dignum sacerdotio habuerunt, animos vero crudelis tyranni, & feræ beluæ iram gerentes, semper mendaces, ventres pigri, malæ bestiæ. Imo Sathanæ & diaboli per obstinationem, & omnis iustitiæ inimicitiam, & viarum Dei subuersionem. Hic autem non sumpsit sibi honorem, sed vocatus fuit à deo sicut Aaron. Sic & Christus non clarificauit semetipsum, vt pontifex fieret, sed pater suus cœlestis, hoc munus ei dedit. Et Christus pastor magnus & princeps pastorum, cui pater omnem potestatem dedit, in cœlo & in terra, dedit huic *sacerdotium magnum*, secundum ordinem Melchisedech, vt offerret dona & sacrificia pro peccatis, & suis & populi, & postquam viam mandatorum Dei cucurrit, in agone contendit, tenuit quod habuit. in vinea laborauit, in spiritu seminauit, *beatificauit illum in gloria* cœlesti, & dedit illi coronam gloriæ incorruptam, pro qua in agone contendit, & ab omnibus impedimentis abstinuit. Videte ergo quanti meriti, gloriæ & honoris sit apud deum, digne *fungi sacerdotio* euangelico, & nouæ legis, si tantam gloriam sacerdotium antiquum habuit. Nam si ministerium mortis fuit in gloria, multo magis ministratio spiritus esse debet in gloria. Item, si ministratio damnationis, & quod euacuatur est in gloria, multo magis abundat ministerium iustitiæ, quod manet, erit in gloria, *& habere* debet *laudem in nomine ipsius*, principis pastorum pro quo legatione funguntur, & cuius munia obeunt. Ergo contendant *offerre illi incensum dignum* orationis, & magnum pietatis sacramentum, corpus videlicet & sanguinem Christi, *in odorem suauitatis*, & opprobria exprobrantium Lutheranorum sustineant propter Christum. Ipse redimet eos à calumniis impiorum hæreticorum, & obstruet ora eorum, qui loquuntur iniqua, atque in malitia eorum disperdet eos. Vos autem lætabimini pro diebus quibus fuistis humiliati, annis quibus vidistis mala.

Num. 16 *Ioan. 10.* *2.Mac.4.* *Tit.1.* *Mat. 16.* *Ioan.6.* *Act.13.* *Heb.5.* *Mat. 28.* *Heb.5.* *Leuit. 9.* *1.Cor.9.* *2.Cor.3.* *2.Cor.5.* *Psal. 68.* *Psal. 62.* *Psal. 89.* *Apoc. 19* *2. Cor.5.* *Coll.2.*

DE

DE SANCTO NICOLAO EPISCOPO, HOMILIA PRIMA.

HOMO *quidam nobilis abiit in regionem longinquam.* Homo iste nobilis, omnium sanctorum calculis, vindicator et seruator noster piißimus est Iesus Christus, Deus et homo, rex regnum et dominus dominãtium, ac princeps regum terrę. In quo Deus erat mundum sibi reconcilians. Imò, in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit. Iste homo nobilis, cum humanũ genus de manu inimicorum suorum, et omnium qui oderunt illud vindicasset in sanguine suo, et impostorẽ suũ triumphasset in seipso, et palam traduxisset in theatro sanctæ crucis, & ad inferos descendens portas æreas et vectes ferreos confregisset, mortem occidisset, ac morsum inferno intulisset, vinctos de lacu in quo non erat aqua, et tenebris ac vmbra mortis eruisset: victor ecce rediit ab inferis, captiuam secum ferens captiuitatem, atq; mox rediuiuus clauso prodiit è sepulchro, multósque secum in corpore electos resuscitauit, qui licet casso labore, perfidis Iudæis apparauerunt, et magna dei opera, exquisita in omnes volũtates eius, attestabantur. Ipse ante suis præordinatis testibus, viuus per quadraginta dies, post passionem suam in multis argumentis apparuit, nutantia corda eorum in fide confirmauit. Tandẽ omnibus consumatis, et quæ ad salutem nostram, non solum necessaria, verumetiam accommoda et vtilia sunt omnibus patratis, in cœlum & in regionem longinquam victor & cum triumpho maximo rediit, regnum sibi accipere & postea (vt habet euangelium) reuerti, nempe, in maiestate maxima & gloria, & dare vnicuique secundum opera sua propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. ¶ Sed aduerte, quòd euangelium in præsentiarum nolo de verbo ad verbum prosequi, sed obiter hic occasione ex euãgelij exordio accepta, de nobilibus & potestate præditis, sermonem texere cum Dei adiutorio statui. Qui in festiuitatibus sanctorum pontificum item circa euangelium de regulo, & Centurione, & alias sæpe potest applicari. ¶ Et sinuosis anfractibus abdicatis ab ipsa veritate auspicabor. ¶ Nobilitas consistit in tribus. Nempe, in causa siue origine, in officij dignitate, in gratia

Col. 1. *Ephe. 4* *Act. 1* *Act. 28* *Mat. 25.*

gratia & vitæ ſanctitate.In origine & cauſa, eos nobiles dicimus,qui claro ex ſtemmate patrũ proauorúmq; traxerunt originem.Nempe,ex regibus,principibus,nobilibus,& hos mundus nobiles dicit & claros. Sed hęc carnis eſt nobilitas.Vera autem nobilitas mentis,virtus eſt,
& vita euangelio & Deo digna.Qui in hoc ſeruit Chri- *Rom. 14.*
ſto,placet Deo,et probatus eſt ab omnibus hominibus, C
qui ſanctam eius in timore dei conuerſationem conſide- *Mat.5.*
rant,& Deum patrem glorificant,qui eſt in cœlis. Et vbi nobilitas originis & carnis perficitur & ornatur nobilitate virtutum & bonorum operum , vtraq; præſtat alteri munimentum laudis.Sic nobilitas generis,quaſi aurum optimum eſt.Et ſic geniti,quaſi vaſa aurea ſunt & argentea.Et ſi hæc honeſtis vſibus applicantur,& regum menſis ſunt in honore.Et dum multis virtutibus dant operã, quaſi tot gemmis ornantur & lapidibus precioſiſſimis, quot virtutibus lucent ad gloriam Dei. Fœlix proinde ille nobilis,qui generis ſui & carnis altitudinem auget , &
clariorem facit gratiæ Dei & virtutum ſplendore.Ille eſt *Eccle. 50.*
quaſi vas auri ſolidum,ornatũ omni lapide precioſo vir-
tutum.Iſte eſt lux mundi,ſal terræ , Chriſti bonus odor *Mat.5.6.*
in omni loco. Iſte quaſi ſtella matutina in medio nebu- *2.Cor.2.*
læ,& quaſi luna plena in diebus ſuis lucet.Et quaſi ſol re
fulgens ſic iſte reſurget in templo Dei. Quaſi luminare *Philip. 1.*
mundi,verbum Dei continens,in medio nationis prauæ & peruerſæ lucet,& ſeipſum exemplum omnium bono-
rum operum aliis præbet,& formam,quomodo ambula- *Tit.2.*
re eos oporteat & placere Deo.Iſte vineam ſuam excolit,hortum,agrum corporis & animæ ſuæ fodit,arat & bo- *1.Teſ.4.*
no virtutum ſemine ſeminat. Quod rigat per dei gratiã, cuſtodit per ſollicitudinem,omni diligentia cuſtodiendo cor ſuum.Et tunc Deus dat incrementum.Nam virtutes creſcunt in bona opera, fructificant Deo fructus lucis & iuſtitiæ,qui permanent in vitam æternam.In iſtis fructibus,pater clarificatur,operans diues in Deo efficitur, &
theſaurum non deficientem ſibi theſaurizat in cœlo. Et *Mat.6.*
hæc videntes in nobilibus bona opera,ſiue verbo & præ
dicatione,lucrantur,conuertuntur & ſaluantur:Necnon *1. Pet.3.*
regis ſui, principis & Domini exemplo relicta malitia, impietatem abnegant, ſecularia deſideria abominantur,
& ſobrie,iuſte ac pie viuunt in hoc ſeculo , tanquam an- *Tit.2.*
geli Dei.Sola ergo vera apud Deum nobilitas eſt,virtu

tibus esse clarum. Nam quid est sola nobilitas carnis, sine virtutibus, & viciis plena, nisi vas aureum horrendis
Mat. 5. immundiciis plenũ, vinea neglecta, ager incultus, omnibus herbis noxiis plenus & sentibus, in quibus serpẽtes, ranæ, aspides, viperæ & id genus venenata animalia, & reptilia, delitescunt? Et quid sunt malorum nobilium malæ soboles, nisi genimina viperarum, serpentes surdæ, aspides, dracones ignem spirantes? Leones crudeles, lupi rapaces, dolosæ vulpes, vrsi voraces? Et heu, cò ventum est hodie, quòd nobilitas carnis ignobilitatẽ parit mentis, & præsentissimum maximumq; est impedimentum humilitatis, benignitatis, patientiæ, sanctæ, iustæ & irre-
Rom. 12. prehensibilis, siue inculpatæ vitæ & conuersationis. Et demum, verissimum est impedimentum salutis æternæ. Nam dum volunt se huic seculo conformare, aliis in diuitiis, in deliciis, in vanitatibus & fastu, vel æquare vel su-
1. Ioã. 2. periores esse, mundum & ea quæ in mundo sunt diligũt, & veram (in qua tota lex pendet & prophetæ) negligunt vel magis abijciunt charitatem. Et vt Iacobus dicit, ini-
Matt. 22. mici Dei constituuntur. Inglorius est apud eos, qui paupertate premitur. Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Qui orationibus instat, Deo in sanctitate
Iaco. 4. & iustitia seruit, immaculatũ se ab hoc seculo custodit, Qui non indulget potationibus, commessationibus & ebrietatibus. Qui non est sollicitus de crastino, aurum & argentum non thesaurizat, in quo confidunt homines. Qui carnem suam cum viciis & concupiscentiis crucifigit, & in medio domus suæ in innocentia cordis sui per-
Matt. 7. ambulat, & nullam rem iniustam ante oculos proponit. Sed quæcunq; vult vt faciant sibi homines, facit omnibus, sine omni delectu. Et vt ad scopum redeam, cò ventum est cum nobilitate carnis, quòd apud eam, bonũ di-
Esai. 5. citur malum, malum bonum. Lux ibi tenebra dicitur, & tenebræ lux. Verùm cum qualitas operationis, contraria est & agit nobilitati originis, tanto viciosior, detestabilior & damnabilior est deformitas operationis, quanto magis est contra naturalem inclinationem originis. Quare magis est culpabilis viciosus rex, princeps & nobilis, quàm ignobilis. Sicut turpior est macula in facie, quàm in crure aut pede. In aliis membris deformitas occultari potest. Nihil etiam coram deo valet nobilitas carnis, si comitem non habet nobilitatem virtutum. Achab,

Achaz,

Achaz, Amon, vt taceam Pharaonem, Sennacherib, Antiochum & Herodem, reges fuerunt: sed quid eis profuit nobilitas generis, quando expertes erant nobilitate mentis? Et tanto sunt grauius damnati, quanto magis impie egerunt & iniuste. Sic reges iniqui alligantur in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, & *Psa. 149* proijciuntur in profundissimum infernum. Et quis tam est mentis inops, vt non virtuosum Naboth præferat scelesto Achao regi? Et innocentem Nathanael, crudeli *Mat. 18.* Herodi? Qui non præferat Petrum piscatorem Ne- *Ioan. 1.* roni perditissimo imperatori? At nihil melius, nihil desi- *Mat. 2.* derabilius, nihil denique diuinius, quàm cum nobilitas *Matt. 4.* virtutum ornat nobilitatem carnis. Hoc patuit in Carolo magno: Qui in simplicitate cordis & synceritate *E* dei & gratia conuersabatur in hoc mundo, vt in tam horrenda facie rerum sui temporis, & in tam multis quæ fœliciter perfecit negotiis imperij sui, in omnibus exhibuit se incontaminatum & inculpatum in omni actione sua, quòd nullus malum dicere potest de eo cum veritate. Taceo beatum Iob, quem cor suum non repræhendit in tota vita sua. Taceo Dauid virum secundum *Iob 27.* cor Dei, qui fecit omnes voluntates Dei. Qui etsi gra- *1.Reg.13* uiter nonnunquam cecidit, mox tamen fortior surrexit. *2.Regi.* Taceo Iosaphat Taceo Ezechiam, Taceo Iosiã, Taceo *11.* Ludouicum regem Franciæ, Sanctum Ludouicum episcopum Tholosanum. Taceo denique sanctam Elizabeth, sanctam Kunegundam cõtẽporalẽ Henrici Imperatoris, Sanctam Hedvuigensem reginam Vngariæ. *O*

F Ad vanam igitur & solam carnis nobilitatem, qua mul- *Gala.6.* ti vanà gloriantur & tument, atque se ex hoc aliquid esse putant, & cæteris meliores, comprimendam, dicimus illud euangelij & Christi verbum: Ne velitis dice- *Mat. 3.* re inter vos, patrem habemus Abraham, qui amicus Dei appellatus est, & non est inuentus similis illi: Et *Iac.2.* nolite vos de sola eius carnali origine vana inflare. Non *Rom.9.* enim omnes qui ex circuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ. Neque semen sunt Abrahe omnes coram Deo & filij eius, qui carne ab eo sunt progeniti. Qui ergo sunt Arahæ verum semen? Illi solùm qui secundum Christum, cuius typum gerit Isaac, Abrahæ filij sunt per fidem hoc est: Non omnes qui ab Abraxam carnis *Phili.3.* duxerunt originem, Deus pro filiis eius habet, neque *Gal.3.*

tales apud deum Abrahæ filij reputantur, sed qui ex fide nati sunt secundum promissionem, sicut & Isaac ex promissione & gratia Dei est natus supra cursum & possibilitatem naturæ. Hi inquam soli reputantur de semine Abrahæ apud Deum. Nempe, qui fidem viuam, quæ per dilectionem operatur dei voluntatem Abraham imitātur & Abrahæ opera faciunt. Et faciendo bonitatem, dignos faciūt, quòd promissio dei in eis impleatur. Exclusa ergo est gloriatio Annæ, Caiphæ & aliorum perfidorum Iudæorum, qua se Abrahæ semen dicebant, eo quod Abrahæ fidem non habuerunt, nec eius opera fecerunt.

Ioan.8.

Luc.3. Sic prorsus, vana, inanis & falsa est nobilitas, quam abominabilem facit vita mala, & conuersatio scandalosa. Et in eadem sunt damnatione cum Iudæis, quos Christus

Matt.5. filios diaboli & genimina viperarum & serpentes vocat. Et sicut omnis arbor ex fructibus, sic ominis homo qua-

Matt.7. lis sit ex operibus cognoscitur, Arbor, bona, fructus bonos, & homo nobilis, nobilia opera Deo digna facit, & ex fructibus bonis, bonus & nobilis vocatur. Sic mala

Luc.6. arbor, homo ignobilis, malos & Deo odibiles fructus fa-

Osea 2. cit. ¶ Exclusa est multorum gloriatio; à partu, & ab vtero, & à conceptu. Nihil prorsus prodest ei quem mores sordidant, generatio clara: Vt contra, nihil nocet illi generatio humilis & vilis quem mores & virtutes adornant. Nam & aurum à terra nascitur, & non est terra. Et aurum quidem eligitur, & terra abiicitur. Melius est de vili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci. Melius est vt in te glorientur patres, quia talem filium habent, quàm vt tu in parentibus glorieris,

H Iusto hîc prolixior fui. ¶ Nobilitas ex officij dignitate,

1. Cor.1. qua multi ignobiles & contemptibiles coram mūdi huius amatoribus & filiis, exaltantur à deo, vt apostoli, homines certe infimæ sortis, pauperes & despecti, sine literis, ideotæ. At deus eos virtutibus claros sapientia in-

Act.4. comparabiles: gratia diuites fecit. Constituit eos principes populorum, iudices seculi, duces exercitus dei, pastores gregis dominici, doctores veritatis, deos & filios dei

Iob 15. & amicos: Nihil obfuit humilitas originis bonis regibus

Psal.77. Israel, nihil profuit malis claritas regalis. Sic eos qui bene præsunt, duplici honore dignamur. Nihil obfuit Dauidi quòd deus eum de ouibus de post fœtantibus tulit, & in solium regni sublimauit: atque multis regibus ab

eo natis dum ignobilia & muneri regali indigna opera
fecerũt,nihil profuit longa nobilitatis suæ catena.¶No- I
bilitas tertia est ex vitæ sanctitate, gratiæ copiositate,
virtutum exercitatione, ex fructificatione in omnibus
operibus bonis.Qui facit iustitiam,iustus est. Qui facit *1.Ioan.3.*
bonitatem,bonus est.Hinc diuus Petrus ait: In veritate *Actu.10*
comperi, quoniam non est personarum acceptor deus:
Sed in omni gente,qui timet deum & operatur iustitiã,
acceptus est illi.Si illi acceptus,ergo nobilis. Et quid ni? *Rom.3.*
Nunquid virtus non nobilitat? Et multum quidem per
omnem modum.Virtus ecce,facit virtuosum hominem,
filium altissimi,Fratrem,matrem & sororem Christi, ani *Luc 6.*
matum templum spiritussancti, ciuem sanctorum & do- *Mat.12.*
mesticum dei,hæredem regni,& cohæredem Christi, ac *1.Cor.3.*
membrum eius.Facit eum regem & sacerdotẽ. Vel hoc *Ephe.2.*
fiunt homines gens sancta,genus electũ, regale sacer- *1 Pet.2.*
dotiũ,populus acquisitionis,hæreditas Christi. Hæc de
istis sufficiant. Nos tantisper de nobilibus seculi loqua- *Psal.2.*
mur,quales esse debeant, vt saluare possint animas. Et K
nunc ergo reges intelligite,erudimini,qui iudicatis ter-
ram.Seruite domino in timore, & exultate ei cum tre-
more.Apprehendite disciplinam,ne quãdo irascatur do- *Ibidem.*
minus,& pereatis de via iusta. Diligite iustitiam qui iu-
dicatis terram.Sentite de domino in bonitate,& in sim-
plicitate cordis quærite illum. Audite reges terræ,& in-
telligite,discite iudices finium terræ. Deus interrogabit
opera vestra,& cogitationes vestras scrutabitur. Quo- *Sap.6.*
niam cum essetis ministri regni illius, non recte iudica-
stis,nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum vo-
luntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit
vobis, quoniam iudicium durissimum his quæ præsunt
fiet. Exiguo concedetur misericordia, potentes autem *Deut.32.*
potenter tormenta patientur. Et fortioribus fortior in-
stat cruciatus. Vtinam hæc, qui potestate præditi sunt,
attenderent & intelligerent,ac nouissima prouiderent.
Dubio procul,mandatum Iosaphat regis, quod iudici-
bus quos constituit in regno suo præcepit quàm dilige-
tissime seruarent. Videte(ait) quid faciatis. Non enim *2.Par.*
hominis exercetis iudicium,sed Domini,& quodcunque *19.*
iudicaueritis,in caput vestrum redũdabit.Sit timor Dei
vobiscum,& cum diligentia cuncta facite. Non est enim
apud Deum nostrum iniquitas,nec personaruum acce-

ptio,nec cupido munerum.Omnia agite in timore Do-
Hiere.23. mini fideliter & corde perfecto. Rector ergo, vt multa
in fascem colligam,talis esse debet, qualem Hieremias
eum describit in vno loco,dicens:Suscitabo Dauid ger-
L men iustum,& regnabit rex,& sapiens erit, & faciet iu-
dicium & iustitiam super terram. Verus ergo nobilis
Dauid esse debet,qui manu fortis, & vultu desiderabilis
Acto.1. interpretatur. Sit manu fortis, vt facere incipiat & do-
cere,& tunc efficitur formosus valde & incredibili pul-
chritudine, omnium oculis gratiosus & amabilis vide-
Ioan. 2. tur. Adeò quod non solum omnes reges,sed & omnes
populi desiderant faciem eius videre. Sic est manu for-
tis,faciendo omnia quæ præcepit illi deus,& vultu desi-
derabilis, in conuersando & honestate. Tunc regis ad
exemplum, totus componitur orbis, vt mobile semper
mutatur cum principe vulgus. Talis rex,princeps,pastor
Hiere.3. & rector,donum dei est,iuxta illud : Dabo vobis pasto-
Luc 1. res iuxta cor meum,& pascent vos scientia salutis,& do
ctrina morum & conuersationis.Quia conuictus eorum
est subditis pro doctrina. Ideo ego suscitabo : Quia iu-
1. Reg.6. bente deo Samuel Dauidem vnxit in regem. Sed aliis
Osea 13. dat reges in furore suo,& hypocritas regnare facit,pro-
pter peccata populi. Et sic ingredi debet sine macula,
vt Aaron vocatus à deo. Debet exemplo dei erga sub-
ditos benignus,pius,dulcis, & consolatorius esse, quod
notatur in hoc quod dicit germen. Germen namque
molle,tenerum est,flexibile,succi plenum est. Sic rector
debet esse erga subditos,mollis per benignitatem, humi
dus per pietatem,flexibilis per misericordiam,vt conso-
1.Tess 5. letur pusillanimes sicut mater, corripiat inquietos sicut
N pater suscipiat infirmos vt medicus salutis,patiens sit ad
omnes. Quid hîc dicemus de oppressoribus pauperum,
1.Mac.9. & duris vt Pharao ? Qualis fuit & Bachides, qui viros
1.Mac.1. impios constituit dominos regionis?Quid de his qui po
pulum à lege Dei arcent & compellunt ad impietates vt
Ezec.22. Antiochus?Non debent pauperes opprimere in iudicio.
Mal.3. Non debent impios pro muneribus iustificare, & iusti-
Esa.5. tiã iusti auferre ab eo. Nec debent sua abuti potestate.
Rom. 13. Omnis quippe potestas à Deo est,qui eã etiã dedit Pi-
lato & Herodi,sed nõ omnia opera eorũ q potestatẽ ha
Sap. 2. bẽt & exercẽt,sunt à deo.Multa enim scelerata designãt,
quæ sunt ex diabolo:vt vbi fortitudo manus eorũ est lex
injusti

iniuſtitiæ eorum Sunt autẽ noſtris diebus aliqui crude-
les vt leones:vt Salomon in prouerbiis dicit,& graſſan- *Prou.25.*
tur in pauperes vt lupi rapaces. Cum auſteritate impe-
rant,& cum potentia.Lac commedunt,lanis operiuntur, *Ezech.14*
quod craſſum eſt occidunt,ſed gregem Domini non paſ-
cunt. De illis dicit Eſaias:Principes tui infideles,ſocij fu *Eſai.1.*
rum.Omnes diligunt munera,ſequuntur retributiones.
Et alibi:Cõtra Dominum manus eorum eſt.Quia quod *Mat. 25.*
vni minimo facitis,Domino facitis. Cõcupierunt agrum
& violenter tulerunt,& rapuerunt domos, & calumnia- *3.Reg. 21*
bãtur virum et domum eius,virum & hæreditatẽ eius. Si
cut Naboth iuſto accidit.At ſicut faciunt, redditur illis,
& in eadem mẽſura qua metiuntur aliis,remettitur illis,
& additur illis,vt in Achab peſſimo & Ieſabele impuſſi-
ma,videre eſt.Et rurſus:Audite principes Iacob & duces
domus Iſrael. Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium,
qui odio habetis bonum & diligitis malum?Qui violen-
ter tollitis pelles eorum deſuper eis,& carnes eorũ de-
ſuper oſſibus eorũ? Qui comederunt carnẽ populi mei, *Eccle.4.*
& pellẽ eorum deſuper excoriauerunt,& oſſa eorum cõ-
fregerunt,& conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnẽ
in medio ollæ. Vnde Salomon ait: Vidi calumnias quæ
ſub ſole geruntur,et lachrymas innocentium,et neminẽ
conſolatorem, nec eos poſſe reſiſtere eorum violentiæ,
cunctorum auxilio deſtitutos.Et laudaui magis mortuos
quàm viuentes. Et fœliciorẽ vtroq; iudicaui,qui nécdum
natus eſt nec vidit mala quæ ſub ſole fiunt.Et tanta ma- *1.Eſd.9.*
la pauperibus inferuntur ab eis qui regunt populos, et *Dan.13.*
pauperes defendere deberent ab omni iniuria et oppreſ
ſione. De hoc et terribilem textum vide in beato Iob.
Alij terminos trãſtulerunt, diripuerunt greges et paue- *Iob.24.*
runt eos. Aſinum pupillorum abegerunt,et cætera ter-
ribilia. At poteſtate præditi, quieſcere deberent age-
re peruerſe, et diſcere benefacere. At nunc heu ab *1.Eſd.9.*
eis egreditur omnis iniquitas, et in tranſgreſsionibus *Dan.13.*
ſunt primi. ¶ Subuenire debent oppreſſo, iudicare
pupillo, defendere viduas, liberare pauperes vocife- *Eſai.1.*
rantes, et pupillos quibus non eſt adiutor. Tunc *Prou.14.*
benedictio perituri veniret ſuper eos. Eruere debe- *Iob.39.*
rent eos qui iniuſte ducuntur ad mortem, et qui tra- *Mat.5.*
huntur ad interitum liberare. Nam beati miſericor-
des,quoniam ipſorum miſerebitur Deus.Iudicium vero

Iacob.2. sine misericordia illis, qui non faciunt misericordiam. Sit ergo pius & benignus sicut & pater noster cœlestis
O est. ¶ Si quæris, an iniustos & operantes iniquitatem debeas pro excessibus eorum punire. Respondeo quod
1.Cor.10. sic, sed in punitione non debes quæ tua sunt quærere, nec quæ sunt illorum, sed quæ sunt Iesu Christi, & illorum, quos corripis, vt saluentur. Vt iuste quod iustum est
Rom. 13. exequaris. Sic potestate prædit, gladium portant ad laudem bonorum & vindictam eorum qui male agunt. Vn-
Sap.1. de Sapiens ait: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. At quis est hic & laudabimus eum? Debet iustus esse &
Psal.10. æquitatem diligere, sic tamen quòd misericordia super
Iaco.2. exaltet iudicium. Ideo hîc dicitur germen iustum. Vt iustitia reddat peccato sententiam, & per pietatem & mise
Psal. 111 ricordiam temperet peccati pœnam: Vt altera condiatur
& 114. ex altera. Disciplina, siue boni mores penitus destruuntur, si vna sine altera tenetur. Imitetur in hoc deum, sicut filius charissimus, qui est misericors & iustus. Quo-
Prou.2. niam qui sequitur misericordiam & iustitiam, inueniet vi
P tam & gloriam. De his aliàs plura. ¶ Debet & in suo statu authoritate vti, ne eius vilescat æstimatio, & crescat insolentia, vnde ait: Regnabit rex, quia se talem exhibere debet quòd timeatur, & ametur. Sic sedens in solio
Esaie.10. suo rex, intuitu suo dissipare debet malum. Sic autem id
Hiere.5. optime fecerit, cum rex ipse & thronus eius est innocẽs
1.Tes.4. & absq; vlla iniquitate. Hic autem nolo, vt leges iniquas condas, & iniustas scribas, vt pauperum substantiam tibi diripias, vel nouas exactiones imponas, quoniam vindex
Luc.3. horum est Deus. Sed esto stipendiis tuis contentus, & tributis tuis & vectigalibus iustis, quæ subditi pendunt.
Iob.2. Alioqui, filij tui atterentur egestate, & manus Dei reddet eis dolorem suum. Panis tyranni in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorabit, euomet: & de ventre illius extrahet eas deus. Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ. Terribilia sunt, quæ ibi sequuntur, & operæ precium foret ea sæpius in nobiliũ præsentia prædicare. Sed prolixiora sunt quàm vt hîc de verbo ad verbum scribi possint. Et sapiẽs
Q erit: Quid est rex indoctus, nisi asinus coronatus? Quid est rector populi sine sapientia, nisi cæcus speculator &
3. Reg.3. cæcus dux cæcorum, qui vnà in foueam cadunt? Ideo Sa
Exod. 19. lomon sapientiam petiuit à domino. Sic Moyses tulit de tribubus

tribubus Israël viros sapientes & gnaros et nobiles, quorum conuersatio fuit probata in Israel, et illos posuit iudices &c. Hinc regi præcipitur, vt Deuteronomium habeat, legat, sciat & secundum illud populum iudicet. Sic Dauid sedit in cathedra, sapientissimus princeps inter tres. ¶ Et faciet iudicium & iustitiam in terra. Hic explicat fructus, per quos sapientia vera in principe esse cognoscitur. Sapiens namq; non est qui scit eloquia Dei, sed qui ea facit, & opere adimplet. Qui sapiens est inter vos & disciplinatus, ostendat ex bona cõuersatione, operationem suam, in mansuetudine sapientiæ. Opera enim quæ vnusquisq; facit, hæc testimonium dāt de illo: Opera, signa sunt, quæ credentes sequuntur. Et ex operibus & vita, vniuscuiusq; fides, qualis sit, innotescit. Nempe an sit fides Christi, an diaboli: Vtrum sit fides electorum, an reproborum. Sic ex operibus mox elucet sapientia principis, an sit terrena, animalis & diabolica. An illa quę de sursum à patre luminum descendit. Nam hic iudicium facit & iustitiā. Iuste iudicat: tū seipsum, ne à domino iudicetur: tum suæ curæ cōmissas oues, ne vllo sint in periculo inferni et perditionis. Et per hoc iudicium reprobat malum et eligit bonum. Probat bona et viciniora saluti. Probat spiritus an ex deo sunt. Deinde facit iustitiā. Dat deo quæ Dei sunt: Cęsari et proximo quę Cęsaris et proximi sunt. Sibiipsi insuper dat quę debet. Qui hanc iustitiā facit, iustus est, viuit ex fide, confirmatur à Deo, in omni opere et sermone bono, vsq; in finē. Benedicitur à domino. Hęreditat terram viuentium. Quia iusti intrabunt in vitā æternā. Et huius memoria est cū laude. Imò in memoria ęterna erit iustus talis, nec timebit ab auditione mala. ¶ Et vos principes et iudices terræ, facite iudiciū et iustitiā. Quęrite iudiciū. Nolite opprimere pauperes in iudicio. Sed liberate vi oppressos, causas dili gentissime explorate. Munera super innocētes nolite accipere: quia tales ignis qui nō extinguitur, deuorat. Sic Moyses, Samuel, nihil ꝓrsus à subditis acceperūt. ¶ At, heu, dñatores iniquè agūt, calūniantur egenos. Hæc prohibētur, pœna additur. ¶ Aliena bona nō desiderent, vel accipiāt. Sic multi ditātur. Neminē opprimāt. ¶ Sed oēs defendant, consolentur et audiāt. Hęc breuiter ad nobiliū dicta sunt eruditionē in iustitia, vt perfecti sint in timore et amore Dei, et ad omnia opera bona instructi.

Deut. 17. Mat. 7. Deut. 4. Iaco. 3. Ioan. 5. & 14. Iaco 5. 1. Ioan. 2. Psal. 118. Luc. 19. 1. Cor. 11. Psal. 7. Psal. 81. Deut. 19. 3. Reg 3. Exod. 23. Esai. 15. Num. 11. Actu. 20. Mal. 3. Leuit. 19. Exod. 22. Mich. 2. Hiere. 12. Esai. 10. Esai. 1.

IN DIE CONCEPTIONIS IMMACVLATAE VIRGINIS MARIAE, in Epistolam Sermo.

A B initio & ante secula creata sum.
Hanc Epistolam aliquæ legunt ecclesiæ,
Eccl.24. aliæ aliam, nempe: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Verùm ego hanc, illa prætermissa in præsentiarum, breui expositione illustrabo. Verba igitur huius epistolę, de æterna et increata Dei patris virtute et sapientia, per quam fecit omnia, quæ cœli terræq; ambitu continentur, sunt dige-
1. Cor.1. sta. Applicantur tamen per spiritualem intellectum, in-
Psal.3. temeratæ virgini Marię, idq; vsu et authoritate ecclesię Dei, quę columna et firmamentum est veritatis, eo quòd
1. Tim.3. omnis veritatis doctorem habet spiritum sanctum secū in ęternum. Per eius namq; vnctionem, sicut sancti dei
Ioan. 14. homines, incerta et occulta sapienrię dei sunt locuti et scripserunt, sic per eundem spiritum, multiplex eius in-
Dani.12. telligentia, per doctores sanctos scrutatur, et producitur in lucem, ad consummationem sanctorum, in ędificatio-
Iob.28. nem corporis Christi (quod sumus nos) vt sint fideles et boni dispensatores mysteriorum Dei, et multiplicis gra
Ephes.4. tię illius. Nos itaq; audiendo ecclesiam, sicut obedientię filij, quam filij diaboli exasperare, et mille scommatibus proscindere non expauescunt, hanc lectionem pie applicamus Mariæ, surda aure interim transeuntes insensatorum calumnias, quibus garriunt ea quę de Christo vnico dei filio, viuo et vero scripta sunt, membris suis et ele
Psal.35. ctis applicari non debere. Verum nolunt intelligere vt recte sapiant et bene agant. Ad increpandum solummodo eloquia concinnant, et in ventum verba proferunt, vt detrahant sermonibus veritatis, et aliorum fidem subuertant. Sed cęci sunt & duces cęcorū, ex professo et de
2. Tim.3. industria, sicut Iānes et Mābres veritati resistentes, ideo sinendi sunt et iudicio Dei reliquēdi. Insuper, eorum in-
Iob.13. saniis falsis, mēdaciis quę fabricauerūt, et peruersis dogmatibus quę colunt abunde, vere et dilucide à propugnatoribus ecclesiæ dei est responsum. Ideo ad ipsius le-
1. Cor.3. ctionis seriem conatus nostros vertamus. Dicit ergo sponsa patris, mater filij, viuum et sanctū templū spiritus sancti, qua nullus neq; in cœlo, neq; in terra, neq; subtus

terram,

terram, Deo charior,'& æternæ sapientiæ proximior & similior. *Ego* virga Aaron, lignum vitæ, arbor bona, rubus igne diuino plenus sine vllo adustionis signo. Ego electa ante mundi constitutionem, vt essem sancta & immacu lata in conspectu Dei in charitate. Vt per me instauraret per gratiam, quod perierat per culpam. Et sicut Sathanas *Ephes. 1.*
seduxit Euam per astutias suas, & damnauit omnes, sic per gratiam quàm apud Deum inueni, & filij mei sapien *2.Cor.11.*
tiam & obedientiam, caput serpentis conteram, saluabo *Luca 2.*
damnatos, & omnes qui perierunt. Hæc faciam adiuta à Deo, quia fecit mihi magna, & mirabilia, & inscrutabilia, qui potens est, & sic placitũ est ante eum, nempe in manu fœminæ salutem populo suo dare, & per me in nihilum redigere inimicos nostros, qui odio iniquo oderunt nos. Ego igitur, per gratiam quam apud Deum inueni, *Matt.11.*
quã in vacuum non accepi, per quã Deo serui ab instanti *Iudic.9.*
immaculatæ conceptionis meæ, placendo ei cum metu, *2.Cor.6.*
eo quod est dominus, & cum reuerentia, quia est pater *Heb.12.*
misericordiarum. Quam sicut bona & fidelis dispẽsatrix, omnibus communico, dispergo & liberaliter do pauperibus, me petẽtibus. Ego ancilla domini, vxor fabri, ignota mũdo, cognita Deo, pauper in substãtia, diues in Deo, *Luca 1.*
& in omni gratia postquam dixi: Fiat mihi secundũ verbum tuum, mox spiritus sanctus superuenit in me, & virtus altissimi obumbrauit mihi, & concepi filium Dei. Ex tunc, *ego fructificaui suauitatem odoris, quasi vitis* abundãs in lateribus domus Dei. Nam mox surrexi, ad Elizabeth *Psa.127.*
abij, et odorem notitiæ filij mei manifestaui, et fui Ioanni, Elizabeth, Zachariæ, et aliis multis, mox odor vitæ in *2. Cor.2.*
vitam. Statim namque vt vox salutationis meæ, in aurib. Elizabet est facta, Ioannes exultauit in Deo salutari suo, *Cant.2.*
suaui fructu ventris mei percepto. O quàm dulcis erat vox Mariæ Elizabeth & Ioanni, vtique super mel & fauum ori eorum. Odor ille Mariæ, Ioannem sanctificauit, gratia repleuit, confirmauit in bono, accelerauit illi vsum rationis. Odor huius vitis bonæ, lætificauit & illu- *Luca 1.*
minauit Elizabeth, quòd mox consilij diuini conscia facta fuit, similiter & Zacharias, vt ex oda sua siue peana, nemo non videt. Tandem tempore completo vt parerem, edidi fructum meum, & germinaui saluatorem, in cuius odore currit vniuersus mundus ad Deum. O quàm suauis est odor huius vitis in flore virginali, in fructu

fructu ventris sui,in vino,quod in torculari crucis expressum est,illud lætificat cor hominis. Tecum reputa qualis sit vitis ista,ex qua tantus odor. Qualis sic ista arbor, ex qua talis fructus. Qualis sit ista radix,quàm sancta et benedicta, ex qua tales rami. Qualis sit ager iste, cui sic benedixit dominus. Despicabiliter de ea loquuntur im-
Gen.27. pij,quasi vna esset de filiabus Belial,aut rete diaboli. Sed non possunt gratiā dei recipere, qui gratiæ inuentricem inhonorant. Neque salutem consequi,qui saluatoris matrem probris maculant, et maledictionibus incessant. *& flores mei fructus honoris & honestatis,* flores, purissimis ex humoribus terre nascentium generantur. Flores verò Mariæ cogitationes bonæ, affectiones sanctę pia desideria,mores angelici,virtutes deificæ,opera Christiformia in deo facta,verba eius bona,orationes deuotissimę, contemplationes purissimę, interpellationes continuę, erant. Isti flores, fructus erant optimi,deo placentes, a-
1. Tim.3. lios ædificātes, quos bona arbor Maria facit. Isti fructus eam honore,& omni laude dignissimam ostendunt, et honestatis speculum fuisse testantur. Adhæc,Deus meus et filius meus,rex regum et dominus dominantium,con-
Gen.41. stituit me super domum suam(quæ est ecclesia)vt ad oris mei imperium cunctus obediat populus,vno tantum regni solio præcedens me,fecit etiam preconibus clamantibus denunciari, quod omnes coram ea genua flecterent,et quod absque oris illius imperio,nemo pedem mouere debet in vniuerso regno illius. Et iuste iam saluatrix,mediatrix et aduocatrix mundi appellatur,quia pane viuo angelorum,iam totum mundum pascit. Hinc post suum filium proximo gradu, sicut Ioseph post Pharaonem ipsa est *mater pulchræ dilectionis,& timoris & agnitionis & sanctæ spei.* Ipsa genuit nobis Iesum Christum,speciosum forma præ filiis hominum, qui syncera,vera & pulchra dilectione est amandus,quia summum bonum.
Act.10. Est timendus,quia potens & iudex viuorum & mortuo-
Ioh.1. rum constitutus à Deo. Est mater agnitionis et sapientiæ æternæ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Est mater sanctæ spei,illius uide-
Eccl.2. licet,qui saluos facit sperantes in se. In quem nullus sperauit et confusus est, in cuius mandatis nemo permansit,et derelictus est. ¶Est etiā ista,quia impetrat ista nobis à deo et filio suo Iesu Christo nempe,pulchram,verā

et

et ſanctam dilectionem, quæ eſt de corde puro conſcien- *1. Tim. 1.*
tia bona, et fide non ficta, quam deus ſpiritus ſanctus di- *Rom. 5.*
ffundit in corda noſtra. Deinde eſt mater et impetratrix
ſancti timoris domini, qui permanet in ſeculum ſeculi.
De quo ſcriptum eſt: Timentis deum, beata eſt anima *Pſal. 18.*
eius. Et iterum: Beati omnes qui timent dominum. Eſt *Eccl. 34.*
omnium calculis mater agnitionis et agnitoris, lucis itē *Pſal. 24.*
mundi et ſapientiæ, quæ ad regnum deducit perpetuum,
per quam ſanati ſunt quotquot deo placuerunt à prin-
cipio. Eadem ratione eſt mater ſanctæ ſpei, ſicut ſcriptum *Sap. 7.*
eſt: Beatus vir qui ſperat in eo, et nō delinquit. ſed vt ali-
bi ait: Sperat in deum et facit bonitatē. Hæc eſt ſpes vi- *Pſal 13.*
ua in quam ſumus regenerati. Hanc qui habent, ſancti- *Iſa. 36.*
ficant ſemetipſos, ſicut et ipſe ſanctus eſt. Spes iſta non *1. Pet. 1.*
confundit, ſed ſpes impiorum perit, fruſtratur, et tanquā *2. Ioan. 3.*
lanugo à vento tollitur. ¶ Poteſt et ſic intelligi: Maria *Rom. 5.*
eſt mater pulchræ dilectionis et timoris &c. per exem- *Sap. 5.*
plum: ſicut Abraham eſt pater fidei & omnium creden-
tium, qui ſectantur veſtigia fidei eius. Et qui ex fide Abra *Rom. 4.*
hæ ſunt, hi ſunt per imitationem filij Abrahæ, & bene- *Gal. 3.*
dicentur cum fideli Abraham: pari modo Maria mater
eſt pulchræ dilectionis, timoris agnitionis & ſanctæ ſpei.
& omnes qui eam in iſtis virtutibus imitantur, & opera
Mariæ faciunt, ij ſunt filij Mariæ, & ipſa mater eſt eorum.
Ergo ſi nos monſtramus nos eſſe filios Mariæ, per ope- *Ioan. 8.*
rum eius imitationem & vitæ, tunc illa vice verſa mon-
ſtrat ſe eſſe matrem noſtram, nos conſolando, protegen-
do pro nobis intercedendo, à periculis liberando, aman-
do, & omnibus bonis ditando. Beati omnes qui ſectan-
tur veſtigia Mariæ, & conſimili pulchráque dilectione
deum diligunt & proximos, qua dilexit illa. Iſti totam le- *Rom 13.*
gem implent, quia dilectio talis eſt plenitudo legis, & e- *Gal. 5.*
ius ſcopus, inſtauratio & finis. Sic eſt mater timoris ſan *Prou. 15.*
cti per quem omnis homo declinat à malo et facit bo-
num. Qui iſtum timorem habet, nihil negligit. Eſt mater
pulchræ agnitionis, quæ ædificantem charitatem comi-
tem habet. Non illius ſcientiæ quæ inflat et decipit, quā *1. Cor. 8.*
de⁹ reprobat ac ſtultā facit. Eſt mater ſanctæ ſpei, ſecūdū *Tit. 3.*
quā heredes ſumus vitæ æterne Si filij Mariæ eſtis hæc
mariæ opera facite, in his virtutibus eā imitamini. Et tūc
obuiabit vobis quaſi mater honorificata cū omni prouī-
dētia, ¶ Inſup, venite et audite me, et narrabo vobis, quā

ta

Psal. 63. ta deus per exuberantem gratiã suam (in qua diues est)
Luc. 1. fecit animæ meæ, fecit mihi magna qui potens est. Nã ab
Ioh. 14. ea hora qua placui ei habitare in tabernaculo meo & ve-
2. Thes. 3. nit ad me & mãsionem in me sibi fecit, ex tunc & vsq; in seculũ fuit in me gratia omnis vitæ. Imo, ipse fons, radix & largitor omnis gratię, essentialiter, realiter, exẽplariter, & me posuit in lucẽ gentiũ & mundi, vt essem forma
Ephe. 4. ambulandi & placendi Deo omnib. qui credent in illum.
Ioh. 1. Illam vero gratiã quam inueni apud dominum, nũquam amisi, sed eam omnib. offero, communico & distribuo, qui eam à me humiliter petunt. Est in me omnis gratia vitæ,
2. Ioan. 2. deo & euãgelio digna, & veritatis. quæ per Iesum Christũ facta est. Hæc est sapientia vera, quæ ad regnũ perpetuũ
Luca 24. deducit, Hanc me docuit omnium artifex deus. Hæc nihil aliud est, nisi, scire Iesum Christũ & hunc crucifixũ, & facere quod docuit, & viuere sicut ipse vixit. Insuper *in me* est sicut in fideli & bona dispẽsatrice, *omnis spes vitæ* æternæ, videlicet ipse deus, trinus & vnus, & filius meus, mũdi
Heb. 11. salus. *& virtutis*, qua apostoli induti fuerunt ex alto. Per
1. Cor. 4. q̃ vicerunt regna, operabantur iustitiam, diabolo fortiter in fide restiterunt, in omnib. perfecti steterunt nullum ei locũ dederũt, eos qui corpus occiderunt, non timuerunt,
Mat. 23. adepti sunt repromissiones. Regnũ dei nõ est in sermone
Matt. 7. sed in virtute & gratia spiritus sancti, qua ea quæ placita sunt deo semper facimus. Multi quidem speciem pietatis, pretendunt (hoc est Christianę religionis) quia sunt sepulchra, foris pulchra, parietes dealbati, veniũt in vestimẽtis ouium, sunt adulterina moneta (virtutẽ autem eius) quæ
Cant. 8. sunt opera bona, vita euãgelica, dilectio fortis vt mors, & crucis baiulatio assidua post Christũ) abnegantes, corde & opere quãuis Christum se nosse ore confiteãtur. Nam sunt lupi rapaces, simulatores, & callidi hypocritæ, pseu-
1. Pet. 4. dochristi & ficti amici. Hanc virtutem administrat deus.
2. Pet. 1. Hinc rursus ait vertex apostolorũ: Ministrate in fide vir-
Matt. 13. tutem, ¶ *Transite*, & venite, *ad me*, quia ego sum fidelis & prudens famula, constituta super Dei mei familiã, vt dem omnibus gratiam, & quicquid petunt ac necesse habent,
Psal. 48. in tempore acceptabili & in diebus salutis, cum quo pro-
Mat. 1. priam vnusquisque poterit salutem operari. Venite ergo ad me, omnes iusti & iniusti, quique terrigenę & filij ho-
Philip. 1. minum, simul in vnum, diuites & pauperes *qui concupiscitis me*, & deligitis me, & honoratis, ac opem meã desideratis.

Nolite

Nolite timere, neminem despicio, neminem confundo,
neminem vacuum abire permitto,quia mitis sum & humilis corde.Suauis item,begnina & pręstabilis super malitia,quia amo animas, & cupio omnes in visceribus Iesu Christi filij mei . *& à generationibus meis*, quæ sunt gratia Dei multiplex,& semen incorruptibile, verbum Dei viui,& omnes virtutes,quibus sicut cœlum sideribus,arbor bona fructibus,&terra floribus,erat ornata virgo maria.
Per gratiam namque & verbum vitæ regeneramur & renouamur,& efficimur filij Dei. Nec aliquis verbis assequi potest,etiam si linguis hominum loqueretur & angelorum,quàm multos per bona exempla iustorum,lucratur deo. In ista generatione iusta est dominus. Hæc est generatio quærentium dominum, quæ benedicitur. Ab istis generationibus meis quibus in deo diues sum omnia habeo & abundo, *implemini*. Ego non abscondo pecuniam domini mei in terra, sed ambulo in viis iustitię, in medio semitarum iudicij.Præoccupo eos qui me concupiscunt,vt me illis prior ostendam.Insuper,dignos me circueo quærens,& in viis meis ostendo me illis hilariter,& in omni prouidentia occurro illis,vt ditem diligentes me & thesauros eorum repleam. Mecum sunt diuitiæ veræ & gloria, opes supernę & iustitia. Has omnib. desiderantibus communico sine inuidia, & honestatem earum non abscondo. Infinitus enim thesaurus est, quo qui vsi sunt,participes fiũt amicitiæ dei.sed (proh scelus) tu vocas, & nos renuimus, extendis manuum tuam ad largiendum, & nemo aspicit, despicimus omne consilium tuum, & increpationes tuas negligimus. Tu pulsas ad ostium & nullus vult tibi aperire, deo sine omni excusatione perimus, et damnatio nostra iusta est.¶ Si adhuc tanta benignitas non allicit, tanta charitas non mouet,tanta largitas mea vos non excitat à somno, vt surgatis à mortuis, et apprehendatis semitas vitæ,vel hoc extimulet vt veniatis ad me,*quod spiritus meus*,qui in me superuenit,qui me agit, repleuit,et per vias rectas ducit, qui in me habitat et cuius templum sum.*super mel dulcis est*.in omnibus, et in suam imaginem me transformauit et similitudinem.Venite ergo ad me quia et ego dulcis, clemẽs,pia sũ et begnina. Nec mihi gratius quid facere potestis, quam quod ad me venitis et de manibus meis benedictionem & gratiã dei accipiatis, cum qua vos saluare

Marginal references (top to bottom): Tit. 3. — Psal. 13. — Psal. 25. — Phil. 4. — Mat. 25. — Luce 19. — Sap. 6. — Prou. 8. — Sap. 7. — Prou. 1. — Apoc. 3. — Rom. 3. — Ephes. 5. — 1. Cor. 3. — Gen. 15.

uare poteftis.*fed & hæreditas mea*,pars & fors mea,merces item me magna nimis deus meus & deus meus Iesus Chriftus,& ipfe dulcis eft. *fuper mel & fauum,ergo memoria mea* non peribit, quantumlibet hæretici eam delere conentur fed manebit *in generatione feculorum.* Et qui me glorificant glorificabo eos, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.Qui me edunt,&de bonis meis accipiũt
1. Reg.2. *adhuc efuriunt*, quia maiora bona & dona habere appetunt,*& qui bibunt me*, participando gratiam quam diftribuo,*adhuc efuriunt*,cumulatorem,appetendo. Nempe vitam æternam,quæ eft gratia confummata.Nam tunc fa-
Rom.6. tiabuntur, cum apparuerit gloria dei. Vnde quantumli-
Pfal.16. bet electi magni funt ante deum in vita quæ nunc eft, inquietum eft nihilominus cor eorũ,& fitiunt ad deum viuum,donec veniunt & apparent ante faciem domini.
Pfal.41. Ibi defiderium cordium eorum eis tribuitur,& voluntate labiorum fuorum non fraudantur. Proinde omnis *qui audit me*, & facit verba mea, quæ dixi olim miniftris in nuptiis,Videlicet, Quodcunq; dixerit vobis filius meus,
Pfal. 20. facite,& nolite obliuiofi auditores effe,& fallere vofmet ipfos, *non confundetur* cum iudicabitur ei,fed beatus in fa
Ioan.2. cto fuo erit,cum feruo bonó & fideli,qui negotiatus fuit
Iacob.1. in talento fuo.Seruus autem malus & piger,increpatus dure,confufus & ore proprio condemnatus. *Et qui operan*
Mat. 25. *tur in me*, & imitantur me ficut & ego Chriftum,& ambu lant ficut habent formam meam, *non peccabunt* aliquan-
Luc.9. do,nec offendent verbo aut opere ad lapidem angularẽ pedibus fuis.Sunt fynceres & fine offenfa in diem Chri-
1.Pet.2. fti. *Qui me elucidant*, me laudant & honorant,qui gratiã
Philip.1. dona et magnalia à deo mihi gratis data,aliis prædicant, *vitam æternam* pro mercede *habebunt.*

IN DIE CONCEPTIONIS VIRGINIS MARIAE SERMO.

A E*Xtollens vocem quadam mulier de turba, dixit: Beatus venter.* Mirabilis deus eft in fanctis
Luca.12.
Pfal. 61. fuis omnibus, fed mirabilior eft in fua be-
Pfal. 13. nedicta matre virgine Maria. Nimis honorati funt amici dei, qui fecerunt quæ eis
Ioh.15. præcepit Chriftus, & manferunt in eius dilectione. At multo honorabilor eft in Maria, quæ non folùm fecit omnia

omnia quæ ei præcepta erant in lege,sed & cōsilia Christi perfectissime impleuit, priusquam Christus ore suo benedicto ea in euangelio promulgauit. Ideo ad angelum dixit: Quomodo fiet istud,quòd filium concipiam & virginitatem(quam seruare iuraui & statui)non amittam?Et cùm hæc omnia fecisset,ancillā inutilem se professa est esse.Ad hæc,si quis Christo ministrat,eum sequi debet,&vbi ille est,debet & minister eius esse. Et suum ministrum vult honorificare pater Christi qui est in cœlis.Et ipse fructus benedictus ventris Mariæ, & eius primogenitus & vnigenitus,in vno loco ait:Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum. Sed in confesso est, quòd nullus hominum,imò omnes homines simul, non seruiunt deo patri,& saluatori omnium in tanta sanctitate & iustitia omnibus diebus suis atq; fecit virgo Maria, ipsa plus omnibus deū timuit,& ei seruiuit perfecto corde atq; verissimo. Vnde gratia plena ab angelo est salutata.Ex quibus consequens est: quod pater luminum & misericordiarum,eam super omnes etiam angelos honorat:& filius super omnes eam glorificat:& spiritussanctus maiorem ei gratiam impartitus est quā vlli, imò quàm omnibus simul intellectualibus creaturis. Ergo & dignū est,iustum & necessarium, vt & nos Mariā honoremus, quā pater,filius,& spiritussanctus sic honorauerunt & honorant.Et hoc honore condigna est,quam dominus vult honorari.Hæc secum reputans mulier ista,quā vnctio de omnibus his ad plenum edocuit tacentibus cunctis & Christum confiteri(ne extra Synagogam fierent)nō audentib⁹,aut malè audirent à pharisæis,qui odio iniquo, pro eo quòd eum diligerent,gratis habuerunt Christum, aut persecutiones sustinerent à potestate prædictis inter Iudæos, fœmineæ cogitationi masculinum animum inferens & timore mortis excludens : Non solum regem gloriæ, dominum dominantium, sanctum sanctorum, expectationem gentium, desiderium collium æternorum, filium dei viui,Emanuel & Messiam, magnificauit in laude quantum potuit, sed & matrem eius benedictā laudauit & exaltauit in toto corde suo. Nec eum erubuit coram hominibus & matrem eius confiteri voce magna,certa quòd tunc viceuersa Christus eam vult cōfiteri coram patre suo & omnibus angelis suis & electis. Magna laus est mulieris huius sanctæ,q̄ ferunt doctores

Luc.1. B *Ioan.12.* *Luc.3.* *1. Reg.2.* *Hest.6.* *1.Ioan.2.* *Gen. 49.* *Mat. 10.*

C sanctam fuisse Marcellam, Sanctæ Marthæ virginis pedissequam. Nã cum dominus in domum Marthæ crebrò
Ephe. 4. declinaret, dubio procul ex verbis Christi bonis, quæ ædificationem fidei & gratiam auditoribus præbebãt & diffundebant gratiam, erat in fide firmata, in spe roborata, in charitate inflammata, & in potentia virtutis dei confortata, quod mori pro Christo lucrum ducebat, & tunc se fore beatam, si animam suam poneret pro eo, & calicem suum biberet, quem ille pro omnium salute, nõ post multos dies, erat bibiturus. O beata mulier, quæ nõ
Esai. 40. solùm ligari, sed mori parata erat pro Christo, & quiduis sustinere pro nomine eius, ideo viris tacentibus, apostolis loqui nõ audentibus, in laudes Christi & matris eius benedictæ, os suum aperuit, & fidem qua corde cre-
Rom. 10. didit ad iustitiam, ore etiam confessa est ad salutem, di-
Coll. 1. cens: Beatus venter qui te portauit, qui tribus digitis appendis molem terræ, per quem omnia sunt creata, & qui es ante omnes, & in quo omnia constant, & omnia verbo virtutis tuæ portas, qui cœlum & ter-
Can. 3. ram imples. Verè beatus venter, qui te portauit sicut ferculum & thronus Salomonis, cùm tu maior sis Sa-
Sap. 7. lomone. Qui te portauit, qui es splendor paternæ gloriæ & figura substantiæ eius, qui es fons sapientiæ, vapor virtutis dei, & emanatio claritatis dei synera, candor lucis æternæ, speculum sine macula dei maiestatis & imago bonitatis illius. Qui te portauit in orbem
Act. 24. terrarum: Et qui prius in cœlis habitasti, & omnes gentes permisisti in preteritis generationibus ingredi vias suas, iam per Mariam es portatus ad nos, & habitasti in no-
Ioan. 1. bis, sicut & vidimus te cum hominibus conuersantem,
D plenum gratiæ & veritatis. De cuius nos plenitudine
Eccle. 24. omnes accipimus gratiam pro gratia. Vẽter tuus o Maria canalis est & aquæductus, qui exiuit non de paradiso
Gen. 3. in quo Adam se & nos omnes damnauit, sed de paradiso cœlesti in quem Paulus raptus fuit, & de corde paterno
Ezec. 28 aquam viuam (quam qui bibit non sitit in æternum, sed fons in eo fit saliens in vitam æternam) accipis, & flumi-
2. Cor. 12. na diffundis in terram. Rigas hortum plantationum, &
Ioan. 4. 7. inebrias partus tui fructum, & sic per te, qui de aqua bibunt quam tu das (Gratiam accipite, quam inuenit coram domino, quam perdiderat primus homo) synceres efficiuntur & sine offensa in die Christi, replentur etiam

per

per te fructu iustitię,& per Iesum Christū filium tuum, in gloriam & laudem Dei. ¶ Beatus venter tuus, o Maria, aquæ ductus est iste qui in ciuitatem dei aquam viuā influit,acceptam de fonte viuo,qui est in parte australi situs:Nō in aquilonari,vnde venit omne malum.Hūc Holofernes superb.& crudelis,rex super omnes filios superbiæ,qui nunquā nō circuit instar leonis sęuissimi,quærēs quos deuoret,rapiat,mactet et perdat,obstruere molitur Atq; nulla honoris dilatione,nullo obsequij,seruitutis et deditionis oblatione , mitigatur ferocitas pectoris eius, quo minus grassetur in eos qui se suo subdunt imperio, mancipant obsequio,toti ex eo pendent. Nam ciuitates eorum in quibus habitant (quæ sunt corpora singulorum in quibus spiritus sine anima moratur) igne concupiscentiæ carnalis , qui nunquam satiatur aut sufficit dicit,succendit, et ardere facit vsque ad inferni nouissima. Omnes gratiarum diuitias et thesauros meritorum aufert. Filios eorum sibi seruire,in luto luxuriæ, in paleis superbiæ, et in duris lateribus cupiditatis,quæ radix omniū malorum est, cōpellit sine vlla requie, die ac nocte. Donec vexatione dāte intellectū illis,viderint qd intetersit inter seruiētē deo in sanctitate et iustitia, et seruientē diabolo in desideriis et voluptatibus variis, in omnibus peccatis et nequitiis et omnibus maliciis. Ille ergo impius, fontem viuum , cuius aquæ non deficiunt, ciuitatem Dei, hoc est, ecclesiam electorum, de qua gloriosa dicta sunt, circuiens inuenit, ex quo nunquam non sitientes iustitiam refocillantur,recreantur et potantur,et hauriunt cum gaudio de fontibus saluatoris quantū quisq; vult.Et cum fontē vitæ Christum Iesum,obstruere nō posset,hoc est,despicapilem et odio sum reddere,persuadēdo quòd non est in eo salus,quòd non vult misereri et parcere, quod faciet Antichristus: Tunc aquæductum,hoc est,virginem Mariā,nō creatricem,sed distributricem gratiæ Dei multiformis,sicut bonam decet,et fidelē oportet dispensatricē, quā ex fonte sanctæ trinitatis,et fontibus saluatoris aquā accipit,iussit diabolus incidi ministris suis,hoc est, Luthero apostolo suo et ministro fidelissimo,cū cooperatoribus suis,magistris mendacibus,et ducibus cæcorū.Nam ipsi hūc(proh scelus)exciderunt et obstruxerūt canalē siue aquæductū à Deo nobis datum. ¶Hoc fecerunt fascinatores isti,

Hiere.1. *Iob 41.* *Prou.30.* *Exod.3.* *1.Tim.6.* *Ibidem.* *Eccle.1.* *Matt.15.*

Mariam faciendo despicabilem, mentiendo eam nihil posse apud suum filium: Blasphemando eam, non exaudire sibi supplicantes, nec eam posse illos iuuare suis pre
1. Cor. 4. cibus. Et gratiam multiplicem quam accepit, non quam creauit (quod solius Dei est) in sibi deuotos & supplices non distribuere, sicut bonam & fidelem oportet dispen-
E satricem multiformis gratiæ Dei. Quid ergo? Nunquid
Luc 19. eam seruat apud se repositam in sudario, & defossam sub terra, sicut seruus ille malus & piger fecit? Absit ista impietas à matre pietatis: Alioquin & ipsa ignauiæ & torporis obiurganda foret, & ligatis manibus & pedibus in tenebras æternas proijcienda, quod impium & diabolicum est, non solùm dicere, sed & de benedicta matre Iesu cogitare. At blasphemus obstreperat (vt sunt doli artifices argutissimi) Viuens in hoc mundo, & quando habitauit in nobis, fuit aquæ ductus & dispensatrix mul-
4. Re. 19. tiformis gratiæ dei: mortua hoc non facit. O blasphemias execrabiles, ipsius Rapsacis blasphemiis vel æquales vel maiores. Dic amabo, Vbi hoc legisti in sacris literis? Non est mortua virgo Maria, sed viuit in Christo. Locũ mutauit, non mutauit animum. Transiuit de exilio
Matt. 25 ad patriam. De lacu miseriæ & valle lachrymarum, in requiem & gaudium domini sui, & filij sui Iesu Christi. Si mors aufert gratiam adiuuandi, affectum & potestatem, vt vos mentimini, tunc & Christus qui mortuus est propter peccata nostra, non interpellat pro nobis apud
Rom. 4. patrem, nostri non est memor amplius. Nos non adiuuat amplius, non exaudit nos, gratiæ suæ multiplicis exoratus, nulla dona hominibus largitur. Sed Christus resurrexit in corpore tertia die. Idipsum Augustinus astruit, & iam credit omnis ecclesia sanctorum, de virgine Maria: Nempe, quòd in corpore glorioso iam in dextera filij sui sedeat, super omnes choros angelorum exaltata, in throno sibi à filio suo præparato, Salomone vero.
3. Reg. 3. Quòd si ire volueris inficias, vt nunquam non resistis &
F cõtradicis veritati pertinatia damnabili, tunc adhuc non concessimus tibi, nec illud probasti, quòd non est aduocata nostra, adiutrix & exauditrix nostra post filiũ suum benedictum: quia interpellare apud patrem, intercedere pro populo, exaudire clamantes ad se, opem ferre indigentibus, animæ est principaliter non corporis. Alioqui spiritus angelici, vicem nostram non dolerent, pro nobis non

non interpellarent, in necessitate nos non protegerent. quod est manifestissime falsum. Et quantæ dementiæ est quod dicitis, sanctos posse aliis gratiam dei dispensare, pro aliis orare dum hic viuunt, non autem postquam regnum patris sunt ingressi? Et cur hoc? Quia vnus est mediator, &c. Scimus textum, & sane Catholicéq; intelligimus eum cum Ecclesia iustorum. At, si gloriæ Christi non derogat, & ille vnus mediator manet, dum viui orationibus suis se iuuant mutuò, & orant pro inuicem vt saluentur, quod ingenue cõceditis, cur tũc gloriæ Christi derogat, quando regnantes & viuẽtes cum eo in cœlo, orant pro nobis miseris adhuc in miseriis constitutis, & eminus cominúsque decertantibus contra aëreas potestates? Meræ nugæ sunt & fascinationes, vmbris vaniores, quibus simplices fascinatis, decipitis, seducitis & conturbatis, ne obediant veritati nutantes, fluctuantes, instabilésque, qui omni mouentur vento erroris, electi & oues Christi, imposturas vestras pili non faciunt. Iussit & Holofernes, Sathanas ipse, per Lutherum & pestilentes suos cooperatores atque milites, fontes omnes sanctorum qui non longe à nobis sunt, quia fratres nostri sunt & caro & sanguis, ex quibus pie in Christo viuentes, & obsessi à rege illo magno & potẽtissimo, furtim aquam hauriebant olim gratiarum, custodiri, ne ex eis boni & recti corde, aquam gratiarũ haurire possint. Fecit Lutherus voluntatem diaboli, contemptibiles, despectos, impotẽtes fecit omnes sanctos: ideo nemo amplius recurrit ad aquæductum, quæ est Maria: neque ad fontes & sanctos Dei his malis diebus acceditur à fascinatis, ab impostoribus, pro gratia, in quos ex puteo aquarum viuentium, & fonte vitæ, per hũc aquæductum Mariam, aqua gratiæ fluit cum impetu. Ideo esurientes & sitiẽtes manent, & anima eorum in ipsis deficit in siti. Nihil enim sancti gratiæ habẽt aut virtutis, quod de illo fonte perẽni & vitæ qui apud Deum est, per hũc aquæductum non acceperunt. Gratia sunt id quod sunt, at illi fontes deriuantur foras, & aquam gratiarũ, in plateis diuidunt. Lutherani ergo aquæductum gratiæ absciderũt Mariam. Fontes turbauerunt, sanctos abominabiles fecerunt, sine medio ad fontem paradisi irrumpere volũt. Verũ quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Vult Deus omnes sitientes & ad se venientes refocillare, vult eis aquã viuã

Ephe. 4. *Iudit 7.* *1. Cor. 15* *Prou. 5.* *Rom. 13*

G dare affluenter,sed per media ad hoc ordinata, nempe, per aquæ ductum siue Mariam, & per manus electorum suorum.Sic olim panem ipse benedixit & pisces, sed per
Mat. 15. apostolorum manus eum populis distribuit & dedit. Sic
Ioan.5. Lutherani nunc errant in vasta huius mundi solitudine, à via veritatis & arcta quæ ducit ad cœlum, & viam ciuitatis habitaculi excellentiorem, quæ charitas est,
1.Cor.12 non inueniunt, nec quærunt. Esurientes & sitientes
Matt.7. noxia,anima eorum in ipsis defecit,in esurie & siti diuitiarũ & honoris deficiunt vt fumus.¶Et constãter dico, quòd nemo gratiã accipit & aquam vitæ, nisi per manus Mariæ.Per eam fluit in sacramenta,per eam in electorũ corda,& quasi cisternis & fontib⁹ colligitur,& per humilitatem de manibus eorum, liberaliter eam dispensantibus,accipitur. Ideo nulli est salus, qui Mariam asperna-
Luc 10. tur,& despicit amicos Dei:Quia qui vos spernit,me spernit. Sed nos cum hac sancta muliere extollamus vocem de turba,confiteamur eam omni laude dignissimam,dicentes:Beatus venter qui te portauit,& beata vbera quę
Psal. 30. suxisti.Pudeãt impij, & muta fiant labia dolosa & maledica quæ aduersus Mariam,iustam,sanctam,& Deo di-
1. Reg.2. lectissimam,loquuntur infanda,in superbia & abusione: Nam quicũque honorificant eam,glorificantur ab ea & filio eius.Qui autem contemnunt eam,sunt ignobiles &
Ioan. 5. confundantur. Et id iustè: nam sicut qui non honorificant patrem,non honorificant filium.Ita & qui nõ honorificant matrem,nec filium honorificant.Et matris contumeliæ,& blasphemiæ sunt in Christum.Vtinam qui eã originali macula infectam esse astruunt,calculum reducerent,vela verterent, & nobiscum, imò cum tota sacra scriptura recte intellecta,dicerent eã omni laude esse di-
H gnissimã.Et si sanctus Thomas hoc dicat,dicit & contra riũ.Imo si sanctus Thomas nunc viueret, iam pridẽ palinodiam cantasset,& Concilij Basiliensis diffinitioni praeberet cõsensum.Ideo iustũ esse decerneret,vt pauci,plus Ecclesiæ fidem & vsum quem in diuinis officiis hodie tenet,sequerentur,quàm vnius hominis sensum. Sanctus Thomas homo fuit,humanũ quid hac in re passus est,absque vlla pertinacia & obstinatione.Quod hac in re probabile sibi videbatur,scripsit,sicut & multi alij sancti doctores sine vllo veritatis præiudicio & melioris sentẽtiæ cõtradictiõe,& Ecclesię Dei determinatiõe.Doctor scho-

lasticus

lasticus fuit, nō euangelista: ideo scripta eius in multis locis vt probabilia accipiēda sunt (quibus contrariū dicere & sentire licet) nō canonica scriptura, vt locupletissimus testis est sanctus Augustinus in multis locis, vt videre est in decretis, dist. nona. Optime ergo Ecclesia Romana in eius festo pro Inuitatorio canit: Immaculatam conceptionem virginis Mariæ celebremus, Christum eius præseruatorem adoremus Dominum. ¶ Si autoritas sancti Thomæ ac scripta eius à veritatis confessione te remorantur, audi quid doctor sanctus & tuus & meus super. j. sententiarum. dist. xlvj. articulo tertio dicat ad tertium argumentum: Puritas (inquit idem doctor sanctus) attenditur per recessum à contrario. Et ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati sit inquinatū. Et talis fuit puritas beatæ virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit tamen sub deo, inquantum in ea potentia fuit ad peccandum. Hæc ille. Audi & patrem tuum sanctum Dominicum: Sicut primus Adam (ait) fuit ex terra virgine & nunquā maledicta, formatus: ita decuit in secundo Adam fieri. Hoc patris tui oraculum & Sibillæ folium surda aure pertransis, similiter sancti Thomæ verbū prius allegatum. Scio in quæ verba malitiæ linguam tuā deflectis, ad excusationes concinnandas tibi in peccatis, quibus tibi aures obturas, ne audias & obedias veritati. Cauillaris nāque doctorem sanctum quæ prius scripsit super sententias, ante finem vitæ in summa maiori, reuocasse. Vt taceā, quòd sermo noster debet esse, est, est: non, non. Hoc tamē sic loquendo fateris, quod in scriptis suis contraria posuit & scripsit: ergo scripta eius (vt dixi) cum iudicio legi debent. Et vbi probabilia scripsit, sicut canonica scriptura lucubrationes eius non sunt, veritate reuelata, ab eius dictis & scriptis recedere (quod vos quoque facitis) licet. Ad hęc ipse doctor sanctus, in eadem summa pro qua digladiamini, Mariæ innocentissimam purissimámq; conceptionem, validissimis rationibus astruit in vno loco, quas nec vos etiam si omnes neruos vestros extenderitis, in diuersum sensum detorquere potestis. Ait autem doctor sanctus tertia parte, quæstione xxviij. Art. iiij. quærens an mater dei & agni vllum etiam minimum commisisset peccatum veniale. At hoc, vt omnes sancti doctores, prorsum refutat ac inficiatur, dicens: Si

Mat. 5.

beata & benedicta virgo Maria non fuisset immunissima ab omni etiam minimo peccato actuali, veniali, tunc nõ fuisset idonea mater Christi Iesu. Et illud quatuor rationibus euincit. Vna, Sicut gloria filiorum est honor parentum, sic viceuersa, ignominia parentum in proles redundat ac per hoc inferretur ignominia Christo regi glorię, domino maiestatis, principi regũ terræ, qui est super omnia benedictus deus in secula, in quo princeps mundi huius nihil habuit, si mater eius obnoxia minimo peccato veniali astrueretur. At aures nunc arrige Pamphile. Ratio namq; ista non minus concludit, matrẽ agni sine macula & solis iustitiæ, de peccato originali fuisse præseruatam. Imo, tanto de eo magis, quanto hoc ignominiosius & damnabilius est illo. Nam per originale peccatũ abominabiles sumus omnes coram Deo, filij iræ & maledictionis, sine charitate alieni à Deo, sub potestate diaboli. Hæc autem venialia peccata minima non faciunt, cúm non auferant gratiam, non excludant à regno, non obligent ad ęternam calamitatem. Et potest veniale tã paruum esse & leue, vt vix quicquam ad expiandum requiratur. Altera sancti doctoris ratio est singularis affinitas quam habuit cum Christo virgo puerpera. Nã ex ea verbum caro factum est, & Deus homo. Factus nãq; est in tẽporis plenitudine ex muliere, de semine Dauid secun-
Gal. 4. dum carnem. Ex muliere virtutis & forti, quę caput serpentis contriuit. Quæ autem conuenitio Christi ad Be-
Rom. 2. lial? ait doctor sanctus cum Apostolo. At verba hæc, pater cœlestis ei reuelauit, & non caro & sanguis. Spiritus-
Gene. 3. sanctus ea loquebatur in eo, vt per verba hæc quamuis ignorans, testimonium perhiberet veritati D. Thomas,
1.Cor. 6. quod super benedicta mater dei, virga de radice Iesse, ex qua flos campi, lilium conuallium, fructus benedict⁹, ex-
Mat. 16. ortus est, sine originali peccato est concepta. Quia originale peccatũ multo plus cum Satana & diabolo cõue-
Mat. 20. nire facit, quàm veniale. Tertia ratio eius est, quòd sapientia patris æterna, in maleuolam animã non intrat,
Sap. 1. nec habitat in corpore subdito peccatis. At in confesso est, quòd originale multo plus animam reddit maleuolã & corpus delictis subditum, quã veniale. Ergo &c. Quar-
Can. 4. ta ratio est, quòd impleri oportuit quod scriptum est: Tota pulchra es, & macula non est in te. Hæc scriptura non impleretur, si mortaliter vel venialiter peccasset: & nos
addimus,

addimus,quòd etiam non impleretur,si peccatum originale habuisset. Vnde ecclesia dei cantat & in hunc modũ officium immaculatę conceptionis eius auspicatur: Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias Adę alleluia. Secunda aña.Tota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te,alleluia. Collecta vero talis est: Deus, qui per immaculatam virginis Mariæ conceptionem,dignum filio tuo habitaculum præparasti,concede quęsumus, vt sicut ex morte eiusdem filij sui pręuisa,eã ab omni labe pręseruasti,ita nos quoq; mundos eius intercesṡione ad te peruenire concedas.Per eundem dominum nostrum Iesum Christum. Idipsum adhuc fortius ibidẽ ex verbis sancti Thomę astruitur.Nam dicit:Quòd illos quos Deus ad aliquid elegit, ita prępar at & disponit,vt ad id quod eliguntur,inueniantur idonei,secundũ illud:Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata autem virgo fuit electa diuinitus,vt esset mater dei,& ideo non est dubitandum,quòd Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit, secundum quod angelus ad eam dixit:Inuenisti gratiam apud Deum,ecce concipies &c.Et in q.sequenti dicit idem D. Sanctus: Quòd beata virgo gratia plena fuit. Cęteris namq; per partes gratia pręstatur, Marię verò se totam simul infudit gratię plenitudo,Verùm,si gratiam pręseruationis non habuisset, gratia plena non fuisset. Et si eam in se non habuisset,sed ancilla,mancipium & propria diaboli per originale peccatum fuisset, certe filius eius minus idoneam matrem suã fecisset,quàm si aliquo minimo actuali peccato eam maculari permisisset. Recte ergo dicit ibidem doctor sanctus,cum S.Augustino. Cum de peccatis agitur,propter honorem filij,de virgine Maria nullam prorsus habere volo quęstionem.Inde enim scimus, quòd ei plus gratię collatum fuerit ad vincẽdum ex omni parte peccatum,quòd concipere & parere meruit, eum quem constat nullum habuisse peccatum. Mirum ergo videtur quòd de peccato originali ipse facit quęstionẽ,quod omnium calculis tam abominabile, damnabile & deo exosum est malum. Et si ex omni parte gratiam habuit vincendi peccatum, irrefragabiliter sequitur, quòd pręseruata est ab originali maledicto et macula. Alioqui falsa est sententia S. Augustini.Et nescio certe,quomodo sanctus Thomas hic sibi constat. Insuper dicit in quęstione

2.Cor.3.

Luc.1.

Esai.53.
1.Pet.2.

sequenti: Quanto aliquid deo magis appropinquat & Christo, tanto magis participat de dei bonitate & gratiæ Christi, de cuius plenitudine omnes electi accipiunt gra-
Ioan. 1. tiam pro gratia. Beata autem virgo deo & Christo propinquissima fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam, ideo præ cæteris maiorem debuit à Christo gratiæ plenitudinē obtinere. Hæc S. Thomas. Sequitur ergo irrefragabiliter, quòd Maria virgo tāta puritate nituit, qua maior sub Deo intelligi nequit. Et hæc fuit puritas præseruationis per gratiam: sed puritas Christi est ex natura. In Maria fuit peccandi potētia, in Christo impossibilitas. Si vis seruare dicta sancti Thomæ quæ posterius scripsit, tunc serua quæ hīc scripsit, quia hæc sunt posterius scripta. & sic honora Matrē Dei. ¶ Videamus igitur, quid sibi euangelista noster velit. *Beatus inquit venter, qui te portauit*, te inquam precium humanæ redemptionis, aquam ablutionis, panem refectionis, medicinam curationis, armaturam defensionis, præmium remunerationis, coronam certaminis, doctorē veritatis, firmamentum stabilitatis, robur infirmitatis, adiutorem salutis. Beatus venter qui te portauit, quia custodisti eum ab omni inquinamento maledictionis, etiam originalis, replesti eum omnibus cœlestibus bonis, fœcundasti eum sine tactu pudoris, exiisti ex eo sine violatione suæ integritatis. Vere beatus venter, qui nesciuit maculam, & continuit in se omnium bonorum abundantiam, & protulit nobis salutem, gratiā & gloriam. O venter omni suauitate refertus, omni gratia plenus, omni benedictione cœlesti præuentus & muneratus. Paradisus delitiarum, hortus voluptatis, riuus æternę dulcedinis. Templum dei sanctum, arca testamenti intus & foris auro mundissimo charitatis tecta, vrna aurea, virga
Num. 16. Aaron florens, liber signatus, thronus deitatis, thalamus sponsi, lectulus floridus, ferculum Salomonis, tabernaculum ornatissimum, regis Christi deambulatorium, ciuitas dei ędificata ex margaritis, scala paradisi, ianua cœli. Beatus igitur venter, in quo iste qui eum fecit, nouem mensibus requieuit in pace. *& beata vbera quæ suxisti.* Omnia membra Marię virginis erant be-
Luc. 1. nedicta à deo. Vnde Angelus dixit ad eam: Benedicta tu in mulieribus. Et Elisabeth: Benedicta tu inter mulieres. Et ipsa in laudes Dei prorumpens postea in

psalterio suo decachordo cantauit:Fecit mihi magna qui potens est.Si quæris quæ sint illa magna?Respondeo:Tã magna & inscrutabilia sunt & absque numero, q̃ nemo ea assequi verbis potest,etiã si linguis hominum loqueretur & angelorum.Puteus profundus est,& nos in quo hauriamus non habemus. Nihilominus, propter magna illa quæ mihi dominus fecit,beatã me dicent omnes generationes.Venter tamẽ & vbera Mariæ singulariter hæc beatificãtur,quia aliquo modo plus cæteris aliquid sunt cooperata nobis ad salutem.Venter eius erat sicut aceruus tritici,liliis vallatus:Erat hortus cõclusus,fons signatus,lectulus floridus,de quo Christus processit sicut sponsus de thalamo suo.Venter eius maius se in se conclusit, quia quem cœli & cœli cœlorum capere non possunt,in se clausit.In ventre illo,mirabilia,stupẽda & impossibilia sunt facta.Ibi deus factus est homo,& homo deus,&c.Vt in sermone de natiuitate Christi inuenies declaratũ. Et beata vbera, de cœlo plena,quæ lactauerunt panem viuum,qui propter nos factus est,vt ei lacte opus esset.Hęc sunt vbera meliora vino fragrãtia vnguẽtis optimis. Quo circa Christus matrib.se in passione lugentib.dixit:Filię Hierusalem nolite flere super me,sed super vosipsas flete & super filios vestros: Quoniam ecce dies veniunt in quib.dicent:Beatæ steriles & ventres quę non genuerũt, & vbera quæ non lactauerunt. Sic per omnia fratrib.est assimilatus,absque tamen peccato.Christus etiam Marcellæ præconium de sua matre confirmauit. *At ille dixit: Quinimo,*hoc est:Vtiq; sic est:Verum dicis,Et beatam eã dicent omnes generationes,quæ in me crediture sunt,& quibus ego saluator,redemptor,& iustus coronæ iustitię largitor.Qui autem(vt Lutherana colluuies)meam matrem spernunt,suggillant,maculant,inhonorant,blasphemant,& me spernunt & lacescunt maledictis verbis suis, ego vltror existã.Qui maledixerit matri meæ,sit ille maledictus,& qui ei benedixerint,illi erunt benedicti.Nam sicut filij infamia, mœror est matris, sic matris meæ benedictę diffamatio & suggillatio in me redũdat.Qui verò me contemnunt in mea matre,quam benedixi,erunt contemptibiles & maledicti in æternũ. Verum, Christi matrem esse secũdum carnem, vnius & solius est Mariæ, quæ Marcellæ encomio hic est honorata.Ideo Christus hic vniuersale addit præconium, communẽ dignitatem, gloriam

Psal. 28. *2.Par. 2.* *Ioan.9.* *Heb.5.* *Cant.1.* *Luca.23.* *Hebr.3.* *Hier.5.* *Gen. 12.* *Num.24.* *1. Reg.4.*

gloriam & honorem,ad quam omnes cum illius ope & gratia peruenire debemus,Tu magnificaſti matrem meã in laude:Sed non illa ſola beata eſt quæ me genuit,aluit fouit & mihi miniſtrauit materno affectu,& ſollicitudine aſſidua.Nam & *beati ſunt*,in ſpe & in gradu & ordine ſuo.
Luc.10. Beati inquam ſunt omnes ſine delectu vllo, *qui audiunt*, reuerenter humiliter & deſideranter, ſicut fecit Maria Magdalena, *verbũ dei & cuſtodiunt illud*, in agro cordis ſui bono & optimo, fructúmque eius adferunt in patientia. Iſti beati in facto ſuo ſunt. Sunt viri ſapientes qui domũ ſuam ſupra firmam petram ædificauerunt. In verbis iſtis Chriſtus conceptum ſuum ſpiritualem, ſoli conceptui corporali prætulit. At Maria vtroq; modo mater Chriſti
Iacob.1. ſuper omnes fuit. Concepit enim eum prius in mente
Matt.7. per fidem, & poſtea in ventre per incarnationem. Ecce tria hic circa Chriſti conceptum ſpiritualem, & prolem, quod eſt opus bonum in Deo factum ponit : Conceptum, partum & gaudium. Conceptum in auditione verbi, partum in cuſtoditione, impletione & operatione
Ioan. 16. verbi auditi. Gaudium de nato puero in mundum, per impletionem verbi auditi,in beatitudine ſequenti.Ecce, ex Deo omnia. Audiunt ex ipſo patre, cuſtodiunt per ipſum filium, gaudent in ipſo ſpiritu ſancto ſemper. Sic
Rom. 11. ex ipſo,& per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum.Amen.

DE IMMACVLATA CONCEPTIONE VIRGINIS MARIÆ Sermo.

Cant.1. Sicut lilium inter ſpinas ſic Maria eſt inter filias Adæ.Roſa ex ſpinis,& inter ſpinas na
Rom.5. ſcitur,nihil habens nigri, duri aut læſionis illatiuum. Sic Maria, ex Adæ progenie, in qua omnes peccauerũt & mortui ſunt atq; maledicti,naſcendi traxit originem,ſed nihil de eius perpeſſa maledictionis culpa & peccati contagione.Quia ſicut lilium candens fuit inter ſpinas, & ſicut odoris ſuauiſſimi roſa rubens. Tota pulchra,& ideo macula originalis non fuit in illa, nec vllo vnquam fuit obnoxia vel minimo peccato.Sẽper cum filio ſuo ambulauit in albis,
Apoc.3. abſque vlla macula & ruga. Ergo ſuper omnem diſpoſi
Sap.7. tionem ſtellarum & aliorũ ſanctorum,qui ſicut luminaria

in hoc

in hoc mundo lucent ad gloriã Christi & Dei, luci æternæ comparata, quę omnem hominem illuminat in hunc mundum venientem, Maria est purior, immaculatior, innocentior & Christo similior. Et sicut in filio eius benedicto princeps mundi huius nihil habuit, sic nec quicquã habuit in benedicta matre eius. Hæc est mulier quæ caput serpentis contriuit, confusionem in domo Nabuchodonosor fecit, caput superbi Holofernis amputauit: nec minimum locum in se diabolo dedit. Hæc est mulier similis Adæ cœlesti, de latere eius dormientis in cruce formata, & ab omni contagione peccati per diuitias abundantes gratiæ suæ præseruata. Nam diues adeo virgo hęc benedicta super omnes mulieres in gratia fuit, quam apud dominum inuenit, quod nihil ei in vlla gratia defuit. Defuisset autem ei multum in gratia, si per peccatum originale, filia mortis, iræ & diaboli, serua peccati, inimica dei, obnoxia maledictioni & gehennæ, tenebrarum filia & diaboli laqueo vnquam fuisset constricta, ac eius iuri & potestati subiecta. Propter filium eius, non solum temerarium sed & impium est, vel minimo peccato astruere, mariã fuisse maculatam. Proinde sicut deus qui eam elegit & præelegit ante mundi constitutionem, vt sancta & immaculata filia sponsáque esset æterni patris misericordiarum, & digna mater filij ac sanctum templũ spiritussancti in charitate: Sic per gratiam suam exuberantem eam etiam idoneam ad id muneris fecit. Vt sicut primus adam in quo omnes peccauimus, formatus est de terra immaculata: sic secundus Adam per quem de vana conuersatione paternę traditionis, & ex omnibus iniquitatibus nostris redempti sumus ac omnib. bonis repleti, de terra sancta immaculata ac inuiolata virgine, videlicet Maria formaretur. Sic veritas de terra sancta in qua deus stetit, orta est, In hac terra dominus dedit benignitatem, quando verbum caro factum est, operatione spiritussancti, & illa dedit fructum suum, quando filium suũ primogenitum peperit, & pannis eum inuoluit. Hæc est terra, quæ germinauit saluatorem. Hæc est terra, quam dominus benedixit, gratia repleuit, in benedictionibus dulcedinis pręuenit, antequam veterator ille serpens antiquus eam in prædam suam traxit, vllo peccati laqueo constrinxit, vel minimo eam peccato maculauit. Præuenit, inquam, non liberauit captam, non eripuit abductam

Phil. 2. Ioan. 1. Ioan. 14. Gen. 3. Iudith 14. Ephes. 4. Gen. 2. 1. Cor. 1. Ephes. 4. 1. Cor. 4. 1. Pet. 1. Psal. 83. Esa. 45. Psal. 20.

non

non mundauit pollutã, nou suscitauit mortuã, vt nos qui
Psal.50. in iniquitatib. concipimur & nascimur filij iræ: Sed hãc in
omni benedictione cælesti præuenit, vnde & angelos pu
Ephes.2. ritate vincit Maria. Non tetigit eam Abimelech, sed ipsa
cum lapide angulari & Petra quæ est Christus, hoc est,
cum gratia filij sui Iesu Christi, qui est saluator omnium,
Iudith 9. contriuit caput eius: Et sicut Maria est patri misericordiarum acceptissima, filio dilectissima, spirirus sancti templum sanctissimum: sic etiam est nobilissimo modo san-
Luc.1. ctissimo, super omnes excellentissimo saluata. Nos merito in sanctitate & iustitia Deo seruimus, omnibus diebus nostris, quia redemit nos ex omnibus iniquitatibus,
Psal.129 nostris, de maledicto legis, & de manu omnium inimicorum nostrorũ qui nos oderunt, odio iniquo certe. At Mariam nobiliori modo redemit, dum eam ab omni malo custodiuit præseruauítque, custodiendo ab omni contagione peccati introitum conceptionis eius, & exitum de valle huius peregrinationis, ex hoc nunc & vsque in seculum. Et quis tam cœcus est, qui nesciat, maius beneficium esse, à morte, à lesione, à captiuitate, à carcere ab infamia & malis quibusque amicum & dilectum præseruare, quam post somnum mortis eum suscitare, post vulnera inflicta eum sanare, captiuum & incarceratum redimere, ab omnibus malis eum vindicare? Hæc secum Maria reputans, gratias Deo agens, dixit: Fecit mihi magna
Iob 5. qui potens est. Vere magna, & inscrutabilia & mirabilia absque numero. Nam quod natura non habuit, vsus nesciuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cœlum, stupet terra, creatura omnis etiam cœlestis miratur hoc totum est, quod ipsa confitetur & dicit: fecit mihi magna qui potens est, non solum quando concepi Dei filium sine virili consortio & peperi sine virginitatis læsione & pudoris ostio manente clauso, sed etiam in conceptionis meæ mundissimæ (vt alia taceam) beneficio. Veni-
Tob.12. te proinde (quia opera Dei reuelare & confiteri honorificum est) omnes qui timetis dominum, & audite, & narra
Psal.65. bo vobis quanta deus in mea conceptione immaculata,
Ephes.2. fecit animæ meæ. Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit me, omnem gratiam abundare tunc fecit in me, qua ditata, in omnibus, semper omnem sufficientiam habui ad omne peccatum vincendum, & abũdaui in omne opus honũ, & quę
placi-

placita Deo sunt semper feci. Adeo quod in omni vita *Iob 37.*
mea nunquam me reprehendit cor meum,& nullius pec
cati minimi vnquam mihi conscia fui, & per hunc mo-
dum,miserator & misericors dominus,suauis & mitis,su
per omnes benigne mihi fecit in bona voluntate sua, &
in seculis superuenientibus ostendit abundantes diuitias
gratiæ suæ in bonitate super me. Pro huiusmodi gloria- *Ephes.2.*
bor in domino,&dicam:Fecit mihi magna qui potens est.
Propter ista Dei dona gratuita,magna, multa & inscru-
tabilia, quæ mihi Deus fecit propter bonitatem suam,
beatam me dicent omnes generationes,&in me glorifi-
cabunt deum.magna opera domini in me recognoscen- *1.Reg.2.*
tes,& pro his Deo gratias agentes.Nam quicunque me
glorificant, honorabo eos: qui autem me contemnunt,
inhonorant,maculant,despicabilem me faciunt,male de
me loquuntur,negant me multiformen vel omnem dei
gratiam habere,quam Deus mihi dedit,erunt ignobiles
inglorij & confusione pleni.Iā secum reputent,qui eā in
originali peccato conceptā temere astruūt,quantas quā
multas quàm inauditas,quā horribiles vbiq; confusiones
reportauerunt:reducant calculū,cedāt veritati,dent glo-
riam Deo,benedicant matrem agni. Nam qui eam be-
nedicunt, magnificant in laude,glorificant quantum po
ssunt sunt benedicti, benedicuntur à domino,dantur in
benedictionem in seculum seculi,ac inter benedictos be
nedicuntur. Et qui Mariam maledicunt, despicabilia de
ea loquuntur,eam inhonorant, sunt maledicti, despicabi
les & inglorij.Nos autem glorificemus eam &dicamus,
Tu gloria Hierusalem,tu letitia Irael,tu honorificentia
populi nostri,quia fecisti viriliter, & confortatum est cor
tuū, eo quod castitatem amaueris, & pòst virum tuum
alterū nescieris.Ideo & manus Domini confortauit te,
& ideo eris benedicta in æternum. Et dicet omnis po-
pulus,fiat,fiat.Tu ascendisti instar lucis, cum lux semper *Prou.4.*
esses in domino,non descendisti à Hierusalem in Hieri- *Luca 10.*
richo, quod ibi in latrones incidisses, ergo nec te gratia
quā apud Deum inuenisti,spoliauerunt.Nullam tibi pla *Luca 2.*
gā vel minimi peccati,intulerunt:Ascēdisti,pcessisti,cre *Psal. 83.*
uisti in gratia,iuisti de virtute in virtutē,profecisti ad per
fectum diem. Ascendisti de deserto huius vastæ solitu- *Psal.1.*
dinis,non stetisti in via peccatorum,non sedisti in cathe
dra irrisorum,sed quæ sursum sunt quæsiuisti, vbi filius
tuus

tuus in dextera Dei patris sedet:quæ sursum sunt sapuisti,non quæ super terram:& mundum hunc, & ea quæ in
Phili.3. mundo sunt,vt stercus & detrimenta despexisti, & in isto ascensu tuo,deliciis cœlestibus affluebas,& quàm suauis est dominus,semper gustabas. Nec id viribus tuis fecisti, sed super dilectum tuum filium Iesum Christum eras innixa,& eius adiuta gratia fultáque virtute. Ipse enim se amantium refugium est & virtus, adiutor in tribulatio-
Psal.45. nibus quæ eos inueniunt nimis. Nihil proinde est can-
Hieron. doris,nihil est splẽdoris,nihil est gratiæ & numinis, quod non resplendeat in virgine gloriosa. Hæc neque serpentis
Origin. persuasione decepta, nec eius venenosis afflatibus infecta,nec vllis eius nexibus ligata, nec eius sordibus maculata est:quia decuit hanc virginem ea puritate nitere, qua maior sub deo nequit intelligi:vt deuotus mariæ ser
Ansel. uus ait Anselmus:Hæc est illa virga supra naturam florens & fructum salutis proferens, in qua nec nodus originalis,nec cortex venialis culpæ fuit,teste diuo Ambro
Ambro. sio. Ergo cum diuo Augustino sermonem hunc concludam, qui ora de ea loquentium iniqua in hunc modum obstruit:Hãc quam tu despicis Manichæe,mater mea est
Psal. 14. & de manu mea fabricata. Si tu eam formasti,ergo innocens manibus & mundo corde est,cũ opera tua sint bona valde,multo magis,mater tua benedicta. Quòd si eã optimam facere non potuisses,non esses omnipotens. Quod si facere nescisses, non esses sapientia patris, nec thesauros sapientiæ & scientiæ Dei haberes. Quod si noluisses, legem quàm de honorandis patre & matre sanxisti, non seruasses. At impium est hęc cogitare:ergo potuisti, quia es omnipotens. Sciuisti,quia ipsa sapientia:voluisti, quia es ipsa bonitas,matrem tuam ad omni peccato prę seruare,et omni gratia replere.

DE IMMACVLATA CONCEPTIONE VIRGINIS MARIAE.

Sermo Tertius.

2. Para.7 ELEGI *& sanctificaui locum istum,vt sit nomẽ meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi*
1.Cor.10 *mei & cor meum ibi cunctis diebus,* dixit *dominus ad Salomonem, de templo quod ille ædificauit in Hierusalem.* Verùm omnia eis contingebant
Col.2. bant in figura. Non eo inficias,quòd templum Salomonis fi-

Salomonis figura fuit Iesu Christi,qui tẽplũ illud sanctũ *Col. 2.*
fuit,in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitauit,quod tandem cùm ipse voluit,Iudaica impietate
est destructum,& Christi virtute in tribus diebus excitatum vel reædificatum. *Ioan. 2.* At,in præsentiarum , locum istum
de matre eius benedicta accipiam , sicut multiplex est in *Dan. 12.*
sacris literis intelligentia,nam & ipsa templum Dei sanctum fuit,in quo spiritussanctus habitauit, in quo & san- *1. Cor. 3.*
ctussanctorum nouem mensium tempore corporaliter requieuit. Atq; dum impleti fuissent dies Mariæ vt pare- *Luca 2.*
ret,ipse ex ea processit,sicut sponsus de thalamo suo. Sicut Gigas fortissimus armis potentię, lucis & iustititiæ *Psal. 18.*
indutus,ad currendam nostræ salutis viam , & fortem illum armatum Goliad vicit occidit , traduxit in semetip- *1. Reg. 17.*
so,arma illius abstulit,& spolia illius distribuit. Vere dominus est & semper fuit in loco sancto isto,& ego affectibus seruiens (non scripturam sacram & genuinum eius
sensum sequens)nesciebã,imo nolui intelligere. At nũc,
veritatis lumine accepto,quod tenebras meas illuminauit,intellectum meum in obsequium fidei captiuaui,vn- *2. Cor. 10*
de fidenter nunc cum sancta Marcella vocem meam extollo,& dico:Beatus venter qui te portauit,& beata vbera quæ suxisti. Non est in Maria aliud , nec ipsa aliud est,
nisi domus Dei & porta cœli. Magna ergo est gloria *Agg. 2.*
domus istius nouissimæ , quæ est Maria,plus quàm primæ,quæ est Eua. Et in loco isto dabo pacem meam dicit
dominus exercituum,quæ est immunitas ab omni peccato, quia non est pax impiis. Adhæc , deus pater in loco *Esaia 48*
isto,dedit pacem nostram , quæ est Christus , qui omnia *Ephes. 2.*
reconciliauit in deum , pacificans per sanguinem crucis
suæ,siue quæ in cœlis sunt , siue quæ in terris. At Maria
Euam gratia superat , & maior est gloria Mariæ quàm
Euæ,quod nequaquam esset , nisi sine peccato originali
concepta fuisset. Nam Eua peccatum originale in sui formatione non habuit , ergo nec Maria : nisi damnationis
matrem,in gratia & gloria matri gratiæ & salutis,impudentia execrabili volueris præferre , quod nec Sathanam ipsum autumo audere. *Exod. 25* Vnde rursus in figura deus dixit de Maria: Fiat mihi sanctuarium , & habita- *1. Cor. 13*
bo in medio vestrum. Sibi, non diabolo facta est Ma- *1. Tim. 2.*
ria. Per charitatem vero , quæ non agit perperam,& est *1. Ioan. 4*
de corde puro,conscientia bona & fide non ficta,deus est *Ioan. 14*

in suis electis,& ipsi in Deo, & habitationem sibi facit apud eos. Multo magis, per æternam dilectionem requieuit in tabernaculo Mariæ. ¶ Hæc est arca sanctificationis,ex imputribilibus lignis Sethim facta. Hæc est sanctum sanctorum, quia nihil inquinatum vel inquinationis fuit in Maria. Arca hæc sanctificationis, auro mundissimo intus & foris fuit ornata. Hæc vrna aurea fuit,pane cœli & angelorum plena, nempe carne Christi,vero pane vitæ.Tabulæ legis, est anima Christi, plena gratia & veritate,in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ dei sunt abscōditi. Iēt virga æquitatis & virtutis dei, videlicet diuinitas Christi, qui attingit à fine in finem fortiter & disponit omnia suauiter.Transeo multa. Maria ipsum est verissimum propitiatorium & sedes Dei, quod Cherubin obumbrant.Quapropter,ego in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domuum tuam, & adorabo ad templum sanctum tuū,quod est Maria.& ibi confitebor nomini tuo.Nam certus sum, quòd oculi tui sunt aperti,& aures tuæ erectæ,ad orationem eius, quæ in loco isto & templo orat te.¶Maria arca est de lignis læuigatis facta,in qua iusti & iustitiæ amatores & factores sunt saluati,& saluātur.Et cum fontes abyssi magnæ rumperentur, diluuiúmq; peccati super omnem terram fieret perderétque omnes :tunc arca deifera eleuata est in sublime,& ferebatur super aquas sola,sed alij montes excelsi sanctorum aquis diluuij originalis peccati sunt operti,in iniquitatibus concepti,ac filij iræ nati. Aquæ enim multæ hanc arcā non potuerūt submergere nec intrare, nec eius charitatem extinguere domino eam ab omni malo sua gratia custodiente. Tum introitum eius cōceptionis,tū exitū eius mortis.Maria lectulus Christi floridus est,malis stipatus.Hunc sexaginta fortes custodierunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios ancipites in manibus suis & ad bella doctissimi, propter timores nocturnos. Non potuit ergo hostis manū suam ad desiderabilia templi huius mittere. Non potuit templum hoc intrare,violare,profanare,conculcare.Dominus non dedit in commotionem pedes eius, nec dormiuit,nec dormitauit,dominus Mariam custodiuit,à custodia matutina suæ immaculatæ cōceptionis vsq; ad noctē sui exitus ex hoc mundo ad patrem. Quia domum dei decet sanctitudo,in longitudine dierum.Proinde,Maria domus

Marginalia: *Exo.* 15. — *Col.* 2. — *Psal.* 44. — *Sapi.*8. — *Heb.* 9. — *Psal.*5. — 1. *Reg.* 8. — *Gene.* 61. — *Psal.*58. — *Ephe.*2. — *Cant.*8. — *Psal.*120 — *Psal.*92.

domus domini est,firmiter ædificata,ac bene fundata su
pra firmam petram.Si super Christum fundata,ergo in-
nocens,quia peccata diuidunt inter nos & Deum.Re-
ctissime. ergo Maria domus illa fidelis est,quā Deus pa- *Psal. 45.*
ter,vero Salomoni nostro Iesu Christo ædificauit.¶Flu
minis impetu hanc Dei ciuitatem de qua tā gloriosa di-
cta sunt,omnium charismatum abundātia lætificauit &
repleuit.Altissimus super omnes deos hoc tabernaculū *Prou. 14.*
suum sanctificauit. Sed obstrepit sycophanta , stultitiam
suam exaltans & manifestans. Si sanctificata est Maria,
ergo in peccato concepta. Sanctificare etenim,de non
sancto sanctum est facere. Vtinam tacuisses , & sapiens *Ioan. 13.*
fuisses.Nonne ideo erras,cum stupidis Sadducæis , quia
nescis scripturas & virtutem Dei? Nonne pater cœlestis *Matt. 22*
filium suum vnigenitum seruatorem nostrum,sanctifica-
uit &in mundum misit?Tuo proprio gladio , vt Goliad
ille spurius hîc occideris,si es obstinatus. Si veritatis es
amans , scriptura ista erudieris ad iustitiam & salutem.
Pater filium sanctificauit,id est,sanctum, innocentem & *3.Re. 17.*
mundum ab omni peccato,secundum quod homo fuit,
in hunc mundum misit. Plenitudinem gratiæ,veritatis,
donorum,virtutum,& omnium bonorū illi dedit, necnō
ab omni peccato & culpa eum præseruauit. Iam tecum
reputa , an non dignum , iustum & honorificum fuit,
vt Christus talem eligeret , mitteret & haberet ma-
trem,qualem ipsum misit pater suus? Vt talem se exhi-
beret erga suam benedictam matrem , qualem erga se
suus exhibuit dilectus Pater. Cùm ignominia filij sit, *Eccle. 3.*
parens sine honore , & econtra. Gloria hominis est ex
honore patris sui & matris suæ. ¶ Certe ab initio eccle
siæ,sicut Christi, sic & matris eius gloriæ summo studio
per ministros suos,diabolus derogauit. Sed omni laude
post filium suum dignissima est virgo Maria,etiam si rum *Rom. 1.*
pantur inimici eius & montes transferantur in cor ma- *Psal. 77.*
ris. ¶ Verùm obstinatis , in reprobum sensum datis &
in arcum prauum mutatis,de industria veritati resistentibus, nihil satis est, vt consentiant acquiescántque veri
tati : sicut nec fons sapientiæ , imò ipse Christus virtus
patris & sapientia, tantam virtutem voci suæ dedit,& tā *1.Cor. 1.*
tū luminis verbo gratię suę,quòd duriora saxis corda Iu
dæorū liquefecisset, & tenebras eorū palpabiles in qui
bus tenebātur inclusi,illuminasset:sic,neq; in hodierum

Ee 2 diem

diē alicui falsæ doctrinæ, aut peruerso dogmati addicto, persuadere quis potest vt relicto errore & malitia, ad lu-
Prou. 2. mē veritatis reuertatur, & apprehendat semitas vitæ. Alienātur eiusmodi à vulua matris ecclesię, quę eos Christo genuit, errāt, loquuntur falsa de industria, fabricant
Iob 13. mēdacia, colūt peruersa dogmata, furor illis, & nullū iu-
Psal. 57. diciū, secundū similitudinē serpētis, sicut aspidis surdę, & obturantis aures suas, quæ nō exaudiet vocem incantātium, & venefici incantantis sapiēter. Et sicut ignis ex lignorū appositione non extinguitur, sed in maiorem flāmam exurgit, sic animus obstinatus non illuminatur, nō placatur, ex scripturarū vel rationum allegatione, sed eo
Eccle. 7. magis obstinatur, excæcatur, induratur. Nemo enim potest corrigere, quē Deus despicit. Verùm cū ignoremus
Mat. 25. consilium & sensum Domini, & quis de numero stultarum virginum finaliter mansurus sit, aut prudentū, quia
Eccle. 9. omnia in futurum seruantur incerta: hæc enim condita sunt apud Deum, & signata in thesauris suis, ideo qui
1. Cor. 10 stat, in vera fide ecclesiæ, timere debet & videre ne cadat. Et qui iacet: iuuandus est, vt resurgat, & illuminetur
Ephe 5. à Christo, per verbum fidei quod iam lucet, & sanetur à
Sap. 16. languoribus suis, malagmate verbi sui, quod sanat omnia animæ vulnera, & totum hominem: Per sapientiam namque sanati sunt, quotquot Deo ab initio placuerūt.

¶ Placet ergo, ex innumeris scripturæ locis paucos sum-
Gen. 28. mis labiis tangere, qui astruunt virginis Mariæ immaculatam conceptionem. Scala Iacob est virgo Maria, quæ stans in terra, cœlos attingit, & dominum super se habet innixum: Ergo veterator ille, nihil eam lædere po-
Exo. 3. tuit, Domino eam custodiente ab omni malo. Ipsa rubus ardens est, & nullum læsionis siue adustionis in se signum habens. Ipsa nubes lucida, obumbrans & leuis
Psal. 77. est, super quam Dominus ascendit, & solem texit. Hanc
Psal. 104 nubem expandit Deus in protectionem populi sui, & ignem vt luceat nobis per noctem. ¶ Hæc terra lacte &
Exod. 3. melle manans, super qua iurauit Dominus, dare eā Abraham Isaac & Iacob ac semini eorum in possessionem ę-
Gen. 3. ternam. Nostra igitur terra ista est, &c. Ex hac terra bo-
Prou. 31. trus dulcissimus nobis est allatus Iesus Christus. Ipsa pa
Cant. 4. radisus Dei est, vbi est lignum vitæ. ¶ Ipsa mulier fortis est, in qua cor viri sui confidit, quæ nullis spoliis indiguit. ¶ Ipsa fons signatus, hortus conclusus & puteus aquar

aquarum viuentium eſt. ¶ Hæc eſt illa Rebecca, puella
decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro.
Multo magis, impolluta à diabolo. Expēde myſterium, *Gene.24.*
dabit enim dominus tibi intellectum. ¶ Hæc eſt Iudith
illa caſta, eleganti aſpectu, decoraq; nimis, cui vir eius pa
ter cœleſtis, plurimas reliquit opes. Imò adeò diuitem
eam in filio eius fecit, quòd nihil ei in vlla gratia defuit.
Hæc omnibus ornamentis gratiarum, omni cultu virtu-
tum, omni ſplendore chariſmatum ſpiritusſancti ſe orna *Iudith 10*
uit. Cui & dominus ſplendorem innocentiæ contulit,
quoniam omnis eius compoſitio, non ex libidine, ſed ex
virtute pendebat. Ideo dominus hanc in illa pulchritudi
nē animæ ampliauit, vt incomparabili decore omnium
oculis appareret. Audis incomparabili eam decore redi-
mitā, ergo ſine originali peccato cõcepta eſt. Nā ſi poſt
cõceptionē ab originali pec. in quo cõcepta erat (vt gar
riũt eius obtrectatores) fuiſſet purgata, incõparabilem *Luc 1.*
decorē non haberet, ſed ſimilis Hieremiæ & Iohāni Ba
ptiſtæ eſſet, & ab angelis ſuperaretur, in cœlis. At decuit
virginē hãc ea puritate nitere, qua maior ſub deo intel-
ligi nequit. Multæ naq; virgines cõgregauerũt diuitias
gratiarũ, virtutũ & meritorũ: Maria aũt ſupergreſſa eſt
vniuerſas. Hæc eſt mulier & virgo ſapiens, quæ ſola in *2.reg. 20*
obſidione & periculo mortis conſilium ſalutis ſibi & o-
mnibus inuenit & dedit. Hęc in nocte peccati libera exi
uit, caput inimici populi ſui amputauit, gloriam eius in *Iudit.12*
ignominiā vertit, cõfuſionem in domo diaboli fecit, ſpo
lia eius diſtribuit, gaudiũ eius in luctum conuertit. Sed
nõ fecit hæc virtute propria, ſed domini fulta ope & gra *Iudit 13.*
tia adiuta. Vnde etiā non ſibi, ſed nomini domini dedit
gloriā, dicens: Viuit dominus, quoniā cuſtodiuit me an-
gelus eius, & hinc egredientē, & ibi cõmorantē, & inde
huc reuertentem. Ecce dominus qui viuit in æternum, à
mortis me faucibus cuſtodiuit. Nõ viuificauit mortuam
in peccato originali, ſed cuſtodiuit me ab omni malo &
cuſtodiuit animā meam dominus, quoniam ſic placitum *Eſaia 7.*
fuit ante eum. Cuſtodiuit me angelus eius: Angelus vti *Mal.3.*
que magni conſilij & teſtamenti noui mediator, qui mũ
di ſalutem annũciauit & pacem, miſſus à patre. Ideo ini
micus nihil profecit in me, & filius iniquitatis non fuit
permiſſus nocere mihi: ſed ſub vmbra alarum ſuarum *Pſal.88.*
protexit me à conuentu malignantium, ſicut pupillam

occulti sui. Nolite ergo mirari meam innocentiam vel temere eam calumniari. Non est impossibile apud filium
Lucæ 1. meum omne verbum. An non licet ei facere quod vult?
Mat. 20. An oculus vester nequã est, quia ille bonus est, tam magna mihi fecit propter bonitatem suam? Beneficiũ istud non probrosis verbis extenuãdum, non blasphemijs inhonorandum, non excogitatis mendaciis inficiandum, sed summis laudibus prosequendum, cum omni gratiarum actione recolendũ, cum omni deuotione celebran-
Psal. 148 dum. Proinde, iuuenes & virgines, senes cũ iunioribus, quiq; terrigenæ & filij hominum, simul in vnum, diuites & pauperes, magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipsum, pro gratia ista. Quia in hac elucet dei potentia, sapientia & abyssalis bonitas.
Psal. 48. Per hanc me idoneã sibi sponsam Deus pater fecit, & filius dignã suam matrẽ, & spiritussanctus sanctum tẽplũ suum, vas in honorem sanctificatum, & ad omne opus bonum paratũ. Hæc est gloria cœli & salus totius mun-
2. Tim. 2. di. Gratias mecum deo agite pro inenarrabili dono eius. Implemini spiritusancto, & in hac die specialiter loquimini vob simetipsis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris,
Col. 3. Domino gratias agentes semper pro omnibus bonis
Ephe. 3. eius beneficiis mihi factis in nomine Domini nostri Iesu Christi, deo & patri. Decet nãque vt filij in matris gloria & honore lætentur, nã si mẽbra congaudent cum vnum membrũ gloriatur, multo magis filij gaudere in domino & exultare in deo salutari suo debent, quando
Esai 1. mater eorũ summo honore honoratur à deo. Adulterini, semẽ nequã, filij scelerati sunt & degeneres, qui hoc facere detrectant: Peiores, si alios à gratiarũ actione & laude retrahunt: Maledicti, si pro laudibus scõmata, pro beneficiis, ingratitudinẽ: pro bonis, mala deo reddũt. Sic in deũ & dominũ nostrũ Iesum Christũ peccant, eiúsq; matrẽ benedictã, ledũt animas suas, male loquuntur de
Prou. 8. deo. Hinc scriptũ est: Filius sapiẽs lætificat patrẽ, & stultus despicit matrẽ suã. Malæ quidẽ famæ est qui relinquit
Prou. 15. patrem, & est maledictus à Deo qui exasperat matrem. In vna Iudith maxima est silua argumentorũ cõtra obtrectatores immaculatæ conceptionis virginis Mariæ. Et ipsa summo gaudio gauisa est in victoria tã mirabili &

magna

magna. Deus enim vicit in Maria, non illa, sed gratia Dei cũ ea, & angelus custos eius. Gauisa est in euasione sua & liberatione nostra. Tu, ô mater nostra, singulariter eua sisti præseruata, & nos communi liberatione liberati sumus de manu inimicorum nostrorum & omnium qui oderunt nos. Ergo mulier sancta es, & nos vnicè precamur, ora pro nobis. Vere tu benedicta in omni tabernaculo Iacob. Benedixit te dominus in virtute sua, & per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Vere locutus est de te Ozias sacerdos magnus, videns dominum & fortitudinem domini: Benedicta, inquit, tu filia à domino deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus dominus qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum, quia nomen tuum hodie ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores sunt virtutis domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter tribulationes & angustias generis tui, sed subuenisti ruinæ eius ante conspectum dei nostri. Manus domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Sufficit aperuisse fenestram, præstrauisse viam. ¶ Antè me tempus deficeret, si Hester speciosissimæ ex omnibus electæ, typum prosequi vellẽ, & eius ad virginem benedictam analogiam. Hæc innocens pro nocentibus regi supplicauit, edicti crudelis reuocationem obtinuit, & populi sui salutem. Ad hanc rex conuersus clementiæ suæ virgam extendens, & de solio suo exurgens, ne in peccatum caderes vlnis suæ gratiæ te sustentauit, & tristem deliniuit blandiciis, verbísq; cõsolatoriis fouens, dixit: Noli timere, non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex mortis constituta est. Sic & illud quod in sindone munda corpus eius inuolutum est, qui obsecro aliud quàm virginis huius innocentiam perpetuam signat? ¶ Similiter quod in horto, in sepulchro itẽ in quo nullus ante positus fuit, quid aliud prætendit, quàm inuiolatam matris dei puritatem? Sed vela contrahenda sunt, eo quòd ab aliis hæc copiosissime sunt declarata. Ad te autẽ supplex clamo, ô mater misericordiæ & gratię: Solue vincla reis, profer lumẽ cæcis, mala nostra pelle, bona cũcta posce. Mõstra te esse matrẽ, sumat p te precẽ, qui ꝓ nobis nat⁹, tulit esse tu⁹. Amẽ. Quãuis deuotio & maiestas sacramẽti & honor matris dei diutius his astruẽdis & firmãdis immorari vrgeat,

Ibidem. *Hest. 1.* *Hest. 5.* *Mat. 27.*

prolixitas nihilominus obstat, & in arctum sermonem contrahere compellit. Ideo vnico loco adhuc immaculatam eius conceptionem viri secundum cor dei maximiq; vatum, cui deus non solùm incerta, sed & occulta sapien-
Psal. 50. tiæ suæ, (quale est matris suæ superbenedictæ præseruationis opus ab originali peccato) manifestauit astruere pulchrum duxi. Ait enim, vbi regis gloriæ & sponsę ęterni patris laudes recenset & ornatum. Nam postquam sponsi vigintiquatuor magnificas incomprehensibilésque laudes ac magnificentias retexuit, Matrem agni, sponsam ęterni patris, totidem encomiis, epithetísque laudat dicens: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Laudaturus eam à verbo gratię & honoris, eius pręconia expresśius auspicatur dicens: O Iesu salus mundi, rex glorię, Regina ex progenie Dauid exorta, super omnes mulieres benedicta, virgo & mater tua Maria, astitit semper à dextris tuis. Dextera dei, status gratiæ, salutis & glorię est, vt ad longum per scripturas ostendi posset. Sic iustos in iudicio & oues ad dexteram statuet. Et quid est, matrem agni, reginam cœli, dominam mundi, à dextris dei stare, nisi eam semper ab omni culpa, ab omni peccato, ab omnibus diaboli laqueis fuisse & esse alienisśimam? Stetit in fide, in iustitia, in gratia dei. Stetit perfecta & plena in volũtate dei. Stetit induta armaturam dei, confortata in domino & in potentia virtutis eius, aduersus omnes insidias diaboli. Ideo inimicus nihil profecit in ea, & filius iniquitatis nõ
Psal. 8. apposuit nocere ei. Astitit à dextris dei patris. Verũ peccata diuidunt inter nos & deum. Vnde si fuisset in peccato originali concepta, tunc non semper astitisset iuxta deum, in dextris eius, sed iacuisset: Quia cadunt in retiaculum diaboli peccatores. Idipsum verba sequentia etiã attestantur quibus dicitur: In vestitu deaurato charitatis & nuptialis. Sed charitas peccatorum multitudinẽ operit & dimittit, & comitem spiritumsanctum, qui eam largi-
Rom. 5. tur, & in corda electorum diffunditur semper habet. Ergo nullum vnquam peccatum habuit, quia charitas de
1. Tim. 1 corde puro est, conscientia bona & fide non ficta, quę tria cordis & hominis omnimodam exigunt puritatem. Ad hęc & circumamicta erat virgo Maria varietate virtutum, quas Apostolus doctor & magister gentium in fide & veritate tribuit charitati. Illa igitur charitas, quę fi-

nis,complementum, plenitudo & instauratio legis est:
non agit perperam, nec quidem cogitat malum. ¶ Ideo 1.Cor.13
dominus decorem eius concupiuit, & pulchritudinis il-
lius amator factus fuit,amauitq; eam super omnes mu-
lieres.Et regi glorię, sponso Christo adductę sunt virgi- 1.Cor.7.
nes multę post eam,quę Mariam imitantes,virgines ca-
stas,sanctas & immaculatas se exhibuerunt Christo,co-
gitãdo quę domini sunt,&,sanctę corpore & spiritu per-
manserunt,atq; sine impedimento dominum obsecraue-
runt:Et hoc fecerunt proximę eius,in puritatis virgineę
amore.Illę adductę sunt ad speciosum prę filiis hominũ,
in lętitia cordis & exultatione exterioris hominis:& hoc
in templum regis,& locum sanctitatis,eius honori & no
mini dedicatum.Atq; ibi agnum quocunq; iuit sequebã-
tur:Verùm non omnes capiunt verbum istud,sed quibus Mat.19.
datum est. Oremus Deum,vt per suam abyssalem mise-
ricordiam, & beatę Marię conceptionem innocentissi- Psal.66.
mam, misereatur nostri & benedicat nobis, illuminet
vultum suum super nos & misereatur nostri. Amen.

IN FESTO SANCTI THOMAE APOSTOLI IN EPISTOLAM Sermo.

S*CIMVS quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Eructauit verbũ hoc Rom.8.
bonũ,de bono thesauro cordis sui, doctor Mat.12.
& magister gentium,erudiens nos,quomo
do nos oporteat ambulare & placere Deo.
Dicit ergo:Docui vos vt cogitetis, & sine intermissione Philip.4.
agatis,quęcunq; sunt vera,quæcunq; pudica, iusta, san-
cta,amabilia,bonæ famæ,virtuosa,& disciplinæ cœlestis,
sicut didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me.
Sed si hæc omnia feceritis, & charitatem non habueri- 1.Cor.13
tis,nihil estis,& hæc nihil vobis prosunt. Ergo,ante om-
nia & super omnia, charitatem continuam in vobis ha- Col.3.
bete,& ambulate in dilectione,quia charitas operit mul
titudinem peccatorum. Et scimus nos,qui primitias spi- 1.Pet.4.
ritus habemus,quoniam diligentibus deum, corde pu- Rom.8.
ro,conscientia bona & fide non ficta, omnia cooperan-
tur in bonum. Diligentibus dico, non tamen exaspe-
rantibus & prouocantibus eum ad iracundiam, sed *his*

qui secundum propositum, diuinæ prædestinationis, *vocati*
Ephes. 2. *sunt sancti*, per gratiã Dei,& non ex meritis,ne quis glorietur.Hos vocat vel per hominum prædicationem, vel per internam inspirationem loquendo ad cor eorum,vel per donorum suorum affluentẽ largitionem,vel per flagella & afflictiones. Vocati sunt sancti,non quia erãt,sed
1.Tim 1. vt sancti essent & fierent.Illis omnia cooperantur in bonum,etiam mala & peccata.Nam infirmitates profuerũt
2.Cor.12 Galat 6. Paulo,quia in illis virtus eius perficiebatur. Profuit apostolis eorum scandalum & fuga:quia si didicerunt infirmitates eorum sustinere:aliorum onera portare,condolere his qui peccant & errant:& non sibi ipsis placere:eo
Heb.5. quòd & ipsi erant circundati infirmitate & tentati. Hos Deus cõsolatur prosperis,& exercet aduersis.Nã in ipsorũ infirmitate exercetur humilitas,afflictiõe patiẽtia:cõtra dictiõe sapiẽtia,odio beneuolẽtia. Talibus mũdus est speculũ,virtutes in salutis adiutoriũ,corpus Christi in viaticũ,scriptura in solatiũ iusti,in vitæ exẽplũ.Mali & diabolus in coronæ fabricationẽ,peccata propria in humiliationem,aliena scelera in terrorem & circunspectionem. Mors in gloriæ accelerationem. At contrà, malis om-
Sap.5. nia,etiam bona cooperantur in malum & cumulum perditionis: quia pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos,

Quod autem diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, per quatuor magna Dei beneficia ostendit, dicens: *Nam quos præsciuit* saluandos: *hos & prædestinauit*, & per appositam gratiam ad credendum adduxit. Sed obiter hîc notandum, quòd præscientia non accipitur hîc, prout opponitur prędestinationi, sicut damnandi dicuntur præsciti: sed accipitur hîc prout est præambulum ad prędestinationem. Electi enim pręcognoscuntur à Deo, quia non eligit
Ioan 13. ignorans,iuxta illud: Ego scio quos elegerim. Nec à ca-
Ephes. 1. su,quia operatur omnia secundum consilium voluntatis suę.Tamen non est ibi pręcessio temporis,sed rationis tantummodo,quia prędestinationem ęternam sequuntur alia bona gratiæ Dei, quę prędestinatis in tempore conferuntur, cum quibus salutem suam ope-
Philip.2. rantur. Nam prędestinatio non excludit bona opera, sed magis includit. Quia sic diligentes Deũ prędestinãtur, quòd debent *conformes fieri imaginis filij sui* naturalis,

viuendo

viuendo ficut ille vixit, ambulando ficut ille ambulauit, operando iuftitiam, faciédo bonitatem & patris cœleftis voluntaté, fine defectione. Filius nanque eft imago Dei inuifibilis, fplendor gloriæ, & figura fubftantiæ eius. Ei per gratiæ vfum fimiles effe debemus, ambulando in dilectione, ficut ipfe nos dilexit. Ad hoc adhortans, ait: Induimini dominum Iefum Chriftum. Sic portare nos oportet imaginem Adę cœleftis, faciendo iuftitiam & bonitatem. Hoc fecit Apoftolus, qui mortificationem Iefu Chrifti in corpore fuo circunferebat: adeò quòd vita Iefu in corpore fuo & in menbris fuis (quæ arma iuftitiæ exhibebat) manifeftabatur. Ita tamen ei conformes effe debemus, *vt ipfe fit* & maneat *primogenitus*, tum Patris in Diuinitate, tum Matris in humanitate *multis fratribus*. In honoris ordine, in hæreditatis perceptione, Vere non cõfunditur nos fratres vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Nec finem habent diuitiæ bonitatis eius. Quamuis magna fint ifta, videlicet à Deo cognofci per præfcientiam, recipi in gratiam, & admitti in gloriam. Magnum eft habere regis notitiam, maius eius gratiam, maximum eius hereditatem. Verum priorem mifericordiam, fuperat pofteriore. Vnde fequitur: *Quos autem prædeftinauit*, ante fecula in adoptionem filiorum, per Iefum Chriftum in ipfum, *hos & vocauit* per gratiam fuam de via lata quæ ducit ad perditionem, ad viam arctam, quæ ducit ad cælum, de tenebris in admirabile lumen fuum & regnum & in æternam gloriam fuam. *Et quos vocauit*, ad nuptias agni, & regales rex vniuerfæ terræ, *hos & iuftificauit*, per fidem & bona opera. Nam per bona opera, iuftificatio per fidem facta, augetur, oftenditur & confummatur, tefte Iacobo apoftolo. Ex fic iuftus vfque iuftificatur, & fanctus femper magis fanctificatur, dum it de virtute in virtutem. Hoc modo, factores legis iuftificantur. Ad hoc exhortans fapiens, ait: Non impediaris femper orare. & ne verearis vfque ad mortem iuftificari, quoniam merces Dei (quam dabit vnicuique fecundum opera fua, in fide, in Deo & in charitate facta) manet in æternum: *quos autem iuftificauit*, gratis per gratiam fuam, omnia peccata eorum eis remittendo, omne debitum, propter bonitatem fuam, et nomen fanctum fuum, quod eft Chriftus Iefus, faluator nofter, *illos & magnificauit*, virtutibus multis

Ioan. 2. Col. 1. Heb. 1. Ephef. 5. Rom. 15. 1. Cor. 15 2. Cor. 4. Rom. 6. Heb. 2. Pfal. 112 Ruth. 3. Matt. 7. 1. Pet. 2. Mat. 22. Rom. 3. Iacob 2. Apoc. 22. Pfal. 83. Rom. 2. Eccl. 18. Rom. 2. Apoc. 22. Rom. 3. Mat. 18.

multis ac diuites in gratia facit in Deo. Deinde eos magnificat in gloria. Sic diligentes Deum, in nomine domini magnificantur. Gloriam & magnum decorem ponit
Psal. 19. super eos. Facit eos heredes Dei & cohæredes suos in regno patris sui. Cum igitur prædestinatio præparatio sit gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: Vocatio gratiã offert & retrahit à malo: Iustificatio gratiam confert: ma-
Iac. 3. gnificatio gratiam consummat in gloria. Rursus, cum omnes offendamus in multis, & qui seruiunt ei, non sunt stabiles. Ideo si prædestinati cadunt & operantur iniustitias sicut Dauid fecit & apostoli, vt cæteros taceam, tũc Deus omnis gratiæ vocat eos misericorditer, dicens: Reuertetere, reuertere, & ego suscipiam te. Hoc modo offert gra-
Lucæ 15. tiam, promittit veniam & regnum. Si reuertuntur & di-
Psal. 102 cunt, peccauimus in cœlum & coram te. Sed noli nobiscum facere secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras retribue nobis. Neque memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed citò anticipent nos misericordię tuæ, obsecramus te, quia pauperes facti su-
Psal. 78. mus nimis. Adiuua nos (quia præter te non est adiutor & saluator nobis) deus salutaris noster, & propter gloriã nominis tui domine libera nos, & propitius esto pecca-
Esa. 65. tis nostris, propter nomen tuum. Dico vobis, antequam clametis ipse exaudit, & adhuc vobis loquentibus, ipse
Lucæ 15. audit. Imo occurrit, amplexatur, consolatur, gaudet, iubet eum veterem tunicam maculatam exuere, stola prima indui, annulum dari in manu, & calciamenta in pedibus,
Iac. 2. ac magni apparatus conuiuium preparari. Ecce quomodo gratiam largitur abundanter. Si autem manet in bonitate, tenet quod habet, seminat in spiritu, certat legitime,
Tit. 2. fructificat in omni opere bono, talentum ponit ad vsuram, viuit iuste, pie & sancte, tunc magnificat eum, tam in vita quæ nunc est, quàm in futura. Sic in omnibus Deus magnus magnificat populum suum. & honorat
Sap. 16. eum. Sic teste Psalmista, Nimis honorantur amici Dei,
Psal. 138 nimis confortatur principatus eorum. Sic honorantur, quos rex regum vult honorari. Et hunc honorẽ, nemo potest tollere ab eis, & nemo potest nocere eis, vnde sequi-
Ephes. 2. tur *Quid ergo dicemus ad hæc?* dei beneficentia quę ex parte
Matt. 11. perstrinximꝰ quę operatur in his q diligũt eũ? Nihil prorsus, nisi quod abundãtes diuitias gratiæ suę in bonitate ostẽdit sic in eis vt eius gratiæ oĩa hęc accepta referamꝰ

necesse

necesse est, quia sic placitum est ante eum: Et vtique licet ei facere quod vult, & sicut vult. Et si quis oculum nequam habens haberet & cum inuidia tabescente interea diceret ei, cur ita facis? Hunc indignum responsione nostra iudicemus, ac deo dicamus: Iudica iudicium meum & redime me à calumniis hominum, & à labiis operantium iniquitatem. Nam *si deus* qui omnia bene facit qui fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, *pro nobis* saluandis, adiuuans infirmitatem nostram, & sub vmbra alarum suarum nos protegens, sicut gallina pullos suos à facie impiorum qui nos affligunt, & qui odio iniquo odiũt nos: *quis contra nos?* Quis nobis nocere poterit? Nullus. Dominus conterens bella, omnipotens est nomen eius. Ideo si consistant aduersum me castra, vel exurgat aduersum me prælium, vel appropiẽt super me nocentes, non timebit cor meum, sed in eo sperabo. Quia ipse est illuminatio mea, & salus mea, ac protector vitæ meæ. Ergo si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala (quę mihi moliuntur inimici mei iniuste) cum tu mecum es. Et certus sum, quòd manus tua auxiliabitur mihi, & brachium tuum confirmabit me in omni opere & sermone bono vsque in finem. Tu non derelinquis sanctos tuos & te quærentes in simplicitate cordis sui, sed erues eos à peccatoribus & saluas eos, eo quòd in te sperauerunt. Et de tanta tua benignitate certus sum, eo quod sic dilexisti mundũ, quòd filium tuum vnigenitum nobis dedisti. vnde ait. *Qui* pater misericordiarum *etiam filio* non seruo *suo*, non alterius, sed *proprio* & vnigenito & consubstãtiali *non pepercit*, vt nobis parceret, *sed pro nobis* omnibus ingratis, malis, perditis, sub peccato vẽditis in reprobũ sensum datis tradidit illũ in mortẽ turpissimam. Imo & ipse vnigenitus dei patris tradidit etiã semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis. Et alibi: Quod nunc viuo in carne. in fide viuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: Hæc est charitas dei perpetua & spõtanea, qua maiorẽ nemo habet, qua nos inimicos dilexit. Hęc est supereminẽs sciẽtię charitas dei patris & Christi, qua impleti sumus omni plenitudine Dei, hoc est, (Lyrano interprete) omnibus donis & charismatibus quę dantur cum charitate. Hinc diuus Petrus abyssum tantæ miserationis admirans, ait: Tradebat se iudicanti

Mat. 20. *Sap. 6.* *Psal. 118* *Matt 7.* *Psal. 144* *Psal. 16.* *Iudit. 16.* *Psal. 26.* *Psal. 22.* *1. Thes. 2.* *Psal. 36.* *Ioan. 3.* *Ephe. 6.* *Ephes. 5.* *Gal. 2.* *Hier. 31.* *Rom. 5.* *Ephes. 3.* *1. Pet. 2.*

canti

canti iniuste. Cum igitur filium suum dedit charissimum
in quo sibi complacuit, quomodo quicquā nobis negare
poterit? Imo, *quomodo* obsecro te fieri vel intelligi posset,
Matt.17. quod *non omnia* ad salutē necessaria & vtilia, *cum illo nobis donauit*, gratis & ingratis. Venerunt nobis omnia bo-
Sap.7. na pariter cū illo, Et Petrus ait: Omnia preciosa & maxi
2. Pet.1. ma diuinæ virtutis promissa, ad vitā deo & euangelio dignam, ac pietatē nobis necessaria cū illo donauit nobis, per quæ diuinæ cōsortes naturæ efficimur, fugientes eā quæ in mūdo est, concupiscentiæ corruptionem. Omnia pōderanda, Quia pater tradidit, non vendidit: filiū nō seruum: suum, nō alienum: propriū, nō adoptiuū: nō ad gaudiū sed ad patibulū: pro nobis, non pro angelis: pro omnibus, non pro vno: nec solū filium, sed omnia cum filio. Igitur *Quis accusabit* aut tam impudens est & maliciosus *aduersus electos* Dei, vt priuare eos bonis istis possit quæ
Tit.1. deus eis dedit ex gratia & charitate? Nemo prorsus, Ac-
Apoc.12. cusant quidē electos in hac vita inuidi, sed hoc, dū patiē-
Psal. 88. ter sufferunt & sustinent, cooperatur illis in bonū. Accusant prælati & arguūt & increpāt dure non vt perdant,
Iob 1. sed vt saluēt. Accusator fratrū diabolus accusat eos ante cōspectū dei die ac nocte, sed nihil proficit in electis, nec
Ibidem potest eis nocere, sed nec quicquā eis molestiæ potest in
Luca.18. ferre, nisi ad eorū meritum, hoc deus ei concedat. Quis
Luca 7. ergo accusabit eos? Deus? Nequaquam. Nam *deus est qui iustificat* eos idcirco non accusat electos. Sic deus laudauit & iustificauit beatum Iob, quem accusauit Satanas: Laudauit & iustificauit publicanum pœnitentem, quem damnauit inflatus Pharisæus. Iustificauit magdelenam se tangentem, quam apud se damnauit Simon leprosus. Taceo Matthæum, taceo Zachæum, taceo senatū apostolorum, taceo vas electionis Paulum, taceo omnes qui pie vixerūt in Christo, quos odiuit mundus, accusauit & occidit. O magna cōsolatio electorum. Ecce in calūniis hominum habēt Deū protectorem & iustificatorē. Ipse
Psal. 61. ora loquentiū iniqua obstruit, eos qui illos maculāt mē-
Sap.10. daces ostendit & cōfundit. In caput malorū dolū eorum
Psal.7. cōuertit in interitū quem fecerunt eos infigit, in laqueo quem absconderunt, pedes eorum comprehendit. Sic in lucem productum breuiter æstimo, quòd deus electos non accusat, sed excusat & accusatis solet misereri. ¶ Ve-
Prou.18. rum his non obstat quòd iustus prior accusator est sui,

reprehen

reprehendit semetipsum, cum beato Iob, confitetur ad- *Iob 42.*
aduersus se iniustitiás suas domino, & coram sacerdote.
Nam hæc accusatio facit vt peccata electum non grauent, sed delet, sed remittit, sed facit vt non sint. Sic igitur est ostensum quòd electos dei nemo potest accusare.
Iam ostendit quòd nemo eos potest condemnare. *Quis* *1.Pet.1.*
est ergo tam perfrictæ frontis, *qui condemnet?* iustos & electos filios dei. Num condemnabit eos *Iesus Christus* salua- *Rom.4.*
tor omnium, maxime credentium, *qui mortuus est* semel pro peccatis nostris, iustus pro iniustis, *imo qui & resurrexit*, propter iustificationem nostram, *qui est ad dexteram* *Heb.7.*
dei patris, gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera manuum dei, *qui etiam interpellat pro nobis.* *1.Ioan.2.*
Non voce, sed vulneratione & repræsentatione humanitatis, dum sine intercessione hominem quem pro nobis assumpsit & dolores, vulnera & opprobria quæ pro nobis pertulit, vultui paterno ostendit. Ostendit patri in seipso, quid damnari in electis nolit: nempe id quod suscipiendo liberauit de omnibus iniquitatibus suis. Omnia consolationis plena & gaudij, Proponitur Christus dominus fortis & potens in passione. Victor & spoliator inferni in resurrectione, dominus in confessione, à dextris patris in gloria, aduocatus in interpellatione. Fortis pugil, *Mat. 12.*
qui moriendo fortem vicit, & mortem destruxit. Nouus victor, qui resurgendo vitã reparauit. Magnus domi- *Psal.8.*
nus cui omnis potestas data est in cœlo & in terra, & cu- *1.Ioan.2.*
ius pedibus omnia sunt subiecta: fidelis aduocatus, qui *Heb.7.*
pro nobis interpellat, & quem pater pro reuerentia sua semper exaudit, & nihil negãdo honorat. Quũ ergo nos Christus adeo diligat, & dilexerit vsq; in finẽ, posueritq; animam suam pro nobis, ideo & nos debemus nos eadẽ cogitatione armare, & nullo modo à charitate eius separari, ac quiduis sustinere ne ab eius dilectione separemur. Vt dilectio nostra fortis sit sicut mors. & æmulatio *Rom.8.* *Cant.8.*
nostra dura sicut infernus: Hinc est quòd charitas vocatur vinculum perfectionis, alligatura salutis & funiculus triplex qui difficulter dissoluitur, quia charitas nunquam *Col.3.*
excidit. *Quis ergo separabit nos:* qui spiritu viuimus & am- *Eccl.4.*
bulamus? *à charitate christi,* vt Christum non diligemus, vt in Christum moraliter peccemus? Quia peccata no- *Esa.59.*
stra diuidunt inter nos & deum nostrum, Istam indissolubilem adhæsionem adcò firmam esse debere di-
cit

Psal.38. cit, quòd ob nulla grauamina corporis, nec afflictiones animæ debet dirumpi. De corporis molestiis dicit: Num
Rom.15. separabit nos à charitate Christi *tribulatio* corporis? Nā multæ sunt tribulationes iustorum. Minime, quia sunt in
Iaco.1. tribulatione patientes. Et omne gaudium æstimant cum in tribulationes varias incidunt, aspiciunt namq; in
Rom.5. remunerationem, & ideo in tribulationibus gloriantur & sibi complacent. *an angustia* mentis? Nam electis an-
Dan.13. gustiæ crebrò sunt vndiq;, eósq; vallant sicut regem qui paratur ad bellum. *an fames?* malesuada, quæ sæuior est
2.Tim.3. gladio ancipiti. *an persecutio?* quales multas patiuntur, qui
2.Cor.11 pie viuere volunt in Christo: *an nuditas?* & frigus. *an peri-*
1.Cor.13 *culum?* qualia multa enumerat ad Corint. Apostolus &
1.Cor.15 se pertulisse propter euangelium astruit. *an gladius?* perse
Gal.2. cutoris, mortem interminantis. Hoc est, num pœna aliqua quæ corpus affligere vel occidere potest separare nos poterit à charitate Christi? Nequaquam, quia charitas omnia sustinet. Periclitamur quidē omni hora. *Sicut scriptum est*, de omnibus quibus mundus crucifixus est & illi mundo: qui Christo confixi sunt cruci, & viuunt iam non ipsi, sed viuit in eis Christus. Et quod in carne viuūt, in fide viuunt filij dei. *Propter te*, & nomen tuū & euan-
1.Cor.4. gelium, *mortificamur tota die*, & semper in mortem tradimur. Vnde alibi ait: Puto quòd deus nos nouissimos ostendit, & vilissimos, quos fas non est viuere, tanq̄ morti destinatos. *æstimati sumus* à mundi huius amatoribus, filiis Belial & diaboli. *sicut oues occisionis*, & morbidæ, sicut
Ioan.16. homines pestilentes, vita ipsa indigni. Ideo qui occidunt
Ephes.3. nos, falso putant se magnū obsequiū facere deo. Verum
Gal.1. nos in simplicitate nostra columbina, & in charitate non ficta qua deo placere contendimus & illius sequi vestigia, qui vnus pro omnibus mortuus est, non deficimus in tribulationibus, nec deficiemus, sed facimus bonum omne quod potest manus nostra, *sed in his omnibus*, malis & tribulationibus quæ circundant nos, quorum non est nu
Psal.52. merus. *superamus*, & vincimus, Dei fulti gratia & adiutorio. Superamus inquam diabolum, mundum & nosmetipsos. *propter eum qui dilexit nos*, & tradidit in mortem ani-
Esa.53. mam suam. Nam perfecta Christi charitas cum cor inebriat, quasi insensibilem cum foris reddit. Verberatur &
Prou.23. non dolet, trahitur & non sentit, calumniatur & tacet, spoliatur et gaudet. Sic apostoli gaudentes ibāt à conciliis

post

postquam vino isto inebrati fuerunt, lucrum & gloriam æstimantes, quòd digni habebantur pro nomine Iesu contumelias pati, verberibus angi, carceribus tradi, morte consummi. Et qui prius cesserunt verbis & timuerunt vmbram mortis fugierúntq; nemine persequente, comminante aut manus iniiciente, virtute induti ex alto, tanquam potenter crapulati à vino isto quod corda lætificat & germinat: virgines cum gaudio ad proposita certamina fidei cucurrerunt, confusione contempta, & nihil timuerunt eos qui corpus occidere potuerunt. Imo, complacuerunt sibi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, & in angustiis pro Christo. Vnde cum Agabus Paulum in Hierusalem vincula & carceres manere diceret, non est territus vas electionis, sed dixit confortatus à domino: Ego non solū alligari, sed & mori paratus sum in Hierusalem propter nomen domini Iesu. Vrgebat eū charitas Christi quæ excreuerat in eo in lampades ignis atq; flammarum. Vnde aquæ multæ eius charitatem nō potuerunt extinguere, nec omnia flumina potuerunt eā obruere. Sic ostendit, quòd nulla passio corporis perfectum amatorem Christi ab eius dilectione potest separare. Iam idem ostendit de anima, dicens. *Certus sum enim* per reuelationē Iesu Christi. Alioqui, nemo scit, an odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. *quia neque mors*, comminata aut mortis timor. *neque vita*, voluptuosa quæ ab insensatis habetur maximi, amatur vnice, & beatitudo censetur, quoniam melior est misericordia dei & gratia, super vitas. *neque angeli*, de infimo ordine, qui mittuntur in ministerium eorum qui hæreditatem salutis capiunt. *neque principatus*, qui sunt de tertio ordine primæ hierarchiæ, & præsunt regnis & imperiis, vt est in Daniele cernere: *neque virtutes*, angeli sunt secundi ordinis mediæ hierarchiæ, qui mira pro Dei glōria operantur in creaturis: *neque instantia*, id est præsentia bona vel mala: *neque futura*, similiter: *neque fortitudo*, diabolica vel humana: *neque altitudo*, humanæ aut diabolicæ sapientiæ, aut qua Sathanas promittit omnia regna mundi & gloriā eorū, *neque profundum*. i. cōminatio paupertatis, infamiæ, aut interni. *neque creatura alia*. Et loquitur hic apostolus de prædestinatis, & quantū ad desperationē finalē, quia licet offendāt & cadant nonnunq̄, tamē semper resipiscūt à diaboli laqueis, exurgūt à mor-

Mat.26. *Luc.22.* *Marc.14* *Heb.12.* *2.Cor.12.* *Act.21.* *2.Cor.5.* *Cant.8.* *Eccles.9.* *Sap.2.* *Col.1.* *Rom.11.* *Ioan.3.* *Sap.12.* *Mat.4.* *Luc.4.* *2.Tim.2* *Luc.15.* *1.Pet.4.*

tuis, dirumpunt vincula peccatorum, & reuertuntur ad patrẽ cum filio prodigo, & moriuntur in charitate Chri-
Luc. 10. sti, quæ operit omnia peccata. Vnde ait: certus sum *quòd*
Phil. 4. *nulla creatura poterit nos*, quorum nomina in cœlis conscripta sunt in libro vitæ. *Separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.*

Euangelium quære tomo I. in octauis paschæ.

IN SACRATISSIMA NATIVITATE SERVATORIS NOSTRI *Iesu Christi exegesis in Epistolam tertiæ Missæ.*

Heb. 1. MVLTIFARIE' *multisque modis olim deus loquẽs patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio suo.* Triplicem esse natiuitatem Christi, alibi retulimus.
Psal. 109 Vna est de vtero patris ante luciferum &
Gal. 4. ante secula. Alia de matre in temporis plenitudine, sine
Ioan. 3. claustri pudoris violatione. Tertia fit per aquam & spi-
Colos. 1. ritum sanctum in qua præordinati in vitam æternã efficiuntur filij dei, transferuntúrque in regnum dilectissimi filij dei viui. Ideo ecclesia dei hodie tres missas cantat, sed de hoc nõ est modò dicendum per singula. Quia tem-
Hie. 33. poris & horę breuitas cogit abbreuiare sermonem, sicut
2. *Par.* 2. & dominus verbum abbreuiatum fecit hodie super terram. Nam qui cœlum & terram implet, & quẽ cœlum &
Amos 3. cœli cœlorũ capere nequeunt, hodie clauditur in angustia presepis. Verùm, cum dominus non faciat verbum su-
Psal. 50. per terram, nisi reuelauerit secretum suũ prius ad seruos
1. *Tim.* 3. suos prophetas. Et si incerta & occulta sapientiæ suæ de
2. *Cor.* 1. aliis fidei misteriis deus manifestauit eis, multo magis hoc magnũ pietatis sacramentum notum fecit eis, quod
Matt. 18. dum venit plenitudo temporis, manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, & assumptum est in gloria. ¶ Pater igitur misericordiarum, deus omnis cõsolationis & saluos faciendi, qui amat animas & nõ vult vt pereat vnus pusillus, benigne olim fecit in bona voluntate sua Sion. Nam multifariè, hoc est, crebro multísque modis, & locutionũ variationibus. Quia aliquando per somnia, aliquãdo per reuelatiões, aliquãdo obscu-

re, ali

re,aliquãdo manifeste. Multifariè vtiq; incarnationis filij sui beneficiũ deus reuelauit.Nã ad Adam dixit, quòd semẽ mulieris deiparæ virginis cõterere caput serpentis deberet. Ad Abraham dixit, similiter ad Isaac & Iacob, quòd in semine eorũ benedicendæ erant omnes gentes. Semẽ autẽ illud est Christus.Sic & Dauidi iurauit : De fructu ventris tui ponam super sedem tuã. Clarius hoc expressit Esaias,dicens:Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel.Iste est puer q natus est nobis, & filius qui datus est nobis. Sed vetera transierunt,nam fuerunt vsq; ad Iohannem. Venit desideratus cunctis gentibus,desiderium collium æternorũ. gaudiũ vniuersæ terræ, quia gratia & veritas per Iesum Christum facta. Et qui olim loquebatur in prophetis,natus ex virgine,dixit:Ecce adsum.Olim populus insipiens dixit ad Moysen(sed nesciebant quid dicebant).Loquere tu nobis,& audiemus.Non loquatur nobis dominus,ne forte moriamur.At nos obsecramus,sonet vox tua in auribus nostris.Vox enim tua dulcis:Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.Audiamus proinde quid loquatur nobis dominus deus:quoniã loquitur pacẽ in plebẽ suam.Prædicat captiuis remissionem & annũ acceptũ domini & diẽ retributionis.Verba vitæ eternæ habet.De hoc ait Apostolus *Nouißime* vergẽte mundi vespere. Quia hora nouissima nũc est, & nos sumus,in quos fines seculorum deuenerunt, *diebus istis*, postquam nox præcessit,& dies appropinquauit, *locutus est nobis*.qui manducauimus & bibimus cum illo. Et per nos loquitur aliis qui audiunt verbum dei & custodiunt illud.Nam Christus per apostolos loquebatur.*in filio*,hoc est,in filio qui maior est prophetis. Et aptius dicit in filio,quàm per filium,ne putetur per eũ locutus sicut absens per nuntiũ missum. Quia ipse in patre est,& pater in eo.Vnde dixit : Mea doctrina non est mea, sed patris mei in me manentis & docentis & operantis. ¶ Et ne despiciamus filium sicut infelices & ingrati Iudæi fecerũt,ideo dicit:hunc omnibus prophetis esse maiorẽ multũ per omnẽ modum,in potestate,in dignitate & in bonitate.De potestate dicit:*Quem*,filium vnigenitũ,cõsubstantialem & coæterum.*constituit*,super Sion montẽ sanctum suum,firmiter & immobiliter. *heredem vniuersorum*, nõ tãtùm tribuũ Iuda & Israel, ad quas solas missus fuit.

Gene.3. Gene.22. & 26. & 28. Psal.131. Esaia 7. Esai. 9. Matt.11. Ioan. 1. Esaia 52. Luc.9. Exo.20. Matt.11. Psal. 84. Esaia 61. Luc.4. 1.Ioan.2. 1.Cor. 10 Rom. 13. 2. Cor. 5. Ioan. 14. Ioan.7. Psal.2.

Psal. 2. Dedit namq; pater filio gentes hæreditatem suam, ideo
Psal. 81. hæreditauit in omnibus gentibus. Ergo Iesus Christus
est dominus verus, q̃a constitutus à deo patre. Perpetu-
Ioan. 1. us, quia hæres: solus, quia vniuersorũ. Et potens est, quia *per eum fecit & secula*, visibilia & inuisibilia, quia omnia per ipsum facta sunt. ¶ Dignitatẽ eius geminam ostẽdit, videlicet paternæ coæternitatis, secundò paternę cõsubstantialitatis. *qui cùm sit splendor gloriæ*, patris, coæternus patri, sicut splẽdor igni. Et ponit simile quale potest. Cũ
Act. 17. enim in creaturis nihil sit ęternũ (quia deus in principio
Sap. 7. mundũ fecit & omnia quæ in eo sunt) ponit simile in coæuis, ad probandum coæternã patris & filij naturam. Est enim emanatio Dei syncera. *& figura*, siue character aut forma *substantiæ eius*. Hoc est, perfecta repræsentatio patris ei consubstantialis. Vnde dixit Philippo: Philippe,
Ioan. 14. qui videt me, videt & patrem meum, quia ego in patre, & pater in me est. Et ad Philippenses ait: Christus Iesus
Phil. 2. cùm in forma dei esset, hoc est, in diuina natura & essentia, vnum cum patre, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Sic filius est patri consubstantialis & coæternus, imago Dei inuisibilis, & candor lucis æternæ, & speculum, sine macula, Dei maiestatis, & imago
Sapi. 7. bonitatis illius. Bonitatem eius triplicem ostendit, Naturæ: quia omnia portat, Gratiæ: quia purgationem peccatorum facit, Gloriæ: quia sedet ad dexteram patris. Ipse filius altissimi primogenitus, est *portans omnia*, sustentans & gubernans omnia, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in
Rom. 11. terris. Omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant & conseruantur. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Sic
Colo. 1. pater eius vsque modò operatur, & ipse filius opera-
Esaia 46. tur, conseruando & cum magna tranquillitate & reuerentia omnia disponendo iuste & sapienter. Omnia in ipso constant, ait alibi Apostolus. Et apud Esaiam: Ego feci, & ego feram. Portans inquam omnia, *verbo virtutis suæ*, hoc est, imperio potestatis & bonitatis suę. Verbo enim domini, cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Ipse pascit agnos in brachio suo, & in sinu suo eos leuat, & fœtas ipse portat. Ipse metitur pugillo aquas, & cœlos palmo ponderat, & tribus digitis appendit molẽ terrę, librat in põdere montes & colles in statera. Hæc autẽ facit ipse sine labore, solo verbo virtutis suæ, hoc

hoc est, solo imperio suo & sola voluntate sua (quæ non potest non optima semper esse, & iusta & sancta) quæ in eo est omnipotentia & virtus sua. Nunc duitias gratiæ suæ & bonitatis effert, dicens, *purgationem*, remissionem, deletionem & ablutionem in sanguine suo *peccatorum*, omnium *faciens*. Nam redemit in sanguine suo Israël secundum ritum, ex omnibus iniquitatibus eius. Ipse est agnus Dei qui tollit peccata mundi. In eo posuit pater omnium nostrū iniquitates. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra. Disciplina pacis nostri fuit super eum, & liuoribus illius sanati sumus. Hinc ipse ait: Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Ipse vocatus est Iesus, quia ipse saluum facit populum suū à peccatis eorum. Quis tantā humiliationē tantæ maiestatis verbis potest æqua re loquēdo? Hęc est charitas supereminens scientię, quā stupēt Cherubim & Seraphim. Et quia humiliauit semet ipsum Rex regum & Dominus vniuersorū, formam serui accipiendo, & Patri obediendo vsque ad mortem Crucis. Ideo exaltauit eū in gloria, & cōstituit eū super omnia manuū suarū opera, vnde sequitur: *Sedet*, qescit, & regnat, post labores exātlatos: post deuictos hostes, post liberationem captiuorum de manibus inimicorum, qui odio iniquo oderunt eos: post humiliationem sublimatus, eo quòd gloriam pręcedit humilitas, labor quietē, regnū pacis post triumphatos hostes. *ad dexterā maiestatis* paternæ. Iuxta illud, assumptus est in cœlum & sedet ad dexteram Dei patris, *in excelsis*. Nam sicut à summo cœlo fuit egressio eius, quando exiuit à patre, & venit in mundum, sic in ascensione sua, quando mūdum reliquit, & iterum iuit ad patrem, occursus eius fuit vsq; ad summum eius, vt ibi vultui Dei patris appareat, & pro nobis interpellet. Sic honorat quē rex omnis terrę Deus, vult honorare. Sic pater qui in cœlis est, non solū suum vnigenitum, in quo sibi complacet, honorat: sed & illos exaltat in gloria, qui huic filio suo ministrant & seruiūt in iustitia & sanctitate omnibus diebus suis. Hoc modo doctor & magister gentium, regis nostri nati ostēdit excellentiam super omnes sanctos patriarchas & prophetas, & omnes quotquot Deo placuerunt ab initio. Nunc ostendit eum etiam maiorem angelis, dicens: *Sedet à dextris* Dei Patris in excelsis. *Tanto melior*, dignior, maior & glorio-

Psal. 130. Ioan. 1. Esa. 53. Esa. 14. Matt. 1. Ephe. 3. Phil. 2. Psal. 8. Luc. 1. Prou. 15. Marc. 16. Actu. 1. Psal. 18. Ioan. 13. Roma. 8. 1. Ioan. 2. Ioan. 12. Luc 1.

gloriosior, *angelis effectus*, etiam secundum humanam naturam, secundum quam factus est ex semine Dauid Secundum diuinam, genitus est ex Patre ante luciferum, &
Roma. 1. non est factus. Verbum autem caro factum est. Et iterũ:
Philip. 2. in similitudinem hominũ factus ex muliere, & factus sub
Galat. 4. lege. Et ideo etiam ab incarnationis sui tempore Christus Iesus in humana natura, in qua hodie paruulus na-
Esa. 9. tus est, & datus nobis à Patre, tanto melior & honorabilior est angelis effectus, *quãto pra illis differentius nomen, hæreditauit.* Nomen, inquam, quod est super omne no-
Phili. 2. men. Nempe, Deus per naturã, non per adoptionis gratiam. Hoc nomen hæreditauit, id est, perpetuo iure, à patre accepit, sicut alibi dicit: Pater quod dedit mihi, scilicet essentiam, substantiam & naturam suam, maius omnibus est. Quia ego & pater vnum sumus. Differentius
Mat. 7. quippe & gloriosius nomen præ angelis accepit, dũ mor-
Luca 4. talis & passibilis adhuc fuit, quia tunc angeli ministrabant ei, tanquam Deo vero. Quamuis quod attinebat mortalitatem, passibilitatem & sepulturam carnis, etiam dicatur paulominus ab angelis minoratus. Sed postquã
1. Cor. 15. mortale ei[9] absorptũ est à vita, & mortale induit immortalitatẽ, &, quod seminatum fuit in ignobilitate, surrexit in gloria, in virtute, incorrupribile & spirituale, tunc per omnia maior angelis fuit & manet inæternum. Et ne ex suo capite quæ dixit calumniari posset se confinxisse, adserta scripturis sacris roborat, dicens quòd ex patre est ęternaliter genitus, à patre specialiter honoratus, & cũ patre simul adorãdus & conglorificandus. De natiuitate æterna illius, ait: *Cui enim dixit aliquando angelorũ,* ipse pater gloriæ & luminũ etiam post eorum confirmationem, *filius meus,* naturalis & consubstãtialis, *es tu,* solus
Matt. 3. discretiuè, sicut dixit de Christo in baptismo & transfiguratione. Hic est filius meus delictus &c. Et vere filius meus, quia *ego*, qui alijs tribuo generationem, vt producant ex se filios secundum speciem & naturã suam. Ego solus: quia filius in cœlo est sine matre. *hodie*, id est æternaliter siue in die æternitatis, vbi neque præteritum est, neque futurum, *genui te.* Quamuis angeli per adoptionem gratiæ consommatæ in scriptura vocantur filij Dei, vt est illud Iob, Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij dei? Non tamen ab initio & ante secula sunt ab eo geniti ex eius vtero, sed

in prin

in principio sunt ab eo creati ex nihilo. Soli igitur filio consubstantiali patri dicitur: Ego hodie genui te, cùm sit Deus de Deo, lumē de lumine, Deus verus de Deo vero. Nec dicit, Hodie gigno te, ne hodie videatur initium sumpsisse, ac Deus videatur recēs, sed cū die æternitatis posuit præteritū, quia semper genuit, sicut sol suū coæuū splendorē semper producit. Et si sol esset æternus, etiam suus splēdor esset æternus. Deinde ostēdit, quòd à patre est specialiter honoratus, cùm dicit: *Et rursum* Pater loquitur: *Ego* Deus deorū, pater luminū, creator cœlorum, beatus & solus potens, rex regnum, & dominus dominātium, qui solus habeo immortalitatem & lucem habito inaccessibilem, *ero illi* homini nasci turo, de virgine, iuxta vaticinium Esaiæ, *in patrem*, & id manifestabo, verbis in eius baptismo & transfiguratione, & operibus, eum exaudiendo in omnibus, & testificando variis signis & virtutibus, quæ per ipsum sum facturus, qualia nullus aliꝰ fecit, nec facere potest, nisi Deus fuerit cum eo. Imo, nisi vnus Deus fuerit cum Deo patre *& ipse erit mihi in filium*, mihi per omnia obediendo, etiam vsq; ad mortem Crucis. Quæ mihi placita semper faciendo corde magno, & animo volente. Meum (suo neglecto) honorē semper quærendo. Vnde Angelus dixit ad virginem, mox partui diuino consecrandam. Quod nascetur ex te, sanctum, vocabitur filius Dei. Ostendit deinde ex scripturis sanctis, quòd filius vna & eadem adoratione sit adorandus & glorificandus cum patre. *Et cùm iterum introducit*, hoc est, cùm iteratò introducendum promitteret, crebrò namq; id fecit *primogenitum in orbem* terræ: Christus Iesus, primogenitus est patris, vt dicit Apostolus: Est primo genitus matris virginis, Luca dicente: Peperit filium suum primogenitum. Est primogenitus omnis creaturæ. Est & primogenitus ex mortuis & primitiæ dormientium. Est etiam primogenitus in multis fratribus: Ideo in omnibus gentibus & in omni populo, primatum tenet, vt Apostolus dicit, & Iesus Sirach. Secundum diuinitatem, est patris vnigenitus: quia ibi fratres non habet: secundum verò humanitatem per omnia fratribus est assimilatus, tamen absque peccato, & inter eos est primogenitus, quoniam electorum omnium ex charitate qua prior nos dilexit, dignatus est esse frater noster: *dicit* pater de filio. *Et a-*

[Margin notes: 1. Tim. 6. — Esa. 7. — Mat. 3. & 17. — Ioan 15. — Ioan. 3. — Philip. 2. — Ioan. 4. & 8. — Luc. 1. — Luc. 2. — Colos. 1. — Apoc. 1. — Rom. 8. — Colos. 1. — Eccl. 24. — Heb. 2. — 1. Ioan. 4. — Psal. 96. — Deut. 32.]

dorent eum, omnes angeli eius. Hoc etiam iuxta septuaginta legitur in cantico Moysi in hec verba: Lætamini cæli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli dei.

¶ Astruit deinde Christum angelis meliorem & maiorem, quia ipse est deus, illi creaturę. Ille dominus, angeli
Psal. 10. serui & ministri. *Et ad angelos quidem dicit.* Hoc est, quid pertineat ad naturam angelorum, exprimit per scripturam, dicens: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Qui filius dei primogenitus, facit spiritus cælestes suos angelos, hoc est, legatos & nuncios suos. Quamuis non videamus apparitiones angelorum, nisi corpora assumpserint pro legationum suarum qualitate & diuersitata, tamen naturam angelicam in se videre nō possumus oculis corporalibus: ex fide tamen & scripturis sanctis scimus quòd sunt, & multis apparuerunt. Spiritus autem sunt angeli. Nec eo spiritus sunt quo angeli. Cum mittuntur fiunt angeli: Angelus enim est nomen officij, nō naturæ. Nomē naturæ spiritus est. Ex eo quod est, spiritus est. Ex eo quod agit, angelus est. Sicut nomē naturæ est homo: nomen officij est Imperator, Dux, Rex &c. Homo enim fit Imperator, Rex siue miles, non Imperator homo. *Et ministros suos flammam ignis.* Hoc est, eos angelos qui plus cæteris ardent Dei amore vt flamma
Mat. 4. ignis, puta Seraphim, facit Christus suos ministros. Sic legimus angelos accessisse, & ei ministrasse. Lyranus sic
Psal. 90. exponit: Angeli ministrante Deo & filio Dei, ministrant & nobis, custodiúntq; nos in omnibus viis nostris propter Deum. Veruntamē quia suum ministerium in Deū referunt: ideo in hoc dicuntur sicut flāma ignis, qui semper ascendit in altum. Sic apparet quòd angeli sunt inferiores Christo, & subiecti eius. Deinde ostendit Christi inæstimabilē dignitatem, ex vtraq; eius natura, humana videlicet & diuina. *Ad filium autem* pater loquitur per
Psal. 44. Prophetam, iuxta humanam naturam, qua verbum caro factum est. *Thronus tuus.* in regnum tuum, siue sedes pa-
Luc. 1. tris tui Dauid, quam dabit tibi pater tuus, ô *Deus* fili, erit & manebit *in seculum seculi*, quia regnabis in domo Ia-
Dan. 7. cob in æternū, & regni tui non erit finis. Quia potestas tua potestas æterna, quæ non auferetur & regnum tuum
1. Pet. 4. non corrumpetur, *& virga iniquitatis*, siue sceptrum regni
1. Cor. 5. & iudiciariæ potestatis, eo quòd constitutus es iudex viuorum & mortuorum: & dabis omnibus prout gesserunt in cor-

In corpore, siue bonum siue malum. *virga regni tui*; qua
bonos dirigis in semita mandatorum tuorum, & gressus *Psal. 118*
eorum secundum eloquium tuum, ac corda eorũ in cha
ritate Dei, & patientia Christi, & malos percutis & dam- *2. Thes. 3*
nas. illos tanquã dulcis pater monens, cum misericordia *Sap. 11.*
das illis disciplinam paternæ correctionis, ne cum hoc
mundo damnentur. Hos verò tanquã durus rex flagellãs
condemnas. Illis protendis sceptrum clementiæ, hos re- *1. Cor. 11.*
gis in virga ferrea, & tanquã vas figuli confringis. Videte *Hest. 8.*
nunc quantus sit rex noster, potens est, quia Deus cui *Psal. 2.*
subest (cum voluerit) posse, potenter iudicat, quia thro-
nus eius iustus. Semper manet, quia in seculum seculi. Re *Sap. 12.*
cte gubernat, quia virga æquitatis. De iustitia eũ effert.
dicens: *Dilexisti iustitiam.* id est, omne bonum, *& odisti* *Psal. 31.*
iniquitatem, id est, omne malum. Diligis & iustos, & odis
impios, & impietates eorum. Hę sunt duę partes iustitię *Prou. 25.*
videlicet declinare à malo, & facere bonum. In ista iusti-
tia firmatur thronus regis. Beatus ille rex qui facit simili
ter, huic erit gloria ęterna. Laudat eum tandem de gra-
tię plenitudine, dicens: *propterea*, quia odisti malum, & di
lexisti bonum, *vnxit te* in regem, sacerdotem, prophetã,
& bellatorem secundum humanam naturam, *Deus* om-
nium per creationem, sed *Deus tuus* per ęternam genera-
tionem, *oleo exultationis*, hoc est gratia spiritussancti, quę *Psal. 42.*
conscientiam exhilarat, propter peccati immunitatem. *Esai. 53.*
Non erat tristis, neq; turbulentus, quia peccatum nullũ
fecit, nec vllus dolus inuentus est in ore eius. Secura au-
tem mens, quasi iuge conuiuiũ, *præ participibus tuis.* Quia *Ioan. 1.*
plenus fuit gratia & veritate. Dedit ei deus pater spiritũ
non ad mensuram. De plenitudine autem eius omnes *Rom. 10.*
accipimus qui in eum credimus, gratiam pro gratia. Sic *Mat. 7.*
diues est in omnes, qui inuocant eum. Et omnis, qui gra *Luc. 11.*
tiam ab eo petit, accipit, qui eam quęrit apud illum inue
nit, & pulsantibus aperitur, si perseuerant. ¶ In calce hu
ius epistolę ostendit, quòd seruator noster maior est an-
gelis quo ad proprietates naturę diuinę, dicens: *& tu in*
principio domine, & filius altissimi, *terram fundasti*, super sta *Psal. 103*
bilitatem suam, qui eras ante omne principium & ante
omne tempus. *& opera manuum tuarum*, hoc est, poten-
tię et voluntatis tuę, per quas sicut per manus tuas ope *Psal. 138*
raris, *sunt cœli.* Et dicuntur cœli specialiter opera manuũ
eius, quia in ipsis maxime relucet dei potẽtia et bonitas.

Potētia in magnitudine, bonitas in vtilitate. *Ipsi peribunt,* quantum ad modum (vt ita dicam) essendi quē modo habent, & quantū ad accidentia, nō tamen quātum ad substantiā. *Tu autem permanebis,* in teipso post omnia, sicut es
Iaco.1. ante omnia. Nā apud te non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *& omnes cœli,* aërei, *vt vestimentum*
Heb.8. *veterascent.* i. ad interitum tendent. Quod autē antiquatur & senescit, prope interitum est, *&* tā faciliter vt quis nostrum mutat animum suum, tā faciliter, imò sine omni labore, quia sola voluntate tua, tu mutas cœlos. Et hoc est quod sequitur: *& velut amictum mutabis eos,* in nouam figurā & meliorem, *& mutabuntur,* à solito cursu & in-
Apoc.21. fluxu. Sic Iohannes in spiritu vidit cœlum nouum & terrā nouam. Et diuus Petrus. Nouos cœlos & terram nouā & promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habi-
1.Pet.3. tat. *Tu autem* rex noster & Emmanuel editus in mundū ex virgine in temporis plenitudine, secundum id quo cū patre vnum es, *idem ipse es,* & prorsus immutabilis, quo-
Mal.2. modo in Propheta dixisti: Ego Deus & non mutor. Itē: Ego sum qui sum, *& anni tui non deficient,* id est, æterni-
Exod.3. tas tua in teipso, nō habebit finem. Sed annus tuus stat semper, semper lucet, semper viret, & fructus optimos fa-
Rom.8. cit. Nunquam finitur, vtpote ipsa æternitas. Videte ergo,
Ioan.3. qualem charitatem nobis exhibuit Deus pater, dando vnigenitum suum, & cum illo omnia. Non ex operibus
Ephes.2. iustitiæ, quæ fecimus nos, vt in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in
2.Cor.9. Christo ostenderet, & vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Benedictus deus, super inenarrabili dono eius, Amen.

IN NATIVITATE CRISTI IN EVANGELIVM,

Sermo Primus.

Luc.2. EXIIT *edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.*

2.Cor.1. Sic pater misericordiarum & luminum, ac Deus omnis consolationis, cum diues esset in misericordia propter nimiam charitatem suam nos dilexit spontaneè, cùm adhuc inimici

mici eius essemus secundum tempus, & mortui in pec- *Ioan. 3.*
catis & delictis nostris, quòd filium suum vnigenitum de *Rom. 5.*
dit nobis in omnem desiderabilem vsum. Vniuscuiusque *Ephe. 2.*
enim voluntati ipse deseruit, & ad quod quisque vult, con *Sap. 6.*
uertitur ei. Nā boni & recti corde, omnia quæ desiderari
possunt, in vno Christo habent. Nam omnia pater cœ- *Tob. 8.*
lestis diuinæ virtutis suæ charismata, & quę ad vitā Deo *Rom. 5.*
& euangelio dignam, nec non ad pietatem nobis neces-
saria sunt, cum filio suo dilecto donauit nobis. Per quæ
diuinæ consortes naturæ, filij altissimi, hæredes regni, &
diuites in christo efficimur, adeo quòd nihil nobis in vl- *1. Cor. 1.*
la gratia deest. Hoc vno obseruato, quod eā quæ in mun *1. Ioan. 2.*
do est & dominatur, fugiamus concupiscentiæ triplicis
(nēpe, carnis & oculorum & elationis) corruptionem. &
non abijciamus, neque negligamus, neque in vacuum re *Gal. 2.*
cipiamus (quæ nobis offertur in hoc acceptabili tempo- *1. Pet. 1.*
re & diebus salutis) multiplicem gratiam Dei. Venit
ecce, non vt iudicet mundum in maligno positum, aut vt *Psal. 149*
vindictam faciat in nationibus & increpationes in popu
lis vt in furore suo arguat, & in ira sua corripiat, sed vt
saluet populum suum à peccatis suis & omnium mise-
reatur. Venit ecce vt ditet diligentes se. Secum paruulus *Sap. 15.*
iste, qui nascitur nobis, adfert diuitias & gloriam, opes *Prou. 8.*
superbas (vel si malueris, supernas) & iustitiam. Dignos se
circuit, in viis iustitiæ ambulat, in medio semitarum iu-
dicij vt diligentes se ditet, & thesauros eorum repleat. *Ezec. 18.*
Sed & cum non velit mortem peccatorum, sed magis vt *2. Pet. 2.*
conuertantur ac viuant, velitque omnes homines saluos
fieri, & ad agnitionem nominis sui peruenire, ideo pre- *Phil. 2.*
occupat qui se concupiscunt. & in benedictionibus dul-
cedinis & in misericordia præuenit eos, pulsando ad o-
stium cordis, trahēdóque in funiculis amoris. Atque hoc
modo illis se prior ostendit. Ergo qui de luce vigilauerit *Osea 11.*
ad eum, vt eximius prophetarum, & pastores in hac sa-
cratissima nocte fecerunt, non laborat: assidentem enim *Psal. 62.*
hunc paruulum foribus suis inuenit. Sed & ostendet se
illi hilariter, & in omni prouidentia occuret ei. Et da- *Luc. 1.*
bit non solum tres panes, sed quotquot habuerit nece-
ssarios, ad hoc vt salutem suam cum metu & tremore
operetur. Dabit vnicuique de plenitudine gratiæ suæ, *Phil. 2.*
gratiam pro gratia, & dona sua iuxta magnificen-
tiam suam regiam distribuet affluenter, sed differenter
iuxta

Hest.1. iuxta vniuscuiusque virtutem. Sed euangelij verba super mel & fauum dulciora huius diei sacratissimæ dispiciamus breuiter & ex parte. Quia nemo huius gratiæ & benignitatis saluatoris nostri diuitias, etiam si linguis hominum & angelorum locutus fuerit, verbis potest æquare loquendo. Et tria facit euangelista: Nam quomodo Christus nascitur, narrat. Deinde quomodo hec natiuitas pastoribus nunciata est, manifestat. postremo, quomodo veritas facta, à pastoribus inquiratur subnectit. ¶ Cùm ergo venit plenitudo temporis, & miserendi eius, in quo Deus noluit diutius in ira sua iusta, continere misericordias suas. tunc misit filium suum vnigenitum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & omnes homines adoptionis beneficium & gratiam reciperent: maxime præordinati ad vitam æternam quos Deus elegit ante mundi constitutionem. Quomodo autem rex noster mutauerit habitum suum, & ingressus sit bellum: nec in gloria & honore suo quo vnum est cum patre & imago bonitatis illius, sed in humanitate nostra, & in similitudine carnis peccati fortem illum vicerit, qui mortis habuit imperium, & de peccato damnauit peccatum, hic euangelista prosequitur. Et circa hoc primò ponit nomen imperatoris dicēs: ¶ *Exiit edictum à cæsare Augusto* Quando Iesus Christus exiuit à patre & venit in hunc mundum peccatores saluos facere, eius voluntate vnus toto dominabatur in orbe. Quia ille venit qui est Dominus vniuersorum, rex regum & dominus dominantium, ac princeps regum terræ. Sub cuius pedes pater omnia subiecit, & ei omnem potestatem dedit in cœlo & in terra. Augustus iste edicta temporaria dedit, vt potestatem habens super homines, per quæ, quæ sua sunt quæsiuit, non quæ salutis sunt subiectorum aut Iesu Christi. At saluator noster, euangeliū gratiæ & æternum os suum aperiens docuit, quod est virtus Dei in salutem omni credenti & facienti illud. Anno igitur imperij Augusti Cæsaris 42. profani Herodis 30. in pace maxima totius mundi, princeps & Deus pacis in hunc mundum venit, pacem annuncians omnibus, & his qui longe erant & his qui prope. Vt & nos essemus solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: Quam ille secum attulit: quam postmodum prædicauit & mandauit, quam suis discipulis reliquit & dedit in qua populo suo benedicit,

Marginal references: Psal. 81. Gal.4. Psal. 76. Ephe.1. Rom.8. Ioan. 19. Apoc.19. Psal. 109 Rom.1. Esa.9. Ephe.2. Ephe.4. Ioan.14.

fine qua nemo Deum videbit meritò. Quapropter vir secundum cor Dei dixit vnicuique nostrum: Inquire pacem Psal. 33.
Christi,& persequere eam, si vis vitam æternam possidere,& dies bonos videre. *vt describeretur vniuersus orbis*, Scribebantur nomina singulorum.& dabatur census nummisma imperatoris, Et recte nascente Christo, qui est pax Luce 2.
nostra vniuersus orbis describitur, quia ille venit, qui no- Psal. 138
mina electorum suorum scribit in libro vitæ & in cœlis.
Quod contra de reprobis dicitur: Deleãtur de libro vitæ Psal. 68.
& cum iustis non scribantur. At descripti iussu imperatoris,& sua dare cogebantur, & seruitutem profitebantur.
Descripti autem à Christo in regnum cœlorum, ditan- Rom. 8.
tur in omnibus bonis & diuites in deo fiunt,& liberantur non solum à seruitute legis, diaboli, peccati & corruptionis, sed & libertate donantur gloriæ filiorum dei. Hac libertate, quæ summa ingenuitas est Christus nos liberauit & munerauit. *& hac descriptio vniuersalis prima facta est Cyrino præside Syriæ*, ibi misso ab imperatore Augusto ad moram paci imponendam, ad parcendum subiectis,& ad Tob. 4.
debellandum superbos. Vt iuste iudicaret, nemini que quod Luce 3.
sibi fieri nollet, faceret: Neminem concuteret, nullum calumniaretur, et stipendiis suis contentus esset. *& ibant*, Psal. 48.
tanquam obedientes potestati *omnes*, quique videlicet terrigenæ et filij hominum, simul in vnum diuites et pauperes. *vt profiterentur*, se Romano subiectos esse imperio. *singuli in ciuitatem suam*, de qua quisque erat oriundus. In quo docemur et nos, vt in regis nostri ciuitatem de qua gloriosa dicta sunt, tanquam filij obedientiæ eamus. Hæc ciuitas, Ecclesia dei viui est, que partim adhuc peregrinatur in terris, & certat non solum aduersus carnem & sanguinem, sed et aduersus principes et potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus pugnat. Partim iam cum Luce 12.
Christo regnat in cœlis super omnia bona domini constituta. In hanc omnes debemus ire, recte credendo, fir- Ioan. 8.
miter sperando,& deum proximúmq; sinceriter diligendo, et quæ placita ei sunt animo volenti faciendo et corde magno. Nullum nostrum à tam sancto itinere et via regia debet vllum impedimẽtum remorari vel impedire, sed omnes ad eam properemus, vt nato regi debitũ censum pendere possimus, quod ipsa est syncera dilectio, iuxta illud Apostoli: Nemini quicquã debeatis, etiam deo,

nisi

Rom.13. nisi vt inuicem diligatis, et deum ex toto corde vestro. Istis pedibus amoris dei & proximi itur ad Sion mõtem, Matt.22. & ad ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestẽ, & multorum milium angelorum frequentiam, & ecclesiam pri- Heb.11. mitiuorum ab his qui conscripti sunt in cœlis, quorũ no Phil.4. mina sunt in libro vitæ conscripta. Dabatur autẽ in professione census, denarius, pondus in se habens x. nummorum, & Cæsaris imaginem, & inscriptionem. Sic nos in charitate x. præcepta implentes, imaginem sanctæ conuersationis eius exprimimus, ambulando sicut ipse ambulauit. Hęc imago est similitudo dei ad quam primus ho- 1. Ioan. 2. mo factus est: vt videlicet dei voluntatẽ faciendo sanctus esset: sicut ille sanctus est. Quod dum facit, transforma- Gen. 1. tur in eandem imaginem à claritate in claritatem, & di- 1. Pet. 1. uinæ efficitur consors naturæ, incompræhensibili spiritus 2. Cor. 3. sancti operatione & virtute. Hanc beatitudinem primus Adam per superbiam & inobedientiam perdidit cum in honore quam non intellexit, esset: & comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ad eam reuertimur per obedientiam, & imitando humilitatẽ Christi. Sic audiuimus tempus & locũ natiuitatis Christi. Se- Ephes. 5. quitur nihilominus adhuc de loco: *Ascendit autem & Ioseph* patriacha omnium sanctissimus, vir Mariæ & sponsus qui solus dignus est in tempore illo inuentus, cui deus incerta & occulta sapientię suę manifestaret, & magnum pietatis sacramentum reuelaret. Ascendit, erudiens nos, 1. Pet. 2. vt in omni timore subditi simus dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis & profanis, *à Galilæa* in qua Nazareth est, in qua Christus conceptus fuit per virtutem altissimi. Galilæa autẽ inferior erat quàm Iudæa. Luca 1. Et bene ascendit Ioseph: Iustus namque erat, teste Euangelista. Iustorum autem semita quasi lux splendens est, Prou. 4. crescit & proficit vsque ad perfectum diem. Sic ibat de virtute in virtutẽ. Profecit sapientia & gratia & ætate apud Psal. 83. deum & homines semper & profectus suus manifestus fuit. *de ciuitate Nazareth*, in qua verbum caro factum est, & Luca 2. habitauit in nobis, *in Iudaam ciuitatem Dauid qua vocatur* 2. Tim. 4. *Bethleem*. Et dicitur Bethleem ciuitas Dauid, quia ibi fuit Iom. 1. natus & in regem à Samuele vnctus. Hierusalem verò vel Siõ eo ciuitas Dauid vocatur, quia ibi ædificauit tẽplum domino, & domum regis. Ibi habitauit, mortuus fuit & sepultus. Ascendit inquam ad Bethleem, *eo quòd esset de*

domo

domo & familia Dauid. Non tantum per carnis propaga-
tionem,quantum per virtutum eius,citra vllam exhorbi- *1.Reg.16*
tationem , perfectissimam imitationem. Dauid electus
fuit à Deo,vir secundum cor Dei,& fecit omnes volun-
tates Dei.Fuit & Ioseph talis,imo plus:quia sæpius Da *1.Reg.13*
uid in dei leges sanctissimas offendit, Ioseph nunquam.
Ascendit inquam,non solus:Quia væ soli,sed cum *Maria*,
filia altissimi patris,matre filij , animato templo spiritus
sancti.Hæc est angelorum regina,domina mundi.Venite *Eccl.4.*
iam & videte Salomonis thronum eburneum, admiran-
dum eius ferculum.Videte Dei paradisum,voluptatis lo *Cant.3.*
cum,solis iustitiæ tabernaculum. Videte mulierem quæ *Exod.3.*
circundedit virum , rubum plenum igne , & nullum in se
habentem adustionis signum. Videte arcam testamenti *Exod.25.*
auro purissimo intus & foris ornatam:in qua præciosissi-
ma quæque sunt recondita.Videte Virginem,quæ virgo
concepit & talentum mundi sine vllo pondere portat.
Verùm,vt sacramentum hoc humani generis hostem la-
teret,& synagoga superborum,& ecclesia malignantium
nullam contra Mariam calumniandi materiam haberet,
etiam additur,*desponsata sibi vxore* magno ex dei consilio:
eo quòd omnia agit secundum consilium voluntatis suę *Ephes.1.*
in numero pondere & mēsura,& iam *prægnante* ac partui
vicina. Nemo ambigere debet , quin Maria , vt oracula *Esa. 11.*
prophetarum,quę limpidius multo quàm ipsi prophetæ,
intellexit,implerentur & consummarētur in Christo,ad
Bethleem ascendit.Vt sicut oraculum Esaiæ iam in Na-
zareth in Christi incarnatione erat impletū, sic Micheæ
vaticinium impleretur in eius natiuitate , qua dicit:& tu *Mich.5.*
Bethleem Ephrata,&c. Sic enim prophetæ fideles inue-
niuntur.Quotquot enim promissiones dei,sunt in Chri- *2.Cor.1.*
sto etiam apostolo Paulo teste.Soli deo honor & gloria.

DE IVCVNDISSIMA NATIVITATE CHRISTI,
Sermo secundus.

Factum est autem cum essent ibi. Nēpe in Beth
leem *impleti sunt dies Mariæ vt pareret* mun-
di saluatorem , & omnium bonorum fon-
tem,radicem, doctorem, authorem,dato-
rem,conseruatorem ex ipso, per ipsum, &
in ipso sunt omnia bona. Hinc vertex ait apostolorum

ad omes

ad oues sibi pascendas à Christo commissas: Ipse Deus
1.Pet.5. pacis & omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam salutem (non ex operibus iustitiæ quæ nos fecissemus, sed ex sua sola gratia & misericordia: Dei enim donum est, ne qui glorietur) in Christo Iesu, modicum passos & breuiter: ipse perficiet, conseruabit, solidabítque. ¶ Neque idem tempus, mensis, dies & hora est omnibus mulieribus. Nec omnes expectant quadraginta hebdomadas completas, vt multi putant erroneè. At hæc alibi locum habent. Verum dies in Maria impleti erant, in quibus Christus Iesus in vtero matris suæ habitare voluit, sicut in paradiso voluptatis, in horto deliciarum, in domo sua sancta, in throno suo eburneo, in ferculo suo magnifico, iam hora venit quam elegit ipse, qui in sole posuerat tabernaculum suum, in qua tanquam sponsus pro
Psal.18. cedere voluit de thalamo suo. *& peperit* sine tristitia quā cæteræ mulieres habent quando venit hora earum: quæ
Ioan.16. in iniquitatibus concipiunt, & matres quæ in peccatis fœtus suos in vtero alunt. Peperit item sine vllo dolore &
Esai.66. cum maximo gaudio in deo, & spiritus sui exultatione
Ezec.44. in deo salutari & suo, & nostro. Hinc Esa. ait de ipsa: Antequā parturiret, & vllos parietium dolores experiretur, peperit filium. Peperit item sine claustri pudoris violatione & læsione: Porta enim hæc quamuis dominus per eam transiuit, clausa mansit in æternū. Neq; decens erat, vt ille violaret matris pudorem, qui omnia instaurauit violata. Exiuit proinde Christus Iesus de tabernaculo suo in quo requieuerat, qui fecit illud, sine omni eius læsione & apertione, sicut virgultū oritur ex terra sine terræ detrimento, vno cum maximo terræ ornatu & honore. Gloria est matris Mariæ, filius talis, sapientia ipsa & virtus patris. Sol iustitiæ Christus, claustrum pudoris materni, sicut solis radius vitrum petransiuit. Ipse flos campi est & lilium conuallium est & fructus ventris Mariæ benedictus, in quo benedictæ sunt omnes gētes. Est & ros matutinus & antelucanus, & sicut flos radicem & virgam de qua egreditur non ledit, sed decorat, ornat &
Esa.11. laudabilem facit, sic flos Christus de radice Iesse & virga Maria ortus, eam non læsit, sed decorauit eam, & omni laude dignissimā reddidit. Eodem modo lilium conual-
Can.2. lium Christus, & humilium inhabitator, qui & matris suę humilitatem respexit, de ea ortus est sine eius vlla læsione.

ne. Sic & fructus hic terræ sublmis de bona arbore matre sua, bonus productus est, dei (cui omnia possibilia sunt) mira virtute. Ros iste Christus sine læsione in vellus Mariam exceptus est in filij dei conceptione. Sic de vellere isto expressus est, in eius natiuitate, sine vllo matris vel dolore vel detrimento. Hæc omnia filius Mariæ confirmans, ait per prophetam: Ergo ero quasi ros: & Israel virgo Maria orta ex Iudæis, germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt libani. Peperit item, cum omniũ quæ in cœlis siue in terris sunt summma expectatione, iucunditate & congratulatione, laude & exultatione. Sic ergo peperit exultans & lætabunda Maria virgo, *filium suum primogenitum*. Peperit filium, non filiam, ideo habet maius gaudium, iuxta Christi verbum. Suum, & singulariter suum. Quia & si aliæ mulieres filios suos pariant, & habeant quos diligunt: nulla tamen mater sic suum filiũ appellare suum potest sicut Maria. Nam aliæ matres quo ad corpus filiorum, non sunt solæ matres corporũ, quia ex semine patrum eos conceperunt: ideo matres dicunt maritis, visis filiis: filius noster est. At Maria, quæ in vtero filium dei concepit, de purissimis sanguinibus suis, operatione spiritussancti, & non in vterum de virili semine, sola dicere potest, filium suum Christum Iesum, quia ex ea sola corpus suum habet, in quo peccata nostra pertulit, super lignum, & Israel redemit de paterna traditione, & ex omnibus iniquitatibus suis. Primogenitus dicitur Christus aptius in hoc loco quàm vnigenitus: eo quòd sic dignatus est nasci de Maria virgine secundum carnem, vt per spiritualem regenerationem & lauacrum aquæ, & verbum dei fratres multos acquireret. Vnde tuba euangelij primogenitum vocat eum in multis fratribus. Est autem primogenitus patris, quem ab initio & ante secula, ante luciferum & ante omnem creaturam de vtero suo generauit: Et in temporis plenitudine, ex sola misericordia in orbem terrarum introduxit, teste apostolo Paulo. Est & primogenitus virginis matris, vt hic testatur Lucas euangelista. Est itẽ primogenitus ex mortuis: quia ipse prior omnium ex mortuis surrexit, amplius non gustaturus mortem nec visurus corruptionem. Est deniq; primogenitus omnis creaturæ. Et hoc propter ius primogenitorum. Nam primogeniti erant domini, & domino offerebantur: aliis filiis erant magis dilecti: erant in ho-

Luc. 1. *Iudith. 6.* *Osea. 14.* *Ioan. 16.* *Esa 52.* *1. Pet. 2.* *Psal. 129.* *Tit. 3.* *Rom. 8.* *Heb. 1.* *Apoc. 1.* *Col. 1.*

in honore primi,& duplicem paternæ ſubſtãtiæ portionem accipiebãt.Hæc omnia Chriſto cõueniunt præ om
Luc. 2. nibus participibus & fratribus ſuis. Ipſe enim à matre die quadrageſima in tẽplo deo patri eſt oblatus & redẽptus.Ad hæc,incolatus ſui expleto tempóre tradidit ſe-
Ephe.5. met ipſum pro nobis oblationem & hoſtiã deo in odorẽ ſuauitatis.Ipſe eſt de quo pater dixit:Hic eſt filius meus
Matt.3. dilectus in quo mihi bene cõplacui.Marcus dicit:Hic eſt
Luc.19. filius meus chariſſimus.Maior fuit & eſt in honore,Quia
Pſal.7. ſedet à dextris patris in gloria cœleſti. Et adorant eum
Pſal.96. omnes tribus terræ, & omnes gentes ſeruiunt ei.Inſuper, adorant eum omnes angeli eius. Et tanto melior
Heb. 1. angelis eſt effectus,quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Nempe,quòd eſt ſplendor paternæ gloriæ, figura ſubſtantiæ eius,& imago bonitatis illius:Verbum, ſapientia & virtus patris. Eſt & in honore primus inter
Apo. 16. fratres ſuos.Nam eſt deus deorum, dominus dominantium,rex regum,ſanctus ſanctorum, & princeps regum terræ. Eſt dominus virtutum & rex gloriæ. Eius eſt re-
Pſal. 13. gnum iure primogenituræ: ideo in nomine eius omne
Phili.2. genu flectitur,cœleſtium,terreſtrium & infernorũ. Ipſe leges iuſtas condit,& iuſta decernit.Iuſtitiã diligit,æquitatem videt vultus eius.Mundi ſunt oculi eius,ideo mala non videt, & reſpicere ad iniquitatem non poteſt. Eius
Pſal.109 eſt ſacerdotium æternum ſecundum ordinem Melchiſe-
Heb. 7. dech:ipſe vnica oblatione ſemel offerendo ſemetipſum,
Rom.8. multorum, imò totius mundi peccata tulit. Hic ſemper
Heb. 7.8. vultui patris aſtat & interpellat pro nobis, & exauditur pro ſua reuerentia: quod eſt verum ſacerdotale munus. Apud eum veſtes ſacerdotales ſunt repoſitæ,odoris ſuauiſſimi,fragrantes ſicut ager plenus,cui benedixit dominus.Denique hic primogenitus, in portione ſubſtantiæ paternæ duplicata accepit omnia.Nempe, bona naturæ & gratiæ, præ omnibus fratribus ſuis. Bona meritorum & præmiorum.Bona huius vitæ & futuræ: pro ſe & omnibus qui credunt in eum, & inuocant nomen eius de corde puro.Quoniam prope eſt dñs omnib. inuocantib. eum in veritate.Ex parte declaratũ arbitror,quid latentis energiæ in ſe habeãt vocula hęc,Primogenitus &vnigenitus.Vnigenitus eſt in ſubſtãtia deitatis: primogenitus in ſubſtantia humanitatis. Primogenitus in gratia: vnigenitus in natura. Intuemini obſecro omnes qui di-
ligitis

ligitis dominum, & videte quantus sit hic primogenitus Mariæ filius,& grati estote. Sequitur: *& pānis eum inuoluit*,eo quòd nudus egressus de vtero matris suæ & asperioris brumę algore cruciabatur iacens in terra. O nate dei,ingrediens mundum mox crucem portare incipis, & ea perpeti quæ caro & carnales abhorrent. Vt sic primo exemplo & opere, postea vero sermone doceas arctam esse viam & angustam portam quæ ducit ad vitam. Et quòd regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sic docuisti non solùm quòd bonum est viro portare iugum domini ab adolescentia sua, sed etiam ab infantia. Imo ab exitu de materno vtero. Hac in sanctitate Ioannes Baptista te præcessit. In hac diuus Nicolaus te sicut filius charissimus est imitatus. Nos verò curam carnis in desideriis facimus,deliciis affluimus,omni voluptate perfruimur, nihil quidem oculi nostri desiderant,quo ad eius possibile est,negamus eis:& tunc euāgelicos nos esse credimus & clamamus: Nullius mali nobis conscij sumus,nósque seducimus. *& reclinauit eum*. non in lectulo florido,non in lecto eburneo in qualibus lasciuiunt,qui ventri suo seruiunt: Non in lectulum funibus intextum, strato tapetiis pictis ex Ægypto. Nec in cubili myrrha & aloe & cinnamomo asperso. Neque in cuna puluinaribus mollissimis præparata & sericis,bysso & purpura operta. Sed reclinauit eum *in præsepio* super fœnum aut ipsum durum lignum. At te,ô Maria, mater compello: Dic obsecro cur tam inclemens clementissimo filio tuo extitisti? Cur tam dura fonti pietatis fuisti? Nonne doluisti vicē eius,cum frigore afflictus & super lignū positus in præsepio,primā vocē similē omnibus emisit plorans? Respondet virgo mater dicens: Tenerè dilexi filium meum: Sed vnctio eius docuit me de omnibus, quā habui à Sancto,qa sic fuit placitū corā eo. Sic enim cōcupiscētiā carnis in frigore & lectulo duro, & oculorū,in panis panperculis,& superbiā vitæ in humili diuersorio,declinādā fugiēdāmq; docuit, & seipsum nō solum cū ad pfectā perueniisset ætatē, sed etiā cū exiuit primū de vteri mei virginali thalamo,exēplū præbuit omnium operū bonorū. Et vt Apostolus dicit: Semetipsum formā dedit nobis,ad imitādū eū. Ergo,q sequit eū, viuit sicut ipse vixit,q oportet facere credētes i eū,in tenebris nō ambulat,nō offendit ad lapidē pedē suū. Insup excusat

Matt.7.
Matt.11.
Threna. 31.
Eccle.2.
Prou.7.
1.Ioan.2.
Matt.11.
2.Tim. 4.
Psal. 30.

Maria ab omni falſa calumnia, *quia non erat ei locus* alius
2. Cor. 8. cõmodior in toto illo *diuerſorio* ſiue hoſpicio. Sic Chriſtus propter nos cum diues eſſet, egenus factus eſt: vt ſua inopia nos diuites faceret, in miſericordia ſua & gratia, in bonis itẽ operibus, in meritis & gloria. Sic ſimul in vnum Chriſtum conuenerunt, diuitiæ in ſpiritualibus bonis, & paupertas in caducis mundi huius rebus:
Iaco. 2. ſic & nos diuites eſſe debemus in fide, & pauperes in hoc mundo: vt ſimul nihil habẽtes ſimus, & omnia poſſidentes. Hic humana ſuperbia & curioſitas damnatur,
Exod. 1. quæ ædificat cum ſubſtantia pauperum vi & iniuſte extorta, ampla palatia, caſtra magna, domos excelſas: & inſtar Pharonis ſubiectos multis duríſque laboribus affli-
Hiere. 22. gunt. Væ, ait Hieremias propheta, qui ædificat domum ſuã in iniuſtitia, & cœnacula ſua nõ in iudicio. Amicum ſuum oprimit fruſtra, & mercedem eius non reddit ei.
Abac. 2. Qui dicit, Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpacioſa, qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina pingítq; ſinopide &c. Et alius ait: Væ qui ædificat ciuitatem in ſanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate, quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod in-
Amos 5. ter iuncturas ædificiorum eſt reſpondebit. His horrenda
Micha. 3. comminatur per Amos & Micheam, vt in locis ſuis quiſque legere poteſt. Iam ad coruſcantem Dei gratiã paululum nunc mentis oculos aperiamus, & quanta Deus
Luc. 1. animæ noſtræ beneficia fecit, quando Maria filium ſuũ primogenitum peperit, intueamur vel per tranſennam. Ecce, quod chorus vatum venerãdus olim Spirituſancto cecinit repletus, in dei factum genitrice conſtat, eſſe Ma
Rom. 9. ria. Hæc Deum cœli, dominúmque terræ, virgo concepit, peperítque virgo, atque poſt partum meruit manere inuiolata. Olim Deus oſtendere volens iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa
Ephe. 2. iræ apta ad interitum, crebrò etiam mox vt ſcelerata deſignauerunt impij, in furore ſuo eos diſperdidit. At in hoc partu ſacratiſſimo virginis Deiparæ, Deus Pater oſtendit in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ, miſericordię & gloriæ ſuę in bonitate, in vaſa electionis, miſericordiæ & honoris, quæ præparauit in
1. Cor. 9. gloriam ſuam. Hæc eſt ſupereminens gratia Dei in nobis, hæc eſt ſupereminens ſcientiæ charitas Chriſti, per quam boni & recti corde replentur omnibus bonis Dei,
cuius

cuius longitudinem, latitudinem, sublimitatem, & profundum comprachendere solis sanctis datum est, & pie in Christo viuentibus in hoc mundo. Et nihilominus ex parte tetigimus hoc inenarrabile donum Dei, pro quo cum Apostolo gratias agere debemus. Taceo quòd Maria peperit nobis filium suum primogenitum in socium peregrinationis, in solem illuminationis, in lucem directionis, in cibum refectionis, in aquam ablutionis, in praecium redemptionis, in medicum curationis, in adiutorem salutis, in propugnatorem contra hostes, in liberatorem de inimicis, in praemiatorem nostri laboris, in coronam nostri certaminis, in doctorem veritatis, in largitorem affluentissimum omnium bonorum suorum, & dispensatorem fidelissimum gratiae suae multiplicis secundum vniuscuiusque propriam virtutem. Sic Maria peperit nobis Iesum Christum, qui est refugium nostrũ & virtus, adiutor in tribulationibus quae inueniunt nos nimis. Ipse est nostrae infirmitatis robur, firmamentum stabilitatis, adiutorium salutis, exemplum conuersationis, vestimentum decoris, lux sanctitatis, vmbraculum caloris, temperamẽtum doloris, solamen afflictionis, incendium amoris, omnis consummationis nostrae merces & finis. Sed vide hîc regis regum praesepium: Ibi diues pauper est, magnus paruus, dominus seruus: Ibi breuis est longitudo, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas inundans. Quis vnquam audiuit talia, aut vidit his similia? Ibi lux non lucet, verbum non loquitur, esurit panis vitae, aqua in vitam aeternam saliens, stetit. Ibi tristatur gaudium, pauet securitas, patitur salus, infirmatur fortitudo, potentia regitur, sapientia infatuatur, virtus sustentatur, consolatio contristatur, dulcedo amaritudinibus repletur, innocentia affligitur, immensitas in praesepio ponitur, qui coelum & terram implet, pannis inuoluitur. At vide breuiter quomodo omnia propter electos facta sunt, vt salutem consequantur cum gloria coelesti. Nam eius tristitia laetificat ciuitatem Dei, eius infirmitas roborat infirmos, sitis eius inebriat, fames satiat iustitiam sitientes & esurientes. Eius ligatura soluit compeditos, & vincula diaboli & peccatorum dirumpit. Eius paupertas diuites facit in omni gratia, & in omnibus bonis, eius humilitas humiles spiritu eleuat in coelum. Eius labor & afflictio Deo nos reconciliat,

Ibidem. *Ioan. 1.* *Matt. 25.* *Psal. 45.* *Esa. 66.* *2. Tim. 3*

ciliat,& quæ non rapuit, soluit. Sic & in fine vitæ illius pauor eius nos confortat, & fortes facit in bello, passio saluat,vulnera sanant, liuores curant,sputa decorant,
Apo. 5. mors viuificat. ¶ Peperit filium suum primogenitum & vnigenitum. Iam vide quomodo Agnus librum aperit, & signacula eius soluere incipit in seipso.Iam intelligis,
Ionæ 1. quomodo Rex surgit de solio suo,induit se sacco, sedet in cinere,& cum clamore valido & lachrymis, miseri-
Hier. 14. cordiam Dei abyssalem interpellat. Iam cernis quomodo cœli & terræ Dominus quasi colonus,& quasi vir viator fit in terra, qui declinat ad manendum. Et fit quasi
3.Reg.22 vir vagus & fortis, qui non possit saluare seipsum. Hîc perspicis,quomodo rex regum mutat habitum suum, & contra regem filiorum superbiæ ingreditur bellum. Hîc cernis perspicuè, quomodo cœlestis negotiator venit, diues in misericordia, & dat omnia sua pro margaritis
Iob 1. preciosis.Nempe,animabus nostris, eásque precio magno,precioso videlicet & roseo sanguine suo emit. Vide hîc regem sedentem in sterquilinio, humiliatum nimis. Vide hîc,quomodo fons viuus de paradiso egreditur, & totam terram rigat.Vide hîc paradisum dei,Mariam: liguum vitæ in eo Christum. Vide fluuium de paradiso isto egredientem,qui in quatuor capita, & euangelia se
Esa.11. diuisit.Cerne hîc,quomodo virga Aaron floret,quomodo flos de radice Iesse ascendit,super quem spiritussanctus requieuit. Vide quomodo rubus ab igne non læditur,ros de vellere exprimitur,vinea domini floret,deserta & inuia terra germinans germinat saluatorem,& floret sicut lilium.Vide quomodo flores fructus parturiũt.
Psal. 85. Vide quomodo dominus dedit benignitatem, & terra
Psal. 29. nostra dat fructum suum. Hîc inops de terra suscitatur à domino, qui de stercore peccatorum erexit pauperem hominem, vt collocet eum cum principibus populi sui. Intuere quomodo speciosus forma præ filiis hominum, tanquam sponsus egreditur de materni vteri thalamo,
Psal. 44. ad opus suum,& ad operationem nostræ salutis, fortis
Psal. 18. vt gigas,vsq; ad vesperam vitæ suæ.Veni & vide quẽ scri-
Psal.103 psit Moyses in lege,& prophetæ desideratũ cunctis gen-
Ag. 2. tibus,desiderium collium æternorum. Vide hic, deum deorum,regem regum,nouissimum virorum,virum dolorum,opprobrium hominum & abiectionem plebis.Ecce quomodo ascendit sicut virgultũ, & sicut radix de terra

sitienti

sitienti. Fit nunc porta Christi peruia, referta, plena gratia, trāsitq; rex & permanet clausa vt fuit per secula. Hoc est nouum quod fecit dominus super terrā: Fœmina námque virum circumdedit, quia virgo concepit & virgo peperit filium, cuius nomen Emmanuel vocatur. Vide nūc impletā Dei gratuitam promissionē. Paruulus natus est, & filius datus est nobis. Vide quomodo sol qui prius erat in nubilo, hoc est, in legis vmbraculis & vatum oraculis clausus & occultatus, iā refulget, & omnem hominem in hunc mūdum venientem illuminat. Ideo nox præcessit, & dies in quo verum iā lumen lucet, appropinquauit. Igitur abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die tanquā lucis filij et diei, honeste ambulemus, digne Deo et Euangelij gratiæ eius conuersando. Ad hoc enim gratia Dei et Saluatoris nostri apparuit in carne omnibus hominibus, et erudiuit nos, vt abnegemus omnem impietatem, et omnia secularia desideria, sobrie, iuste et pie in hoc seculo viuamus. Et sic expectemus beatam spem & aduentum gloriæ eius. Gratiæ igitur Deo super inenarrabili dono eius, Amen,

Esa. 53. *Ezech. 44.* *Esa. 89.* *1. Ioan. 2.* *Rom. 13.* *Ephes. 4.* *Tit. 2.*

IN NATIVITATE CRISTI
Sermo tertius.

SACRAMENTA regū terræ abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare et confiteri, honorificum est. Sic nemo lucernam accendens operit eam vase, aut ponit eam subtus lectum, sed super candelabrum ponit, vt intrantes lumen videant. At hodie egressus est de vtero matris Iustus noster, et iustificans, et splendor et Saluator noster, vt lampas igne diuini amoris accensus, quem et mittere venit in terram, et voluit vehementer ardere in cordibus nostris. Nam sapientia abscondita, et thesaurus inuisus nulla prorsus vtilitas in vtrisque. Vnde Euangelista hîc ostendit, quomodo natus puer pastoribus primò fuit nunciatus. Quem postea apostoli vbique & omni creaturæ prædicando Euangelium regni nunciauerunt toti mūdo. Et tunc viderunt oēs fines terræ, salutare dei nostri. Dicit ergo: *Et pastores erant in eadem regione.* Sic cum simplicibus sermocinatio

Tob. 12. *Mat. 7.* *Esa. 62.*

Psal. 3. eius. Sic humilis & mitis corde Christus Iesus, sapienti-
Mat. 11. bus in oculis suis, & quatenus mala faciant, & prudentibus coram semetipsis & secundum carnem, quales Scribæ erant & Pharisæi, mysteria sua abscondit, & paruulis reuelat. Multa in veteri Testamento, Deo cum pastoribus erat necessitudo & gratia. Ad Abelis munera respexit, Moysen elegit, & cum eo tanquam amicus cum amico sermonem miscuit. Abraham benedixit, Iacob dilexit, Dauid (vt alios taceam) de ouibus tulit, & vnxit in regē. *vigilantes* per solicitudinem, ne quid mali & periculi oues paterentur à lupis, *&* *custodientes* alternis & ordinatis vicibus inter se: Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.
Rom 13. Vnde alibi ait: Omnia honeste & secundum ordinem fiāt
1. Cor. 14 in vobis. Supra vires enim vnius esset, si vnus solus tota nocte vigilare deberet, atq; somno præmeretur etiam nō volens. Isti autem vigilabant in orationibus, & super suā & commissi gregis custodiam stabant, custodiētes *noctis*
Ezec. 34. *vigilias super gregem suum*, quem diligebant. Cuius bonū quærebant & malum depellebant. At heu modò pastores
Philip. 2. ecclesiæ semetipsos, non gregē suum pascunt. Quia quæ
Amos. 6. sua sunt quærunt, & non quæ sunt ouium & quæ sunt Iesu Christi. Dormiunt in lectis eburneis, lasciuiunt in stratis suis, & nihil patiuntur de ouium cōtritione. Quia nō pertinet ad eos de ouib⁹, eo quòd nō sunt pastores secūdum cor domini, qui gregem pascunt scientia & doctrina, sed mercenarij maledicti. At hæc alteri loco sunt re-
Ioan. 10. seruanda & tempori. Narrata pastorum optima dispositione, substituitur angelica apparitio. *& ecce*, res mira, noua, magna, salutis plena & gaudij in spiritusancto, retroseculis inaudita, desiderata cunctis gentibus. Ecce opus Dei, quod omnem auferet impietatem, & totius mundi adfert salutē, *Angelus domini* bonus, bona nuntiās, nam sicut aqua frigida animæ sitienti, ita iste nuntius bonus de
Prou. 25. terra longinqua viuētium, *Astitit iuxta illos*, in assumpta humani corporis effigie, sic quod eum viderunt & audierunt. Omnia verba, gaudij plena sunt & dignationis diuinę & salutis. Apparuit enim euidēter, ideo dicitur: Ecce, mirabiliter, quia angel⁹. Dignāter, quia dn̄i. Amicabiliter quia stetit. Reuerenter, quia iuxta illos nō supra illos, sicut cōciuis & cōseruus & cōfrater noster. *& claritas dei*, magna & miraculosa. *circumfulsit eos*, foris, ex qua nox illa sicut dies illuminabatur. Et lux vera quæ illuminat

omnem

omnem hominem in hunc mundum venientem, illuxit *Psal. 138.*
in cordibus eorum, per quã cognoscebant lumen verũ, *Ioan. 1.*
quod iustis & rectis corde, tunc in tenebris caliginosæ *Psal. 112*
noctis exortum fuit. Sic postea apostolum Paulum lux
magna circunfulsit de cœlo. Sic etiam cum angelus lucis *Act. 9.*
Petro astitit in carcere, lumẽ refulsit in carceris ergastu *Act. 12.*
lo. Hoc autẽ in tota veteris testamenti historia non inue
nitur. Nempe, quòd in tanta abundãtia, lux de cœlo cir-
cumfulserit homines. Per quod signabatur quòd sol iusti-
tiæ ortus erat omnibus Deum timentibus. Tunc popu- *Psal. 9.*
lus Iudaicus qui ambulabat in densissimis ignorãtiæ te-
nebris, vidit lucẽ magnã, sed & habitantibus gentibus in
regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Et ex tũc gentes
ambulare cœperunt in lumine isto, & reges in splẽdore
ortus illius. Nã ipse lumẽ est ad reuelationẽ gentium, & *Esa. 60.*
gloriã plebis suæ Israel. *& timuerunt timore magno*, pro-
pter inconsuetã angeli apparitionẽ, & subitã claritatem.
Nec id mirum, quando & Zacharias sacerdos Dei altissi- *Luc. 2.*
mi, turbatus est & timor irruit super eũ Gabriele sibi ap
parẽte, sed & virgo Maria turbata est in sermone ex ange
li apparitione. Taceo hîc Danielẽ, Manue, Ezechielem &
alios multos qui apparentibus sibi angelis territi sunt.
Multo magis mirum non est quòd hi simplices filij Dei *Luc. 1.*
& pusillus grex, timuerunt. Sic timuerunt timore, vbi nõ
erat timor. Gaudere potius debuissent gaudentes in dño,
& exultasse in Deo Iesu suo. Sed tristitia hæc & timor
mox in gaudium cõuersa est. Et gaudium hoc nemo tu- *Psal. 13.*
lit postea ab eis. Ad punctum & in modico deus electos
nonnunquam derelinquit, sed cum probati sunt, tunc in
miserationibus magnis consolatur eos, ideo sequitur: *&*
dixit illis angelus, Dei bonus, verba bona, super mel & fa *Aba. 2. 5.*
uum dulciora & consolabatur eos cõsolatione vera, ma *Luc. 16.*
gna, æterna, diuina & multiplici. Primo eos alloquendo *2. Cor. 1.*
dulciter, vt cõseruos, vt cõciues, vt cohæredes, quia dixit
illis. Deinde assecurãdo, *nolite timere*, me angelũ Satha-
næ esse, qui se etiã in angelum lucis nonnunquã transfi-
gurat & imponit incautis. Nolite mali quicquam timere *Luc. 1.*
vel mœroris, vel mortẽ, quæ nos maneat ex visione mea.
Eadem verba ad Zachariam & virginem Mariam, & post
ea ad Mariam Magdalenam angelus dixit. Et huius ra-
tio est, *ecce enim euangelizo vobis*, Deum timentibus, vo-
bis electis & prælectis, consolationem Israel & saluta-

Psal. 144 re Dei expectantibus. *gaudium magnum*, & bene magnū
quia longum, latum profundum & sublime: Quia ma-
gnus Dominus & magnitudinis eius non est finis, nu-
Luc. 1. merus & modus. Est longum, quia à progenie in proge-
niem, super omnes timentes eum: & ab æterno vsq; in
æternum. Est latum, quia nemo est qui se abscondat à ca
Psal. 18. lore eius & gratia: Nam natus puer diues est in omnes
Iohel. 2. qui inuocāt eum in veritate & de corde puro. Vult enim
Rom. 10. omnes saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis perue-
nire. Est & gaudium profundum, eo quod in inferno, si-
ue in tenebris & in vmbris sedentibus sanctis patribus
illuxit, quod nos Limbum patrum, siue Sinum Abrahæ
in quem Lazarus angelorum ministerio portatus fuit,
appellamus. Sciebant enim quòd de lacu miseriæ, luto fæ-
cis, & inferiori inferno eos eruere voluit, & transferre in
Psal. 183. suum regnum cœleste. Est altum, quia cœlos penetrauit,
& cælestes ciues in laudes nati saluatoris prouocauit.
Sciebāt namq; & ipsi quòd instaurare omnia voluit quæ
in cœlis sunt, & de saluandis hominibus implere ruinas
angelorum. Quæ vox, quæ poterit lingua retexere lau-
des quas concentus cœlestes in cœlo Deo dederunt &
cantauerunt. Breuiter, per omnes vicos eius alleluia can
tabatur, hoc est, verum, sānctum, meritorium, iustū gau-
Luc. 1. dium. *quod erit omni populo.* Non sic est gaudiū huius mun
di. Nam dum in mundo vnus gaudet, alius tristatur, &
Genes. 11. vnius gaudium alterius est mœror maximus. Dum victo
res gaudent superatis hostibus quando diuidunt spolia,
& agunt triumphos, in tristitia sunt victi, quando veniūt
sub hastam, tradūtur carceribus, eunt vincti ante currus
triumphales. In vna domo vxor ducitur, hymenæus reso
nat, gaudent omnes inuitati, choros ducunt. In alia do-
mo inopinata morte & immatura, vxor agit animam, &
tota vicinia eiulat, ad sidera clamatur & lachrymatur. Il-
lius vxor tandem pulchra facit prole patrem lætari, & vi-
cini ac necessarij audiētes quòd deus eum parētibus ma
gnificauit misericordiā suā, eis congaudent, eis congra-
tulātur, vt cernere est in Abrahā & Zacharia. In alia do-
mo moritur primogenitus vel filius vnicus parentū suo-
rum, & mox tristitia implet non parentum corda solum,
Psal. 48. sed omnium qui diligunt eos atq; eis bene volūt. Sic dis-
curre per oīa vitæ huius gaudia & euētus, & inuenies qđ
vnius prosperitas est alterius infortuniū, vnius gaudium,
alterius

alterius dolor est:vnius salus,alterius mors est.Atq; hoc modo nullum gaudium, hoc excepto, de quo loquimur, est omni populo. Hoc est gaudium cœlestium, terrestriũ & infernorum. Hoc fuit gaudium postquam innotuit, omnium gentium,& omnium,qui habitant orbem, ab æterno & vsque in æternum. De hoc gauisi sunt quique terrigenæ & filij hominum,simul in vnum diuites et pauperes, iuuenes et virgines, senes cum iunioribus, reges terræ et omnes populi,principes et omnes iudices terræ. *quia* ratio huius communis gaudij à quo nemo secernitur,est.*natus est vobis*,ad vtilitatem vestram,consolationẽ et salutem *saluator*.Ecce bonitas gratuita,misericordia abyssalis,benignitas incomprehensibilis, viscerosa pietas, charitas ineffabilis Dei nostri,in quib. visitauit nos oriẽs ex alto:Nẽpe vt nos saluet à morte in regnum suũ. Ipse saluator est,omnium hominum,maxime credentiũ.Hinc Ioannes ait:Pater misit filium suum,saluatorem mundi. Sic factus est causa salutis omnib.obtemperantibus sibi. Hic late patens cãpus foret extendendi alas,et magnificandi fimbrias,sed vela contrahere ipsa tædij mater prolixitas compellit.Erit et idẽ puer doctor paruulorum, docens vtilia et viam Dei in veritate. Vnde sequitur,*qui est Christus*,et vnctus præ participib.suis oleo lætitiæ et septẽ spiritus sancti charismatibus,plenus gratia et veritate.Nã pater ei spiritum dedit,non ad mensurã:de cuius plenitudine et nos omnes accipimus gratiam pro gratia.Atque vnctio eius nos docet de omnibus,efficimúrq; in eius vnctione omnes docibiles Dei,vel docti à Deo , et implemur agnitione voluntatis Dei,in omni sapientia et intellectu spirituali,si tamen gratiã Dei non abiicimus,nec eã in vacuũ recipimus,Ipse Christus est. Christus vero vnctus interpretatur.Vnde consequens est:quod ipse est sanctus sanctorum,rex regum,et dominus dominãtium,desideratus cunctis gentibus, qui mittendus erat : quo veniente vnctio Iudæorum cessare,et sceptrum de Iuda debuit auferri.Reges enim vngebantur in veteri lege. Vngebãtur et sacerdotes: Ideo vt omnia in Christo consummarentur,cùm sit finis legis,factus est et ipse sacerdos in æternum secundum ordinẽ Melchisedech,&c.Vngebãtur & prophetæ.At Christus propheta magnus est,qui surrexit in nobis. Ille inquam propheta magnus, quẽ Moses amicus Dei mittendum prædixit,quem qui non audiret extermi

Psal. 148
1. Ioan 4.
Heb.5.
Esa.48.
Matt. 22
Psal. 44.
Ioan.1.
1.Ioan.2.
Ioan.6.
Col.1.
2. Cor.6.
Agg.2.
Gen.49.
Rom.10.
Heb.7.
Luca.7.
Deut.18.

exterminandum dixit de plebe. Vngebantur & athletæ.
Verùm Christus athleta fuit, fortis & potens in prælio,
Act. 2. contra fortem principem huius mundi, qui atrium suum
& omnia quæ possedit in pace damnabili custodiuit. At
dum hic fortior eo superuenit, vicit eum, & triumphauit
eum in semetipso, expolians principatus & potestates,
palámque traduxit. Insuper, vniuersa arma in quibus fi-
duciã spurius iste habuit & gloriabatur abstulit & spolia
Psal. 23. eius distribuit. Hic igitur paruulus natus Christus iuste
Mat. 12. vocatus est. Nec eius hic taceatur potestas æterna, quia
Luca 11. *dominus* vniuersorum. Cui subest cum voluerit posse. Et
omnia quæcunque vult facit in cœlo & in terra, in mari
& in omnibus abyssis. O charitas saluatoris. O sapientia
& veritas Christi regis. O potestas insuperabilis Domi-
ni, qui solus est potens. *in ciuitate dauid* Bethleem. Vel si
Col. 2. malueris, dic quòd angelus pastoribus annuntiat Christi
nati vtilitatem, quam operatus est nobis in medio ter-
ræ. Quia saluator. Deinde nati pueri honorem, dignita-
Hest. 13. tem & maiestatem, quia Christus rex & sacerdos ma-
Psal. 138 gnus, propheta & athleta omnium excellentissimus. Vl-
timo eius potestãtem, quia dominus dominantium. Ec-
4. *Reg. 7.* ce dies boni nuntij & euangelij gratiæ. Nunciat enim
Christum illuminatorem in præceptis, cum dicit: hodie
saluatorem in consiliis, Christum & vnguentarium in
sacramentis. Protectorem & Dominũ in virtutibus. Re-
fectorem & cibatorem in spiritus sancti donis & verbo
Dei in quo homo viuit, cum dicit Bethleem, quod do-
Ioan. 6. 8 mus panis interpretatur. In qua panem cœli verum qui
dat vitam mundo, accepimus per viscera misericordiæ
Dei. Post consolationem contra eorum turbationem de
angeli visione & lucis per dominicæ natiuitatis annun-
ciationem, hic subditur eorum per signum datum cer-
tificatio, *& hoc vobis signum,* vestræ & totius mundi sa-
Eccl. 10. lutis. Nempe, humilitas saluatoris, per quam excluditur
& damnatur superbia initium omnis peccati & damna-
tionis. Signum inquam (cui à multis contradicitur qui
tantam negligunt & gratiam & salutem) tale, *inuenietis,*
tanquam absconditum, non ostentantem se. Vere enim
ipse est deus absconditus, & inuenitur ab his qui in sim-
plicitate cordis eum quærunt, & de eo sentiunt in boni-
tate. *infantem,* O humilitas. Ecce antiquus dierum infans
est, sapientia ignorans, potentia infirma, verum mutum.

Et qui

Et qui ora mutorum aperit,& linguas infantium facit di-
fertas,nefcit loqui.Infuper,qui ex ore infantium & lactā- *Sap.10.*
tium perficit laudem fuam, & per hanc inimicos generis *Psal. 18.*
humani & vltores diuinæ offenfæ deftruit, nefcit vocare *Esa.8.*
patrem fuum & matrem fuam. Sic per omnia fratribus *Heb.2.*
affimilari voluit abfque peccato qui quafi vnus ex nobis
dignatus eft nafci.Verum quod ftultum eft Dei, fapien- *1.Cor.1.*
tius eft omnibus hominibus, & quod infirmum eft Dei,
fortius eft omnium,nō folùm hominū, fed & dæmonum
fortitudine.*pannis*, mundis, non byffo et purpura,non in
ftola ex auro hyacinthio & purpura texto, non in operi-
mentis de byffo retorta hyacintho,purpura coccóque bis *Psal.18.*
tincto variatis opere plumario,*inuolutum*,contra rigorem *Mat. 16.*
& afperitatem frigoris.*& positum*,non in reclinatorio au- *Matt.11.*
reo,nō in molli ftrato,fed *in præsepio* duro.Ecce humilitas
faluatoris.Vere ab hora ortus tui vfque ad occafum fem
per cuftodiuifti vias duras , crucem portafti , vim tibi fe-
cifti,teipfum abnegafti, carnem tuam mortificafti. Non
tuam fed patris tui voluntatem fecifti , immaculatum ab
hoc feculo te cuftodifti:In nullo, etiam minimo huic fe-
culo te cōformafti. Ecce,humiles,fimplices, pauperes,pa
ftores,& defpecti paftores, quadruplex fignum per quod
Chriftum cognofcerent hîc acceperunt:Nempe,humili- *Rom.12.*
tatis in occultatione: fuperbi volunt videri:fimplicitatis,
in infantia contra quod multi funt dolofi:Paupertatis in
pannis:contra quod faciunt vani. Afperitatis in præfepi,
cui contradicitur à delicatis.

DE NATIVITATE CHRISTI
IN, EVANGELIVM
Sermo quartus.

PRolixitas euangelij & rerū geftarum maie-
ftas,plus folito fermones multiplicare com-
pellet. Tum quòd non folùm vnus,fed mul-
ti in hac die facratiffima fermones facere
oportet verbi dei præcones. Narrata igitur
Chrifti natiuitate paftoribus ab vno angelo, iam fubfti-
tuitur multitudinis angelorum atteftatio. Et in euange-
gelij huius verbis, fex bonę conditiones ponuntur,quæ
in veris teftibus neceffario requiruntur. Nempe,teftium
conformitas in verbis, quia facta eft cum angelo, non
contra

contra angelum. Aliud est testium pluralitas, quia vnius verbum nullius verbum. Vnde est hic multitudo. Tertiũ est testium virilitas, ne per pusillanimitatem, & pauorem verum dicere expauescant, ibi malitiæ. Quartum est ipsorum sanctitas, quia cœlestis. Quintum est depositio testimonij, quia laudantium atque dicentium. Vltimo est discretio depositorũ & optima diuisio, quia gloriam deo tribuunt in cœlo, & pacem hominibus in terra optant &
Dan. 13. precantur. At stulti & insensati filij Adam hac diuisione non contenti, dum pacem contemnunt & gloriam appetunt, & pacem & gloriam perdunt. Vnde dicit: *& facta est subito*, ad maiorem veritatis annunciatæ confirmationẽ *cum eo*, non contra eum, vt testes contra Susannam, qui loquebantur vnus contra alium & non idipsum ambo. *multitudo*, ne parua videretur vnius angeli authoritas. Et si in ore duorũ aut trium testiũ stat omne verbum, quanto magis in tam multorum. Constantiæ eorum virilitas & sanctitas subditur: *militiæ cœlestis exercitus*, Bene chorus angelorum adueniens, militiæ cœlestis vocabulum accepit, quia sequuntur militiæ ducem, qui contra aëreas potestates & principes mundi huius rectores bellaturus
Ephes. 5. mundum intrauit, & ad tutelam nostram angelis suis mã dat vt nos in omnibus viis nostris custodiant, ne ad lapi-
Psal. 90. dem offensionis & petram scandali verbo aut opere pe-
1. Pet. 2. dem impingamus. Sed sic in manibus suis iussit vt nos portent quòd citra offensionem vllam pedum nostrorum tute super aspidem & basiliscum ambulare, et leonem et
Iudith. 3. draconem possimus conculcare. ¶ At obiter aduerte hic,
Gen. 19. quòd in veteri testamento quandoque vnus solus legitur angelus apparuisse, vt Manue, et in locis non paucis. Aliquando duo, vt Loth, et Apostolis in Christi ascensione. Nonnunquam tres, vt Abrahæ. Ezechieli apparuere sex.
Ezec. 9. Aliquando multi sine certo numero. Sic Iacob fuerunt
Gen. 32. obuiam angeli dei, Quos cum vidisset, dixit: Castra dei sunt hæc. Heliseum innumeri circumdederunt et defen-
4. Reg. 6. derunt. Et hæc multitudo angelorũ apparens, suum quod in cœlis officium habent non intermittunt descendentes ad terram, et missi in ministerium propter eos qui ca-
Tob. 18. piunt hæreditatem salutis. Nam et tunc, *deum laudabant*, glorificabant, exaltabant, magnificabant et benedice-
Heb. 1. bant dicentes voce magna et deuota, *Gloria in altissimis deo*. Hæc est partitio vera sancta, deo grata, et hominibus

minibus super omnia necessaria. Soli enim honor & gloria dari debet in secula seculorum. Gloria igitur deo, nobis autem confusio faciei. Et hoc in altissimis cœli man- *1.Tim. 3.*
sionibus. Nam in secula seculorum laudatur & sine inter missione, vt Ioannes vidit in Apocalypsi. Nam requiem *Psal. 38.*
non habent die nec nocte, sed incessabili voce dicunt læ- *Apoc. 4.*
tum hoc pæana: Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus deus omnipotens, &c. Et sic magis congratulationis quàm exhortationis est verbum, sicut & illud: Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes *Psal. 148*
angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. In cœlo ab omnibus laudatur, in terris, heu, à multis despicitur & blasphematur. Deo dicit, non homini, iuxta illud: Non no *Esa 48.*
bis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, Et ipse Dominus ait: Gloriam meam alteri non dabo. Ideo qui gloriam suam quærunt, confusionem & ignominiam sibi seminant & metunt: Fugit gloria se appetentes, & vmbrę instar vbique sequitur se fugientes. Ideo illi eam nunquam apprehendere, nec isti eam vllo pacto effugere possunt. ¶ Rursus nota quòd Deus tria sibi soli retinuit: Vin *Rom. 2.*
dictam videlicet de iniuriis: mihi, ait, vindictam, & ego *Heb. 10.*
retribuam, Et iterum: Mea est vltio, & ego retribuam in *Deut. 32.*
tempore, non quando vobis, sed quando mihi placet. Iudicium de occultis, imo de omnibus malis, Pater enim *Ioan. 5.*
omne iudicium filio dedit. Ergo nolite ante tempus iudicare. Et alibi: Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Ergo nolite iudicare, nolite condemnare. Tertium est, *1.Cor. 4.*
gloria de operibus bonis, quia gloriam meam alteri non *Rom. 14.*
dabo. Sed in omnibus glorificetur deus per Iesum Chri- *Mat. 7.*
stum Dominum nostrum. Sic Romani & philosophi qui *Esa. 44.*
Deum non glorificauerunt, &c. dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, & in reprobum sensum dati. Et pharisæi *Rom. 1.*
qui gloriam ab inuicem accipiebant excæcati sunt, & in luce perinde ac in tenebris impegerunt. *& in terra*, sit, & in inhabitantibus terram, pax, Dei quæ exuperat omnem sensum. Et pax Christi quæ in diebus suis abundanter *Phil. 4.*
orta est, quam etiam discipulis in vltima cœna dedit & reliquit, & à mortuis resurgens primo omnium eis annũ *Ioan. 14.*
ciauit. Non pax huius mundi, quæ est pax peccatorum. Et est concordantium in malo, maledicta & damnabilis *Ioan. 14.*
consensio. Sit ergo in terra, non gloria hominibus, sed *Matt. 10.*
pax, & tunc in cœlis gloria & honore coronabuntur,

& super omnia bona Domini constituētur, & super omnia opera manuum eius. Hominibus inquam, non angelis malis, quia cum illis Christus pacem nō redintegrauit. Hominibus, inquam, non quibuslibet nec omnibus, sed *bonæ voluntatis*, quorum voluntas est in lege Domini, & idem velle & idem nolle cum Deo habent. Qui diligunt & faciunt bonum, & odiunt malum. Pax ista hominibus bonæ voluntatis est, non impiis siue diuisori-
Iob 9. bus vnitatis. Est obedientium insigne, non inobedien-
Esa.4. tium. Quis enim Deo restitit, & pacem habuit? Non est
Psal. 18. pax impiis, dicit Dominus. De pace alibi plura. Audiuimus quomodo cœli enarrauerunt gloriam Dei: Nempe, quòd veritas de terra orta est, & pastoribus nunciata. Sequitur nūc quomodo benignitas & humanitas Christi, quæ apparuit in terris & habitauit in nobis, à pasto-
Tob.1. ribus fit inquisita. Quid prodest esurienti & sitienti, scire panis vinique exuberantiam, nisi pro vita sustentanda eat ad locum vbi hæc afluenter distribuuntur, & accipiat de eis quantum sufficit ei? Quid prodest inopi et egeno, auri copias in agro aut domo propria esse humi defossas si per pigritiam eas effodere recusat? Non opitulatur medicus male habentibus nisi ad eum venerint, custodierint quæ illis præcipit. Non accipis eleemosynas diuitis ante ianuam vitæ tuæ necessarias, nisi veneris ad eum, atque humiliter supplicaueris ei. Non calefacit te ignis accensus
Rom. 10. in frigoris asperioris rigore, nisi cum Petro ad ignem accesseris, Hinc (ignis ille consumens, Deus noster & saluator. Hinc Christus, diues in omnes qui inuocāt eum, qui omnibus dat affluenter. Et verus medicus & Samaritanus, omnibus qui male habent necessarius, sanans omnē
Ioan.6. languorem. Qui & thesaurus noster est, quo redempti &
Ioan.4. precium magnum quo empti sumus de terra: Panis itē
Mat. 11. vitæ & aqua viua saliens in vitam æternam) dicit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego pascā vos. Ego potabo vos vino quod corda lætificat et germinat virgines. Diuites vos faciam in me in omni gratia, et
Luc.15. omnes thesauros vestros replebo et desideria. Ego sanabo contritiones vestras, et oleum ac vinum vulneribus vestris infundam. Sed et quicquid petieritis patrem in
Psal. 49 nomine meo, dabit vobis. Venite igitur ad me, et nolite timere repulsam, aut improperia, quia mitis sum, et humilis corde. Suauis et mitis et multæ misericordiæ et verax. Be-

rax. Benignus & misericors, patiens & multæ misericor- *Iohel.2.*
diæ, & præstabilis super malitia. Ideo nullum hominem *Ioan.6.*
ad me venientem, eiicio foras, quia amo animas. Hinc alibi ait: Conuertimini ad me & salui eritis. Hoc simplices *Esa.45.*
pastores fecerunt, ideo salutē sunt consecuti. Hoc scribæ superbi, auari sacerdotes, inuidi Pharisæi, & oēs per malitiam excæcati, facere recusarunt, ideo in malignitate sua cōsumpti sunt, & semper profecerunt in peius. Ecce indocti, simplices & despecti pauperes ad vnius angeli vocem auditā Christum quærunt & inueniunt infantē. ¶ Perfidi Iudæorum capita & principes, nec ad omnium prophetarum voces quas sciebāt, nec per legis præcepta & vmbras, nec per magorum testimoniū, neq; per Christi stu- *Ioan.15.*
pēda miracula, quæ nullus alius fecit, nec per eius salutaria documēta cōmoueri potuerunt, vt ad eum venirent omnibus bonis per eū replēdi. Angeli nō dixerūt, quòd pastores deberēt ad infantē natum ire, nihilominus iuerunt, & inuenerunt. Perfidi Iudæi, à mane vsq; ad vesperā, per Christum vt venirent ad eum vocati sunt, & recusauerunt. Ideo illi salutem sunt consecuti, isti dimissi sunt *Psal. 80.*
in fœcibus suis secundum desideria cordium suorum mala, & semper iuerunt in adinuentionibus suis, ac magis magisq; à deo se elongauerunt, & perierunt propter iniquitates suas & infidelitatē. Sed & nos, cum hodie vocē *Heb 3.*
eius audimus, si relicta malitia ad eum non accedimus pedibus fidei & amoris. (Per fidem namq; & dilectionē approximamus deo) nihil prodest nobis auditus sermo natiuitatis Christi. Dicit igitur Euangelista: *Et factum est* à pastoribus hoc maximū fidei eorū & dilectionis opus, & exemplum quod omnes qui quærunt vitam æternam, imitari debent, *cùm discesserunt angeli ab eis in cœlum.* Nā *Gen.28.*
angeli descendunt in scala Iacob, ad diuina explenda ministeria, quibus expletis, in eadem scala ascendunt in cœlum, ad Deum qui misit eos, vt Raphael dixit. Sic & ma- *Ioan. 13.*
gni consilij angelus, qui exiuit à patre & venit in mundum, obedientiæ suæ opere consummato, iterum reli- *Gen.28.*
quit mundum & rediit ad patrem. In hoc vobis dans *Ioan.12.*
exemplum, quòd si hic iuste, sancte & pie viuimus, *Esa.9.*
Deum timendo & mandata illius custodiendo, tunc *Eccl.1.*
cùm finis noster venerit, & puluis in terram suam reuertitur vnde erat, spiritus redibit ad eum qui dedit illum. *Pastores*, doli fraudísque nescij, *loquebantur* fer-

uentes ſpiritu, prout ſpiritusſanctus eis dabat eloqui *a d*
Luc. 24. *inuicem*, de Chriſti natiuitate audita. Sicut & diſcipuli
Matt. 11. Emaus oppidum contendentes loquebantur de Chriſti
paſſione, bono theſauro cordis ſui, bona eructantes *di-*
centes & adhortantes ſemetipſos ad ea que ſalutis ſunt.
Tranſeamus ſine vlla mora & dilatione. Non differendo
de die in diem, *vſque Bethleem* proximam. Appropinque-
Iacob. 4. mus deo, & appropinquabit nobis. Nam propior eſt
Rom. 13. nunc ſalus noſtra, vt audiuimus ab angelo, quàm olim
cùm credidimus eam venturam, *& videamus verbum* hoc
corporaliter carnem factum, quod nunc oculis fidei vi-
Ioan. 1. dimus & credimus. Hoc eſt verbum quod erat in prin-
cipio apud deum, per quod & cœli firmati ſunt. De quo
Pſal. 32. iterum ſcriptum eſt: fons ſapientiæ, verbum dei in ex-
Act. 1. celſis, *quod factum eſt* in plenitudine temporis, ex mulie-
re & ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, *quod dominus*
Rom. 1. *fecit.* Hæc verba, Quod dominus fecit, non habentur in
Græco, nec in libris correctis, vt etiam Lyranus & Dio-
nyſius de Rikel dicunt. Sed poſt illa verba, quod factum
eſt, ſequitur, *& Dominus oſtendit nobis* per angelum ſuum.
Pſal. 18. Annunciauerunt namque cœli gloriam eius, audiuit
hæc & lætata eſt Sion. *Et venerunt feſtinantes*, præ amoris
Gen. 49. magnitudine & ſpiritus feruore, videre deſideratum &
Agg. 2. expectatum cunctis gentibus, & deſiderium collium
Luc. 10. æternorum. Quem multi reges & prophetæ videre cu-
pierunt, & audire, & nec viderunt nec audierunt. Videre
quia ipſe ſpecioſior eſt ſole, & præ filiis hominum, atque
facies eius plena eſt gratiarum. Audire, quia mel & lac
ſub lingua eius erat, & verba vitæ æternæ habuit. Neſcit
Ioan. 6. tarda molimina ſpiritusſancti gratia. Feſtinemus & nos.
& inuenerunt, omne bonum, ſummum bonum. Inuene-
runt, inquam, quia quæſierunt. Inuenerunt quia perdide
rant, non ſolùm iſti paſtores, ſed totus mũdus. Sed quid
Luc. 1. inuenerunt? *Mariam*, quæ multiformem gratiam quam
Eua perdidit, apud dominum inuenit. Nec ſibi retinen-
dam, ſed aliis, ſicut bona & fideliſſima diſpenſatrix,
diſpenſandam *& Ioſeph*, iuſtum, ſanctum, Deo & ho-
1. Cor. 3. minibus dilectum, virginis ſponſum Chriſti patrem pu-
1. Pet. 4. tatiuum & miniſtrum fidele *& infantem* videlicet Chri-
ſtum dei patris ſapiẽtiam & virtutem, cœlum terrámque
regentem & implentem, omnia potenti virtute ſua ſu-
ſtentantem. Omnia cum tranquillitate iudicantem, &

cum magna reuerentia omnes homines disponentem. O infantem, sed in suis operibus perfectam sapientiam loquentem. O puerum, sed antiquum dierum. O paruulum & magnum & terribilem super omnes Deos, & super omnes qui in circuitu eius sunt. *Positum in præsepio.* Sic Rinoceros seruit nobis, & moratur ad præsepe nostrum, secundum Gorrham: Fœlix ternarius virginũ. Nam cum tentatio, suggestione, delectione & consensu perficiatur. Ioseph virgo fuit à consensu operis carnalis. Maria à delectatione, Christus à cogitatione. Vnde apertum, quòd puer Nazaræus inter lilia pascebatur, existẽs & ipse flos campi & lilium conuallium. *Videntes autem* oculis corporis puerum in præsepio pannis inuolutum *cognouerunt* per fidem, Domino corda eorum aperiente & illuminante, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Iesu Christi, *de verbo quod dictum erat illis* ab Angelo *de puero hoc*, nato nobis, Nempe, quòd verbũ angeli verum erat. Atque sic videntes pueri humanitatem oculis corporis, viderunt etiam reuelata facie gloriam Domini, & eius diuinitatem oculis fidei & cordis. Quia in vna persona, est Deus super omnia benedictus in secula, quem nemo hominum vidit vnquam. Et homo natus in tempore ad hoc vt liberaret pauperem hominem à potente Diabolo: pauperem, inquam, cui nõ erat adiutor alius, neque in cœlo, neque super terram, neque subtus terram, nisi hic Emmanuel & Agnus Dei. Dicũt ergo Pastores: Sicut audiuimus ab Angelo, quia apparuit nobis, sic vidimus oculis nostris, in ciuitate Domini virtutum, Bethlehem, in ciuitate Dei nostri quæ est Ecclesia, Deus fundauit eam in æternum. Sequitur duplex emolumentum in facti huius promulgatione. Nempe, audientium admiratio de tanta nouitate, quam Dominus fecit super terram. *Et omnes qui audierunt* à Pastoribus, magna ista opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. Dixerunt nanque isti veri Euangelistæ: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, Messiam inuenimus, Iesum filium Ioseph à Nazareth, Venite & vos & videte, quanta Deus fecit animæ nostræ. Omnes igitur qui audierunt hæc, *mirati sunt*, & gaudio magno gauisi sunt de tam nouo, tam bono, tam amabili, tam desiderabili, tam iucundo, tam vtili, tam gratioso & salutari nuncio, à seculis desiderato à cunctis Gentibus, & Adæ

Marginal references: *Matt. 2.* *Cant. 2.* *2. Cor. 4.* *2. Cor. 3.* *Rom. 9.* *Psal. 71.* *Psal. 46.* *Ioan. 1.*

Gene. 2. in paradiso, ac Abrahæ, Isaac, ac Iacob, & semini eorum
Gene. 3. promimisso, & iam misso & dato. Mirati sunt omnes, &
& 25. seipsos præ gaudij & admirationis magnitudine, capere
non potuerunt. Hoc enim est omnium operum Dei mirabilissimum, iucundissimum, maximum, & vtilissimum. Mirabantur etiam de tam intrepida, constanti & certa pastorum attestatione, *de puero isto*. Qui inaudita fingere nesciebãt, sed simplici facundia quæ audierant & viderant, prædicauerũt. Nihil Herodis pessimi crudelissimiq;
Luca 12. rant, prædicauerũt. Nihil Herodis pessimi crudelissimiq;
Act. 4. potentiam formidantes, quo minus quæ in aure audierunt, non prædicarent super tecta: Non enim poterant quæ audierant, & viderant non loqui. Et si propter hoc
Act. 21. pati eos oporteret, parati erant non solũ ligari, & quiduis sustinere, sed & mori erant propensissimi pro nomine Iesu, cũ apostolo Paulo. Sic omnes mirati sunt qui audierunt de adimpletione omnium diuinarum promissionum, & figuris legis in puero isto, *& de his quæ dicta erant à pastoribus* veridicis & simplicibus, *ad ipsos*, de puero nato.
Luc. 1. Et hæc pastores euangelizauerunt. *Maria autem conser-*
Mar. 4. *uabat*. Ecce aliud emolumentum, conseruabat, non diuulgabat, nõ obliuiscebatur, sicut auditores obliuiosi faciunt, & de quorum cordibus auditum semen verbi Dei, Diabolus mox tollit. Illi beati in facto suo sunt, horum damnatio iusta est. *Omnia verba hæc*, quæ iam de Christo audierat & scripta sunt, nullum obliuiscendo, *conferens* ea diligenter & animalis mundi instar ruminãdo, atque in lege Domini meditando die ac nocte, & conferendo *in corde suo*. Nempe, cum legis vmbris, cum
Luc. 1. patrum promissionibus, cum omnium Prophetarum oraculis. Et hæc faciens, gaudens gaudebat in Domino
Heb. 9. semper, & spiritus eius exultauit in Deo Iesu suo. ¶Non habuit beata Dei genitrix cor fatui, quod est sicut vas confractum, & nullam sapientiam tenet. Sed ipsa tanquam arca fœderis, in qua erant tabulæ legis veteris, & lex secunda Euangelij pacis. Quia quæcunque circa Christum viuam diuinæ legis tabulam gerebantur, aut quæ ipse aperiens os suum, aut discipulos suos, aut turbam docebat, clausa semper secum, pia fidelique mente
Psal. 118 tenuit & ruminauit. Ad nostram instructionem hæc de ea scripta sunt, vt & nos in corde nostro abscondamus
Luc. 11. eloquia dei ne peccemus illi. Quia beati qui audiunt verbum dei, & custodiunt illud. Sic & Thessalonicenses
fece-

fecerunt,qui susceperunt verbum Dei cum omni auiditate,quotidie scrutantes scripturas & conferentes,si hæc ita se haberent. ¶ *Et reuersi sunt pastores* ad gregem suum & propria negotia.Modum reuersionis addit: *glorificantes* dominum in corde suo quantumcunque potuerunt, *& laudentes* ore. Sic benedicebant dominum in omni tempore,semper laus eius in ore ipsorum. Et sicut adipe & pinguedine deuotionis & amoris Christi repleta erat anima eorum,sic labiis exultationis Christum laudauit os illorum. Cor eorum & anima eorum, exultauit in deum viuum.Confitebantur domino in toto corde suo, narrabant ore omnia mirabilia eius.Lætabantur in corde & exultabant in Christo, & psallebant nomini eius altissimo.Lætabatur cor eorū, & exultauit lingua eorū, *in omnibus*,hoc est,de omnibus *quæ audierant* ab angelis, *& viderant* in diuersorio propriis oculis, *sicut dictum est* ab angelo *ad illos*,quando vigilias noctis custodiebāt super gregem suum.Oremus & nos vt deus misereatur nostri,quia iam venit tempus miserendi eius,vt deus pater benedicat nobis in omni benedictione cœlesti. Et filius illuminet vultum suum super nos , vt filij lucis simus & lucis fructus proferamus.Et deus spiritussanctus,bonitas abyssalis, misereatur nostri, in corda nostra charitatem diffundendo.Et sic digne natiuitatem Christi celebrare poterimus:cui est laus & gloria in seculorū secula,Amē. Multa data opera trāseo gratia breuitatis, tum quòd ab aliis locupletissime sunt digesta,ad quos lectorē remitto.

Psal. 33. *Psal. 62.* *Psal. 83.* *Psal. 9.* *Psal. 66.* *Rom. 5.*

IN FESTO SANCTI STEPHANI IN EPISTOLAM, Exegesis.

STEPHANVS *autem plenus gratia & fortitudine,&c.* Stephanus vas aureum omni lapide precioso Christiformium virtutum adornatum,vas electionis , boni testimonij, homo plenus Spiritusancto & sapientia illa (qua qui vtuntur participes fiunt amicitiæ Dei,) quæ à Patre luminū,petentibus datur omnibus affluēter. Vas fuit idem martyr gloriosus , in honorem , quia Christi bonus odor in omni loco fuit.Fuit vas sanctificatū,ab omni inquinamento carnis & spiritus emundatum,

Acto. 7. *Eccle. 5.* *Sap. 7.* *Iac 1.* *I. Cor. 7.*

1. Tim. 3. datum, habens mysterium fidei in conscientia pura. Atq;
sic Deo in omni conscientia bona ministrauit, nullum
crimen habens. Vas vtile Domino, ad alios lucrandos,
per sanctam suam & inculpatam conuersationem & do-
1. Tim. 3 ctrinam sanam. Hac in re omnes qui laborant in verbo
1. Cor. 3. & doctrina, Dei adiutores sunt. Ad omne opus bonum
Psal. 118 paratum, quo ad vitam, Paratus fuit, & non fuit turba-
tus, vt custodiret mandata Dei, Ad omnia mandata Dei
dirigebatur per Spiritumsanctum, & omnem viam ini-
quam odio habuit. Vestigia Christi secutus est, vias eius
custodiuit, & non declinauit ex eis, neque ad dextram
neque ad sinistram. Fuit lignum viride secus decursum
aquarum plantatum, quod fructum suum dedit in tem-
Psal. 1. pore suo. Fuit arbor bona, & lignū vitæ, afferens fructus
duodecim, per singulos menses. Imo per singulos dies,
Apoc. 22. reddens fructum suum bonum, & folia verborum eius
Ephe. 4. ad sanitatem audientium. Quia sermo eius semper in
Col. 3. gratia sale conditus fuit, ideo gratiam & ædificationem
fidei auditoribus præbuit. Sed quibus armis lucis & dei
Rom. 13. indutus fuerit Stephanus, & qua virtute ex alto sufful-
Ephe. 6. tus, vt tam viriliter ageret, tam legitime certaret, Sata-
Phil. 3. nam supplātaret, mundum & omnia quæ in eo sunt vin-
ceret, & aspernaretur sicut lutum & detrimētum, videa-
mus, & nos eadem cogitatione armemus. Tunc namque
solummodo vere, recte & salubriter sanctorum festa ce-
lebramus, cum eorū opera facimus, & per eandē iusticiæ
Gala. 4. & veritatis viā, qua illi ad montē dei & Hierusalē cœle-
stē, quæ est mater nostra peruenerūt, ambulamus in cha
ritate. Sed epistolā trāscurremus. *Stephanus* electus & di-
Ephe. 2. lectus à deo, fuit *plenus gratia*. Per gratiā Christi saluatus
fuit, & nō ex operibus iusticiæ suæ quæ fecisset. Hæc gra
tia autē adeo superabūdauit in eo, ꝙ ꝑ eā omnia pote-
2. Cor. 6. rat, quæ diuinæ placita erāt volūtati. Nec eam in vacuū
accepit, nec abiecit, nec neglexit, sed cum ea salutē pro-
priā & aliorū multorū operabaẗ & saluauit in regnū dei
cœleste. *& fortitudine* ad aduersa pro Christo tolerādū.
Philip. 2. Hāc virtutē & fortitudinē spiritus, dn̄s illi dedit, ꝑ quā si-
milis factus est leoni in operib⁹ suis & ad nulli⁹ pauebat
1. Mac. 3. occursum, nullius ꝓsecutoris minas timuit aut cruciatus.
Imo minas spirātes & cędes forti animo despexit & ex
Actu. 9. charitate ꝓ eis orauit, eo ꝙ coronā iusticię illi fabrica-
Phili. 1. uerunt, & ad celerē cæli ingressum (cupiebat siquidem
ex toto

ex toto corde,dissolui & esse cum Christo) ei cooperabantur multum,& quasi manibus suis leuauerunt. Sciuit quòd id quod in præsenti erat momentaneum & leue tribulationis & cruciatus sui,supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus ei operabatur.Neq; enim miles iste fortis Christi,in suo isto agone, temporalia quæ videntur,contemplabatur,sed quæ nõ videntur, æterna in mente reuoluit.Ideo lætãter forti animo,hanc semitam currebat,calicem domini bibit, crucem sic post dominũ portauit,& coronã incorruptã in agone,contendendibus promissam,mox accepit. O pulchra colligatio, gratiæ & fortitudinis. Vbi gratia viuificat,iustificat & in vineã dei conducit.Fortitudo autem,mundum vincit,operatur iustitiam,diabolo nullum locum dat, sed ei in fide fortiter resistit,& triumphat in semetipso, *faciebat signa magna & prodigia in populo*, ad fidei & doctrinæ euangelicæ confirmationem.Sic dominus cooperabatur illi in operatione iustitiæ,& in prædicatione verbi dei,qua viam dei docuit in veritate, & sermonem illius ac fidem confirmauit sequentibus signis. Verùm inimicus homo,osor omnis boni, draco antiquus qui mundum seducit, contra iustum bellum excitauit. Nã mox viros pestilentes mente corruptos,inimicos omnis iustitiæ direxit in bellum. Nã dum sanã doctrinam eius audierunt & angelicã eius vitã viderunt,excanduerunt,irascebãtur, dentibus fremuerunt & contabuerunt, de quibus sequitur: *Surrexerunt autem quidam* viri Belial, cum inuidia tabescente iter habẽtes, *de synagoga*.Satanæ & superborum,quibus nõ est sanitas, ex quinq; locis congregati in vnũ aduersus dñm, & hũc Christum eius.Vt multitudine vincerent, quẽ scripturis & veritate vincere diffidebant. Hæc Synagoga *appellabatur Libertinorum & Cyrenensium & Alexandrinorum & eorum qui erant à Cilicia & Asia:* omnes vasa iniquitatis,iræ, & in contumeliam, bellantia, ad credendum reprobi & difficiles, ad resistendum veritati, ad blasphemandum viam Dei, ad persequendum iustos, concordes ac propensissimi.Vnde sequitur, *disputantes cum Stephano*, præcone iustitiæ,adsertore veritatis, doctore Euangelij, & fidei Iesu Christi: sine quibus impossibile est placere Deo & saluari. *Et non poterant resistere*, volebant quidem, & omnes neruos in hoc extenderunt, omnem lapidem mouerunt, *sapientia* scripturarum, & ipsius

2.Cor.4. Heb.12. Mat. 10. Ephes.4. 1.Pet.5. Marc.16. Actu.13. Psal.11 Sap.6. Eccles.3. Gen.49. Heb.11.

Stephani, *& spiritui* sancto *qui loquebatur* in Stephano.
Mat.10. Implebat promissionem suam dominus qui dixit: Dum
Luc.1. steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt (rationabiliter & cum veritate) resistere & contradicere, omnes aduersarij vestri. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Ad omnes falsas eorum calumnias respondit veraciter, scripturis eorum ora iniqua loquentia obstruxit,
Prou. 18. palam eos traduxit & confudit. Tandem cum eos in profundum venisse conspexit, nolle intelligere vt crede
Psal. 82. rent, bene facerent & saluarentur, tunc eos dure & cum
Tit.1. & 2. omni imperio (sicut duri & indurati erant, & in reprobum sensum dati) reprehendit dicens: Dura ceruice & incircuncisi cordibus & auribus, vos semper Spirituisancto re
Psal.10. stitistis, sicut & patres vestri, ita & vos. Quē prophetarū nō sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prę
Gal.3. nunciabāt de aduentu iusti (qui iustus est & iustificat, & diligit iustos,) cuius vos nūc proditores & homicidæ fui-
Ioan.7. stis, qui accepistis legē in dispositione angelorum, & non custodistis eā, imò, nullus vestrum eā seruat. Sed veritas
Sap.2. odium parit, ac mali, correctores suos odio habent, sicut
Gal.4. Apostolus ait: Inimicus vobis factus sum, veritatem vo-
Gen. 37. bis dicens. Propter veritatē innocentē Ioseph odio ini-
Ioan.1. quo oderunt, grauis illis erat ad videndum, nec potuerūt ei quicquā pacifice loqui. Cum Christus cepisset pote-
Rom.2. state præditos arguere, improperare peccata legis, & dif famaret in eos peccata disciplinæ eorum, tunc consiliū
Mat.13. fecerunt, quomodo eum caperent & perderēt turpissima morte. Vnde vt implerēt mensurā patrum suorum, ex veritatis verbis exacerbati sunt, sæuire cogitāt in medicū, qui salutis eis remedia dixit. Maluerūt perire quàm obedire, mori quā viuere, damnari quàm faciendo bonitatē, vitā æternā promereri. Sequitur: *Audientes hæc* verba vitæ, salutis consilia, documenta veritatis, præ furore nimio
Eccl 27. & ira (quæ vtraq; sunt execrabilia & odibilia Deo.) *dissecabantur cordibus suis*, quia non habebant rationem et iustam causam occidendi eum, et nihilominus mortem illius sitiebant, et sic dissecabātur in internis, quia passio præualens discrepabat à ratione. Nā quod liuor edax et
Esa.57. furor iussit, hoc ratio horruit et damnauit. Sic non est
Rom.5. pax impiis: nam cogitationes eorum malæ, inter se accusan-

cusant et defendunt semetipsas, et vt canes rabidi *stridebant dentibus in eum*, et furorem mentis verbis maledicis, minis et terroribus, qua latratu minaci foris ostenderunt. *Cum autem esset* Stephanus *plenus Spiritu sancto*, hoc est, gratia et charitate. Hæc autem plenitudo in agone isto, et martyrio fuit augmentata, et postquam probatus fuit, in cœlo consummata, *intendens in cœlum* oculis mentis et corporis, in locum diu desideratum. Nam quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, cum à canibus et venatoribus persequitur, et quæritur ad mortẽ, ita athleta hic fortis et potens in prælio (quo eum fortis armatus, mundi huius princeps et deus persequebatur,) desiderauit venire ad Deum. Sitiuit anima eius ad Deũ fontem viuum, vt veniret et appareret ante faciem Dei, et facie ad faciem eum videret. Quia tunc solummodo se satiãdum sciebat, cùm apparuerit gloria eius, quod est post vitæ huius cursum consummatum in bono. *Vidit gloriam Dei*, ad consolationem et confortationem suam, ex gratia speciali. Et sic Deus coronam gloriæ sibi præparatam, pro qua nunc in agone contendebat, sibi ostendit. Nam magnitudo præmij, minuit et crebro ex toto tollit, dolorem supplicij. *& Iesum stantem à dextris Dei.* Hoc dicit, ad affirmandam eius resurrectionem et ascensionem in cœlum, quod non credebant perfidi Iudæi. Et quia eiusmodi visiones fiunt secundum conuenientiam eius quod significatur, vt ex multis scripturæ sacræ locis manifestum est: ideo Stephanus vidit Iesum stãtem: hoc signante Spiritusancto, quòd paratus erat ad eum adiuuandum in agone isto, in quo cum rege filiorum superbiæ tenebrarum principe contendebat. Nam stare proprium est adiuuantis in prælio: sedere vero proprium est iudicantis et regnantis ac sedentis in throno suo. Propter quod Marcus, vbi describit regnum Christi, dicit eũ sedere à dextris Dei in excelsis. *Et ait: Ecce video cœlos apertos*, Dionysius Carthusianus: Hoc intelligendũ est, eo modo, quo in Christi baptismo cœli leguntur aperti. Nõ vtiq; quòd incorruptibilia illa corpora sint fracta, siue diuisa: sed quoniã intuentis oculũ ab aspectu habitantis in cœlo, nõ impediebãt. Et forsan sancto Stephano aperti apparuerunt, ob lucis cuiusdã è corpore emicationem, desuper à corpore Christi radiãtem, sicut in magnis coruscationibus cœli aperiri vidẽtur, *& filium hominis*. virgi-

Psal. 40.
1.Cor.13
Psal.16.
1.Cor.6.
Iob.41.
Ephes.6.
Mat.3.
Luc.3.

nis matris *stantem* ad me adiuuandum *à dextris virtutis Dei.* Iustum profectò erat, vt primus martyr in consolatione futurorum sequẽtium, quia vitã pro Christo statuit in terris, cœlos sibi videret apertos, & paratum præmium ad quos oẽs acciperẽtur. ¶ Vide hîc, quòd ad maiorẽ duriciei Iudæorum cõfutationẽ, & perfidiã cõfutandã nõ solùm Dei filium (propter quod eum occiderant,
Ioan. 10. quia filium Dei se fecit, sed & filium hominis eum nomi
& 19. nat, qui eis ex Abrahã & Dauid promissus fuerat & na-
Gen. 22. tus) hunc enim, quẽ vt hominẽ occiderẽt Iudæi, nolẽtes
Psal. 131. Deum credere, videre se dicit in dextra maiestatis paternæ gloriæ in excelsis. *Exclamantes autem voce magna,*
Heb. 1. ne vera Stephani verba audiãtur, *continuerunt aures suas,* ne verba testis veritatis Stephani, sua falsa æstimatione blasphæma audirẽt. Sic zelum dei simulabãt (ficta sua disciplina, quã spiritussanctus fugit) & eius blasphemias se
Sap. 1. ferre nõ posse mentiebãtur. Sed ipsi inimici omnis veritatis, fabricatores mẽdaciorum & cultores peruersorum dogmatum, qui sanã doctrinã sustinere non possunt, quæ
Iob. 14. secundum pietatẽ est, & secundũ euãgelium gloriæ bea-
2. Tim. 4. ti dei, filij falsitatis obstruxerunt, aures suas veritati omnia vincẽti, qui eas prius ad Christi obturauerunt prædicationẽ. *& impetum fecerunt*, non ratione, sed furia moti; *vnanimiter in eum*, id est, pari malitia, obstinatione & per-
Sap. 17. fidia moti. Oẽs nãq; vna catena tenebrarum siue diaboli, erant colligati, & in eadẽ dãnatione. Nõ enim ex charitate, sed ex malitia vnanimitas illa processit. *& eiicientes eum extra ciuitatem*, sicut hominem pestilentem, ciuitatem conturbantem. Sicut ouem morbidã alias sua cõ-
Heb. 13. tagione inficientem. Sic & Christus extra ciuitatẽ passus est. *lapidabant eum*, non conuictum, non confessum malum. In quo legem se seruare mentiebantur, secundum
Leuit. 24. quam blasphemi lapidandi erãt extra ciuitatem. *& testes iniqui*, qui eum blasphemiæ falsæ insimulauerãt. *deposuerunt vestimenta sua ad pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*, vt legem perfecte implerent, & iota vnum ait, minimum apicem legis non præterirent, quæ præcipit vt
Deut. 17. manus testium in lapidatione blasphemi esset prima.
Act. 13. Saulus autem in lapidatione hac erat consentiens, & aliorum vestimenta custodiuit, vt expeditius eum in-
Act. 22. terficerent, & ipse quasi ex manu omnium martyrem lapidauit. At ille postquam misericordiam consecutus

est à

est à deo vt esset fidelis quia ignorans hoc fecit, vocatus est Paulus. Dæmonium certe meridianum hic ei imposuit, ideo non secundum scientiam zelans, æstimauit se aduersus fidem & nomen Iesu Nazareni multa contraria debere agere. Sic impiorum innotuit diabolica malitia qua patrem suum imitando, qui homicida fuit ab initio & non stetit in veritate, innocentem iniuste persecuti sunt & occiderunt. ¶ At contra Lucas nunc perfectam patientiam Stephani & charitatem eius fortem qua vicit malitiam producit in lucem dicens: *& lapidabant.* viri iniqui, filij diaboli & perditionis, *Stephanum*, dilectum deo & hominibus, qui ingrediebatur sine macula & operebatur, placuit omnibus in bonum, & nulli dederat vllam offensionem *inuocantem*, & ex charitate vera & compassione errantium qui in hoc putabant se deo obsequium præstare, deum orantem pro illis, *& dicentem Domine* vniuersorum, qui omnia potens es facere, *Iesu* & salua tor qui neminem vis perire, *suscipe spiritum meum.* In manus tuas commendo spiritum meum. Corpus volens tribuo lapidationi, sed spiritum precor à te seruari. *Positis autem genibus.* Ecce oraturus pro suis persecutoribus, flectit genua, & stans, orat pro seipso, *clamauit voce magna,* non tam clamosa, quam affectuosa & deuota, *dicens: domine*, cœli & terræ, *ne statuas illis hoc peccatum.* Ne imputes illis ad damnationem. Ne memineris illius, sed miserere eorum secundum magnam misericordiam tuam, quia benigna & suauis est misericordia tua. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem eorum ne cum hoc mundo damnentur. Sic imitatur Christum, in cruce pendentem, qui cum voce magna & lachrymis preces & supplicationes pro peccatoribus obtulit & pro sua reuerentia exauditus fuit. Noli eis reddere secundum peccata eorum, sed illumina eorum oculos ne obdormiant in morte. Præueni eos in benedictionibus dulcedinis, vincula eorum dirumpe, peccata eorum dele, vt eos videam & consortes habeam in vita æterna, qui me nūc sua persecutione liberant de hac vita omnibus calamitatibus plena. Amen. *& cum hoc*, verbum perfectæ charitatis, benignitatis, & patientiæ *dixisset*, ex vero corde, *obdormiuit in domino.* Nam Christus venit & accepit eum ad semetipsum in regnum cœleste, vt vbi Christus est, est & Stephanus cū eo. Ibi nunc sedet super mēsam eius

1. Tim. 1. Psal. 90. Rom. 10. Act. 26. Ioan. 8. Psal. 25. Rom. 15. 2 Cor. 6. Ioan. 16. Psal. 30. Psal. 50. Luce 23. Heb. 5. Psal. 20. Ioan. 14.

edit

Mat.8. edit & bibit cum Abraham Isaac & Iacob in regno cœ-
Esa.35. lo um. Tecum reputa, cum quanto gaudio & lætícia, anima hæc beatissima in cœlum est portata, montes & col-
Iac.5. les cantabant coram ea laudes. Sic beatificamus eos qui
Apoc.14. sustinuerunt. Et beatos dicimus qui hoc modo in Domino moriuntur.

DE SANCTO STEPHANO MARTYRE, IN EVANGELIVM,

Sermo primus.

HERI audiuimus, quomodo deus, qui diues est in misericordia & pater misericor-
Rom.5. diarum propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cùm adhuc inimici eius essemus secundum tempus, & mortui peccatis, per viscera misericordiç suæ visitauit nos oriens ex
Ephe.2. alto & conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati sumus. Imo, conresuscitauit & consedere fecit in cœ-
Rom.8. lestibus (quia spe iā salui sumus) in Christo Iesu. Vt deus totius consolationis ostenderet in seculis superuenientibus, abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu. In hodierno autem euangelio filiorum diaboli & tenebrarum ingrata diabolica malitia re
Ioan.8. texitur, qui patrem suum imitantes, opera eius & desideria maligna absque omni timore perficiunt: Nempe, iu-
Rom. 11. stos gratis odio habendo, persequendo, mille modis sine causa lacessendo & morte afficiendo. Filij dei proximos diligunt, beneficiis demerentur etiam inimicos, & nemini malum pro malo reddunt, sed vincunt in bono malū pro persequentibus & calumniantibus orant. Filij autem diaboli odio iniquo odiunt piè viuētes in Christo, calumniantur bonam eorum conuersationem. Non possunt eis quicquam pacifice loqui, bona eorum in malum conuer
Eccl.11. tunt, graues sunt eis ad videndum. Contumeliis tandem & tormentis interrogant eos, vt sciant reuerentiam eo-
Sapien.2. rum, & probent eorum patientiam. Quod si sic nihil proficiunt & iustos in bonitate manere conspiciunt, atque omnia sufferre & omnia sustinere propter iustitiam & coronā vitæ, tunc morte turpissima & crudelissima eos cō-
Ephes.5. dēnāt. Sic iusti imitatores Dei sunt sicut filij charissimi, & ambulāt in dilectione. Iniusti, & qui cū inuidia tabescen
Ioan.8. te iter habēt, imitantur patrē suū diabolū qui homicida fuit ab initio,

initio & nunquam in veritate ſtetit,& odibilia deo opera faciunt ex profeſſo,nec deum timendo, nec homines reuerendo: Imò ad hoc deueniunt malitiæ dum iniquè agunt vſquequaque,quòd non ſolum non reuertuntur ad cor,ſceleribus deſignatis etiam infandis & auditu horrendis,ſed magis gloriantur in malitia,& quòd potentes ſunt iniquitate.Lætantur cùm malefaciunt, & in rebus peſſimis exultant:Imo per hæc obſequium deo præſtare ſe falſo putant,& adeo in conſcientia ſua ſecuri ſunt,quaſi iuſtorum facta haberent, & omnia quæ eis præcepta ſunt, feciſſent.Igitur in hodierno euangelio oſtenditur, quòd iniqui Chriſtum non ſolum non recipiunt , ſed etiam in membris ſuis perſequuntur.Et tria facit: Nam liuida ponitur piorum impugnatio in principio.Deinde execrabilis prauorum obſtinatio,ibi:Hieruſalem. Poſtea damnabilis impiorum deſolatio,ibi:Ecce relinquetur.Ante euãgelium hodiernum Saluator noſter,mitis & humilis corde,agnus item innocens,qui nõ aperit os,duros,obſtinatos & in reprobum ſenſum datos,Scribas,phariſæos & hypocritas quoſque reprehendit,idque cum omni imperio. Non ex inuidia aut zelo amaro quem habuiſſet in corde ſed ex vera dilectione qua ſitiebat & eſuriebat eorum ſalutem,Vnde ſapiens ait:Melior eſt ira per zelũ, riſu:quia per triſtitiam vultus corrigitur,animus delinquentis : & melior eſt manifeſta correctio, quam amor abſconditus. Meliora item ſunt vulnera diligentis , quam fraudulenta oſcula odientis.Sic pater pius,ſic mater dulcis facit,poſtquam non proficit dulcis monitio , dat prolibus virgam. iuxta illud:Qui diligit filium,aſſiduat illi flagella.Et medicus cum vngenta non ſanant & pharmaca,ſecat & vrit. dicit ergo : *Ecce*,ſtupendum quid & horrendum,quod qui audiunt tinnient ambæ aures eorum,*ego*,rex regum,deus deorum dominus dominantium,& princeps regum terræ , *mitto ad vos*,ſicut miſit me pater meus,non querens ꝙ mihi vtile eſt,ſed quod vobis,vt fiatis:nec veſtra quærens,ſed vos.Nec mitto ad vos leues homines & indoctos,ſed, *prophetas*,quibus incerta & occulta ſapiẽtiæ manifeſtaui:Nempe,apoſtolos , qui ſpiritu prophetico pleni erãt,maxime Ioannes in Apocalypſi, & paulus apoſt.in multis locis . *& ſapientes* in cogitatione diuinorum , qui corda fidelium ſapientia diuinitus reuelata imbuebant. Illa inquam ſapientia,quæ pudica eſt, pacifica, modeſta, ſua

Luca 18. Prou.2. Eccl.3. Luca 17. Matt.11. Matt.23. Luca 11. Eccl.7. Prou.27. Eccl.30. 1.Reg.3. Pſal.48. Ioan.13. 2.Cor.2. 1.Cor.1 Iac.3.

ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fru-
ctibus bonis,& ſine ſimulatione. Quæ eſt omnium bo-
Sapien.7. norum mater,& dei amicos ac prophetas conſtituit: Non
ſapientia carnali quæ mors eſt, aut huius mundi, quæ
deſtruetur & inimica deo eſt,cum ſuis profeſſoribus re-
Rom 8. probatur. *& ſcribas*, vt fuerunt euangeliſtæ & doctores
ſancti, qui de theſauro ſuo bono,noua & vetera protule-
runt, multóſque erudierunt ad iuſtitiam: quod deus de-
Matt.13. dit ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij,
in ædificationẽ corporis Chriſti: Qui & in vinea domini
Ephes.4. fideliter laborauerunt,talenta ſua ad vſuram poſuerunt,
fructum multum,&lucrum fecerunt, & omnes ſicut ac-
ceperunt multiformem dei gratiam, ſicut boni & fideles
diſpenſatores in alterutrum illam diſtribuerunt. Quid au
1.Pet.6. tem mercedis pro labore,gratitudinis pro charitate tan-
ta acceperint,iam ſequitur: *& ex illis* bonis & amicis meis,
filiis meis & membris meis, iuſtis & ſanctis, quibus di-
Ioan.8. gnus non eſt mũdus in maligno poſitus *occidetis* vos filij
diaboli & Belial,ſerpentes & genimina viperarum: Vos
ſubuerſores,increduli, abominabiles,& ſcorpiones: vos
qui eſtis in arcum prauum conuerſi,& proiecti à facie o-
culorum dei. Sic Iacobum fratrem domini occiderunt &
Stephanum, *& crucifigetis* quod erat ſummè ignominio-
ſum, vt Petrum, Andream, & Simonem iuſtum filium
Cleophæ. Nec ſic eritis contenti,nam *& ex eis flagellabi-
tis in ſynagogis veſtris*,iuxta illud: Conuocantes apoſtolos
cæſis denunciauerunt,ne omnino loquerentur in nomi-
Act.16. ne Ieſu. Sic Paulus & Sylas, iuſſi ſunt virgis cædi. Et A-
2.Cor.11 poſtolus de ſeipſo ait: Ter virgis cæſus ſum,& iterũ: Quin
Mat. 10. quies quadragenas (plagas) vna minus accepi. Nec ſic
ſatiati eritis, *& perſequemini eos* ad gloriæ eorum cumu-
lum & damnationis veſtræ augmentum, *de ciuitate in ci-
uitatem*, tanquam onus terræ, cæcos duces, faſcinatores
populi & ſeductores, tanquam vita ipſa indignos, tan-
quam peſtilentes & oues morbidas, ſua contagione a-
lios maculantes. Sic facta eſt magna perſecutio in Hie-
ruſalem, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ: De
calice iſto crebro bibit apoſtolus Paulus,vt in Actis cer
Mat. 10. nere eſt in locis multis. Hæc Chriſtus antea apoſtolis
prædixit: Cauete inquit ab hominibus,tradent enim vos
in conciliis,& in ſynagogis ſuis flagellabũt vos,& ad re-
Ioan. 16. ges & præſides ducemini propter me, &c. Sic Chriſtus

electos suos in hoc mundo prædicit manere mala & tribulationes, vt mundi amorem auferat ab eis. Calicem quidem meum bibetis dixit ad Iacobum & Ioannem. Item in mundo pressuram habebitis. Sic sancti ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula et carceres, &c. Ergo crudelia, quia mortem: turpia, quia crucifixionem: multiplicia, quia flagella: continua, quia persecutiones de ciuitate in ciuitatem. Et in his omnibus superauerunt propter eum qui dilexit eos, adeo quòd aquæ multæ nõ potuerũt in eis extinguere charitatem, nec flumina obruere peccatorum. Peccatores sæuierunt, sed quanto crudeliora supplicia sanctis intulerunt, tanto ignis amoris diuini magis in cordibus eorum augebatur, et in vehementiores flammas excreuit. ¶ Verùm non impunè ecclesia malignantium in ecclesiam iustorum grassatur: sibi nocent impij, et iustis coronas iustitiæ fabricant, dum supra dorsa eorum iniquitates suas prolongant, Nam diligentibus deum omnia cooperãtur in bonum: ideo in persecutionibus iustorum, iniquorum sors dolẽda est, & iustorum afflictio cum gratiarum actione prosequenda. Dicit ergo: *vt veniat*: Vt consecutiue, non causaliter tenetur hîc, quasi dicat. Non est affectio voluntatis meæ, nam alienum est opus eius quando infert iram, & damnat induratum. Miserere verò proprium eius est & parcere. Est autem consecutio æquitatis, quando dat vnicuique secundum opera sua, *super vos* & omnes vobis similes qui diligitis malum, & odio habetis bonum. Qui non acquiescitis veritati, & creditis mendaciis & iniquitati: Qui non vultis intelligere vt bene agatis & malitiam diligitis, *omnis sanguis iustus*, id est, debita vltio & iusta vindicta pro omni effusione sanguinis iustorum, *qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti*, inclusiue, cuius munera deus respexit, *vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare* holocaustorum. Iste Zacharias filius Ioiadæ sacerdotis fuit, & iste Ioida binominus fuit, sicut et multi alij in veteri et nouo testamento. Et Ioida iste dictus est Barachias propter interpretationem nominis, quia Barachias benedictus Domini interpretatur. Et benedictio domini super caput iusti. et iterum: Tu benedices iusto, et iustus iste periit in iustitia sua, et vterque visus est oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, et animæ eorum

Mar. 10. Rom. 8. Cant. 8. Psal. 128. Rom. 8. Rom. 2. Psal. 35. Gen 4. Prou. 10. Psal. 5.

Sap.3. eorum in manu dei. Abel,frater suus Cain, occidit. De
quo Ioannes ait:Diligite alterutrum,nō sicut Cain,qui
1.Ioan.3. ex maligno erat,& occidit fratrem suum. Et quare cum
occidit?quoniam opera eius maligna erant, fratris autē
eius iusta.Zachariam rex Ioas iussit occidi in templo,eo
2.Par.24 quòd reprehendit eum in impietatibus suis. Nam incur-
Teren. rit odium,qui arguit criminosos, & obsequium amicos,
sed veritas odium parit.Hinc Apostolus ait:Inimicus vo
Gal.4. bis factus sum,veritatem vobis dicens. Hinc de filiis sce-
Esa.1. leratis, semine nequam, & populo graui iniquitate, ait
Propheta:Odio habuerunt corripientem in porta. Hinc
Amos.4. de pio Michea,impius Achab dixit:Est hic propheta Do
3.Reg.vl. mini,sed ego odi eum,quia semper prophetizat mihi ma
la. Noluit verus propheta scelestum regē laudare in de-
sideriis suis, & iniquum benedicere. Noluit ei vendere
oleum,loqui placentia,& per dulces sermones & bene-
dictiones cor eius seducere.Verum,voluit eum lucrari &
conuertere ad dominum deum suum,ideo dixit ei veri-
tatem. Sed venditus erat sub peccato vt faceret mala,
ideo syncerae correctionis verbum, vt nocentissimū de-
spexit venenum, & bonum dixit malum. Vnde dicitur
hic de Ioas, quòd delinitus verbis adulatoriis suorum
2.Par. consiliariorum scelerata designauit: quem cum Zacha-
24. rias argueret impietatis, iussus est occidi. Et non est re-
cordatus Ioas misericordiae quam fecerat Ioiada pater
Zachariae secum,sed interfecit filium eius. Sed euoluto
anno,venerunt Syri cum parua manu,& omnes princi-
pes Ioas peremerunt gladio, & infinitam populi multi-
tudinem,vel occiderunt vel captiuam duxerunt. In Ioas
quoque ignominiosa exercitia exercuerunt,& abeuntes
dimiserunt eum in languoribus multis & magnis. Surre
xerunt autem contra eū serui sui in vltionem sanguinis
Zacharię filij Ioida sacerdotis,& occiderunt eum in lectu
lo suo,& mortuus est. Sic deus sanguinem seruorum suo-
rum vlciscitur semper, & vindictam retribuit in hostes
Deut.32. eorum. Et iterum:Mea est vltio, & ego retribuam eis in
tempore.Et hoc statim,ita vt disperdat eos,protinus resti
Deut.7. tuens eis quod merentur.Et reddit inimicis eorum septu
plum in sinum eorum.Notior etiam est vltio Cain,quam
vt necesse sit eam hic literis demandare. Laudate igitur
Psal.78. gentes populū eius,& nolite tangere christos eius.Quod
si feceritis,non cedet vobis impunè.Sic altissimus est pa-
tiens

tiens redditor. Lento quidem gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, sed tarditatem grauitate supplicij compensat. Expectat dominus vt misereatur, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti & saluari. Si quis autem diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis dei contemnit, & tempore indulto ad pœnitentiam secundum duritiam suam & cor impœnitens abutitur in superbia sua, iste iram dei sibi thesaurizat in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei. Nec viuus nec mortuus manum dei effugere potest. Et crebrò, cùm cœperint scelerati dicere, adhuc diu non venit dominus, & dicunt, Pax & securitas, & carnis curam faciunt in desideriis, in conuiuiis, in vinolētiis, in comessationibus, in potationibus, in ebrietatibus & luxuriis, atque conseruos percutiunt & ancillas, & ex animi sententia cuncta habēt, tunc repētinus eius superuenit interitus, & non effugiunt, sicut dolor in vtero habentis. Hinc Naum dicit: Deus æmulator, & vlciscens dominus, & habens furorē, vlciscēs dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Fugite igitur à facie gladij, qui perpetratis mala sine omni timore, & vos superbi, qui inique agitis vsquequaq;, quia vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium. Quòd si non feceritis, apprehendent vos mala omnia quæ in libro Iob capit. xx. partim sunt perstricta. Quia fortis vltor dominus, reddens retribuit in tēpore, & nemo potest de manu eius eripere, vel effugere. *Amen dico vobis*, induratis, in reprobum sensum datis, qui mensuram patrum vestrorum implere in mea morte vultis, *venient hæc omnia*, peccata & mala pœnalia pro peccatis infligenda. *super generationem istam*, Iudæorum & reproborum, qui audacter Deum prouocant in peccatis suis.

Valerius lib. 1.

2. Pet. 3.

Rom. 2.

Iob. 24.

1. Thes. 5.

Luc. 12.

Num. 1.

Iob. 19.

¶ Verùm cum isti neutrum istorum occiderunt, quare super eos sanguis eorum venit? Quia post tot exempla non sunt à malitia auersi (sicut & Daniel ad Balthasar dixit, quòd ex punitione & humiliatione patris sui non fuit retractus à malo) imò peiores effecti. Nā deum deorum, sanctum sanctorum, dominum gloriæ, regem regum occiderunt, ex inuidia, nulla mortis causa in eo inuenta: ipse autem verus pastor ouium fuit, & sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ergo apposité per hos duos accipitur Christus Iesus. Similiter quo ad corpus suum mysticum quod est ecclesia iustorū, in quo

Dan. 5.

quotidie persecutionem patitur à filiis Belial & scele-
Iob. 1. ratis. Nam Abel, vir simplex & rectus ac timens deum,
& recedens à malo fuit, & ideo in agro propter iustitiā
Hebr. 7. occisus fuit. Zacharias, sacerdos sanctus, innocens, im-
pollutus, segregatus à peccatoribus & cœlis excelsior
Luc. 1. fuit, deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis ser
uiuit, recti, iustique tenax, ideo faciē potentis nō timuit,
Matt. 5. quo minus nō agonizaret pro iustitia, & pro vita æter-
na, vsque ad mortem. Sciebat nāque quòd beatus esset,
si oporteret eum pati propter iustitiam, quia ipsius esset
regnū cœlorū. Per hos duos, omnes electi designantur.
Pusilli in Abel, magni in Zacharia. Oues in illo, pasto-
res in isto. Sudditi in Abel, potestate præditi in Zacha-
ria, qui in atrio templi occubuit. Ex vtroque gradu, mar-
tyres multi coronati sunt, quos sub nominibus istorum
Psal. 23. duorū dominus designauit. Duas generationes scriptu-
ra sacra passim cōmemorat, iustorū videlicet & repro-
borū. Illa est generatio quærentiū dominū in simplici-
tatē cordis sui, & quærentiū faciē dei Iacob. Illa est ge-
neratio rectorum quæ benedicetur, & in vita quæ nunc
est, & futura. Hæc est generatio praua atque peruersa &
& infideles filij. De qua & Dauid dicit: Generatio praua
& exasperans, generatio quæ non dirigit cor suum secū-
dum Deū. Hæc generatio, quasi leo deuastat. Hāc hic lo-
ci, malam malorum generationem, quæ est corpus dia-
boli, & domus & atrium & ciuitas Babylon dominus de-
signauit. Qui sicut in malitia & nequitia similes sunt in
culpa, sic simul in pœnis sociabuntur. Sicut enim electi
in cœlis sibi gaudia cumulant, ita reprobi in inferno sibi
Prou. 10. & aliis exaggerant pœnas. Terret itaque nunc eos, qua-
tenus, à malo desistant. Sed in profundū malorū vene-
rant, ideo omne salutis adiutorium & consilium cōtem-
Hiere. 8. pserunt. Et sicut equus impetu ad bellum, sic isti curre-
bant ad malū, vt sanguinē iusti effunderēt & introduce-
rent super se sanguinē Christi: Pro nihilo enim habue-
runt, q̄ omnia peccata piorū patrum suorū super illos
dixit reuoluenda. Vnde obiter notandū quod iusti audiē
tes iniquorū punitionē, lætantur, videntes vindictam, &
manus suas lauant in sanguine peccatorū. Vnde scriptū
est de Doech pessimo, postquā vltricē reperebat mortē,
Psal. 51. & dignas sceleribus suis pœnas accepit. Videbūt iusti &
timebūt (iustum iudiciū dei) & super eum ridebūt & di-
cent:

cent:Ecce homo qui non posuit deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarũ suarũ, & præualuit in vanitate sua &c.Sic pestilẽte flagellato, sapiẽtior stultus efficitur & paruulus.Et Iob ait,de Antichristo: Cũ sublatus fuerit homo ille peccati, quem dominus Iesus spiritu oris sui interficiet,timebũt angeli,id est,homines electi,& purgabuntur.Reprobi verò, nec minis mouentur,nec exemplis terrẽtur,vt à diaboli laqueis resipiscãt, & à malitia sua. Eatenus ergo peccata parentum super filios venire dicuntur,non vt in illis & pro illis puniantur,quia scriptum est:Filius nõ portabit iniquitatem patris sui,& pater non portabit iniquitatem filij.(Hoc tamen de pœna æternæ dãnationis & sensus,accipiendum est secundũ Lyranum,)Sed quatenus filij videntes parentũ punitionem,& ex hoc,vt Balthasar,non emendantur,tunc propter peccata parentũ aggrauatur peccatum filiorũ.Inde est,quòd vltio à Lamech grauior exigebatur quàm à Cain,licet vt hic,ille fratrem suum nõ occiderit,sed propterea plus puniebatur Lamech quã Cain, quia Lamech ante se habuit,in quo dei iram & peccatũ deo displicere,didicit & nouit, nec tamen exemplo tam horrendo edoctus peccatum homicidij exhorruit. Hoc modo,cũ scirent Iudæi,quàm impiũ fuerit occidisse sanctos prophetas,qui de futura in nobis gratia scrutati sunt & exquisierunt,meritò ab occisione Sancti sanctorum & filij dei abstinere debuissent, cuius opera quæ nemo alius fecerat,viderunt. Cuius doctrinã verissimã probauerunt.Cui omnes prophetæ testimoniũ perhibuerunt. Sed quis potest corrigere,quẽ ille despicit? Quis potest docere eum,qui veritatem agnitam impugnat?Qui non vult intelligere vt bene agat?Qui potius vult perire quã redire? Terribilis ergo deus in consiliis super filios hominum.Ideo qui tenet fidem catholicã,teneat, & in bonitate permaneat,& faciat bonitatem, donec de medio fiat.Faxit deus,Amen.

Prou.19. Iob 41. 2.Thes.2. Deut.24. Eze.18. Dan.5. Gene.4. 1.Pet 1. Ioan.15. Actu.10 Eccle.7.

DE SANCTO STEPHANO
SERMO SECVNDVS.

DEus noster, Charissimi,deus saluos faciendi est, & domini exitus mortis. Non enim vult mortem peccatorum,sed vt cõuertantur & viuant. Non est voluntas ante patrem vestrum

Psal. 67. Ezec. 18.

Matt. 18 qui in cœlis est,dixit Christus discipulis suis,vt vnus pe-
Ioan.3. reat de pusillis istis. Sic & misit filium suum in mūdum
nō vt iudicet mundū,sed vt saluetur mundus per ipsum.
Luc.9. Sed & filius venit,non animas perdere,sed saluare,quæ-
Luc.19. rere & saluum facere quod perierat.Ideo vult omnes ho
mines saluos fieri,& ad agnitionem sui nominis perue-
1.Tim.2. nire.Ideo patienter agit propter nos, & vasa iræ apta ad
Rom.9. interitū,in multa patientia sustinet, nolens aliquos pe-
rire,sed omnes ad pœnitentiam conuerti.Amat animas,
ideo parcit omnibus,quoniā sua sunt, & peccata nostra
Sapi. 11. dissimulat. Si autem diuitias bonitatis & patientiæ &
longanimitatis eius contemnimus, & indulto ad pœni-
tentiam tempore abutimur in superbia nostra, & nolu-
mus pœnitere, credere euangelio, & relicta malitia ad
Deum reuerti, atque dignis pœnitentiæ fructibus dele-
re peccata commissa: nec volumus intelligere vt bene
Esaie 5. agamus,& quòd benignitas Dei ad pœnitētiam nos ad-
ducit:sed magis trahimus peccatum in funiculis vanita-
tis,& inique agimus vsquequaque, addendo præuarica-
tiones & peccata super peccata, tunc iusta est damnatio
nostra.Nos iram Dei & vindictam super nos inducimus,
& peccatis nostris cogimus eum vt nos damnet per suā
iustitiam,quos alioqui saluare voluit, si ad eum reuersi
fuissemus,per suam gratiam & misericordiam.Nam sicut
misericordiam desiderantibus si negaret Deus, crudelis
esset & inexorabilis, ita si in malitia perseuerantibus &
tantam salutem & gratiam negligentibus vel contem-
nentibus,iram non inferret,& iuste nō puniret, iniustus
Psal. 10. esset.Iustus ergo est Dominus & iustitias diligit. Et dat
vnicuique secundum opera sua.Exultemus ergo & læte-
Rom.2. mur in misericordia Dei,quia benigna est,suauis est, ma
gna est.Nempe,alta,longa,profunda,lata,& infinita,mi-
Psal. 118 rifica est & pia.Sed & à iudiciis Dei timeamus,quæ sunt
abyssus multa,scientes quòd terribilis est in consiliis su-
per filios hominum.Et ira et zelus et furor eius nō par-
Prou.9. cet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus,
nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et hoc di-
cit euangelium,in quo Dominus prædicit reprobationē
et damnationem Iudæorum conquerendo quasi et plā-
Luc. 19. gendo.Vnde affectum plangentis assumit Christus, qui
prius super ciuitatem fleuit, et in morte cum lachrymis
& clamore valido preces supplicationésque pro crucifi-
xori-

xoribus suis fudit ad patrem. Et duplicem eorum culpā *Luc. 23.*
gemitibus inenarrabilibus dolens, exprimit, ex qua re- *Heb. 5.*
probationis eorum meritum pullulauit & damnationis.
Nam quomodo miseretur pater filiorum, ita Deus no-
stri miseretur, quoniam ipse figmentum nostrum & im- *Psal. 102*
perfectum cognoscit. Prima radix erat homicidiū. Alia *Psal. 138.*
contemptus Dei, ibi, quotiens volui congregare. Homi-
cidium duplex tangitur. Vnum sanctorum Christū præ-
cedentium. Vnde ait: *Hierusalem, Hierusalem*, Metonymia
est, continens pro contento. Geminat Hierusalem pro- *2. Re. 38.*
pter maiorem exprobrationem, vel potius compassionē.
Sic & Dauid filij morte audita contristatus est & fleuit, *1. Reg. 3.*
ac magna voce clamauit, fili mi Absalon fili mi. Com-
mota nanque sunt viscera eius super filio suo. At matre
& patre, multo & in infinitum misericordior est Deus. *Esa. 45.*
Quia etiam si mater infantem vteri sui obliuisceretur,
& eius nollet misereri, tamen ego tui non obliuiscar, ait
Dominus. Vel geminat nomē ciuitatis, quia sanctos cor
poraliter affligebant & spiritualiter, eis per insidias, blā-
ditias & fraudum technas insidiabantur, laqueos interi-
tus ponebant. Scelus autem hoc ex tribus exaggera-
tur. Nempe ex loco, qua Hierusalem. Quæ erat ciuitas
Dei, ciuitas sancta, ciuitas sancti, ciuitas veritatis, solium
Domini. De qua Esaias ait: Nomen ciuitatis Dominus, *Esa. 52.*
ibidem item, vrbs perfecti decoris, & gaudium vniuersæ *Zach. 8.*
terræ. In qua olim fuit omnium bonorum abundantia, *Hier. 3.*
quam elegit Dominus, vt nomen eius esset ibi. Quam *Esa. 48.*
Dominus zelatus est zelo magno. Super quam custodes *Threno. 2*
constituit. In qua Deus dedit salutem & gloriam suam: *Zach. 1.*
ex qua exiuit lex, & verbum Euangelicæ gratiæ & salu- *Esa. 6.*
tis. Quæ vocata est ciuitas iusti & vrbs fidelis. Merito
ergo dixit: Hierusalem, Hierusalem. Quomodo facta est *Eze. 1.*
meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? Iustitia habitauit
in te, nunc autem homicidæ. Quomodo obscuratum est
aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides *Threno. 4*
sanctuarij in capite omnium platearum. Et maior facta
est iniquitas Hierusalem peccato Sodomorum, quæ sub- *Gene. 9.*
uersa est in momento. Nam si in Sodomis factæ fuissent
virtutes, quæ in Hierusalem factæ sunt, fortè in cilicio &
cinere pœnitentiam egissent, & mansissent vsque in ho- *Matt. 11*
diernam diem. Si Babylon, si Ægyptus, si Assyria, Sama-
ria hoc fecissent, gemens tacerem. Omne quod mihi

applicitum esset, acciperem, & in dolore sustinerem, & in humilitate mea, cum electis meis, patientiam haberem. Sed Hierusalem vrbs sacra, quomodo retribuit mihi & meis, mala pro bonis, & odium pro dilectione nostra? Simili modo, si Iudæus, si paganus peccaret, vel Ecclesiam persequeretur, tolerabilius esset, quàm si hoc facit Christianus falsus frater, homo apostata & hæreticus: qui sub pelle ouis, rapacem lupum occultat: & sub pacis osculo proditionem perpetrat. Et sub amicitiæ signis & verbis, vt Ioab sceleratus, homicidium committit. Hinc
Psal. 14. Christus Iudam designans ait: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique & cætera. O Hierusalem pacifica, quæ conuenientia pacis & occisionis. Sed ouis lupus facta est, & columba, vrsa crudelis. O Hierusalem magistra legis, caput religionis, locus diuini cultus & laudis, quomodo facta es spelunca latronum & ciuitas sanguinum, ciuitas plena iniquitate, ciuitas rebellis,
Esa.24. repleta cruore innocentum? Ergo Hierusalem, Hierusa-
Esa.9. lem, quasi diceret: Si simplices & stulti, ignorantes verbum Dei & iudicium Dei sui: Si laici, qui labores ma-
Hier. 5. nuum suarum manducant, & in sudore vultus sui vescuntur pane suo, & propter labores nõ possunt in lege Domini meditari die ac nocte. Si gentiles legem dei non habentes, & Deum ignorantes hoc facerent, quoquo
Rom.12. modo ferendum esset. Sed heu, clerici, literati, alios docentes, & non facientes, Religiosi, speciem pietatis prætendentes, & virtutem eius abnegantes, domestici & in
2.Cor.3. Deo, & Euangelio pacis gloriantes, sed claudicantes in duas partes. Ore Deum confitentes, & factis negantes, in hac transgressione sunt primi, & ab eis omnis iniqui-
Psal. 40. tas egreditur. Vnde Christus ait: Homo pacis meæ, in quo sperabam, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. ¶ Aliud Iudæorum facinus aggrauans, & horror & sceleris magnitudo & grauitas, quia occidis & lapidas, adde tertium, & flagellas. *Oc-*
Actu.23. *cidis* Iacobum, *Lapidas* Stephanum, *Flagellas* Apostolorum senatum, & Paulum cum suis discipulis. Qua-
Actu.22 si diceret: Quid amplius & crudelius potes? Lapidas corde per repulsam eorum, qui ad te missi sunt. Flagellas ore per contumelias & omne malum men-
Eccle.16. tiendo dicens contra eos: Hoc est flagellum quod omnibus pie in Christo viuentibus communicauerũt Iudæi.

Vnde rursus scriptum est: A flagello linguæ absconderis. *Iob.5.*
Hinc filij diaboli dixerunt de Hieremia: Venite percu- *Hiere.18.*
tiamus eum lingua. *Occidis* manu impie, non deferendo innocentiæ, iustitiæ aut sanctitati. Et dicit, Occidis, lapidas, flagellas. Non tantum occidisti, nam quasi naturalia hæc tibi sunt impia et nefanda opera et innata per longã consuetudinẽ. De quibus diuus Petrus ait: Isti velut bruta animantia, natura genita in capturã et pernitiem grassantur et sæuiunt in oues Christi. Et in cõtinuo actu *2. Pet.2.*
et proposito malo induras cor tuum et persistis dicens: Non mouebor à generatione in generationẽ sine malo. Et sic voluntate, quæ opere nõ valet, infinita mala facit, *Psal.9.*
et sine intermissione peccat impius, cùm in hoc peruersæ et obstinatæ voluntatis venerit profundum. ¶ Tertiũ quod peccatum illud grauauit Iudæorum, erat sanctitas, innocẽtia et iustitia eorum quos odio gratis habuerunt et persequebãtur iniuste, Occidis inquã. Sed nunquid ho- *1.Tim.1.*
stes? Nunquid homicidas, parricidas, matricidas, iniustos, immorigeros, impios, peccatores, sceleratos, contaminatos, fornicatores, masculorum concubitores, plagiarios et alia scelera infanda designantes, quæ turpe est dicere, et à sanctis ne quidem nominari debent? Nõ, sed *Prophe-* *Ephes.5.*
tas qui locuti sunt vobis in nomine domini et salutem vestram quæsierunt. Nec illos summodo sed *& eos oēs qui ad te missi sunt.* Filios dei, lumina mundi, sal terræ, viros virtutis, homines et amicos dei, fratres meos et proximos, viua templa spiritussancti, qui iuste, sancte et sine querela apud te fuerunt. Qui ad te instruendum, reuocandum, saluandum, castigandum, arguendum, increpandum, missi sunt in omni patientia et doctrina. Et instabant opportune, importune, vt animas vestras lucrarentur et saluarent in regnum Dei. ¶ Sequitur al- *2.Tim.4.*
tera culpa, videlicet, contemptus Dei. Et iste ex quatuor aggrauatur: Nempe, propter multiplicatum affectum Dei, vnde ait: *Quotiens* volui. Propter intensum affectum, quia quemadmodum gallina. Propter amoris effectum, quia congregare sub alas. Propter sequentem contemptum, quia tu noluisti. Dicit ergo: *Quotiens volui* propter bonitatem meam abyssalem, propter diuitias misericordiæ meæ, propter meam pietatem et nomen meum. Non propter opera iustitiæ vestræ quæ vos fecissetis, sed quia amo animas, et mortem peccatoris

 nolo,

Ezech 18 nolo,sed omnes saluari. Quotiens ergo? Multotiēs, Imò semper, quia per legem naturalem, per legem scripturæ, per legem euangelij & gratiæ. Semper pulso ad cordis
Apoc.3. ianuam. Semper offero gratiam. Semper clamo, Veni-
1.Pet.1. te ad me omnes. Item, Reuertimini qui in profundum
Mat.11. recessistis. Item in mane pueritiæ, in tertia adolescentiæ, in sexta iuuentutis & virilis ætatis, in nona senectutis,
Mat.20. in vesperis decrepitæ ætatis. Quia simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit summo mane con-
Hiere.7. ducere operarios in vineā suā &c. Hinc improperat Iudæis dicens: Locutus sum ad vos de nocte consurgens, & non audistis me. Et iterum: Misit dominus ad vos omnes seruos suos prophetas, consurgens diluculo mittēsq; & non audistis, neq; inclinastis aures vestras vt audiretis, &c. Sed quid voluisti dñe? Nunquid quæ eorum sunt? Nempe, aurum & argentum? Minime gentium. Quid tū? Eos volui, non quæ ipsorum sunt. Aut voluisti eos incarcerare, flagellare, lapidare, occidere, aut sumere vltionē de inimicis? Non: Sed volui misereri & parcere: & omnia debita dimittere gratis. Et diuites eos facere in me, & implere omnibus bonis, adeò quòd nihil eis in vlla gra
2.Cor.2. tia deberet deesse. Ideo foris prædicaui, in plateis dedi
Prou.1. vocem meam, dicens inter alia: Conuertimini ad correctionem meam. En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Et hoc facere volui propter
Prou.1. bonitatem meam. Volui etiam *congregare vos*, in meum ouile, in vnitatem fidei, in natiuitatem charitatis, vt om-
Ephes.4. nium credentium esset cor vnum & anima vna. Vt omnes vnum essetis corpus meum, sicut est vnus Deus & pater omnium, vnus dominus, vna fides, vnum baptisma, sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ. Vnus pa
1.Cor.18 nis & vnum corpus omnes sumus, qui de vno pane & de
Rom. 12. vno calice participamus. Vt sic vno ore omnes glorificemus deum. Idipsum sentiamus omnes, in fide omnes vnanimes, & nulla inter nos schismata essent. Et qui Christi sunt, & vnus spiritus cum eo, illi omnes congregant cū
Mat.18. Christo. ¶ Dispersores multi sunt in malum, & pauci
Ioan. 10. congregatores ad bonum. Dispergit diabolus, rapit, mactat & perdit, cum lupis suis hæreticis & schismati-
Thre.4. cis. Dispergit mundus ad colligendos thesauros, iuxta illud: Dispersus est populus ad colligendas paleas. Dispergit carnalis affectus. Sic dispersi sunt lapides sanctua-

rij, & delicias sibi quærunt. Disperguntur persecutores. Dedisti nos tanquã oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Dispergunt tentatores, iuxta illud: Qui non colligit mecum, dispergit. Sequitur de intento affectu. Nam qui dispersiones Israelis congregat, & filios Dei dispersos, de nationibus vt confiteantur nomini suo, non qualicunq; modo voluit nos congregari in vnum, sed tam magno, ardenti, & efficaci affectu & amore, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas.* Hæc est vera dilectio, qua Deus nos dilexit, & diligit adhuc, nõ solùm lingua & verbo, sed magis opere & veritate. Gallinam potius quàm aliud quodcunque animal allegat saluator noster, cum amoris sui erga nos infinitum, æternum & incompræhensibilem modum vult exprimere quãtum fieri potest. Nam hoc animal tam magnum affectum habet in filios, vt eorum infirmitate affecta, infirmetur, ac alis fouens, calefaciens, abscondens & protegens, contra miluum pugnet. Sic Dei virtus & sapientia, infirmata est, & languores nostros portauit: quamuis infirmum hoc dei fortius hominibus esset. Et quid dico hominibus, cum in infirmitate ista fortem etiam diabolum, & leonẽ agnus vicerit, & triumpharit in seipso, & palam traduxerit. Cuius fortitudine nulla similis est super terram, & solus factus, vt nullum timeat. Sed & sub vmbra alarum suarum ad se confugientes, protegit à facie impiorum qui eos affligunt. Calefacit in igne amoris diuini, quem in terras mittere venit, & voluit vehementer accendi. Abscondit eos à turbine & tempestate in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum. Et si quasi mortui sunt, vita eorum abscondita est cum Christo in deo. Contra malum pugnat, quia neminem tentari permittit supra id quod potest, neminémq; relinquit nocere electis suis. Sed cum ipsis est in tribulatione, & adiuuat eos et liberat eos et eruit eos à peccatoribus, et saluat eos, quia sperauerunt in eo. Et qui Herodem de morte sua tractantem vulpem vocauerat, seipsum gallinæ comparat. Nunquam enim non vulpis et serpens, astutiores cæteris animantibus insidiari pusillo gregi, et in simplicitate sua ambulantibus desinunt. Breuiter Christus, instar gallinæ, ad pastum et panem cœli voce sua nos conuocat. Aliarum gallinarum pullos, vt suos diligit, fouet, calefacit, protegit et tuetur. Est hispida: et Christus vilis et

Psal. 43.
Mat. 12.
Psal. 14.
Ioan. 11.
1. Ioan. 3.
Esa. 5.
1. Cor. 1.
Col. 2.
Iob. 41.
Psal. 16.
Luc. 12.
Psal. 30.
Col. 3.
1. Cor. 10.
Luc. 13.
Esa. 53.

lis et despectus erat. Non erat ei species neq; decor,sed
Psal. 68. despectus et vir dolorũ atq; sciens infirmitates. Et instar
gallinæ clamauit,et raucæ factæ fuerunt fauces illius.In
alto sedet,post educationem cum suis pullis:sic post humiliationem
suam qua formam serui accepit, et in terris
visus est et in nobis habitauit, cum his qui exemplo
Mat. 28. suo seipsos humiliant,iam in altis sedet. Ipse in dextera
Heb. 1. patris, pulli vero pro meritorum varietate in mansionibus
quæ in domo patris sui multæ sunt, disponuntur &
Ioan. 14. requiescunt à laboribus suis. In puluere pœnitentiæ &
humilitatis volutatur, humilians se sub potenti manu
dei. Sed postea de puluere se excutit, quia post pœnitentiæ
Psal. 29. & humilitatis tempora,gloria coronatur. Et ipse
ait: Concidisti saccum meum,& circundedisti me lætitia.
Alæ duæ huius gallinæ,misericordia sunt & veritas,gratia
& iustitia,defensio,protectio & probatio,affectus paternus,&
maternus: & id genus multa alia, de quibus
non est modò dicendum per singula. Tam pium, benignum,amorosum,
beneficum, bonum, dulcem me tibi
semper ostendi & exhibui. Tu autem *noluisti*, sub alas
meas colligi & confugere. Noluisti in lege mea ambulare.
Noluisti intelligere vt bene ageres. Noluisti bene-
Psal. 108 dictionem, & elongata est à te. Noluisti vocem meam
Hiere. 18. audire,mandatis meis obedire, quæ volui facere, quæ
odi deuitare.Et dixistis: Desperauimus,post cogitationes
nostras malas ibimus, & vnusquisq; prauitatem cordis
Zacha. 8. sui mali faciemus. Sic semper indurastis ceruices vestras,
Esa 42. & corda vestra supra petram & adamantẽ,& peius semper
istis operati,& simul confregistis iugum,rupistis vincula,&
transgressi estis fœdus sempiternũ. Semper fuistis
attrita fronte & duro corde & domus exasperans.
Act. 4. Semper dura ceruice & indomabili corde fuistis. Sem-
Psal. 49. per spirituisancto restitistis, sicut patres vestri ita & vos.
Semper proiecistis sermones meos omnes retrorsum,et
peruertistis et deprauastis. Semper verbum meum fiebat
vobis in opprobrium,et illud non suscepistis,sed pro-
Isa. 5. iecistis.Hinc iterum ait vates: Factus est mihi sermo do-
Hiere. 8. mini in opprobrium, et in derisum tota die. Vnde rursus
dixistis, In ventum prophetæ domini locuti sunt, et
non est veritas in eis. *& noluisti*, ecce contemptus ve-
Hiere. 5. ster, obstinatio et induratio vestra: Quinimo noluisti,
neglexisti, contradixisti, spreuisti, pro nihilo habuisti,
impugnasti.

impugnasti.ideo tibi imputandum est, non mihi. Tu seduxisti. Dum dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis loqui & operari quàm equitatem & bonitatem. Credidisti magis mendaciis quam veritati, malis quam bonis. Lactatoribus & fascinatoribus ac venditoribus olei, quam aperientibus tibi iniquitatem tuam, & viam regiam & arctam, ad cœlum ducentem, ostende- *Psal.51.*
tibus tibi. Quid ergo vobis vineæ meæ vltra facere de- *Esa.5.*
bui, quod non feci? Sanctis meis non peperci, vt tibi parcerem peccatrici. Illorum vitam neglexi, ne tuam mortẽ viderem. Omnes medici vitæ spiritualis defecerunt, & tu curata nõ es. Insanabilis passio tua vincit artem diuinã, grauat medicum animarum vestrarum. Ego ipse quid faciam, si tu non vis viuere, Et quod deterius est, manu propria (hoc est, tuis horrendis peccatis) tibi mortem conscíscis. Laqueo desperationis te suspendis. Venena mortifera prauarum oblectationum bibis. Gladium malignum *Eccl.21.*
peccati mortalis in cor propriũ premis. Nam quasi ronphęa bis acuta, omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Sic cum Saul inuido, à Deo proiecto, multi irruunt *1.Reg.31*
super gladiũ proprium, atque seipsos & animas proprias quæ non moriuntur, per malitiam, occidunt. Et ne quid deesset, ego Dominus Deus vester, vineæ hæres in propria veni, & me non recipistis. Insuper extra vineam eii- *Matt.21.*
cietis, vt mensuram patrum vestrorum impleatis, ac morte turpissima condemnabitis. Ad hęc, nec discipulis meis deferetis me interfecto. Propter hæc reprobabo vos, abiiciet vos anima mea. Dimittam vos secundum desideria maligna cordis vestri, vt eatis in adinuentionibus vestris, addendo præuaricationes, & peccata super peccata. Dabo vobis libellum repudij, derelinquam vos in *Psal. 80.*
cogitatu vestro maligno. Non ero vestri memor amplius, & de manu mea vos repellam, Et requiescet indi- *Hier.3.*
gnatio mea in vobis, & auferetur zelus meus à vobis. & quiescam nec irascar amplius. Miserebor vobis im- *Esa.26.*
piis, non dabo vobis virgam paternæ correctionis, & non discetis iustitiam facere. Et persequar vos gladio, & peste, & fame. Et dabo vos in vexationem, in maledictionem, & in sibilum & in opprobrium sempiternum. Vnde sequitur sententia reprobationis duplex. Nempe desertionis in præsenti, de qua ait: *Ecce*, quasi in proximo vt digito ostẽdi possit. *relinquetur vobis domus vestra*, tum

ciuitas

1.Cor.3. ciuitas Hierusalem,tum templum domini,tum conscien
tia propria,quia nos sumus domus dei, Apostolo teste:
deserta,Ciuitas ab inhabitatoribus,templum,ab oblatio-
nibus & legis ritibus, conscientia,à dei præsentia & gra
tia. Relinquetur ergo deserta, à dei auxilio, angelorum
Ioan.11. præsidio,habitatorum numero.Et hoc per Romanos,qui
locum tulerunt & gentem,quod ne fieret,Christum oc-
ciderunt contra legem. Verùm hæc retinuissent,& vitã,
omnibúsque bonis abundantes fuissent, si Christum au-
dissent, & mandata eius custodissent. Sic impij sibiipsis
nocuerũt,dum veritati acquiescere recusauerũt.Et quàm
Chryso- sit illud apophthegma Chryſ.verum,nempe, Nemo læ-
stomus. ditur nisi à semetipso, vel cæci viderint. Sic dedit illis
Psal.93 deus secundum opera eorum. Sic reddidit illis iniquita-
tem ipsorum in caput ipsorum,& in malitia eorũ disper-
Eccl.7. didit eos dominus deus noster. Sic messuerunt quæ se-
Act.9. minauerunt mala in sulcis iustitiæ,quando vt Petri apo-
stoli verbis vtar,sanctum & iustum negauerunt,& petie-
Prou.1. runt sibi virum homicidam donari,authorem verò vitæ,
interfecerunt, suspendentes in ligno. Et postea messue-
runt ea in septuplum.Sic cõmederunt post Christi pas-
sionem, perfidi Iudæi fructus suos, & suis conciliis sunt
Psal.7. saturati.Sic parturierunt iniustitiam,conceperunt dolo-
rem,& pepererunt iniquitatem.Lacum aperuerunt & ef-
foderunt eum, & inciderunt in foueam quam fecerunt.
Conuersus est dolor eorum in caput eorum,& in verti-
cem ipsorum iniquitas eorum descendit.Hæc est via im-
piorum,qui nolunt audire vocantem Deum.Vocat autẽ
deus inter alios,modis quatuor:Nempe,verbo.Vnde sa-
Prou.1. pientia ait:Vocaui & renuistis.Beneficio,ideo ait:Exten-
di manum meam beneficia largiendo,& non fuit qui a-
spiceret, vel me vel beneficia mea, & cognosceret me o-
mnium bonorum largitorem.Per inspirationem.Despe-
Gen.2. xistis omne consilium meum. Per flagella vel commi-
nationes,et increpationes meas neglexistis. Primæ,re-
spondendum est per obedientiam,vt fecit Abraham.Al-
Psal.143. teri per gratiarum actionem,vt fecit Dauid. Tertiæ per
operis impletionem.Quartæ per patiẽtiam et timorem.
Contemptum autem harum vocationum sequitur æter
num opprobrium: Vnde sequitur: Ego quoque in inte-
ritu vestro ridebo,& subsannabo cum vobis quod time-
batis aduenerit.Cum irruerit repentina calamitas,& in-
teritus

teritus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc inuocabitis me, & non exaudiã, manè consurgetis & nõ inuenietis me, eo quod exosam habuistis disciplinam, & timorem Domini non suscepistis, nec acquieuistis cõsilio meo, & detraxistis vniuersæ correctioni meę. Hic finis eorum, qui impie agunt, & non credunt Dei euãgelio, Sic relinquam vos ex quo me reliquistis. Nec in iudicio futuro vestri miserebor. *Dico enim vobis:* filiis sceleratis, semini nequam, adulterinis plantationibus, in arcum prauum conuersis, qui nec deum timetis, nec homines reueremini, & audacter Deũ prouocatis: *nõ videbitis me amodo,* ab hoc videlicet passionis meæ tempore, quæ post biduum inchoata fuit, *donec dicatis* vel inuiti propter euidentiã rei, *benedictus* est, fuit & erit inæternum, *qui venit,* in plenitudine temporis, vt saluaretur mundus per ipsum. *in nomine Domini.* Quod erit in die Iudicij, quando videbunt eum omnes & boni ad salutem, & mali, qui eum pupugerunt & transfixerunt, ad damnationis suæ cumulum. Et nihil eis proderit. Nã cum malefactores & rei mortis iudicem vident, & ligati manus stant ante thronum æquitatis, nihil eis prodest quòd eum vident, vel gratiosum, vel clementem, vel æquum iudicem vocant, quo minus pręmium non recipiant secundum suum laborem. Sic in iudicio plangent se super eum omnes tribus terræ: nempe. quòd oblatam salutem neglexerunt & spreuerunt. Et turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis gementes, & præ angustia spiritus dicentes intra semetipsos, pœnitentiam, sed fructuosam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati, &c. Benedictus super omnia deus in secula, qui venit in nomine domini, & obtulit nobis suam benedictionem. Sed nos noluimus eius benedictionẽ, & salutem quam in medio terræ operatus est, nos nostrapte malitia indignos fecimus ideo benedictio eius iam iuste elongatur à nobis. Et maledictionẽ dileximus, & iam venit nobis, et induimus maledictionẽ sicut vestimẽtum, et intrat sicut aqua in interiora nostra et sicut oleum in ossa nostra. Iustus es Domine, nos digna factis nostris recipimus, et rectum iudicium tuum. Sic benedicent eum, oculos appariente pœna, quos modo claudit malitia. Hoc in passione Christus prædixit; dicens:

Apoc. 1. *Apoc. 1.* *Sap. 5.* *Psal. 108* *Psal. 118*

dicens: Amen dico vobis, amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli. Si autem de visu spirituali per fidem intelligitur, tunc aliqui Iudæorum post resurrectionem ad Christum conuersi, oculis cordis per fidem mundatis ipsum viderunt, & dixerunt eum confitentes ad salutem: Benedictus est qui venit in nomine Domini, Dominus Deus & illuxit nobis. In fine etiam seculi reliquiæ Israel saluæ fient, & tunc dicent: Benedi-
Ioan. 3. ctus qui venit in nomine domini: Qui vero non credunt in eum, nec eum confiteri volunt ad salutem, iam iudicati sunt, pereunt in peccatis suis sine vlla spe.

IN FESTO SANCTI IOANNIS APOSTOLI, IN *Epistolam Homilia.*

Eccl. 15. Psal. 110 *QVI timet deum, faciet bona.* Cum initium sapientiæ & salutis sit timor domini, quo homo recedit à malo, præparat cor suum & in conspectu illius sanctificat animam suam.
Eccl. 40 Hinc Sapiens ait: Timor domini sicut paradisus benedictionis est, super omnem gloriam temporalem benedictiones dei operiunt hominē timentē deum, Recte, quapropter amicus sponsi, electus apostolus, dile-
Psal. 18. ctus discipulus, in hac epistola laudatur à timore dei sancto qui permanet in seculum seculi, de quo beatus Iob
Iob 28. ait, Timor domini ipsa est sapientia, & recedere à malo, intelligentia. ¶ Est autem multiplex timor: Vnus seruilis, qui iniqua designare metuit, non dei aut virtutis amore, sed formidine pœnæ, Hic est donum spiritu sancti, sed nō cum spiritusancto, Vnde ad salutem non sufficit, bonus tamen est. & eatenus laudatur, quatenus ad conuersionem & dignos fructus pœnitentiæ faciendos disponit, & ad vitāda assuefacta peccata. Stat nihilominus cum peccato mortali. Alius est timor humanus, quo malum ne operans aliud, despiciatur, obiurgetur aut displiceat, aut damnum aliquod sustineat in sua substantia, propter homines tantum vitatur. Hic timor peccandi difficultatem differre potest, auferre non potest. Et tertius timor natu-
Psal. 18. ralis, quo quis læsiones, corporis molestias & grauamina timet. Quartus est sanctus & filialis erga Deum permanens, non solùm cum charitate in hac vita, sed etiam in seculū seculi. Et de isto loquitur epistola quam habemus

præ manibus,dicens:*qui timet deum*,timore filiali,*faciet bona*, ad honorem Dei & ædificationem proximi, omnia Eccl.9.
quæ poteſt manus ſua.Otioſus non eſt hic timor,ſed declinat à malo & facit bonum,ac nihil negligit de his quę Eccl.7.
neceſſaria ſunt ad ſalutem,*& qui continens eſt*,id eſt,executor & ſeruator,*iuſtitiæ*,in corde, ore & opere.*apprehendet*,ac conſequetur *illam*, iuſtitiam dei, ſapiētiam veram, charitatem omnibus maiorem,veritatem omnia vincentem.Similis eſt loquendi modus,in euangelio:Beati qui Matt.5.
eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Ita qui tenax,amator,zelator & operator eſt iuſtitiæ,appræhēdet & aſſequetur eam,vt iuſtus iuſtificetur adhuc, eat de virtute in virtutem,proficiat in melius, ſicut ſcriptum eſt:Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens eſt,procedit & creſcit vſque ad perfectam diem. Sic nemo debet Apoc.22. Pſal.83.
erubeſcere & iuſtificari vſque ad mortem,quoniam merces dei iuſtis promiſſa,manet in æternum.*& obuiabit illi*, quia præoccupat eos qui ſe concupiſcunt,vt illis ſe prior oſtendat, *quaſi mater honorificata*,quia gratia Dei nutrit filios mater honorificata, & omni honore digna. Quo enim à bonis & rectis corde iuſtitia,virtus & veritas plus Sap.6.
diligitur atq; honoratur eo copioſior aduenit, acquiritur & poſſidetur. inſuper honorat, exaltat & magnificat omnes qui eam diligunt, faciúntque. *Cibauit illum* ſuum amatorem,& continentem ſiue facientē, *pane vitæ* qui eſt verbum Dei et gratia.Vnde vt viuat in Deo et in Mat.4.
fide filij dei, habet homo *& intellectus* ſacræ ſcripturæ. Quid enim panis verbi Dei prodeſſet homini,ſi eius verum non haberet intellectum,quem columna et firmamentum veritatis docet Eccleſia Dei. Sine intellectu, 1.Tim.3.
ſcriptura mors eſt,hæreſum mater, velamen omnis malitiæ et excuſatio peccatorum.Et quanto vtilior ſcriptura eſt,verè,catholicè et ſanè intellecta, tanto pernicioſior et damnabilior eſt adulterata, deprauata et ad nothum ſenſum detorta. *& aqua ſapientiæ ſalutaris*, quæ eſt Spiritus ſanctus et dona ac chariſmata quæ ab ipſo dantur, *potabit illum*, et conſolabitur eum in triſtitia et mœrore illius. Ideo paracletus, id eſt, conſolator, vocatur. Hinc Soter noſter dixit: Siquis ſitit,veniat ad me et bibat. Hoc autē dicebat de Spiritu quem accepturi erant Ioan.7.
credentes in eum.Et iterū:Qui biberit ex aqua quā ego Ioan. 10.
dabo ei,nō ſitiet in æternū:ſed aqua quā dabo ei,fiet ei fons.

fons aquæ ſalientis in vitam æternam, Hæc ſunt flumina aquæ viuæ, fluunt de ventre illius, qui vera præditus eſt charitate. Itaque, qui timet Deum in eodem roborabitur, nec concupiſcentia aut alia paſſione noxia & vi
Pſal. 161 tioſa à rectitudine deflectetur, ita vt pereat, ſed Deus cõtinebit eum ac conſeruabit eum, vt non confundatur, cum loquitur inimicis ſuis in porta. Hoc eſt, quando ex huius vita naufragio exit & inimicis ſuis accuſatoribus
2. Cor. 5. reſpondere cogetur in hora mortis, aut ante tribunal Chriſti, vbi omnes nos manifeſtari oportet, vt referat vnuſquiſque propria corporis pro vt geſſit, ſiue bonum ſi
Pſal. 24. ue malum. Verum, qui timet Deum, & facit bonum, tunc non confundetur, ſicut confunduntur omnes iniqua agẽ
Eccl. 1. tes ſuperuacue: ſed Dominus redimet eum à calumniis impiorum, & liberabit eum, & glorificabit eum. Nam ti
Pſal. 127 menti Deum, bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Sic benedicetur homo qui timet do
Mat. 25. minum. Nempe, Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Pro
Pſal. 127. inde beati omnes qui timent dominum, & ambulant in viis eius. Et per ſpiritumſanctum & gratiam eius, *firmabi*
Rom. 8. *tur in illo*, & adeò fortiter adhærebit Deo, quòd nihil poteſt eum ſeparare à charitate Dei & Chriſti, *& non flecte*
Pſal. 65. *tur* à rectitudine iuſtitiæ & via veritatis quã elegit. Neq; cedet perſecutoribus, nec hæreticis faſcinatoribus, vt à
Pſal. 77. vero deuiet retro poſt ſatanam abeat, vel domino deo vota ſua quæ diſtinxerunt labia ſua non reddat, *& contine*
Pſal. 24. *bit illum*. i. deus eum ſecum, per perſeuerantiam finalem in bonitate, & non relinquet, neque diabolum, neque
Mat. 22. vllum hominem malum nocere illi, *& non confundetur*, cum operantibus iniquitatem & abominationes. Vel cũ
Mat. 25. eis qui veſte nuptiali non ſunt induti, vel in vacuum gratiam Dei receperunt, eam ad vſuram non dederũt, cum
Luc. 12. ea ſalutem propriam non ſunt operati. Iſti confundentur, quia dicit eis, Nũquam cognoui vos. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis, in ignem æternum, qui diabolo paratus eſt & angelis eius. Non confundetur inquam, cum reprobis, ſed honorabitur potius cum electis.
Act. 19. Ideo ſequitur: Et iudex viuorum & mortuorum, *exalta*
1. Pet. 4. *bit illum* in gloria *apud proximos ſuos*. Et dicet ei: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Ibi
dabit

dabit eum in benedictionem in seculum seculi,& lætificabit eum in gaudio. Hoc modo benedicet omnibus qui timent Dominum, pusillis cum maioribus. Tunc stabūt iusti in magna constantia, aduersus eos qui hîc se angustiauerunt,& abstulerunt labores eorū. Videntes autem filij tenebrarum, Abraham, Isaac,& Iacob & omnes Prophetas & iustos sic exaltari gloria & honore coronari in regno, se autem foras expelli, turbabuntur timore horribili,& mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus,& dicentes intra se: Pœnitentiā infructuosam & nimis seram agentes, quia à mortuo quasi nihil perit confessio. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum,& in similitudinē improperij. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam,& finem illorum sine honore. Sed fefellimus nosmetipsos, & nos vana spe seduximus. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei,& inter sanctos sors illorum est &c. Væ nobis. Nos in vita bona accepimus,& mala fecimus: illi autem mala patienter sustinuerunt propter Deum,& fecerunt bona. Ideo illi nunc consolantur & gaudiorum quæ habent non est finis. Nos verò cruciamur in flāmis æterni ignis,& tormētorum nostrorum non est finis. Væ nobis quòd nati sumus. Tunc desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis, qui hîc oblatam gratiam despexerunt, quæ est vita æterna,& noluerunt à mortuis resurgere, vt illuminaret eos Christus. Sic comedunt operarij iniquitatis fructus suos,& accipiunt secundum labores suos, & consiliis suis saturantur, qui spreuerunt,& deriserunt consilia Christi, qui virtus est & sapientia patris. ¶ Verùm, quia nemo sibi viuit, sed ei qui mortuus est pro nobis omnibus,& proximo suo, quia deus mandauit vnicuiq; de proximo suo. Ideo sequitur: *In medio Ecclesiæ* in concilio iustorum & congregatione *aperiet* Deus *os eius* ad docendam viam Dei in veritate. Ad prædicandum verbum opportune & importune. Ad arguendum, obsecrandum, & increpandum in omni patientia & doctrina, *& adimplebit spiritu sapientiæ* illius quæ à Patre luminum descendit, per quam sanati sunt, quoquot Deo placuerunt ab initio. Neminem nanque Deus diligit, nisi qui cum hac sapiētia Dei (quia oīm bonorum mater est) inhabitat, *& intellectus.* Ipse habet clauē scientiæ,& incerta & occulta sapiētiæ suæ reuelat paruulis & amicis. Ipse sensus singulorum

Mat. 25. *Sap. 5.* *Luc. 14.* *Sap. 5.* *Luc. 16.* *Apoc. 9.* 1. *Pet.* 1. *Rom. 6.* *Ephes. 5.* *Prou.* 1. *Luc. 7.* 1. *Cor.* 1. 2. *Cor. 5.* *Eccl. 17* 2. *Tim. 4* *Sap. 9.* *Sap. 7.*

Psal. 22. lorũ aperit, vt scripturas sane intelligant. Vnde ait: Aperi os tuum, & ego implebo illud. Ego dabo tibi os & sa-
Psal. 80. pientiam, cui resistere & contradicere nõ poterunt omnes aduersarij tui. Iste est intellectus bonus, qui datur
Psal. 130 omnibus facientibus timorem Dei, & ideo laudatio eorum manet in seculum seculi. Beatus reuera quem Deus
Psal. 93. erudit, & de lege sua docet. Nam iste super omnes alios docentes, intelligentes, imò (in quibus est sapientia) & su
Psal. 118. per senes intelligit, quæ est voluntas dei bona, beneplacens & perfecta. Talis minister intelligens, & ad aliorum
Prou. 14. eruditionem ad iustitiam de thesauro bono cordis sui, noua & vetera proferens, acceptus est regi gloriæ & do-
Matt. 13. mino cœli & terræ. Hunc ego fidelem & prudentẽ seruũ dixerim, quem dominus super familiam suam constituit, qui in tempore acceptabili & in diebus salutis, cibum & panem verbi dei, de quo viuit homo dat propenso animo, populo dei, & seminat semen verbi dei
Esaia 32. super omnes aquas. Quia seminanti iustitiam, merces fi-
Prou. 11. delis & copiosa est reposita in cœlis. *& stolam gloria induit illum*, id est, gloria & beatudine corporis & animę si permanserit in bonitate & verbi dei syncera prædicatione. Et ex quo ex salute auditorum, qui verbum dei audiunt & custodiunt, augetur gloria doctorum. Sequitur: *Iucun-*
Prou. 15. *ditatem* mentis & conscientiæ. Quia secura mens quasi
Matt. 6. iuge conuiuium. & cordis *exultationem thesaurizabit*, hoc
1. Cor. 6. est, tanquam thesaurum preciosum augebit super eum, quem præcipue tunc inueniet congregatum & repositum apud deum, cum ex hoc mundo transit ad cœlum. Quando videlicet in sua conscientia nihil inuenit, nisi dei data optima & dona perfecta, gratiam scilicet & virtutes, quæ illi deus in merita & in thesaurum donauit,
Matt. 25. quibus in deo diues est, atque illi imputans tunc coronabit & thesaurizabit *super illum*, ex quo in paucis fuit fidelis. Verum hanc coronam nemo ab eis potest aufer-
Ioan. 16. re, gaudium hoc nemo pòtest tollere ab eis, ideo sequitur: *& nomine æterno:* Nempe quòd sit filius dei, ciuis san-
2. Tim 4. ctorum, domesticus dei, & hæres ac cohæres Christi, *hæreditabit* & immobiliter donabit *illum*, qui mansit in
Psal. 111 bonitate, fidelis fuit vsque ad mortem, bonum certamen certauit, cursum consummauit, fidem seruauit. Sic in me-
Sap. 3. moria æterna sunt iusti. In manu dei sunt animę eorum, & viuunt in æternum nomina eorum. Memoria eorum

est cum

est cum laude & in benedictionibus, & omnis ecclesia *Psal.127*
sanctorum pronunciat laudes eorum. Sic benedicitur homo qui timet dominum. Timete ergo dominũ, quoniã *Psal.11.*
nihil in nulla gratia eis deest: in abundantia ingrediuntur sepulchrũ, & super omnia bona domini, quę timuerũt, cõstituuntur. Et ipse deus eorũ, est eorũ merces ma- *Luc.12.*
gna nimis. Cui laus sit & gloria in ętternũ & vltra. Amen.

DE SANCTO IOANNE APOSTOLO ET EVANGEL. IN *Evange. Sermo primus.*

D*Ixit Iesus Petro: Sequere me &c.* Quàm bo- *Ioan.21.*
num & iucundum sit esse cum Christo & *Psal.72.*
ei adhærere, vel ex vno apostolo Petro discimus. At contrà, quàm periculosum sit ab eo separari vel modico tẽpore, itidẽ discimus ex vertice apostolorũ. Nã cum esset cũ Christo, confessus est ad salutem cũ Christũ esse & filium dei vi- *Mat.16.*
ui, & meruit benedictionẽ. At contra dum breui tẽpore & parua distantia in passione ab eo separabatur, tertiò, mortis pauore, vitam negauit. Cum soli essent discipuli, *Mat.14.*
tribulatio & angustia venit super eos, & vix submersio- *Luc.8.*
nis (in horrenda maris tempestate) periculum euaserũt. *Mar.4.*
Verùm cum Christus eis appropinquauit, fluctus siluerunt, ventus cessauit, & facta est tranquillitas magna, vt præ admiratione dicerent: Quis est hic cui venti obediũt & mare? Hæc secum reputans vir secũdum cor Dei dixit: Mihi adhærere Deo, bonum est, & ponere in Domino Deo spẽ meã. Et contra: Quia ecce, qui elõgant se *Psal.72.*
à te peribunt. Sic filius iunior in domo patris omniũ bonorũ abundantia perfruebatur, sed dum recessit à Deo *Luc.15.*
salutari suo, & Deũ deseruit peregre proficiscendo, circũdederunt eũ mala quorũ nõ erat numerus, & cõprehenderũt eum iniquitates suæ, & non potuit vt videret, exæcatus per malitiã, nec scire, quàm amarũ & quã malũ erat ei, ꝙ reliquit dominũ Deũ suum & patrẽ misericordiarum, & luminum, & non esse timorem eius amplius apud eum. Nam super capillos capitis sui calamitates eius erant ibi, & cor eius & ratio dereliquerunt *Hier.2.*
eũ. Et ibi factus est sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Nam cum in domo patris in sommo honore fuisset et gloria, nõ intellexit, quãta Deus fecit animæ

 eius.

eius. Ideo recessit & peregre profectus fuit in regionem
Psal. 21. longinquam. Non tam corporis gressibus, quàm mentis affectibus, & tunc computatus est iumentis insipienti-
Psal. 48. bus, & similis factus est illis sua culpa, qui ad imaginem & similitudinem dei factus fuit à sapientia diuina. Quid insuper? Ibi in egestate fuit & penè mortuus præ fame.
Gene. 1. Ibi experiebatur & vidit quòd diabolus mendax est, & mentitus ei fuit omnia quæ dixit et ei pollicitus fuit.
Ioan. 1. Pollicetur diabolus delicias carnis, et hic fame quæ afflictionum maxima est, cruciabatur die ac nocte. Siquidem siliquis porcorum fuisset contentus, si habuisset, sed
Matt. 4. eas nemo illi dabat. Promittit copias & flumina auri: &
Luc. 4. extremã egestatẽ reddit. Promittit honores, & reddit cõfusiones: quia non dedit huic regna mundi, quæ sua esse mẽtiebatur etiã Christo, & se illa dare cui vult. Nã hũc misit in villã, & pascere porcos, quo nihil est abiectius.
1. Ma. 11 Sic diabolus sicut & filius suus Demetrius fecit, mẽtitur omnia quæ dicit. Et postquã stultis hoc modo imposuerunt, tũc inimici isti dæmones subsannant eos. Et miseri
Psal. 78. peccatores, opprobriũ fiunt vicinis suis angelis & iustis hominibus. Fiũt item subsannatio & illusio dæmonibus
Iob 1. qui in circuitu eorũ sunt. Nam terrã circueunt & peram-
1. Pet. 5. bulãt, vt Satanas ipse fatetur. Et vertice apostolorũ teste: Tanquam leo rugiens circuit, quærens quos deuoret.
Psal. 32. Contra mala ista, saluator noster in euãgelio hodierno nos præmunit, & docet vt se, (qui veritas est, & ei' opera omnia sunt in fide) sequamur, & nõ diabolũ, qui mẽdax
Gen. 2. est, & mẽdaciis suis decipit omnes qui illi credunt. Hoc quàm verũ sit, Adã & Eua requisiti attestabuntur. Princeps ergo Apostolorũ, postquã sequestratus à Christo, ex timore mortis & fragilitate humanæ cõditionis, tertiò Christũ, qui vita est, negauerat se nosse, & eius se esse discipulũ. Sic viceuersa hic ex vero corde tertio dixit se
Ephe. 5. Christũ diligere. Tũc dixit ei Iesus: *Sequere me*, sicut filius charissimus, & ambula in dilectione sicut & ego dilexi vos, & ex charitate in mortẽ pro vobis tradidi animam meã dilectã. Sequere me, & abnega temetipsum, & tolle crucẽ tuam quotidie. Alioqui nõ es discipulus meus, nec me dignus. Sequere me: Ambulando sicut ego ambu-
1. Ioan. 2 laui, custodiendo vias duras, vim tibi faciendo, immaculatum te ab hoc mundo custodiendo, in nullo te huic sęculo conformando. Sequere me: faciendo bonitatem,

ambu

ambulado in lege domini, seruando omnia quæ præcepi vobis, in omni opere bono fructificando, non tuam sed patris mei qui in cœlis est, voluntatem faciendo, sine defectione. Et esto mitis & humilis corde. Nam cùm hęc feceris, tunc eris odio omnibus hominibus propter nomen meum, & tuam bonam calumniabuntur conuersationem. Maledicent item tibi & persequentur de ciuitate in ciuitatem, & dicent omne malum aduersum te, mẽtientes. Et pressuras in mundo habebis, non consolationes, non delicias carnis, non falsas diuitias, non vanos mundi honores, sed carceres, sed vincula, sed mille pericula, cruces te manebunt & calix passionis. Nec expauescas, nec pusillo animo fias hæc audiens. Hæc enim locutus sum & tibi & fratribus tuis, vt cùm hora eorum venerit, recordemini quia hæc prædixi vobis. Non est *Ioan. 15.*
seruus supra dominum suum, nec discipulus supra magistrum suum. Sufficit discipulo quòd sit sicut magister suus, & seruo sicut dominus eius. Si me patremfamilias *Matt. 10.*
Beelzebub vocauerunt, quanto magis vos domesticos meos? Igitur si mundus in maligno positus me non cognouit, & vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si ser- *Ioan. 15.*
monem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Si me gratis, et pro eo vt me diligerent, odio habuerunt, et sermonibus odij mihi detraxerunt, me diffamauerũt, inuidiã mihi conflauerũt, dicendo me esse hominẽ voracem, publicanorũ amicũ, habere dæmoniũ, esse Samaritanũ, *Ioan. 8.*
esse peccatorẽ, legis transgressorẽ, seditiosum, seductorẽ, et id genus scommata infinita in me de malo cordis sui thesauro mali isti protulerunt: et vos ergo omnes eadem cogitatione armamini, et omne gaudiũ existimate, cùm in tentationes varias incideritis pro nomine meo. Ego *Iac. 1.*
enim passus sum pro vobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia mea. Magna gloria est hominum *1. Petr. 2.*
etiã apud filios huius seculi, sequi dominũ suũ, et paria cũ illo pericula subire, et cũ victoria et triũpho sufferre. Nam longitudo dierũ assumetur ab eo: et hoc modo lau *Eccle. 12.*
dem decúsq; parat. Quanto magis vos amici mei, nolite mirari, dum per ignẽ et caminũ tribulationis exploramini, quæ res ad experimentũ vestri fit, perinde ac quasi noui aliquid vobis contingat: Imò in hoc ꝙ cõsortes afflictionũ mearũ estis, gaudete, vt in reuelatione quoque *1. Pet. 2.*

gloriæ meæ gaudeatis exultantes. Ergo si probris afficimini pro nomine meo, & tristitias sufferetis sine causa &
1. Pet.2. iniuste, beati estis : quoniã gloria & spiritus meus super vos requiescit. Iuxta illos quidẽ maledictionibus afficimini, iuxta vos autẽ laudib⁹ cumulamini & honoribus.
Ibidem Hoc solũmodo deuitate ne quis vestrũ patiaẽ vt fur, aut homicidia, aut facinorũ aliorũ quorumlibet designator. Porrò si ꝓ noĩe meo pesequimini, ne pudefiatis, imò glo
Rom.5. riamini in tribulationib⁹, cõplacete vobis in scõmatib⁹,
2.Cor.12 in verberib⁹, in angustiis, in necessitatibus, & gaudete &
Actu.5. exultate, ꝙ pro nomine meo digni estis cõtumelias pati, probris affici, maledictis onerari, & glorificate deum in parte hac. Sequere ergo me, non solũ faciẽdo bonũ, sed etiã mala omnia patiẽter sufferẽdo & sustinendo, ꝙ charitas facit, quã tertiò iã confessus es erga me cæteris maiorẽ te habere. Fac ergo quod dixisti, nec lingua solũ & verbo, sed opere & veritate dilectionẽ tuam erga me ostende. Multi me in ore suo diligũt, & lingua sua mẽ
Psal. 77. tiũtur mihi. Cor autẽ eorũ nõ est rectum mecũ, nec fideles obseruatores sunt testamenti mei, sed transgresso-
Mat.7. res pessimi. Dicunt mihi: Domine, domine & non faciũt quæ dico, doceo & mando. Cũ hæc sit sola vera charitas
1.*Ioan.5.* & dilectio, obseruatio videlicet mãdatorum dei : Nã qui
Ioan. 14. diligit me mãdata mea custodit. Sequere me per viam
& 15. excellentiorẽ charitatis, per viam arctã & angustã portam passionis, per viam mũdam innocentiæ & puritatis, per viam pulchram virtualis conuersationis, & ne decli-
Ioan. 13. nes ex ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Fac nunc & opere comple quod olim dixisti, quando adhuc imperfectũ tuũ, & figmentum tuũ ignorans dixisti, Paratum te esse in carcerem & in mortẽ mecũ ire, & animam tuam pro me ponere. Hæc sunt verba quæ tunc ti
*Luc.*22. bi reddidi : Quò vado, non potes me modò sequi, quia nondum virtute indutus eras ex alto. Et adieci : Sequeris autẽ postea : Ex nunc videlicet semper in bonitatis operatione, in vitæ sanctitate, & cum senueris, sequeris me in crucis passione. Quum alius te cinget, & ducet te quò non vis, secundũ naturalem appetitũ & inclinationẽ. Nec id mirũ, quãdo & Christus passionis calicẽ ex-
*Matt.*26. pauit, & cæpit pauere, tædere & mœstus esse, quando captionis suæ hora appropinquauit. Insuper & patrem orauit, vt si fieri posset, calix iste ab eo transiret.

¶ Verùm,

¶ Verùm, cùm alibi dixerit vindicator noster & omniũ hoim saluator, quatenus in ipso est, Quod vni dico: oĩbus dico. Ergóne oẽs per crucis suppliciũ oportet intrare cœlum? Oportet plane, & alia via nulla est in cœlum, quàm crux & mors pro Christo. Sed crux gemina est, atque mors. Vna est crux in qua homo suffigitur pro Christo, per tormentorum diuersa genera, & sanguinem fundit, atq; oppetit mortem. Hæc omnium eatenus est Christianorum, quatenus mallent mille mortes perpeti, quã contra Christum impium vel aliquid designare. Hanc crucem per animi promptitudinẽ sustinere oportet omnes, & portare, si necessitatis articulus occurreret: qui si nõ venit, sufficit cor deo, & bona voluntas. Sic & mori necesse est omnem vere credentem: mortem sustinendo in corpore potius, quàm offenso creatore viuere, si vrgeat persecutor, impium quid moliri. Vel alio modo crux portatur, seipsum abnegando, à concupiscentiis se auertendo, membra sua quæ super terram sunt mortificando, carnis curam in nulla re faciendo in desideriis. De qua Apostolus ait: Qui mortuus est hac morte iustorum, iustificatus est à peccato. Ille nõ amplius viuit in peccato, sed viuit deo in Christo Iesu. Nec regnat peccatum vltra in corporibus vt obediat concupiscentiis eius, Nec membra sua exhibet arma iniquitatis peccato, aut seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, sed magis exhibet ea arma iustitiæ in sanctificationem. Et nisi granum frumenti, & fidelis homo qui gloriatur in Deo, sic mortuus fuerit, solus manet, Deo in spiritu non fructificat. Si autem hoc modo mortuus fuerit, multum fructum adfert, qui permanet in vitam ęternam, & diues fit in omnibus operibus bonis, thesaurũmq; indeficientem sibi conseruat in cœlo. Sic electi propter Christum mortificantur tota die, ęstimantur sicut oues occisionis. Sic illis viuere Christus est, & mori lucrum. Hinc eos compellans Apostolus ait: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. Mortuos ecce dicit eos, qui adhuc viuebant, si hoc modo commortui fuerimus cum Christo, & conuiuemus. Sic ergo oportet omnes pie in Christo viuere volentes, & crucem portare & mortificare seipsos, & sequi Christũ. *Conuersus Petrus*, nõ quod ex verbis Christi territus fuisset, sed magis gauisus. Non pusillo animo factus, sed potius confortatus in domino, & in potentia virtutis eius.

2. Tim. 2. Marc. 13. Mat. 10. & 16. Col. 3. Rom. 6. Ioann. 15. Mat. 6. Luc. 12. Rom. 8. Philip. 1.

eius. Et sicut Christus pro omnibus mortuus est, ita ex verbis eius, sicut elephas ad aspectum sanguinis confor-
Ephes.6. tatus est, & iam cupiebat dissolui & esse cum Christo, vt sua morte Deum glorificaret, & à morte transiret ad vitam. Itaq; in abundantia sua & feruore charitatis maximo, *vidit illum discipulum*, proximo gradu se sequentem,
Prou.8. *quem diligebat Iesus.* Qui diligentes se diligit omnes, pusillos & magnos. Seipsum designat Ioannes, & ex humilitate nomen suum tacet. Diligebat Iesus omnes Apostolos, sed Ioannem familiarius. Neq; hoc dicit Ioannes gloriando, quòd præ cæteris maiori amore illum diligeret Iesus tanquã meliorem, aut Christi dilectione se prę cæteris digniorẽ æstimauerit. Quia non dicit quòd Ioannem ita dilexerit Iesus, quasi Ioanni plus gratiæ gratum
Mat. 12. facientis dominus quàm aliorum culpam dedisset. Neq; enim de illa dilectione loquitur Ioannes, quæ est vestis nuptialis, finis summa, instauratio legis, virtus maior, via excellentior, fructus prior, vt alibi de ea fusius dicemus, si dominus voluerit. Sed loquitur de familiari illa dilectione, qua se illi Iesus exhibuit familiariorem præ cæteris. Nam apostolorum quis in charitate fuerit maior, aut apud Christum nunc in gloria beatior, ponderatori spirituum, & mercedis laborum redditori, atq; coronarum datori soli constat, & plane friuolum est de his superuacuis verbis digladiari. ¶ Quod autem dicit, se discipulum dilectum à Iesu, non est ostentationis & gloriationis verbum, sed confessionis & magnificationis, boni-
Mat.6. tatis, gratiæ, dignationis & benignitatis diuinæ. Vani filij hominum, & laudis venatores, vt ipsi videantur & ho-
Luc.18. norentur, in palam ad ostentationem opera sua si qua bona habent cum Pharisæis faciunt: Eo fine ea enumerant, & alios despiciunt, iudicant, & damnant, vt ille fecit in templo. Sed mala sua, iniustitias suas, nequitias suas, malitias, dolos & impietates, quibus exuberant & pleni sunt vsq; ad os tacent, dissimulant, negant, & defendunt. Iusti verò, bona opera sua & multiplicem gratiam Dei quam exuberans bonitas Dei largiflua benignitate dedit, nõnunquam laudibus efferunt, & recensent, non vt ipsi laudentur, sed vt Deus in donis suis magnificetur, Vt item alij ex hoc ædificentur, & meliorum charismatum æmu-
1.Cor.2. latores fiant. Sic Ioannes dicit se dilectum à Iesu, non propter iustitiæ suæ opera quæ fecisset, sed quia Iesus

prior

prior dilexit eum, & charitatem Spiritus sancti in cor 1.Ioan.4.
eius diffudit, in qua dum iuit de virtute in virtutem, charitatis assiduum meruit incrementum, & Iesu singularem dilectionem et familiaritatem. Rom.5. Sic Dauid Deum magnificauit in laude, dicens: Venite filij, audite me, ad Dei gloriam (cuius opera confiteri, honorificum est) et ad vestram ædificationem, et narrabo omnibus qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Psal.65. Sic mater Agni, cumulata ab Elizabet laudibus immodicis, ad mare illud infinitæ substantiæ, ex quo omnia flumina gratiarum exeunt, et per gratiarum actionem reuertuntur, vt iterum fluunt, quicquid in se bonitatis et gratiæ deprehendit, Deo acceptum referebat, qui omnia in omnibus operatur, et velle et perficere pro sua bona voluntate. Eccles.1. Fecit mihi, inquit, magna qui potens est et bonus. Et certe magna, inscrutabilia, et mirabilia fine numero, qualia à seculis non sunt audita, nec vnquã alteri faciet, donec cœlum atteratur. Quæ oculus non vidit, auris non audiuit, nec in vllius hominis cor ascenderunt. Deum immortalem quanta laude, quanta gratiarum actione Dauid bonitatem Dei effert, pro omnibus non solùm quæ ei retribuit, sed et pro omnibus quæ ei in secula seculorum promisit. Quis ego sum Domine Deus, et quæ domus mea, vt præstares mihi talia? &c. 2.Reg.4. Sic Iob ad Dei gloriam et suam ostendendam innocentiam, et vt se aliis formam quam imitarentur, præberet: Iob.29. Vt item ora amicorum iniqua loquentium, et bonam eius conuersationem sermonibus odij calumniantium obstrueret, virtutes suas recenset miras et multas. Iob 31. Sic vas electionis et honoris, sanctificatum, vtile Domino, et ad omnia opera bona paratum. 1.Cor.9. (Paulum Apostolum accipite,) et bona quæ fecit ad gloriam Dei et ædificationem aliorum, et mala quæ pro iustitia et nomine Iesu pertulit) enumerat ad Corinthios in vno loco, et aliàs in locis multis. 1.Cor.11 & 12. Vt sic exemplum omnium operum bonorum se nobis præberet, et in seipso opere et veritate ostenderet, quomodo dignè Deo et Euangelio gratiæ eius et debemus et possumus cum illius ope et gratia, in medio nationis prauæ et peruersę ambulare, in omnibus operibus bonis fructificare, omnibus placere in bono, nemini vllam offensionem dare. Tit.2. Sed iuste, sanctè, et sine querela omnibus adesse exemplo suo. Iob 5. Ipse enim

Iob.6. homo erat similis nostri, passibilis in natura, quamuis maior in gratia. Neque fortitudo lapidum fortitudo eius erat, nec caro eius ænea erat. In hoc nos excessit, quòd gratiam Dei, (quod nos heu, crebrò facimus) in vacuum non accepit. Gratiam non abiecit, gratiæ non defuit.
Gal.2. Gratia in eo nunquam vacua fuit, sed cum gratia plus
Philip.2. omnibus laborauit. Cum gratia Dei, & suam & aliorum salutem cum metu & tremore operatus fuit. Si igitur volumus imitatores eius esse, quod crebrò vt faciamus efflagitat, & nonnullos hoc facientes, laudibus cumu-
Mat.5. lat: faciamus & nos similiter. Luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, vt non nos, sed vt pater noster qui in cœlis est per hoc glorificetur.
2.Cor.11. Et illi ad charismata meliora æmulanda prouocentur. Diligamus syncere Iesum, tunc & ipse diligentes diligens, & nos diliget, & abundanter gratiæ suæ dona optima & perfecta iuxta magnificentiam suam regalem no-
Hest.1. bis largietur. Per quæ diuinæ consortes naturæ & glo-
2.Pet.1. riæ suæ hæredes efficiemur: sicut fecit, de quo loquimur, dilectus Iesu discipulus Ioannes. *Qui in signum amoris* præcipui, *in cœna super pectus eius recubuit*, vbi & fluenta euangelij potauit, *& dixit: Domine, quis est qui te tradet.*
Ioan.13. *Hunc ergo cum vidisset Petrus*, ex maximo amore quo ardebat Ioannem, & simplici ex corde, *dicit ad Iesum*, magistrum & dominum qui nouit omnia futura. *Domine hic*
Psal.115 *autem quid?* patietur vt ad te veniat. Scio quòd preciosa in conspectu tuo est mors sanctorum tuorum. Quali
Ibidem. igitur fine vis, vt hic discipulus tuus dilectus, & mihi dilectissimus frater, te glorificet? *Dicit ei Iesus: Si eum volo*
Ioan.14. *manere donec veniam*, ad eum in hora mortis, ad meipsum eum accipiendum, vt vbi ego sum, & ille sit, & vi-
Ioan. 12. deat claritatem meam, & hoc absque persecutoris crudelitate & sui occisione. *Et quid ad te*, quid velim cum
Deut.31. illo facere? *tu me sequere*, & animam tuam pone pro me, ac sustine crucem, confusione contempta. Quæ tibi præcepi hæc cogita semper, de his quæ signata sunt in thesauris meis & apud me recondita, noli esse curiosus explorator. *Exiuit ergo sermo iste inter fratres*, hoc est, apostolos, *quòd discipulus iste non moritur*, simpliciter, cùm tamen statutum sit omnibus hominibus semel mori, *sed*
Heb.9. *si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* An non licet mihi facere quod volo? Ex hoc faciliter colligitur, quòd

potius

potius & verius legendum est: Si volo eum manere. sicut etiam habetur, in græco, teste Augustino, quàm sic: quia si sic dixisset, palam esset quòd non moreretur nec sermo iste inter discipulos exisset, qui ex hoc ortus est, quòd si & non sic eum volo manere Dominus dixit &c. Iam rursus loquitur de seipso. *Hic est discipulus ille qui testimoniũ perhibet de his*, quæ Iesus facere cœpit & docere, *& scripsit hæc*, ad Dei gloriam, & credentium vtilitatem & consolationem *& scimus* omnes qui præordinati sumus ad vitam æternam, *& scimus quia verum est testimonium eius.* qui hæc scripsit: & loquitur de se quasi de altero. Mat. 20. Act. 24

IN FESTO INNOCENTVM PVERORVM, IN EPIstolam exegesis.

IN *diebus illis, vidi supra montem Sion.* Ioannes apostolus, virgo purissimus, prę ceteris magis dilectus, fluenta euangelij de seipso viuo fonte pectoris domini potauit, & postea effudit abunde gratis, sicut gratis accepit, vt Christi fidelis & bonus dispensator esset. Deinde post multa temporum curricula, propter verbum dei & testimonium Iesu Christi, ab inimicis veritatis & omnis iustitiæ, sine causa in exiliũ relegatus, vidit visiones Dei, & quæ ventura erant vsque ad consummationem seculi, limpido intellectus acumine, prout spiritus sanctus eum edocuit, contuebatur, vt Apocalypsis eius testatur abunde. Ex ea autem huius diei epistola desumpta est, quæ de sanctis innocentibus legitur, eo quòd de virginibus loquitur, quales pueros hos omnes fuisse, dubitat nemo. Si quidem antè calicem domini biberunt, quàm huius mũdi in maligno positi, cassibus caperentur, vel oblectamentis inquinati fuerunt & curis implicati. Magno autem Dei munere martyrij gloria coronati sunt ab impio Herode propter Christum, in quem corde nondum crediderunt ad iustitiam, nec ore eum (opere tamen) confessi sunt ad salutem. Sed quod non potuerunt per naturæ & ætatis defectum, hoc exuberans in eis suppleuit benignitas & gratia saluatoris, quæ apparuit, & diues in omnes charitas spiritus sancti quæ in eis superabundauit. Ait ergo æternæ sapientiæ cancellarius euangelista Ioannes: *Vidi* per reuelationem Iesu Christi, qui illuxit Apoc. 14. Mat. 10. Apoc. 1. 1. Ioan. 5. Rom. 10 Tit. 2.

2.Cor.4. in corde meo, ad illuminationem scientiæ claritatis dei. Vidi ergo per spiritalem intelligentiam, aut imaginariam visioné, *agnum dei* qui tollit peccata mundi, & occi-
Ioan.1. sus est ab origine mundi, *stantem* tanquã paratum ad au-
Apoc.13. xiliandum omnes, qui eius implorant auxilium. Ille agnus fine macula fuit, innocens manibus & mundo cor-
Psal.23. de: Nam peccatum nullum fecit, & coram tondentibus,
Esa.53. imo occidentibus se, filiis & ministris diaboli, prorsus obmutuit. Quia cum pateretur, non comminabatur, & cùm
1. Pet.2. malediceretur non maledicebat: sed in omnibus siluit à bonis, nihil eis improperauit, factus sicut homo non au-
Psal.36. diens, & non habens in ore suo redargutiones *supra montem Sion*, id est militantem vel etiam triumphantem ecclesiam, quoniam vtriusque rex, dux & caput est Christus
Ephes.1. iuxta illud apostoli: Deus constituit eum caput super omnem ecclesiam, quę est corpus ipsius, & plenitudo eius.
Psal.2. Hinc ipse ait de seipso: Ego constitutus sum rex à patre meo, super Sion montem sanctum eius. *& cum eo, centum quadraginta quatuor millia*, stabant. & ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, de quibus sub-
Psal.81. ditur, *habentes nomen eius*, quia Christiani vocãtur à Chri
Ioan.10. sto, *& nomen patris eius*, quia Dij vocantur & filij excelsi omnes. Et per consequens etiam habent nomen spiritus sancti etiam scriptum, cùm ille amor & nexus sit amborum. & vnus verus Deus cũ eis. *Scriptum* indelebiliter *in frontibus suis*, per eius apertam & liberam confessionem. Non erubuerunt in crucifixum credere, & morte turpi-
Rom.1. ssima condemnatum. Nec erubuerunt Christi euangelium confiteri, nec crucem eius ignominiosam. Nam ver
1.Cor.1. bum Dei siue euangelium regni virtus Dei est, in salutem omni credenti in filium Dei. Et verbum crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salui fiunt, id est, nobis, qui in sola cruce Christi gloriamur,
Mat.10. virtus Dei est. Porro, sciebant Christum dixisse: Omnis
Marc.3. qui confitebitur me, & verba mea non solummodo lingua, sed & factis & vita, (contra eos qui dicunt se nosse
Tit.1. deum, factis autem negant) in generatione adultera & peccatrice, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est. Qui autem me negauerit aut erubuerit me & sermones meos coram hominibus, negabo & ego eũ.
Luca 6. Lucas & erubescam eum. Marcus, confundetur eum, cũ
Marc.3. venero in maiestate mea & patris & sanctorũ angelorũ,
coram

coram patre meo. Isti stant cum agno, in gloria patris sui & sunt vbi ipse est (quod negant hæretici Lutherani) amicti singuli stolis albis. Sed vbi stant? Super montem Sion. Accesserunt ad Sion montem in quo beneplacitum est deo habitare in eo, & ad ciuitatem, non manu factam dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multorum milium angelorum frequentiam. In qua qui habitant, in secula seculorum deum laudant. In qua melior est dies vna, super milia bonarum dierum quæ possent haberi in hac vita calamitatibus plena. Et certe beati sunt omnes, qui tecum in domo tua domine habitant. Et *audiui* auribus internis vocem de cœlo, siue militantis, siue triumphantis ecclesiæ. Vox ista, vox laudis est & gratiarum actionis omnipotenti deo, horum milium tanquam *aquarum multarum*, quia aquę multę, populi multi. Isti pro sua victoria diuino adiutorio & gratia, nec non pro coronis gloriæ acceptis Deum laudant, glorificant & benedicunt die ac nocte. *& tanquam vocem tonitrui magni*, in quo designatur magnitudo laudis, non solum ex laudantium multitudine, sed etiam ex modo laudis & qualitate. Nam deuotissime ardentissime, & totis viribus atque in toto corde suo deum laudabant & benedicebant *& vocem quam audiui*, in cœlo, *erat sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis*, id est, laus ista fuit deo gratissima, angelis placita, mihi quoque amico sponsi, vocato apostolo & seruo Iesu Christi super mel & fauum ori meo longe suauior, delectabilior et iucundior. Citharistæ isti sunt omnes sancti dei, maxime innocentes et virgines, qui carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigentes, et corpus in obsequium spiritus redigentes, deum laudant in tympano et choro, in cordis et organo. In sono tubæ, in psalterio et cithara. In cymbalis item bene sonãtibus et iubilationis. Quanto magis hoc faciunt euangelistæ viri virtutis, sal terrę, lumina mũdi, qui aliis maiores sunt in charitate, in iustitia tenaciores, et in omni bonitatis operatione perfectiores. *& cantabãt quasi canticum nouum* quia dicti laudatores, sunt de numero sanctorum noui testamenti, qui hic regenerati et renouati erãt per aquã et spiritum sanctum in verbo vitæ, et hoc modo facti nouæ creaturæ et noua consperſio. Nã veterem hominem qui corrumpitur secũdum desideria errorũ, pœnitus deposuerũt cum actibus suis, et nouum hominẽ induerunt, qui

Marginal references: Ioan. 14. — Apoc. 7. — Heb. 12. — Psal. 83. — Apoc. 17. — Apoc. 4. & 5. — Psal. 150 — Mat. 5. — Heb. 10. — Ioan. 13. — 1. Cor. 15 — Eccl. 43.

qui secundum deum creatus fuit in iustitia & sanctitate veritatis, & ambulauerunt in nouitate vitæ, per nouam viam quam initiauit nobis Christus, quæ est nouũ mandatum suum veræ & syncerae dilectionis. Sic etiam portauerunt imaginẽ noui & cœlestis Adæ, ideo nouis lin-
Psal. 91. guis hic confessi sunt & laudant in æternũ & vltra quantum possunt, scienter quòd maior est omni laude, & super exaltat adhuc. *ante sedem deo*, id est coram deo, qui est altissimus in æternum, cui lucifer frustra inflatus similis esse volens, cecidit de cœlo instar fulguris & proiectus in profundissimum infernum, meritas sui fastus pœnas pen-
Psal. 53. det. Ibi cantant cantica noua, magnificant eum quãtum possunt in laude, benedicunt eum in omni tempore, laus Dei semper & in ore eorum, semper gratias agentes ei,
Ephes. 1. quòd ex mera gratia prædestinauit eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Vt ostenderet abundãtes
Ephes. 2. diuitias gratię suę in bonitate super eos. Quòd vocauit
Rom. 8. eos per gratiam, iustificauit per fidem (sed nõ solam) magnificauit in vita quæ nunc est per abundantiam iustitiæ in virtutibus maximis, & in cœlo exaltando eos in gloria, *& ante quatuor animalia & seniores*, id est, coram quatuor euangelistis, & cæteris pręcipuis sanctis aposto-
2. Cor. 5. lis, patriarchis, prophetis & iustis. Nã sancti qui hic adhuc
Heb. 11. peregrinantur à Domino, & domum æternitatis nondũ sunt ingressi, ad deum qui habitat in cœlis, & in montes illos pingues & altos, qui cum deo sunt in cubili suo, oculos suos leuant, suffragia & adiutoria postulãt, & in eorum præsentiam se per fidei contemplationẽ constituũt, eorum mansiones circueũt, eorum remunerationem copiosam nimis rimantur, & sic eis congaudent & congra-
1. Cor. 15. tulantur. Sicque laudes, gratiarum actiones & vota offerunt super beatissimo & benignissimo, cuius gratia sunt id quod sunt, et tantis bonis repleti in benedictionibus dulceditis suæ, quibus eos præuenit, subuenit, adiuuit & coronauit. *& nemo poterat dicere canticum* istud singulare & nouum. Hoc est nemo potest de mẽtis & corporis pura integritate gaudere & gratias deo agere, nisi qui se propter deum & regnum cœlorum castrauit, sanctus & corpore & spiritu fuit. Proinde felix est & sterilis virgo & incoinquinata, quæ nescit thorum in delicto, quia ha-
Mat. 19. bebit fructum centesimum iuxta euangelium, in respe-
Sap. 4. ctione animarum sanctarum. O quàm pulchra est igitur

& casta generatio, cum charitate. (Oppositum garriunt impudici Lutherani carnales,&carnis curas in desideriis quantum possibile illis est,facie̅tes)Immortalis est enim memoria illius,quoniam & apud deum nota est & apud homines.Cum præsens est,id est,in præsenti vita existe̅s, imitantur illam,multi qui exemplo Mariæ virginis,Ioannis Baptistæ & euangelistæ, Pauli item qui virgo purissimus fuit, & nónne nuptis et viduis dixit,quòd bonũ illis esset,si sic permanerẽt virgines, sicut erat ipse et permansit.Et iterum:Bonum est homini sic esse,&c.Quia in perpetuum coronata triumphat in cœlis,et coinquinatorum certaminum præmia vincit. Virgines proinde carne et spiritu,quodã speciali cantico,laude,epithalamio,oda et gaudio de sua virginitate lætantur Deo,cuius hæc donum est. Nam etiam specialis eunuchis istis corona siue aureola datur in regno dei,et nomen melius à filiis et filiabus aliis qui viam mandatorũ dei cucurrerunt,et consilium virginitatis non custodierunt. *nisi illa centum quadraginta quatuor milia*, qui carne et mente virgines permanserunt,et præfato numero designantur.Præterea singulariter agno canticum decãtare, est in perpetuum de dono gratia virginitatis collato,ei gratias agere magnifice et eum laudare.Quod canticum cæteri audire possunt,sed dicere non possunt, nisi qui virgines permanserunt.Nemo tamen credere debet,virginitatem esse summum dei donum,maximam virtutum, salutis cardinem, plenitudinẽ,et instaurationem.Nam charitatis hoc proprium est,cum sit maximum mandatum,perfectionis vinculum,peccatorum omnium operimẽtum,et totius scripturæ scopus et complemẽtum.Nam multi in gratia et gloria multis sunt virginibus maiores.Sicut exempli gratia,vertex apostolorum Petrus vxorem legitimã habuit et prolem.Maria item Magdalena de qua dominus septẽ dæmonia eiecerat,luxuriosè vixit,et corpus suum impudicitiæ tradiderat in operationem omnis immunditię in auiditate.At hos nemo modo magnos esse dubitat in regno cœlorum,quamuis aureolam non habeant virginũ. Nam maior charitas,maius efficit premium & proximiorem deo in gloria. In confesso autem est,Petrum plus aliis discipulis dilexisse Christũ,Magdalenæ verò dimissa esse peccata multa,quoniam dilexit multum.Et sicut in ea antequam relicta malitia redit ad dominum,abundauit

Margin: 1.Cor.5. — 1.Cor.7. — Esa.36. — 1.Cor.7. — Luce 4. — Rom. 16. — Luca 8. — Ephes.4. — Ioan. 21. — Luce 7. — Rom.5.

uit peccatum, sic postquam in toto corde suo conuersa
1. Cor. 15 est ad dominum gratia abundauit, cum qua salutē suam
operabatur eo quod gratiam dei in vacuū non accepit,
sed cum ea plus omnib. in vinea domini laborauit. Sed
qui in charitate diuina est maior, ardentior & perfectior,
1. Pet. 1. hic absolute loquendo, cæteris est eminentior in essen-
Apoc. 1. tiali præmio & deo dilectior. *hi empti sunt de terra*, de va-
na conuersatione paternæ traditionis, non auro vel ar-
1. Ioan. 3. gento, sed precioso sanguine agni immaculati & incon-
taminati Iesu Christi, & à terrena concupiscentia eleua-
ti, & ab omnium carnalium contagione segregati, &
Luc. 1. translati de morte in vitam & regnum dei. *Hi sunt qui
cum mulieribus non sunt coinquinati*, siue fœdati. *virgines enim
sunt*, mente & corpore, voluntate & opere, sicut virginum
regina dixit: Virum non cognosco, nec cognituram me
Psal. 129 iuraui, & statui firmiter in corde meo. *Hi sequuntur agnū
quocunque ierit*, per crucis baiulationem assiduam, abne-
gationem perpetuam: & non solum præceptorum, sed &
consiliorum eius custodiam solicitam. *Hi empti sunt* & re-
dēpti ex omnibus iniquitatibus suis & loti in sanguine,
Tren. 3. Christi *ex omnibus*. i. de tota perditionis massa. *primitiæ deo
& agno*, tanquam precipue illi chari, ob virginitatis me-
ritum. Vel ob inuiolatum corporis pudorem & animæ
puritatem. Sic primitiæ frugum, aliis fructibus sunt gra-
2. Ma. 6. tiores. Ideo bonum est viro cùm iugum domini portaue
rit ab adolescentia sua, & Deo florem obtulerit suæ iu-
Prou. 22. uentutis, sicut fecit Ioannes Baptista, Iosias, Tobias se-
nior cum filio suo, bonę indolis & emulatore paternæ
bonitatis. Taceo hic sanctum Nicolaum antistitem, diuā
Psal. 65. Agneten, Elizabeth, omnis sanctitatis speculū, & id ge-
nus innumeros, quæ adolescentibus forte exemplum re
Ioan. 8. liquerunt, quomodo ab infantia ambulare debent & pla
cere deo: Quia vt in trito hominum prouerbio est, ado-
lescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non rece-
2. Cor. 7. det ab eo. *in ore ipsorum non est inuentum mendacium.* Quę
Apoc. 21. cunq; vouerunt deo, vel in baptismo, vel in vouendo ca-
stitatem seruauerunt & reddiderūt deo omnia vota sua,
quæ distinxerunt labia sua, & veritatem locuti sunt sem-
per & fecerunt, & veritas liberauit eos. *Sine macula sunt
ante thronum dei.* Hoc de innocentibus verissimum est, &
dubitat nemo. Alij autem beati, ab omni inquinamento
carnis & spiritus sunt emundati, quia nihil inquinatum
intrat

intrat in regnum cœlorum. Electi etiam hic sunt sine ma- *Apoc.7.*
cula peccati mortalis & venialis,& si offendunt in verbo
aut opere,mox vestimenta sua lauant & dealbant in san
guine agni.Cui laus & honor in secula. Amen.

IN DIE ET FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI IN EPISTOLAM, Homilia.

APPARVIT *benignitas & humanitas, &c.* *Tit.3.*
Venite nunc iuuenes & virgines, senes
cũ iunioribus,& audite reges terræ & om- *Psal.148.*
nes populi,principes & omnes iudices ter- *Psal.63.*
ræ,& omnes qui timetis Deum, & narra- *Ioan.1.*
bo vobis quanta fecit animæ nostræ,quando verbum ca-
ro factum est & habitauit in nobis Deus noster. Eramus *Rom.7.*
ecce filij iræ & mortis, maledicti & damnati antequam
nati:Venditi sub peccatis vt faceremus malum. Eramus *Tit.3.*
insipientes & increduli, errantes sicut oues quæ perie-
runt, seruientes desideriis & voluptatibus variis carnis *1. Pet.2.*
quæ militant aduersus animã. In malitia & inuidia agen
tes,odibiles,odientes inuicem. Mortui item in peccatis *Ephes.2.*
& delictis nostris.Et quod peius & damnabilius est, era-
mus sine Christo & eius fide & merito, sine lege iusti-
tiæ:hospites testamentorum, promissionis spem nullam
habentes. Imo,quod ipsa perditio est, sine Deo eramus
in hoc mundo.Tunc pater misericordiarum & Deus to-
tius consolationis afflictionem nostram videns, & nullũ
consolatorem,non potuit diutius in ira sua cõtinere mi-
sericordias suas,sed ex sola gratia & bonitatis abundan-
tia, misit filium suum in similitudinem carnis peccati.
Imo dedit eum nobis, vt omnis qui credit in eum, non *Rom.8.*
pereat,sit Iudæus, sit gentilis,quia & Iudæorum & gen-
tium Deus ipse est,sed habeat vitam æternam. Hoc ver- *Rom.3.*
bum bonum in hac epistola eructat Doctor & magister
gẽtium in fide & veritate. Hoc gaudium magnum quod *Psal. 44.*
est omni populo euangelizat. Hanc consolationem æter
nam & spem bonam in gratia nunc denunciat mœren- *Luc.2.*
tium consolator,dicens: *Apparuit* postquam nox præces-
sit & dies appropinquauit,postquã ira Dei in misericor- *2.Thes.2.*
diam conuersa est. Postquam hiems transiit & recessit, *2. Mac.8.*
& flores apparere cœperũt in terra vestra. Lætamini igi *Cant.2.*
tur cœli & exultet terra,cõmoueatur mare & plenitudo *Psal.89.*

eius, gaudeant campi & omnia ligna ſyluarum à facie Domini, qui venit, vt quærat & saluum faciat, quod perierat, venit vt vitam habeamus & abundan-
Luc. 19. tius habeamus. Venit iudicare terram non in iudicio re
Ioan. 10. tributionis quo dabit vnicuique ſecundum opera ſua, & erit terribile & in iuſtitia inflexibili, ſed iudicio diſcretionis, quo præordinati in vitã æternã, ſeparantur à filijs
Pſal. 41. perditionis & oues ſegregãtur ab hœdis, vaſa electionis à vaſis iræ, & boni piſces à malis. Sic iudicat pauperes populi & humiles corde, & ſaluos facit filios pau-
Pſal. 17. perum, quos generat per euangeliũ, & humiliat, cõfundit & in peccatis ſuis dimittit calumniatorẽ diabolũ, cũ filiis ſuis in reprobũ ſenſum datis. Sic iudicat electos ante mundi cõſtitutionem, eo iudicio de quo ipſe ait: In iudiciũ ego veni in hunc mundũ, vt qui nõ vidẽt, videãt: &
Iohan. 9. qui vidẽt, cæci fiãt. Et iterũ, Nunc iudiciũ diſcretionis eſt mũndi, nũc princeps mũdi huius eiicietur foras. Sic inquã iudicat eos qui ſunt eius, & diſcernit cauſam eorum
Ioan. 12. de gẽte nõ ſancta, & ab hominibus iniquis & doloſis, ne
Pſal. 42. ab eis corrũpantur colloquiis prauis, vel ſeducantur per eorũ dulces ſermones & benedictiones, eruit eos hic vocatione miſericordiſſima, & in iudicio finali iuſtitia ſua æquiſſima. Ergo videte nũc bonitatẽ & ſeueritatẽ dei. Bo
Rom. 16. nitatẽ in ſua natiuitate, qua venit in ſalutẽ electorum, quos vocat per gratiã. Seueritatẽ in iudicio ad reprobos qui noluerũt intelligere vt bene agerẽt, quos dure & cũ
Rom. 11. omni imperio increpat & dãnat in ignẽ æternũ. Deſcribit igitur apoſtolus in hac epiſtola tẽpus ſalutis in me-
Pſal. 35. dio terræ operatę per Chriſtum. Deinde motiuũ, quod eum ad hoc vrgebat beneficiũ nobis exibẽdũ ibi, Nõ ex operibus iuſtitiæ. Tertiò, modũ ſaluationis electorũ ibi, Vt iuſtificati gratia ipſius. Vide diuitias gratiæ & bonitatis natiuitatis Chriſti. In tẽpore, opportunitas ſaluationis. In motiuo, miſericordia ſaluatoris. In modo, renouatio ſacramẽtalis & interioris hominis. In fructu, perpe-
Pſal. 18. tuitas ſalutis. Omnia deſiderabilia, & ſuper mel & fauum dulciora, & quibus nihil magis neceſſarium & vti-
Roma. 7. lius erat nobis perditis hominibus. Eramus igitur (vt dictum eſt) mali, & in peccatis venditi antequam ad
Gal. 4. Chriſtum ſimus conuerſi. *Cùm autem apparuit* mundo per carnem, & nobis per fidem in plenitudine temporis & acceptabili, & in diebus ſalutis, quod etiam, teſte Dauid, eſt

uid, est tempus miserendi eius, qui misericordiam vult *Psal.* 101
& non sacrificium. *benignitas & humanitas*, id est, beni- *Mat.* 3.
gnus & humanatus deus. Ad benignitatem demon-
strandam, vt puer paruulus datus & natus est nobis.
Est autem benignitas, boni & liquefacti cordis in omni *Benignitas quid sit.*
beneuolentia & largitate, super actu ingratos, malos
& rebelles, effluxio & bonorum suorum elargitio. Sic
deus benignus est super ingratos & malos. Ingratos *Luc.* 6.
ad dei beneficia, malos ad præcepta seruanda. Vel in-
gratos, quantum ad gratiarum actionem, malos pro-
pter præceptorum transgressionem, irritationes con-
tinuas, & blasphemias horrendas. Sed apparuit be-
nignitas quæ est larga eius misericordia, & humanitas, *Psal.* 102
quæ est infinita eius clementia. Nam quomodo mise-
retur pater filiorum, sic nunc misertus est pater mise-
ricordiarum timentibus se. Imò, prouocantibus se: *Psal.* 79.
quoniam ipse cognoscit figmentum & imperfectum *Esai.* 49.
nostrum. Hæc autem apparuit omnibus hominibus, quia
notum fecit dominus salutare suum, in conspectu gen-
tium reuelauit iustitiam suam. Dedit eum in lucem gen-
tium, & viderunt omnes fines terræ, saluare dei nostri, *Luc.* 12.
quod parauit ante faciem omnium populorum. Lumen
ad reuelationem gentium & gloriam plebis suæ Israel.
saluatoris nostri dei, hoc est, illius qui est Deus per natu- *Rom.* 9.
ram, superbenedictus in secula, & saluator noster per
abyssalem suam misericordiam & gratiam. Magnum
quod apparuit benignitas & humanitas. Maius quod
gratia saluatoris nostri dei. Quia deus noster, deus sal- *Psal.* 167
uos faciendi, & Domini exitus mortis. Apparuit ergo
nunc in fine seculorum gratia, benignitas & humani-
tas, quia olim apparuit dei potentia, sapientia & iu- *Mat.* 11.
stitia, sed modò apparuit gratia, &c. Saluatoris ec- *Phil.* 2.
ce vtilitas, dei nostri, ecce humilitas, vt discamus ab *Baruch.* 3
illo misereri aliis, & quòd mitis est ipse & humilis
corde. Quia humiliauit semetipsum formam ser-
ui accipiens, & habitu inuentus est vt homo. ¶ Sed
quid mouit eum ad hoc quòd sic apparuit in mūdo & in
terris visus est & cum hominibus conuersatus est trigin-
ta trium annorū tēpore? Aeterna charitas & eius abys-
salis misericordia. Ideo sequitur, apparuit, sed *non ex ope-* *Mat.* 7.
ribus iustitiæ quæ fecimus nos, prius quia eramus arbores *Sap.* 7.
malę, fructus malos facientes. Adulterinæ plātationes, *Esa.* 5.

fructificantes morti. Vites alienæ in amaritudinem con-
Rom. 1. uersæ, pro vuis labruscas facientes. Nulla bona fecimus,
quia mali eramus, pleni omni malitia & nequitia, pleni
Rom. 11. iniquitate omni & inuidia, ideo non potuimus bona o-
pera Deo placita operari. Nam si radix mala, & fructus,
Rom. 5. Imo, magis cum essemus ahuc inimici, reconciliauit nos
deus Soter noster. *sed secundũ suam*, sibi propriã, quia mi-
Iohel. 2. serator & misericors est, benignus, patiens & multæ
Esai. 28. misericordiæ & præstabilis super malitia *saluos nos fecit.*
Opus autẽ iustitiæ, aliennm est ab eo. Et ideo, quasi in-
uitus cogitur malos dãnare per iustitiã, eo quòd nolunt
salutem oblatam accipere, quã parauit omnibus ex mi-
Threno. 3 sericordia. Sic misericordæ domini acceptũ referre de-
bemus, ꝙ in malignitate nostra consumpti non sumus.
Ecce tria, inopia & miseria humana: quia non ex operi-
Iac. 3. bus iustitiæ nostræ. Exuberans & visceralis misericordia
Psal. 73. diuina, in qua nos visitauit oriẽs ex alto, quia secundm
misericordiã suam. Salus operata gratis in medio ter-
ræ, qua saluos nos fecit. ¶ At per quẽ modum nos sal-
Apoc. 1. uos fecit in regnum suum? *Per lauacrũ regenerationis*, hoc
Heb. 9. est, per baptismum, per quem lauamur in sanguine agni
ab omnibus inquinamentis carnis & spiritus, attestan-
te Apostolo vbi dicit. Sanguis Christi, qui per spiritum
sanctum semetipsum obtulit immaculatum deo, emun-
dat conscientias nostras ab operibus mortuis, (hoc est à
peccatis. Peccata nãque mortua opera dicuntur, quia le
dunt vitã naturæ, carent vita gratiæ, auferunt vitam glo-
Ephe. 2. riæ, Occidunt operantẽ, & obligãt eum ad mortẽ pec-
Iac. 1. catorum pessimam quæ, est mors secunda & gehen-
Sap. 1. næ) ad seruiendum Deo viuenti, in sanctitate & iustitia.
Regenerationis ait, videlicet à culpa. Generatio prima,
inquinat & filios iræ & perdirionis procreat. Vnde vir se
Psal. 50. cundum cor Dei, ait: In iniquitatibus conceptus sum,
& in peccatis concepit & peperit me mater mea. Nemo
igitur mundus à sorde, neqùe infans cuius est vnius diei
Iob. 25. tempus super terrã, vt legunt septuaginta. Omnes pec-
cauimus in Adam & egemus gloria & misericordia dei,
Roma. 3. vt liberemur à morte & culpa. Sed regeneratio per a-
Iob 3. quã & spiritum sanctũ, lauat filios dei, et lucis facit. Pro-
1. Pet. 1. inde benedictus deus & pater domini nostri Iesu Chri-
sti, qui secundum misericordiã suam magnã, regenerauit
nos, nõ ex semine corruptibili carnis, sed incorrupti-
bili,

bili, per verbum dei viui, & permanentis in æternum in suo effectu. Hoc verbum exprimitur in baptismo, & sic accedit verbum ad aquæ elementum, & fit baptismi sacramētum. Per illud autē regeneramur in spē viuam et certam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatē incorruptibilē et incontaminatā & immarcessibilem, conseruatā in cœlis pro vobis, qui in virtute dei custodimini in bonitate per fidem quę operatur per dilectionem, in salutē obtinendā in tēpore nouissimo, in quo destruetur inimica mors, & Christus tradet regnum deo & patri. Hoc modo renascimur ex deo in vitā æternā, qui nascimur ex Adā in mortē. Sicut in Adam omnes mortui sunt & moriuntur, ita & in Christo omnes qui credūt in eum viuificantur. Natiuitas ex homine ad mortem est, natiuitas ex Deo, ad vitā. Ex hominibus natiuitas est ex natura peccato infecta, natiuitas ex Deo est ex gratia, iustitia & Christi merito adiuta. *& renouationis.* Spiritus enim sanctus in baptismo datus, ex veteribus, qui antiquātur & senescunt, nouos facit homines, & nouas creaturas. Corda munda creat & spiritum rectum innouat in visceribus eorum. In baptismo Deus propiciatur omnibus iniquitatibus nostris, sanat omnes infirmitates nostras. Replet in bonis desiderium nostrum, et renouat sicut aquilæ iuuentutē nostrā, quia renati ex Deo, sicut modò geniti infantes, rationabiles et sine dolo, lac concupiscimus et bibimus vbera matris nostræ sugēdo, et in eo crescimus in salutē, In baptismo, deus spiritum suū mittit, qui nos homines creat. Ipsius namque figmentū sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit deus vt in illis ambulemus. Et sic renouat faciem terræ, hoc est, eorū qui antea terra et terreni fuerunt, ac Adæ terreni imaginem portauerunt, ac morti fructificauerunt. Illorū faciē renouat, mores et vitam, dū eos cœlestis imaginē portare, per interioris hominis renouationē de in diē, et facit eos fructificare Deo in omnibus operibus bonis. Hinc alibi ait: Exuite veterē hominē cum actibus suis, qui corrumpitur secundū desideria errorū, et renouamini spiritu mentis vestræ, et induite nouum homīnē, qui secundū deum creatur in iustitia et sanctitate veritatis. Et iterum: Renouamini in nouitate sensus vestri. ¶ Vide hic etiam, exuberantē Dei bonitatē, quomodo contra malum, bonum fecit, et contra

Gal. 5. *1. Cor. 15* *Roma. 5.* *Heb. 8.* *Gala. 6.* *Psal. 102* *1. Pet. 2.* *Ephe. 2.* *Psal. 103.* *1. Cor. 15* *2. Cor. 4.* *Ephe. 4.* *Col. 3.* *Rom. 12.*

Eccle.33. mortẽ vitã.Nã peccatũ causat in anima tria mala, cõtrà aũt baptismus & pœnitentia, faciũt in anima tria bona.
Luc.15. Peccatum generat in anima inquinationẽ & vulneratio nẽ naturalium,corruptionẽ & spoliationẽ gratuitorum,
Hebr. 9. vetustatẽ delictorum & defectuum. Baptismus autem & gratia,inquinationẽ lauãt, regenerãt & sanãt cõtra cor-
4.Re.5. ruptionẽ,renouãt & innouant cõtra vetustatem. Ista innouatio significata fuit per Naamã renouationẽ, cuius caro cũ esset senex,facta est tenera, vt caro pueri vnius
Sap.7. anni.Hæc autem dona & beneficia sunt *spiritussancti*, qui est omnium bonorum artifex, & omnia in omnibus ope
1.Cor.12 ratur,diuidẽs singulis prout vult, *quem* spiritum virtutis,
2.Tim.1. dilectionis & sobrietatis, *effudit* ad dilectionẽ omniũ pec catorum & distributionẽ omnium charismatum & virtu
Ioh.14 tum,vt in nobis & nobiscum maneat in æternum,*abunde*, quia omnia bona nobis cum illo donantur, eo quòd om
Prou.8. nium bonorum radix,fons, origo est & distributor. Ipse dat omnibus affluenter, diues est in omnes, & cum eo sunt diuitiæ & gloria, opes supernæ & iustitia. Ambulat in viis iustitiæ,vt diligentes se ditet,& thesauros eorum repleat,ac de bonis suis eis communicet, diuitésque in
Iohel.2. omni gratia faciat in deo. Hinc in bona voluntate sua
Actu.2. deus pollicetur Sion:Effundã de spiritu meo super om-
Actu.1. nem carnem ,*per Iesum Christum saluatorem nostrum*, qui spiritum se missurum promisit,ex cuius passione ignomi-
Ioan.14. niosa, virtutem & fructum habet baptismus, sicut dicit
Roma. 6. Apostolus : Quicunque baptizati sumus in Christo , in morte ipsius baptizati sumus. ¶ Quarto loco fructum salutis, quam in medio terræ operatus est Christus, & per regenerationem baptismalem participamus,quæ est
Roma. 3. salus & vita æterna,tangit dicens:*Vt iustificati* gratis, per
Ephe. 2. *gratiam ipsius*,& non ex operibus,quæ fidem & vocationẽ præcesserunt:alioqui gratia non esset gratia, *hæredes simus secundum spem* in vita præsenti, & per gratiam ado-
Esai. 54. ptionis, *vitæ æternæ.* Hæc est hæreditas seruorum Dei.
Roma. 8. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Hæc est hæreditas præclara electorum, quam deus di-
1.Cor. 2. ligentibus se repromisit & præparauit, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor vllius ho-
Ephe.1. minis ascendit. Huius hæreditatis æternæ pignus est spiritussanctus, qui datus est nobis, vt nemo de salute obtinenda diffidat. Hinc alibi ait : Deus

con

confirmat nos in bono gratiæ in Christo, & vngit ac sanat nos à plagis & vulneribus culpæ. Et signat nos in libro vitæ, & dat pignus spiritus in corda nostra, ad certificandum nos de obtinenda corona gloriæ. Ipsi gloria pro inenarrabili dono eius, quo filium suum nobis dedit, & omnia bona cum eo. Amen. *2. Cor. 1.* *Rom. 8.*

IN DIE CIRCVNCISIONIS IESV, IN EVANGELIVM, EXEgesis succincta, Sermo primus.

QVANDO venit plenitudo temporis, tūc pater misericordiarum & deus omnis consolationis, filium suum misit in mundum vt redimeret mundum & Israel secundum spiritum, de potestate tenebrarum, & ex omnibus iniquitatibus eius. Misit inquam filium suum, carnem sumere fecit & habitare in nobis. Factum ex semine Dauid secundum carnem, quia verbum caro factum est ex muliere, quia secundum diuinitatem non est factus nec creatus, sed ante luciferum, hoc est, ab æterno & ante secula ex vtero patris genitus. Et factum etiam sub lege & legis onere, quia non venit legem soluere, sed implere: Ideo circuncidi voluit, offerri in templum, legali hostia redimi. Et bis sex annos natus cum parentibus ad festum in Hierusalem ascendit, & postea agnum typicum cum discipulis suis comedit. Verum, cum iusto non sit lex posita, ideo sub legis authoritate non fuit, cum etiam Dominus legis et sabbati esset. Nihilominus legem seruauit ex humilitate et charitate, vt eos qui sub lege carnali, inutili et mortis tempore vitæ suæ erant seruientes, in infirmis et egenis elementis, redimeret de legis onere, quod nec sub lege viuentes, nec apostoli portare potuerunt. Et de seruitute diaboli et peccati precio magno rosei sanguinis sui, vt per eum adoptionem filiorum Dei reciperemus gratis. Gratis venditi eramus diabolo paterna traditione et inobedientia, et benedicit: gratis venundati eramus in iniquitatibus nostris, quia nullum fructum bonum in peccatis habuimus, in omnę malum per illa incidimus: sed per sanguinem

Gal. 4. *2. Cor. 6.* *Ioan. 1.* *Psal. 2.* *Luc. 2.* *1. Tim. 1.* *Mat. 12.* *Act. 15.* *1. Cor. 6.* *1. Pet. 1.* *Esa. 50.*

Rom.6. guinem meum gratis redimemini. Et de filiis diaboli
vos faciam filios Dei,fratres meos & cohæredes. Ex filiis tenebrarum,filios vos lucis faciam , ex filiis mortis, gehennæ & perditionis faciam vos filios æternæ vitæ.
1.Cor.9. Gratias deo patri , pro inenarrabili dono eius. Benedictus etiam filius dominus deus Israel , quia visitauit &
Luc.1. fecit redemptionem plebis suæ. Hoc iam sonat euangelium , quod breue licet sit in verbis , plenum tamen est mysteriis & salutaribus institutis. In quo primo ponitur pœnalis & doloris plenissima infantis circuncisio in carne. *Et postquàm consummati sunt dies octo*, à natiuitate
Esa 9. Christi,computando vtramq; extremitatem , *vt circunci-*
Gen. 17. *deretur puer* , natus nobis & filius datus nobis , iuxta legem quã olim Abrahæ dominus dedit,quòd infans octo dierum circuncideretur.Magna quæstionum hîc sylua occurrit discutienda:nempe,cur deus circuncisionem insti
Mat. 11. tuerit?In promptu causa est , quia sic fuit placitum ante illum.Huius autem beneplaciti diuini rationes plures as
Rom.4. signantur à sanctis , quas summis labiis tangemus. Vna est propter signum & ostensionem fidei Abrahæ. Alia propter meritum perfectæ eius obedientiæ,quia data sub præcepto.Tertia,propter distinctionem Iudæorum à gẽtibus. Quarta,propter documentum castitatis & pudicitiæ.Quinta,propter remedium originalis culpæ. Sexta, propter signandam generalem circuncisionem à culpa & pœna in electis,quæ fiet in octaua ætate.Vltima,propter
Philip. 1. exemplum circuncisionis spiritualis faciendæ. ¶ Est au-
Gal.6. tem circuncisio quadruplex:Vna falsa,videlicet hypocritarum , qui gloriabantur in carne quòd circuncisi erant octaua die,& credentes in Christum volebant circuncidere.At hæc falsa erat : Quia si circuncidimini,nihil vo-
Gal.5. bis Christus prodest. Euacuati estis à Christo , à gratia excidistis:hæc erat damnabilis euangelio publicato.Alia erat vana,nulliúsq; vtilitatis : nempe , malorum Iudæorum legem totam ad quam in circuncisione seruandam
Rom. 13. se obligauerunt , non custodientium. Circuncisio quidem proderat , si lex obseruabatur à circuncisis : si autem legem præuaricabantur , circuncisio illorum præputium erat. Ad illam omnes Iudæi tenebantur sub pœna mortis. Tertia est vera circuncisio & spiritualis , ad quã tenentur omnes homines, Iudæi, Gentiles & Christiani , sine qua nemini vnquam fuit , est aut esse potest salus.

ſalus. De qua Apoſtolus ait: Si præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne pręputium illius in circuncifionem reputabitur, & iudicabit id quod ex natura eſt præputium legem conſummans, te qui per literam & circuncifionem præuaricator legis es, & ſic Deum inhonoras? Rom.2.
Hæc eſt circuncifio ſpiritualis quę vicia abſcindit omnia, cuius laus eſt à Deo. De qua rurſus Apoſtolus ait: In Chriſto circumciſi eſtis circumcifione, non manufacta in carne, ſed in circumciſione Chriſti, qui eſt petra acutiſſima, per exuitionem & depoſitionem veteris hominis cum omnibus actibus & deſideriis ſuis carnalibus. In qua omnia vitia abſcinduntur, reiiciuntur, excluduntur. Col.2.
Hęc eſt circuncifio iuſtorum, de qua ſcriptum eſt: Si quis peregrinorum in veſtram voluent ire coloniã &c. prius circuncidatur. Exod. 12.
¶ Quarta eſt perfecta, videlicet, beatorum, de qua Eſaias ait: Non adiiciet vltra, vt tranſeat incircumciſus per eam. Eſa.52.
Prima abſcindit infamiam, ſed erat damnabilis. Altera pelliculam, & erat ante Euangelium neceſſaria. Tertia culpam & omne quod Deo in homine diſplicet. Quarta excludit omnem miſeriam. Circuncifio iuſtorum debet eſſe in corde, in ore, in manu, & in quolibet membro. In corde circuncidatur rationalis ab omni errore, & acquieſcat atq; congaudeat veritati, & hoc per fidem electorum. Sic Achior relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circuncidit carnem pręputij ſui. Iud.14.
¶ Concupiſcibilis ab omni inordinato, et immundo amore, et hoc per charitatem, quę eſt de corde puro, conſcientia bona et fide non ficta. De qua ſcriptum eſt: Circuncidat dominus Deus tuus cor tuum, et cor ſeminis tui, vt diligas dominum Deum tuum? Deut. 30.
Et iterum: Circuncidite pręputia cordis veſtri, et ceruicem veſtram ne induretis. Deut.40.
Iraſcibilis à malo timore, quo timet homo vbi non eſt timor: Nempe eos qui corpus occidunt, vt Petrus in paſſione Chriſti negans ipſum. Et hoc per ſpem, quę non confundit. Nos ſumus, inquit, circuncifio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, et gloriamur in Chriſto, et in ſpe glorię filiorum Dei. Sed heu, omnis domus Iſrael, incircunciſo ſunt corde. Et Stephanus improperauit deſperatis Iudęis: Dura ceruice, et incircunciſi cordibus et auribus. Act.7. Hiere.7.
Hinc Dominus dicit: Circuncidimini Iuda, et auferte pręputia cordium veſtrorum. Quia omnis alienigena, incircunciſus corde, non ingredietur ſanctuarium

 meum,

Exod.6. meum, dicit Dominus. Os deniq; ab omni sermone malo circuncidi debet. Incircuncisus labiis ego sum ait ille. Hoc non fecit, cuius os abundauit malitia, & lingua dolos concinnabat. Manus ab effusione sanguinis, rapina & detestabili vsu prorsus omni. Imo quilibet sensus & quodlibet membrum, gladio spiritus, quod est verbum Dei, circuncidere ab omni deordinatione oportet. Huius circuncisionis minister est Christus. Sed prolixior est de circuncisione materia, quam vt hîc tractari possit. Sufficit nobis spiritualis circuncisio, quæ etsi dura sit carnalibus & in deliciis viuentibus, sciant etiam paruulo Iesu ineffabilem prorsus dolorem suam ei fecisse circuncisionē. Sine illa, nemo videbit Deum, nemo potest saluari. Transeant illa, aliò fert animus. *& vocatum est nomen eius* proprium & personale, aliàs multa nomina habet, *Iesus*, hoc est, Saluator: Quia ille saluaturus est populum suū, & spiritualiter circuncisos, à peccatis eorum in regnum suum cœleste. Et signanter dicit, vocatum, quia iam antea illi impositum erat à Deo, iuxta illud: Qui futurus
Esa.62. est, iam vocatum est nomen eius. Et Esaias ait: Vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. Et alibi: Vocabitur nomen eius Iesus. Et hoc est quod sequitur, *quod* nomen *vocatum est*, id est, prænunciatum *ab angelo*, Gabriele, *priusquam in vtero* benedictæ virginis Mariæ per obumbrationem virtutis altissimi & superuentionem Spiritussancti *conciperetur* per Spiritum sanctum. Cætera in aliis libris, videantur ad nauseam vsque.

IN DIE CICVNCISIONIS DOMINI, SERMO DE NOMINE benedicto Iesu.

DEDIT *illi nomen, quod est super omne nomen.* Domine, ait Dauid, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?
Prou. 18. Nam mirabilia nominis Iesu, & virtutes eius, & suauitates, & vtilitates, nemo verbis assequi potest, etiam si linguis hominum loqueretur & angelorum. Nil canitur suauius, auditur nil iucundius, nil cogita-
Iohe.2. tur dulcius, quàm Iesus dei filius. Hoc est nomen benedictum ex hoc nunc & vsque in seculum. Sanctum electis, & terribile dæmonibus, qui in virtute eius ab obsessis eiiciuntur. Est turris fortissima, ad quā iustus in omni tribula-

tribulatione,angustia & persecutione sua confugit & sal uatur.Nam omnis,qui inuocauerit nomen Domini,saluus erit.Hinc vir secundum cor Dei ait:Deus in nomine tuo,quod est Iesus,saluum me fac, Neque enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus , in quo nos oporteat saluos fieri. Dedit pater cœlestis , hoc nomen be- *Rom. 10.* nedictum filio suo vnigenito,dedit illud & nobis,vt in eo salutem consequamur cum gloria cœli. At consuetudo sancta,longa,& laudabilis nimis, longo seruata tempore in Dei Ecclesia fuit & est adhuc,vbi impietas non præualuit,& magistri mendaces,duces cæci,ministri diaboli, populum non fascinauerunt, nec conturbauerunt, ne obediant veritati.Nam vbi isti seductores pedem fixerunt,qui non seruiunt Christo, sed suo ventri,nec quærunt oues,& quæ sunt Iesu Christi,sed quę sua sunt.Mox vt tales lupi rapaces, olei venditores, populi lactatores, pedem figunt in aliquo loco,sic loquuntur placentia, sic dulcia verba sua faciunt,sic lamię istę catulos suos lactāt, quòd per dulces suos sermones,etiam innocentum corda seducunt,& per latam portam & spaciosam viā ducunt in damnationem æternam. Isti omnia ordinata deordinant,bonum dicunt malum, lucem ponunt in tenebras, suggillant salutaria,damnant vtilia,sancta prophanāt,iura confundunt,cœlum terrę miscēt.Apud illos nullus est ordo,lux nulla,pulchritudo nulla,decor & honestas nullus. At Christus nobis ab eiusmodi attendendum dixit: *Mat. 7.* Moyses clamat vt nos separemus ab eis,ne simul inuoluamur in peccatis eorum. Salomon monet ne intenda- *Num. 16.* mus fallaciis eorum,Nā fauus distillans labia eorū sunt, *Prou. 5.* & nitidius oleo guttur eorū.Nouissima autē illorū amara quasi absynthiū,& acuta quasi gladius biceps. Paulus *Tit. 3.* præcipit,vt post vnā & alteram admonitionem hæreticū hominē deuitemus,scientes ꝙ subuersus est huiusmodi, & iudicio proprio cōdemnatus.Sed hos dimittamus,nolunt intelligere vt bene agant.Nos interim iuxta sanctā, longam & antiquam Ecclesiæ consuetudinem & prædicatorum verbi Dei synceram,in hoc die sacratissimo,qui peculiari nomine nouus annus,vel auspicium noui anni vocatur,in quo & reges terræ & omnes populi,maxime patresfamilias,principes et omnes iudices terræ,donata domesticis suis et ministris dare consueuerunt,etiā dona salutis vnicuiq; largiri in hac die debemus et documenta euangelica,

euangelica,que auro, argento atque lapidibus preciosis sunt meliora. Et tanto magis,quanto quæ animæ sunt, corporalia antecellunt. Vt vnusquisque iuxta doctrinam sibi datam & donum, vitam suam in anno sequente, ad gloriam dei sic regat dispenset, quòd salutem propriam in eo cooperetur,tempus redimendo, & thesaurum sibi non deficientem congreget in cœlo. Et quid vtilius & ad salutem magis efficax dare possum, quàm benedictum
Act. 4. nomen Iesus, in quo nos & in nullo alio saluos fieri oportet. Sed pater,magis plus iusto immoror, non tamen ad insipientiam mihi spero. Nihilominus stultum esse nō ignoro,ante scopum effluere,& in instituto succingi. Verum qui hoc nolunt boni consulere, modicum quid deferant insipientiæ meę,& me supportent in hac insipientia mea. ¶ Et cum vos aspicio,diuersos gradus & status in
1.*Cor.* 14 vobis considero. Vt in ecclesia diuisiones gratiarum,ministrationum & operationum sunt, quæ omnia vnus atque idem operatur spiritus sanctus: sicut & in vno corpore omnia membra non eundem actum,sed singula suum actum proprium habent. Et breuiter,sex inter vos operationum, ministrationum & gratiarum diuersitates intueor. Nam aliqui funguntur sacerdotio & altaris sunt ministerio deputati. Aliquanti potestate præditi sunt ab aliis,presunt in sollicitudine vt ministri Dei. Alij virginitatem seruant & sancti sunt corpore & spiritu. Alij viduarum sortem amplectuntur. cogitantes que Domini sunt atque ei in ieiunio & orationibus seruiunt die ac nocte. Alij matrimonio à Deo coniuncti sunt,honorabile coniugium & thorum suum seruant immaculatum,in Christi pace & dilectione cohabitando secundum scientiam siue discretionem,donec alter eorum in domino obdormit. Nouissimi sunt pueri & serui & omnes qui sub potestate sunt constituti &c. Istis sex distinctionibus & ministrationibus dispositis, dabo ex superbenedicto nomine Iesu vnicuique quod suum,& donum,& ex dono doctrinā salutarē. ¶ Sacerdotalis functio in ecclesia dei,tanto gradu & altitudine statum potestatis secularis excedit teste Diuo Ambrosio,quāto solis claritas omnia illuminans,lunæ fulgorem excellit. Sacerdotibus potestas data est ligandi atq; soluendi in cœlo & in terra. Illi soli cor-
Luc. 22. pus & sanguinē Christi consecrandi potestatē habent & aliis distribuēdi. Quòd si externi de fece Lutherana præsumunt,

ſumunt,operantur nihil,panẽ pollutum & vinum damna *Mal.3.*
torum ſeductis ſuis diſpenſant:Quia deus benedictioni- *Amos 2.*
bus eorum maledicit.Iſti ſacerdotes dei,tanto ſanctiores
innocentiores,impollutiores,magis à peccatoribus ſe-
gregati eſſe debent, quanto altiorem gradum & munus
diuinius in eccleſia,ſortiti ſunt miniſtrare debent in ec-
cleſia,nullũ crimen habentes,& iuſte,ſancte & ſine quæ
rela omnibus adeſſe.Et ſeruire domino in ſãctitate & iu *Luca 1.*
ſtitia,omnibus diebus ſuis.Et ſicut in ſtolis albis ambu- *Apoc.4.*
lant,et deo laudes perſonant,ſic etiã mundi eſſe debent
in anima et corpore.Et ſancti,ſicut et deus cui famulan-
tur ſanctus eſt,& ſancta ſunt verba quę legunt et munia
quæ obeunt. Damnabile quippe eſt,indignum,veneran-
da et angelicis poteſtatibus tremenda pollutum, ſancta,
peſſimum optima:profanum, auguſtiſſima munia obire:
et reprobum ſacramẽta ſalutis et vaſa gratiæ tractare et
diſpenſare.Quid hoc eſt monſtri et horroris, quod non
nulli de lectulo ſalaciſſimarum meretricum ſuarum ſur
gunt,et ad altare dei currunt? Manibus quibus puden-
da meretricũ eadem vel nocte vel hora contrectauerũt,
in altari filiũ Dei accipiunt,tenẽt et huc illúcq; ponunt.
Mirum eſt,quòd dehiſcens terra eos non deuorat,vel i- *Num.16.*
ignis de cœlo cadens eos non redigit in nihilum:vel an *4.Reg.1.*
geli aſtantes gladio quẽ habent,eos non ſecant medios *Dan.13.*
et interficiunt.Sed fruſtra his immoror, in ventum hæc
verba profero, in aëra loquor, ſurdis narro parabolam.
Nolũt audire te,ait dominus ad Ezechielẽ,quia nolunt
audire me,qa attrita frõte ſunt et indomabili corde.pro *Ezec.3.*
pter hæc ſumus contẽptibiles et abiecti omnibus popu-
lis.De his ſatis in pręſentiarum.Nõ enim nõ poteſt eſſe *Mal.2.*
veriſſimum illud dei verbum:Quicunque honorificaue-
rit me,vita operibus et verbis.glorificabo eum,qui autẽ
contemnũt me,tranſgrediuntur leges meas,et per præ-
uaricationem legis me inhonorant, ſermones meos
retroſum proiiciũt,et verbum meum reprobant et deri-
dent,et dicunt : prophetæ fuerunt in ventum locuti, et *Eſa.30.*
reſponſum Domini non fuit in eis. Et illud dicunt præ- *Her.5.*
dicatoribus veritatis : Ad increpandum tantum elo-
quia concinnatis, et in ventum verba profertis. Hoc
etſi non ore et lingua, opere tamen et veritate quod *Iob 6.*
damnabilius eſt, loquuntur omnes qui iniquè agunt
vſquequaque,et abſque vllo timore mala perpetrant,in
ſter-

ſtercore ſuo computreſcunt, in ſordibus ſuis ſordeſcunt. Manum, pedem, & oculum ſcandalizantem non abſcindunt.

2.Tim.2. A diaboli laqueis, ſalutis auditu, ſermone, mox non reſipiſcunt, vias vitæ non apprehendunt. Pedes ſuos non dirigunt in viam pacis. Iſti contemptores dei ſunt, & erunt ignobiles, deſpecti & contempti in æternum. Au-

Ezec.16. dite hæc principes Sodomorum, & qui Sodomam iuſtificatis in ſceleribus veſtris. Intelligite hæc, qui obliuiſcimini deum, ne quando rapiat vos lupus infernalis ad ſupplicia condigna nefariis auſibus veſtris, & non ſit qui eripiat de manibus eius. Vobis miniſtris dei & euangelij epiſcopis, ſacerdotibus & omnibus clericis, qui in honore eſtis primi, è benedicto nomine Ieſu literam primam do pro dono, pro documento & pro nouo anno. Et id appoſite ſatis. Nam hæc litera eſt in hoc benedicto nomine prima, ſic ſacerdotalis, ſic epiſcopalis functio eſt in omnibus gradibus & membris Chriſti & eccleſiæ prima, digniſſima & altiſſima. Et ideo ſicut in honore eſtis primi, ſic in vita omnibus debetis eſſe ſanctiores & excel-

Malac.2. lentiores. Vt ſicut dij vocamini & angeli in ſacris literis, ſic & imitatores dei eſſe debetis, & angelos viuere in ter-

Epheſ.5. ris. Eſtote ergo imitatores dei & ambulate in dilectione. Eſtote miſericodes, ſicut pater cœleſtis miſericors eſt. Eſtote benigni ſuper ingratos & malos. Operamini quod

1.Cor.1. bonum eſt, facite bonitatē. Eſtote ſancti, ſicut & ille ſanctus eſt. Eſtote perfecti ſenſibus, & malitia paruuli. Eſto-

Col.1. te pefecti in eodem ſenſu & in eadem ſcientia, & idipſum diſcite omnes, nulláque inter vos ſint ſchimata. Exhibete vos perfectos in Chriſto Ieſu vt omnes homines ſint ad omnia opera bona inſtructi. Tu hęc latius extende. Litera, I, omnium literarum eſt minima, quod & vos attendere alta conſideratione admoneo. Nam ſi eſtis ex parte functionis veſtræ, omnium altiſſimi & digniſſimi, tamen ex hoc non debetis altū ſapere, nec cæteris vos cogitatione præferre, & vos putare aliquid eſſe: ſed magis deprimere cor veſtrum, & humiliter ſentire de vobis, & in nouiſſimo loco ponere. Et hoc ſignificat literæ paruitas. Pulchra certe conuenientia: Maxima dignitas in honore, & ſumma humilitas, & ſuiipſius abiectio, deſpectus & humilitas in corde. Sic Maria ad ſummi euecta culmen honoris, mater dei mox futura ſuo ſe pede metiēs, ad infimū humilitatis fundū cucurrit, non reginā,

non

non matrem altissimi, non dominam mundi, sed ancillam domini se vocans. Et Apostolus postquam vas electionis vocatus est à Christo, & raptus in tertium cœlum, hono- 1. Cor. 12
rum titulos non meminit, sed abortiuũ, sed maximũ pec- 2. Cor. 15
catorum, sed minimum omniũ sanctorum, sed minimum apostolorũ, qui indignus esset qui apostolus vocaretur, eo quòd ecclesiam Dei erat persecutus, se vocat. Nam q Luca 14.
se humiliat exaltatur, & qui se exaltat humiliatur. Quid nos peccatores perditissimos eleuat cor nostrũ, & quasi magna cogitantes attonitos habemus oculos? Quid fru- Iob 15.
stra contra deum tumet spiritus noster. quando colũnæ cœli, lumina mundi, sal terrę, amici dei, vasa electionis, sic humiliter senserunt de seipsis. Sic deiecerunt se, sic in nihilum redacti sunt. Sic se humiliauerunt sub potenti manu Dei. Et cum vos debeatis orare pro populo, et constituti sitis pro hominibus in his quæ sunt ad deũ, et deus respiciat in orationem humilium et exaudiat preces eorum. Et oratio humiliantis se nubes penetret, et donec propinquet non consolatur, et non descendat donec altissimus aspiciat. Ideo præ omnibus humilitas vera vobis necessaria est, vt orationes vestræ exaudibiles sint ante deũ. ¶Ad hæc litera, I, inter vocales media est: sic vos se- Eccl. 44.
questres et medij inter deũ et homines esse debetis, orare pro transgressoribus, auertere iram domini, et in tempore iracundiæ fieri reconciliatio. Hæc longissime extẽdi possunt, Litera, I, iòta et apicem super caput suũ habet et nostro cõgruit instituto. Sic vos in omni negotio deũ qui super vos est, et terribile eius iudicium timere debetis et respicere. Vt nihil cogitetis, dicatis et agatis, quod deo displiceat et Deus odiat. Ipse enim non longe est ab vnquoque nostrum. Hoc fecit qui dixit: Semper quasi tumentes super me fluctus, timui deum, et põdus eius ferre non potui. Nam sicut iota vnum aut minimus apex Mat. 5.
non præteribit à lege, sic nec minima cogitatio mala, nec verbum ociosum quod locuti fueritis, et opus quod feceritis, transibit inultum. Nam de cogitationibus im- Sap. 1.
piorum erit interrogatio. De verbis ociosis exigetur Mat. 12.
ratio. Et cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, et 1. Cor. 5.
ibi recipiet vnusquisque propria prout gessit, siue bonum siue malum. Si minima sic punientur: quid tunc de luxuriis, de scandalis et horrendis peccatis erit. Fugite ergo à facie gladij iusti et terribils iræ dei, q apex et iota signat,

signat, quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote
Iob 19. esse iudicium. Recte ergo Iob omnia opera sua verebatur, sciens quòd Deus non parcit delinquenti, si non resipiscit. ¶ Litera, I, litera recta est in se, & absq; vlla curuitate & reflectione. Sic & vos recti esse debetis in vobis ipsis, iusti & æquales. Hoc enim solū inueni, quod Deus
Eccl. 7. fecerit hominem rectum. Sic Iob erat simplex, rectus &
Iob 1. timens deum. Recti diligunt Deum. Recti esse debetis, sine curuitate peccati, sine reflexione ad corporis delicias, mundi diuitias, vanos honores. Recti in intentione,
Psal. 72. quia bonus est Deus Israel, his qui recto sunt corde. Bonis & rectis corde benefacit Deus. Recti in opere, iuxta illud: Facite quod bonum & rectum est in cōspectu meo. Recti in viis, sic dominus iustum deducit per vias rectas. Nec vos mouere debet quòd impij abominātur eos qui in recta sunt via. At heu periit iustus de terra: & rectus ab hominibus non est. Volens multa transeo gratia breuitatis. Et vos ministri Domini, si hoc donum & nos &
Col. 3. eius documenta grato animo acceperitis, & vitam ve-
Heb. 3. stram, cogitationes & verba ad illa regulaueritis, nihil
Eccl. 35. dubito, quin angelos, & vt oportet, digne Deo & Euangelio eius viuetis, Deo in omnibus placebitis, & in omni opere bono fructificabitis. Talibus namque operibus & studiis promeretur Deus. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, sicut hîc breuiter vos docui. Secularibus, Regibus, Principibus, et omnibus potestate præditis, qui ministri sunt regni Dei, etiam donum suum & documenta salutis dabo. Audite ergo Reges horrendi et intelligite, quoniam à Deo vobis potestas concessa est, et virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, nouit ea, et appendit in statera, vt in Balthasar cernere est, et cogitationes vestras
Dan 5. scrutabitur. Et si nō recte iudicatis, cum sitis ministri regni eius, nec custoditis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulatis, Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Et cui plus concessum est et commissum, plus ab eo
Hier. 1. exigetur et non solum pro se, sed et pro omnibus subditis suis ratio ab eo exigetur, et ei dicetur: Vbi est grex tuus, pecus inclytum tuum? Si vnus ex eis perit, sanguinē eius de manu tua requiram. Vobis dicitur de singulo subdito: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit: erit anima

tua

tua pro anima eius. Ideo legimus in Numeris: Iniciatus est populus Beelphegor, & iratus est Dominus & dixit ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende illos contra solem in patibulis. Hinc Sapiens ait: Noli quærere fieri iudex. Ideo Philo vtitur superlatiuo, dicens: Durissimum iudicium fiet his qui præsunt. Interrogabuntur namq; dure, durius, durissime. Dure, Amice quo modo huc intrasti, non habens vestem nuptialem charitatis, hoc est, dilectionem ad oues synceram. Durius, quid tu hîc facis? Quomodo viuis? quæris quæ aliorum sunt, an tua? Quæris ouium salutem, an lac & lanam? Quæris quæ sunt Iesu Christi, an tua? Durissime interrogabitur de regimine. Vbi est grex tuus? &c. Et ne quis sibi blandiri vellet de ouibus esse sermonem, ac nihil pe riculi esse, audiat prophetam: Vos estis greges mei, & ego Dominus vester. Oues sunt pro quibus Christus po suit animam suam. Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Non est talis cura deo de bobus aut ouibus quadrupedibus. Has quæstiones simul legimus in Iudicum libro, vbi dixerunt filij Dan sacerdoti Michæ: Quis te huc adduxit? quid facis hic? quam ob causam huc venire voluisti? Sic fiet rectoribus. At, Exiguo, humili & subdito, conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Quia quantum se glorificauerunt & in delitiis fuerunt, tantum datur illis tormentorum & luctus. Ibi exigetur ratio vsq; ad nouissimum quadrantem quem à subditis acceperunt vel extorserunt, quomodo eum expenderunt ad honorem Dei, ad vtilitatem subditorum? An in vanis, curiosis superfluis dilapidauerunt aut cum meretricibus, scurris, mimis, deserto ribus, profanis, eum prodegerunt. Ergo nunc reges intel ligite quæ est voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta. Erudimini qui iudicatis terram. Quid autem facere debeant & dicere, addit: Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinã. Ecce tria facere debent: nempe, timorem domini, qui declinat à malo, habere: cum tremore ei exultare, eum laudare & magnificare. Tertio disciplinã, hoc est, mores optimos, bona opera, inculpatã vitã apprehẽdere. Et hoc propter tres causas: nẽpe, ne quãdo irascatur dñs cõtra eos, si hęc nõ fecerint. Vt iratus fuit contra Saul, Asa, Ioas, Achab, Manassen. Et hoc in vita q̃ nũc est. Alia ratio est, ne amit

Num. 25. Eccl. 7. Mat. 22. Ezech. 34 Ioan. 1. 1. Cor. 9. Iudith. 18 Sap. 6. Apoc. 18. Marc. 7. Psal. 2.

tatur consortium sanctorum, & percatis de via iusta & arcta, quæ ducit ad vitam. Et cum multis declineris ad viā iniquitatis & latā quæ ducit ad infernū. Tertia ratio est,
Prou.6. ne cœlū perdant & acquirant infernum. Cum exarserit in breui ira eius, quia ira eius in iudicio exardescet: & nemini parcet. Ardens siquidem furor eius erit cōtra ma-
Esai.30. los. Ergo beati omnes qui confidunt in eo, & sperant in Deo, & faciunt bonitatem, quia non delinquunt omnes qui sperant in eo. Spes ista non confundit. Confundun-
Psal. 14. tur autem omnes iniqua agentes, superuacue. Venite ergo, audite me, & timorem domini docebo vos in dono quod vobis tribuam. Donum bonum ego tribuam vobis,
Psal. 31. nempe literam H, quæ salutaribus institutis exuberat vndiquaque. ¶ Illud tamen obiter hic dixerim, quod H, non est de dictione nominis Iesu, neque cum H, benedictum hoc nomen scribi debet: sed consuetudinē vel magis errorem & inscitiā hic sequor: vel verius nō sequor, sed potius arguo, culpo, & detego eorum qui magis volunt errare cum errantibus, quàm veritati acquiescere, & verā discere ortographiam. Quinque enim literis hoc benedictum nomē Iesu, scribi debet, sicut & ille quinque vulneribus nos asseruit de potestate tenebrarum. ¶ Antiquum igitur modum sequens, eo quod optime nostro hic congruit instituto, Do vobis literam H, ex benedicto nomine Iesus, & hoc propter multa. Tum quòd H, non est litera, sed aspirationis nota solummodo. Nam etiam si H, non esset, nihilominus suum dictiones & verba sonum, integritatem & significatum haberent completum. Additur nihilominus in præsentiarum ad decorem, vel magis propter significationem. ¶ Sic superioritas & dominatio, non est de necessitate & integritate naturæ hu-
1.Cor.15. manæ, vt est à deo creata. Et Christus cum tradiderit patri suo regnum, tunc euacuabit omnem principatum &
Iob 11. potestatem & virtutem. Natura enim omnes pares nos
Sap.7. generat, & omnes de eodem luto facti sumus. Vnde Salomon ait de seipso: Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreno illius qui prior factus est &c. Et post pauca: Nemo omnium ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitā & exitus. Est tamē potestas in orbe terrarum, à deo ordinata, & rectores, ad decorem regnorū & terrarum atq; ciuitatum, vt iustitia conseruetur, insolentia

lentia non crescat, iniquitas non dominetur, ne impij præualeant aduersus iustos, & tuta sit inter improbos innocentia. Sine potestate præditis & rectoribus, nulla communitas in hoc tempore consistere posset. Sicut H, non est litera, sic nec superioritas est homo vt humana natura, sed additur ad decorem, ad ordinem & iustitiam conseruandam Est & aspirationis nota siue signum, videlicet, quòd istæ dictiones quibus adiungitur, cũ flatu maiore & vento quam aliæ proferri debent. Sic potestate præditi, communiter ad regimen aspirant, vanitatis vento pleni sunt, sibi placent in turbis nationum. Volũt gratiosi & benefici vocari, salutari in foro & dicier hic est. Quod vero dictiones in quibus H, additur aspirantur, hoc signat, quòd personæ illæ quæ sunt in regimine, in medio fratrum propter officium quod habent, haberi debent in honore, vt cui honorem, honorẽ. Et alibi: Serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur. ¶ Rursus H, duas longas habet protractiones, vna eleuatur in altum, altera deprimitur in profundum, quia in illis est alta potestas à deo eis data, authoritásque leges iustas decernendi. Ideo & gladium portant in vindictam malorum, & laudem, protectionémque bonorum: & ob hanc causam dij vocãtur, dicente Dauid: Deus stetit in medio synagogæ deorum, & alibi: Si difficile fuerit iudicium ad deos referatur: & diis non detrahes. O altitudo officij & status. At curate vt imitatores dei sitis in omnibus quæ facitis & iudicatis, vt sitis iusti & rectum sit iudicium vestrũ. Vt omnia agatis fideliter in timore Domini & corde perfecto, nec personã accipiatis in iudicio, non enim hominis iudicium exercetis, sed Domini: & quodcunque iudicaueritis in vos redundabit: vt instar Dei fideles sitis & absque vlla iniquitate. Fideles in omnibus verbis vestris, & sancti in omnibus operibus vestris, vt conuersatio vestra sit in cœlis, vt oues vestras pascatis in innocẽtia cordis vestri, & in intellectibus manuum vestrarum, hoc est, in omnibus operibus bonis quæ scitis Deo placere, deducite eas per vias rectas & super semitas iustitiæ. Estote ergo subditis exemplũ omnium bonorũ operum. Ite ante oues vestras per vias rectas, & tunc oues vos sequẽtur, & ibunt de virtute in virtutem. Nam regis ad exẽplũ, totus cõponitur orbis. Et mobile semper mutatur cum principe vulgus. ¶ Altera protractio ad ima

1. Tim. 6.
Rom. 13.
Exod. 22.
Psal. 81.
Ephe. 5.
2. Par. 18
Phili. 2.
Tit. 2.

2.Reg. 6. descendit & signat humilitatē quam debetis habere in corde,sicut dictum est de sacerdotibus. Sic Dauid cum regio honore humilitatē seruauit in corde. Vnde dixit:Lu
Luc. 2. dam corã Domino:& vilior fiam plusquàm factus sum, & ero humilis in oculis meis. Quia deus potentes superbos de sedibus suis ponit, & humiles exaltat. Vt in Saul & Dauid cernere est,in Nabuchodonosor,in Amã,
Psal. 36. in Sennacherib,in Antiocho, in Pharisæis &c. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros libani, & transiui & ecce non erat,quæsiui eum,& non est inuen-
Luc. 12. tus locus eius. Sic sedes ducum superborum Deus destruit,& sedere facit humiles pro eis.Ecce pulchra mixtura in rectore,altitudo officij, authoritatis & vitæ cœlestis,cum humilitate cordis.Ex officio super omnes est, ex humilitate in loco inferiori recumbit & despicit se-
Gene. 28 metipsum. ¶Insuper istæ duæ protractiones signant, ꝙ potestate præditi in scala Iacob semper debent ascendere in Deum per eleuationem mentis in oratione & con
Iob. 1. templatione. Sic Iob orauit pro suis filiis. Moyses & A-
Esa. 1. aron & Christus pro populo. Et descendere in scala subditis intendẽdo,eis prouidẽdo,iuste iudicãdo,malos puniendo,innocentes,viduas & pupillos defendendo, omnia cum diligentia summa faciendo. Possunt & istæ duæ protractiones aliter accipi,nempe prior quæ alta est,rectorem ipsum signat,qui prior est in honore,altior in au
Rom. 13. thoritate & sanctitate. Alia protractio inferior,subiectos designat qui potestate inferiores sunt, & debent potestati esse subditi & eis obedire cum timore & tremore, in
Col. 3 simplicitate cordis sui sicut Christo. Et iterum: Serui obedite dominis carnalibus, & non tatùm bonis & modestis,sed etiam discolis. Non ad oculum seruiẽtes quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis Deum timentes.¶Sed istæ duæ protractiones, alta videlicet &
Ephe. 4. depressa,in medio iunguntur. Hoc spiritusancto signante,quòd rectores & subditi,vniri debent in vinculo amoris & seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Et mutuò se supportare & alter alterius onus portare in charitate,
Col. 4. quæ est vinculum perfectionis. Et sic omnes adimplent legẽ Christi,tã rectores quã subditi. De amore pastorũ
Gala. 6. & dominorũ erga oues & subditos,ait Apostolus domi-
Ephe. 6. ni:eadẽ quæ seruis dixi & mandaui, & vos facite illis, & ex charitate remittite illis minas, scientes quia & illorũ & vester

& vester dominus est in cœlis,& personarũ acceptio non est apud illũ.De charitate subditorũ ait: Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborãt inter vos & presunt vobis in domino, & monẽt vos vt habeatis illos abundã tius in charitate propter opus illorũ , & pacẽ habete cũ eis. Væ illis,qui subiectos suos despiciũt sicut canes, eos grauant oneribus durissimis,vt Pharao,spoliant eos exactionibus variis , non eos defendunt iuxta præceptum charitatis,nec eos amãt sicut seipsos & proles suas. Faciunt eis quod sibi nollent fieri. Non faciunt eis omnia, quę sibi fieri volunt,cùm hoc sit lex & prophetæ.De his satis:prolixior iusto fui, sed non ad insipientiam spero.

2.Thes. 3.
Exod.5.
Esa.10.
Tob.5.
Mat.7.

¶ *Virginibus ex benedicto nomine Iesu & suum donum largiri volo.* Non hìc immoror longis sermonibus de virginitatis commendatione,acceptabilitate coram Deo.Taceo eius meritum,transeo eius felicitatẽ , quia alibi ista opportunius tractabo.Virginum status,post sacerdotalem functionẽ & regalẽ honorẽ , summum honorem habet coram deo & hominibus. Lenonis Lutheri mendacia transeo sicco calamo, qui docet cum Balaã scandala mittere,& operibus, verbis & scriptis docet edere & fornicari,vota rumpere,redire ad vomitum,retro abire post Sathanam , & relicto quod illis datum est de voto reddẽdo Deo,sancto mãdato,redire ad seculũ,& ad vomitũ instar canis , & sicut sus immunda post lotionẽ ad volutabrum luti.Sed heu,multæ secutæ sunt luxurias eius & sequuntur adhuc quarum dãnatio iusta est. Vobis igitur virginibus,quæ cogitatis quæ Dei sunt, & sanctæ estis mente & corpore, & agnum sequimini quocunque ierit , do ex nomine Iesu quod nobis datũ est ad salutẽ , literã e: & hoc multas ob causas,quas breuiter summis, vt aiunt, labiis tangam.Est enim litera breuis , in quo signatur q virginitas est via breuis & cõpendiosa ad cœlum , in qua qui citra exorbitationẽ ambulant,sine vllis sinuosis, lõgisque excursionibus & circuitionibus perueniũt ad regnũ celorũ.¶Est litera repãda vel recuruata, qđ signat depressionẽ mẽtis et humilitatẽ.Contra quod filiæ Siõ ambulãt extento collo,& erexerunt caput,inflatæ & superbæ nimis. Ergo fuerunt etiam humiliatæ nimis. Displicet deo superba virginitas. Hìc de humilitate multa dici possunt. Curuatio etiam literæ huius ad medietatem tendit. Cor autem est in medio hominis. Ergo

Q
Num.4.
1. Pet.2.
Psal. 26.
Rom. 3.
1.Cor.7.
Apoc. 14
Esai.3.
Psal. 84.

Psal. 84. virgines ad cor ſemper debent redire, corda ſua inſpicere, perſcrutari & cognoſcere ſeipſas, quia dominus loquitur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eis qui cõuertuntur ad cor. Hæc eſt cognitio ſuiipſius, qua nihil eſt homini vtilius & magis neceſſarium ſuper
Iob 5. terram. De qua beatus Iob dicit: viſitans ſpeciem tuam non peccabis, hoc eſt, ſecum habitare, noſcere ſeipſum,
Phil. 3. in ſeſe deſcendere. ¶Eſt litera e, à tergo clauſa, ſic & virgo ea quæ retro ſunt obliuiſci debet. Retro ſunt terrena quæ reliquit, mundus de quo exiuit, carnalia deſideria quibus renunciauit. Ad illa non debet rurſus reſpice-
Gen. 19. re, ne moriatur improuiſa morte cum vxore Loth. Nemo enim mittens manum ad aratrum & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei: Ideo & clauſæ ſunt in monaſteriis. ¶Eſt antè aperta, quia virgines ad ea quæ priora ſunt, ſiue anteriora, nempe gratiam Dei & cœleſtia bona promiſſa obedientibus deo, extendi debent, & excitare ſeipſas, & in deſinenti deſiderio, feruentiſſimóque ardore ad ſcopum perfectionis, & brauium noſtri curſus & certaminis. Hæc latiſſime extendi poſſunt. Rurſus vnica & non duplex, ſicut ſunt a, b, n, p, v, Quia vir-
1. Cor 7. go ſolitaria eſſe debet, nullius viri commercium habere, aut familiaritatem. ¶ *Viduarum ſors & ſtatus proximus eſt virginibus,* ideo & Apoſtolus eis iniungit, dicens: Mulier innupta, quæ eſt vidua: & virgo cogitat quæ domini ſunt. Rurſus, Viduarum præconia taceo gratia breuitatis. Illis do literam ſ. Hæc eſt vnica, atque eſt litera e &
1. Tim. 5. i, quia ſolæ eſſe debent, & in omni oratione leuare ſe ſuper ſe. Sit ergo vera vidua deſolata. Contra quod faciũt quæ ſolitudinem non diligunt, & ocioſæ domos circumeunt, verboſæ & curioſæ, loquentes quæ non oportet.
Mat. 22. Iſtæ retro conuertuntur poſt Satanam, & cùm luxuria-
Marc. 12 tæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damna-
Luc. 20. tionem, quia primam fidem irritam fecerunt. ¶Iſta litera ſ, in altum leuatur, quia ſtatus vidualis vita cœleſtis eſt, atque eſt virginum, quia ibi non nubunt neque nubuntur, ſed ſunt ſicut angeli Dei. Eſt & ſicut litera e, litera repanda & recuruata. Applica ſicut de virginibus. ¶Eſt & depreſſa ad immum & profundum, quod ad humilitatem applicandum eſt. ¶Eſt gracilis, hoc eſt, flexibilis per obedientiam, & non tumens & diſtenta per ſuperbiam. Non curam carnis faciens in deſideriis & ventre obeſo, ſed obſecrationibus & orationibus

instans die ac nocte. Nam vidua in deliciis viuens, mortua est. ¶ Retro clausa est & à parte anteriori est aperta, eodem modo applica vt de virginibus. ¶ Postremò, sic in cacumine & vertice summo ad anteriora expansa est, vt super alias literas videatur cadere velle, & super ipsas se curuat, eas obumbrat, & quasi sub alis suis abscondit. Hæc sunt viscera pietatis, quæ ad necessitatem patientes debent habere. Vt videlicet filios suos educat in disciplina & timore dei, vt hospicio recipiat, sanctorũ pedes lauet, tribulationem patientibus subministret, cõsoletur pusillanimes &c. ¶ *Matrimonio iunctis, do literam V.* Quæ duas habet lineas & protractiones. Quia vir & mulier duo sunt, in carne vna. Ista litera inferius clausa est & coniuncta in vnam literam. Quia in vita ista solummodo indiuiduam vitæ consuetudinem habent ad crescendum & se multiplicandum: in futura, neq; nubent, neq; nubentur. Est superius aperta, vt in omnibus operibus suis ad Deum respiciant, ad Dei gloriam matrimonium contrahant, in pace cohabitent, se multiplicent &c. Se & proles suas ad cœlum ordineut & dirigant. Est vltima vocalis V. Sic status matrimonialis in ordine suo. Sed crebrò fiunt nouissimi primi, & primi nouissimi ex gratia Dei, & vsu continuo gratiæ, quando eam in vacuum non recipiunt, sed magis omnibus, virginibus & viduis videlicet cum ea laborant. Quis dubitat Abraham, Moysen, Dauid, Zachariam, & id genus multos coniugatos, virgines & viduas in gratia & meritis antecedere infinitas? Item V, nonnihil retro flectitur & curuatur, quia licet matrimonium à Deo institutum sit & status salutis, tamen in se multis est curis inuolutum & solicitudinibus supra modum, quæ animum distrahunt, & ad ea quæ retro sunt inclinant, vt non possint libere in Deum tendere, Deo adhærere, Deum toto corde, tota anima & mente & ex omnibus viribus suis diligere, et Agnum sequi quocunq; ierit. Hinc Paulus ait: Qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, et diuisus est. Ideo V. nonnihil retro est reflexa quando ponitur in exordio dictionis. Verùm, cum ponitur in verbo, vt in nomine benedictio Iesu, tunc nullas habet in lineis suis protractiones. Quia cũ coniugati (quod crebro legimus factitatum) propter Deum omnẽ voluptatem abdicant, tunc vnum sunt cũ Deo, et Christũ perfecte imitantur.

1. Tim. 5. *Ibidem.* *Gen. 2.* *1. Cor. 15.* *Philip. 3.*

Et illud imprimis notandum, quod V. inferius contractũ & vnitum est, habuisti, propter indiuiduam vitæ consuetudinem in terris habendam. Verùm, si alter se segregat, & adulteratur, iam non litera V, sed duo, i i, quod virginum est insigne & viduarum fit. Et tenentur sicut virgines & viduæ viuere, si innocēs se à noxio separat, & non licet eis alteri nubere, etiam innocenti, interim quòd
Mat. 19. mors eos sola liberat & separat, vt Christus docet & Paulus. Alioquin, & innocens nocens efficitur, & ambo sunt in eadem damnatione. Melius igitur est, quòd re-
Rom. 7. concilientur. ¶ *Pueris subditis & famulantibus* do literam S. Et multis modis hæc scribitur. Cùm longa est, doctri-
Gen. 2. na, & donum est viduarum. Breuis & contracta, duobus modis scribitur. Aut in scriptura patienti & magnis libris, tunc per duas fracturas exaratur S. Vel magis per vnam lineam S trina protractione æquali figuratam, in cuius media additur punctura, & parua protractio, eam faciens, Crucis suo modo faciem prætendere S. Vel ponitur in fine verbi aut dictionis, & instar testudinis est S: tamen semper ad trinam protractionem redit quomodocunq; scribatur. Multa hîc de pueris morigeris, & inobedientibus ad eorum ædificationem, si temporis breuitas pateretur & horæ, dici possent. Multa de seruitutis origine, de seruis bonis & fidelibus, & de seruis malis & infi-
1. Pet. 2. delibus dici deberent. Item de modo seruiendi dominis suis, etiam discolis, malis & infidelibus. Item de merito magno seruorum bonorum & fidelium. Et contrà, de merito & damnatione seruorum malorum, & infidelium & mercenariorum. Ad hæc necesse est, vt consolentur de suo labore, afflictione, oppressione, spoliatione & grauaminibus duris, multis & magnis &c. Pueris & seruis atq; mercenariis do literam s, ex benedicto nomine Iesus. Hæc litera est vltima in hoc nomine benedicto: Sic status puerorum & laborantium, inferior posteriórq; est omnium in se consideratus. Quamuis & pueri & serui, in gratia & meritis nonnunquam parentes & dominos excedant. Sic puer Samuel, Iosias, Ioannes Baptista & Nicolaus, magni coram domino fuerunt. De seruis sufficit S. Paulum episcopum Nolanum adduxisse. Vt de S. Vitali interim taceam serui sancti Agricolæ. Horum iste
Gal. 4. seruiuit Turcæ, & olitoris officium exercebat &c. Apud deum bona seruitus & bona libertas æqua lance appenduntur

duntur. Sed et puer,quandiu paruulus est,nihil differt à seruo cùm sit dominus omnium,sed sub tutoribus et actoribus est vsq; ad præfinitum tempus à patre. Verùm, sic expedit eis esse,tum pueris , tum seruis,quamuis hoc tunc nesciant maxime pueri,scient autē postea , et sunt grati. Litera S, trinam habet vnam super aliam protractionem:sed omnes cohærentes,quia pueri et serui , tria debent habere. Nempe bonitatem et innocentiā in corde,rigorem in carne,et disciplinam bonorum morum in opere. Vt iugum Domini ab adolescentia sua portent. Quia adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedit ab ea. Et scientiam fidei et salutis in continuo vsu et instructione,Sic Tobias filium suum ab infantia Deum timere,exemplo et verbis docuit,et abstinere ab omni peccato. Debent et tria attendere in omni suo opere.Nempe,Deum,qui est super omnes. Parentes filij attendere debent,et serui Dominos. Tertiò seipsos,vt irrepræhensibiles sint , veraces et fideles. Irrepræhensibiles in conuersatione,veraces in sermone,fideles in omni opere et commissione. Deum attendant,ne eum offendant propter homines. Ideo si quid eis præcipitur quod contra Deum est,ibi deo magis quàm hominibus obedire debent. Etiam si pœnis afficerentur,et mors eis intentaretur.Parentes et dominos suos reuereantur,diligant et omni honore dignos censeant.Eis humiliter et ex corde pareant,quod est crux eorum.Seipsos deniq;,in omni negocio incontaminatos exhibeant,et sic omnia eis cooperabuntur in bonum.Est postremò contracta litera S, seipsum et cor suum respiciens,quasi stando super custodiam sui,et omni custodia cor suum custodiendo. Contracta per humilitatem,sine duritia et angulis,per mansuetudinis lenitatem. Quasi volubilis per obedientiæ velocitatem et promptitudinem,et cætera. Si hæc dona et documenta ex nomine Iesu in corde vestro conseruaueritis , et vestram cum eis contuleritis,et direxeritis, promitto vobis quòd in nomine illo benedictionem,gratiam et salutem æternam accipietis, Amen.

Tob.1.

Abac.2.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI, SERMO TERTIVS. DE ARMIS

mis Christi, quibus fortem superauit, & nos de potestate omnium qui oderunt nos, asserruit.

* *
*

Iob.7. MILITIA est vita hominis super terrā, teste beato Iob, ideo bonus dux exercitus Dei et militum, filium suum Timotheum et nos omnes monet, vt militemus militiā bonam, quam nemo legitime certare et coronam gloriæ promereri potest, nisi fidem electorum
Ephes.6. et consciētiā bonam habuerit. Quia autem assidua nobis colluctatio est, nō solùm aduersus carnē et sanguinē, sed etiā aduersus principes et potestates mundi huius rectores, in maligno positi, qui deum nō cognoscit, et nunquā nō bonos et rectos corde eminus cominúsq; lacessit, et impugnat, et aduersus spirituales nequitias. Isti bella nutriunt, seditiones mouēt, nec sinunt regnum dei es-
Baruc.3. se quietum. Isti sunt gigātes nominati, statura magni, sciētes bella. Sunt fortes armati, et fortes adeò, quòd super
Iob.41. terrā non est fortitudo, quæ eis possit comparari. Fiduciā etiā in armis suis habēt et viribus. Maxime in suis dolis,
Ephes.6. fraudibus et stratagematib⁹. Ideo armaturā dei nos oportet induere, abiicere arma tenebrarum, et induere arma lucis, et tunc poterimus resistere diabolo fortes in fide, et in omnibus eius impugnationibus perfecti stare in die malo, et nullū ei locum dare. Imo, si hoc fecerimus nihil potest in nobis proficere, sed semper finē belli, confusio-
Rom. 13. nē regerit. Et cum adiutorio fulti altissimi, qui semper nobiscum est in tribulationibus, confidēter traducimur, et palā triumphamus in nobismetipsis. Sic armis induti cœlestibus fortes efficimur in bello, et infirmi fortissimos, oues et agni, leones rugiētes, pauci innumeros, in nomine dñi vincimus. Hæc arma autē militiæ nostræ, nō sunt carnalia, de auro vel argēto aut ferro et ære facta, sed spiritualia, valida admodū ex virtute dei, quibus destruere possimus oīa salutis nostræ obstacula, et oēs copias fun-
Eccl.9. dere inimicorū nostrorū. At si in præfatione nimis effluerem, in ipsa narratione cogerer succingi, quod stultū est, ab ipsa

ab ipſa cauſa mox auſpicabor. Perfecta eſt noſtra facta obſceſſio, malis circundati ſumus, quorũ non eſt numerus. Nec ſolùm ex aduerſo, ſed etiã à tergo & cõtra nos acies inimicorũ noſtrorum ſunt ordinatæ, vt pugnent nobiſcum pro cœleſti corona diripienda. Imo ſupra & infra, ante & retro, intus & extra, à dextris & ſiniſtris nos laceſcunt, impugnant & ignita tela & fulmina nequiſſima in nos iaciunt. Contra hæc arma Chriſti, quib. ille fortem illum vicit, triumphauit, & palam traduxit, vobis dabo, & eiſdem vos induam. Quæ niſi ipſi priores abieceritis, inuicta firmitate vos tuebuntur. Adeò q omnia quę ſic armati feceritis, proſperabũtur, vobis cooperabuntur in bonum, & nemo vobis nocere poterit. Quia dominus eſt vobiſcum, & ipſe expugnat hoſtes veſtros vſq; ad internetionem. Hæc eſt datio dei, quæ permanet iuſtis, & profectus illius, ſucceſſus habent in æternum. Hæc ſunt dona filij dei electa, quorũ retributio duplex eſt, Quia promiſſionem vitæ habent quæ nunc eſt, & futuræ. Augent gratiam, vitant & delent culpam. Corpus ſaluãt & animam. Cumulant merita, coronam iuſtitiæ & gloriæ reddunt, pro qua iuſti pugnant, currunt in ſtadio, legitime certãt. Omnia ſufferunt & ſuſtinent. Habent filij huius ſeculi, reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ. Quique terrigenæ & filij hominum ſimul in vnum ferme, diuites omnes, pauperes in annulis ſuis, & vexillis, oues & boues, & pecora campi. Volucres cœli & piſces maris. Et id genus multa & diuerſa ſpectacula, vt vanus mundus, vanos filios ſuos vanitates diligentes, docet et ſeducit. Et hæc inſignia, faciunt maximi, diligunt vnice, obſeruant reuerenter, et vſque ad mortem pro his digladiantur. Sed data hæc ab imperatore mortali, nihil in ſe vtilitatis habent. Habentem bonum non faciunt, iuſtum, ſanctum et deo placentem, non augent eius rem domeſticam, non protegunt eum in neceſſitate. At armis Chriſti nihil vtilius in vita hominibus, quia eorum eſt retributio duplex, vt eſt dictum. Quid nanque vtilius donis fidei? Quid glorioſius muneribus Dei? Quid honorificentius armis Chriſti? Quid magnificentius et virtuoſius, inſignijs noſtræ redemptionis, cum quibus adſertor noſter ſalutem mundi operatus eſt in medio terræ, et nos de manu inimicorum et omnium qui oderunt nos vindicauit? In his, qui gloriatur, non eſt inſipiens

Rom. 8.

1. Tim. 4.

2. Cor. 11

insipiens. Qui istis armis se armant & ornant, lædi ab hostibus non possunt, magis autem in omnibus suis quę volunt & faciunt prosperantur. Qui istis insigniis se ornat specie sua & pulchritudine sua omnium oculis admirabilis est, & deo & angelis & hominibus omnibus se iucunditatis spectaculum præbet. Vultum eius videre desiderat vniuersa terra. Excipitur vt angelus dei, vel potius vt
Gal.4. Iesus Christus, cuius templum est frater & cohæres. Induite quapropter vos armaturam Dei. Quod cum feceritis bonum certamen fidei certare potestis, cursum consummare, fidem seruare, & repositam iustitiæ coronam
2.Tim.4. cum tuba euangelij accipere de manu Dei. Verum cum inter vos sint diuersi gradus, varia officia & dona, discretæ ætates. & administrationes. Ideo arma regis regum, pro vniuscuiusq; gradus, status, officij, ætatis & conditionis qualitate, partiri volo, & cuilibet suum donum largiri. Ad cuius documenta si seipsum & vitam suam direxerit, cum merito multo, & salutis suæ operatione sequentem annum auspicabitur & expendet. Deo fructificando in omnibus operibus bonis. ¶ Primo ergo loco do Episcopis & Sacerdotibus, lucernam claram verbi Dei, & diuinæ legis, sepulchrum Christi gloriosum summi regis.
Iac.1. Qui aures audiendi habet, audiat. Ne obliuiosus auditor
Mat. 13. sit verbi Dei, sed factor operis. Et tunc in facto suo beatus erit. Nam si diabolus acceptum semen verbi Dei de corde suo abstulerit, & ille per præuaricationem auditi
Luc.8. verbi, sermones dei retrorsum proiecerit, vel blasphemauerit, vel derisit rit, manum dei, neque viuus neque mortuus euadet, Conseruate ergo omnia verba Dei in cor-
Matt.13. de vestro, bono & optimo agro, & ibi ea cum vita, moribus & affectibus vestris cõferte, & fructum eius adferte
Luca 11. in pacientia, Nam beati sunt, qui audiunt verbum dei, &
Iac.4. faciunt siue custodiunt illud. Scienti enim bonum & non facienti, peccatum est illi. Do autem vobis lucernam claram verbi dei & legis eius sanctissimæ. Quia manda-
Prou.6. tum dei lucerna est, & lex, lux. Habemus, ait diuus Pe-
2.Pet.1. trus, firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso hu-
Psal.118. ius mundi loco. Et Dauid ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Omnes qui lucernam istam tenent in manibus, hoc est, qui legem Dei opere complẽt, & ambulãt ad splendorem eius perueniunt

ueniunt ad vitam,qui autem derelinquunt eam,& proijciunt,ambulant in tenebris,ad lapidem Christum offendunt pedibus,impingunt in meridie, ambulant vt cæci, viam regiam & excellentiorem charitatis ignorant, cadunt in foueam damnationis æternæ. Sint ergo lumbi vestri præcincti,per corporis puritatem,& lucernæ ardẽtes in manibus vestris. Lucernas istas deferte in manibus.hoc est, legem dei & verbum gratiæ eius ostendite in operibus & moribus.Lucernas istas claras habere debetis,& per contritionem cordis, aquam lachrimarum, & veram confessionem sacramentalem,quotidie emundare ab omni inquinamento carnis & spiritus.¶Illas plenas debetis habere oleo misericordię non solum erga pauperes,sed etiam ad animas vestras,iuxta illud:Miserere animę tuæ,placens deo. Quod dictum obsecro,lector expendat & prædicator.In eis ignem diuini amoris ardẽtem habere debetis,qui est finis,summa,& impletio legis.Et sicut lucerna ad nihil prodest,quantumlibet magna, munda & plena sit olei in tenebris,sine igne:sic fides,scientia,eloquentia,misericordia,bona opera, etiam martyrum, nihil prodest ad salutem, destituta charitate. ¶Lucernam diuinæ legis habere debetis,& eam seculares à vobis requirere debent.Eam debetis scrutari.In ea meditari debetis die ac nocte. Eam facere debetis et docere Quid namque est episcopus indoctus sine sacris literis,nisi coronatus asinus;Et quid est canonicus siue sacerdos, sine scientia diuinæ legis, nisi sus immunda, quæ in volutabro luti volutatur,et canis reuersus ad vomitum,vel abominandum idolum stans in loco sancto? Vel sepulchrum patens plenum immunditiis.Et puteus abyssi,laqueus mortis,rete diaboli,ianua inferni,speculator cęcus,eques sine equo,miles sine gladio?Negotiator sine pecunia, agricola sine semine, auis sine alis et pennis, corpus sine anima, lucerna sine igne,mutus est, opprobrium hominum et abiectio plebis est.Quod si eã repellitis,calce abiicitis,impie trãsgredimini(sicut canes isti muti,speculatores cæci, pastores stulti, serui inutiles et pigri,filij Belial,qui ignorant intelligentiam, et Dominum,neque officium sacerdotale ad populum,et nesciũt prę ebrietate,et absorbẽtur à vino,et errãt in ebrietate,)tunc et deus vos repellet, ne sacerdotio illius fungamini. Qu ẽ obsecro,tales docebunt scientiã salutis in remissionem

Baruc 4.

Vide Lectius de hoc in parte æstiuali de sanct. ser. 43.

Eccl. 30.

2. Cor. 12

Mal. 2.

Psal. 28.

Osea 4.

remissionem peccatorum eorum? Et quem intelligere facient iudiciũ dei terribile, ex quo ipsi inique agunt vsquequaque & peccant sine omni timore? Cum ipsi abiiciant legem Dei exercituũ & eloquia sancti Israel blasphement? ¶ Nec solum lucernam legis & verbi dei habere debetis, imo vos ipsi, lucernæ ardentes in charitate, & lucentes esse debetis per sanctitatem, declinando à malo & faciendo bonum. Et præbendo vos exemplum omnium bonorum operum, & formam gregi ex animo, quã imitentur. Hæc late extendi possunt. ¶ Do & vobis sepulchrum Christi, vt & vos ad eius modum vos componatis & habeatis. Nam quid aliud est sacerdoti corpus & cõscientia, nisi viuum Christi sepulchrum, in quo non corpus solummodo, sicut ibi, sed corpus & anima & sanguis eius preciosus quotiens celebrat, reponũtur. Sepulchrũ illud erat in horto, erat nouum, excisum, clausum, obsignatũ, custoditum. Erat lapideum & in lapide, & per consequens durum. Sic vos lapides viui esse debetis duri, nõ per obstinationem, sed per constantiam & immobilitatem animi à bono. In petra quę Christus est, excisi esse debetis, & multis laboribus, studiis: & disciplinis vos excauare, euacuare, vt vos ei in vobis dignam domum præparetis. Sitis in horto exculto per meditationem vt paradisus, clausi muro diuinorum mandatorum, estote noui homines, nouę creaturæ, induti nouum hominem vt digni ministri sitis noui testamenti, & digne offerre possitis sacrificium nouum. Sitis item clausi per diligentissimam externorum sensuum custodiam, signati & sigillati per timorem Dei, & custodes vos adhibete. Pax Dei quę exuperat omnem sensum, cor tuũ custodiat, quia custos animæ suæ seruat vitam. Custodi ergo temetipsum & animam tuam sollicite, &c. ¶ Potestate præditis do gladiũ iustitiæ & æquitatis, sceptrũ sine arũdinem clementię et pietatis. De nobilitate, et potestate et aliis multis quæ rectores populi habere debent et seruare, vide in sermone de Sancto Nicolao. Debent habere potestatem, et hæc illis data est ab altissimo, ipsorum est videre vt ea non abutantur, alioqui gladius eorum intrat in corda ipsorum, et arcus eorum confringetur. Et quodcunque faciunt, in caput eorum redundat. Vnde illis necesse est vt fugiant à facie gladij, diuinæ iustitiæ, qui ex ore agni procedit, quia vtrinque acutus est, quoniam, vltor

[Margin notes: Esa.5. — Tit.2. — 1.Pet.5. — 1.Cor.10 — Prou.6. — Rom.16. — Sap.6. — Apoc.7. — Iob 19.]

Vltor iniquitatum gladius est. Et tunc potentes potenter
tormenta pati debent, ipsi viderint, vt potestate sua vtan
tur ad vindictam malorum et laudem bonorum, vt iuste Rom. 13.
quod iustum est exequantur. Quatenus in matutino in
terficiant omnes peccatores terræ, et disperdant de ter-
ra omnes operantes iniquitatem. Viderint, ne ipsi agant
quæ iudicant aut peiora, Ne liquant culicem et glutiant Mat. 23.
camelum, ne festucam in aliorum oculis videant, et in
propriis trabem nõ aduertãt, alioqui inexcusabiles sunt.
In quo enim alios iudicant, in eo seipsos condemnant. Rom. 2.
Et singulo vestrum dicetur illud: Tuum est iudiciũ quod
ipse decreuisti. Sic ex verbis tuis iustificaberis, et verbis Mat. 12.
tuis condemnaberis, et ore proprio seruus nequam con-
demnabitur, Iustitia facienda est, et domini quod iustum Luce 19.
est et æquum est subiectis prestare debent, et cum hoc Ephes. 6.
scire quoniam et ipsi dominũ habent in cœlo, qui et al-
ligabit reges iniquos in compedibus, et nobiles in ma-
nicis ferreis. Et iudicium sine misericordia faciet eis qui Iac. 2.
non sunt misericordes, et minas non remiserunt, et sub- Iob 40
ditis non faciunt omnia quæ sibi fieri volunt ab aliis. Er-
go sint misericordes et iusti sicut Deus est, cuius locum
tenent in terris et sunt ministri. Vt altera condiatur ex
altera, vt boni habeant amando quod caueant, & praui
metuendo quod diligant. Ideo sceptrum clementiæ de-
bet habere in manu dextera, vt superexaltet iudicium.
Et si qui abutuntur diuitiis bonitatis eius et pietatis, hos Iac. 2.
gladio iustitiæ, vt salui fiant et cæteri timorem habeant,
pestilente flagellato, ferire debet. Væ illi, si ex dissimula- 1. Tim. 5.
tione eius qua omnem inobedientiam nõ vlciscitur per
gladium mala crebrescunt, vitia exuberant, fouetur ne-
quitia, improbi audaces fiunt, et cadit disciplina, pietas et
honestas: Quia tunc corruit in plateis veritas, et æquitas Esa. 59.
non potest ingredi, tunc iudicium cõuertitur retrorsum,
et iustitia longe stat. Veritas fit in obliuionem, et qui re-
cedit à malo prædę patet Cogitate ergo, quòd non sine
causa gladium portatis. Omnium namque malorũ quæ Ezec. 3.
ex vestra dissimulatione et ignauia fiunt, vos rei estis.
Nihilominus discretus debet esse rigor, ideo sceptrum
clementiæ in dextera habere debetis, quod est arun-
do. Appositè autem arundinem do vobis pro sceptro,
cùm sceptrum insigne sit regum et potestate prædi-
torum. Quid enim est potestas, gloria et honor regum, et 1. Tim. 2.

omnium qui in sublimitate constituti sunt, quàm arundo in arena sitibunda nascitur et paludinosis locis: sic po
Prou.4. testas huius mundi auaritiæ sitim patitur, affer, affer dicit: et in carnalibus operibus et immunditiis carnis crescunt et proficiunt. Arundo faciliter frangitur, et omnis potentatus vita breuis. Hodie rex est, cras non est: est vacua intus, et foris speciosa. Sic tales auro et argento fulgent, bysso et purpura induuntur in corpore, sed intus anima eorum vacua est à gratia dei, à virtutibus et meritis, et si gratiam accipiunt, vacua in eis manet, quia erubescunt deo seruire et bene operari. Arundo est instabilis: et illi in bono, in fide, in timore dei et in iustitia. Sũt leues aliqui quòd benedictione et maledictione mutantur, volunt et non volunt, omni mouentur vẽto doctri-
Ephes.5. næ. Arundo nõ facit fructum bonum (quod terribile est) qui permaneat in vitam æternam. Si quis super ea innititur cadit, & si homo ei innititur, intrat in manum eius, &
Psal.107 perforat eam: Quia vana salus hominis. Maledictus qui confidit in homine. Vnde ait maximus vatũ: Nolite confidere in principibus &c. Colorem, non naturam aut ve-
1.Mat.2. ritatẽ auri habet. Ergo vanitas & simulatio, fraus & deceptio est mundi gloria. Hodie extollitur, cras non inuenitur, & gloria ista stercus est et vermis. Hæc latè exten-
1.Cor.11 di possunt. ¶ Virginibus mente et corpore do coronam Christi spineam gloriæ et honoris, scalam cœli et charitatis. Corona regum et reginarum est insigne. Virgines autem agni et regis regum sponsæ sunt: ergo coronam
3.Esd.4. sponsi vestri do vobis. Hanc sicut scriptum est, accipite manu vestra de capite regis, & imponite capiti vestro.
Mat.19. Est reginæ, vt dixi, insigne, sed spinea est, ideo pungit: Quia carnis tribulationem virgines patiuntur, quæ se castrauerunt propter regnum cœlorum. Et oportet eas seipsas cum vitiis & concupiscentiis crucifigere, crucem
2.Cor 6. portare, membra sua mortificare, vim sibi facere, in vigiliis, in ieiuniis, in castigationibus multis sui corporis, in orationibus continuis, die ac nocte Deo in sanctitate & iustitia seruire in templo, & in concilio iustorum & congregatione. Si vos corona gloriæ delectat, spinæ mentis & tribuli, quas terra corporis vobis germinat, non vos deterreant. Non coronabitur hac corona, nisi quæ legitime certat, & pondus diei & æstus æquo animo por-
2.Tim.2 tat: Si compatimini et conregnabitis, si sociæ estis passionum

sionum,eritis & consolationum:si commortuæ fueritis, etiam conuiuetis. Circularis est ista corona & finē non habet,sic & vos estote fideles in custodia virginitatis vsque ad mortē,& tunc accipietis coronā vitæ. Multis spinis est plena, quia multæ sunt carnis molestiæ. Et sicut manu corona spinea nō tangitur,sic nullo modo debetis pati vt aliquis vos tāgat.Quod si præter voluntatē vestrā factum fuerit,grauē ei obiurgationem,velut vulnus reddite inflictum à spina.Nā expedit vos magis mori, quā vt gloriā & coronā hanc vobis quis eripiat. Hæc est corona incorrupta,incorruptis promissa, pro qua in agone cū diabolo contenditis, & non solum viā mandatorum, sed & consiliorum dei curritis. Sic currite vt hanc coronam comprehendatis, & proinde abstinete ab omnibus & tanquā à facie colubri fugite omnia quæ vobis impedimento esse possunt à consequenda ista corona. Faciliter & pro vilissimo perditur,& pro totius mundi thesauris & bonis non potest recuperari. Cohibeo calamum. *1.Cor.9.* *Ibidem.*

¶ Do vobis etiam scalam in qua debetis crucem ascendere & palmam, dilectum deponere in cordis vestri aureum reclinatorium,thronum eburneum,lectulum floridum,hortum deliciarum,voluptatis paradisum, paratum thalamum recipere, & cum eo iocundari & miscere sermones.Et cùm angustia & tribulatio vos comprehendit, caro vos præmit,ascendite in scala ista ad crucem,nidificate in foraminibus petræ, in vulneribus Christi,ibi requiescete donec transeat iniquitas,& extincta flamma libidinis fuerit.Et iubente Christo,ventus cessauerit, fluctus soluerint, & optata cunctis mortalibus pax cordis & tranquillitas fuerit restituta. Ipse est petra & refugium erinaciis, hoc est, tentiginem & pruriginem carnis suæ sentientibus. Ipse solus refugium vestrum sit & virtus, adiutor in omnibus tribulationibus quæ inueniunt vos nimis. Ascendite in scala ista etiam in cœlum, videre ibi gloriam vultus eius, magnificentiam gloriæ regni eius. Circuite ciuitatem Hierusalem cœlestem per vicos & plateas,omnes mansiones eius considerate, & tunc dubio procul dicetis: Tædet animam meam vitæ meæ. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Trahe me post te. Cupio dissolui & esse cum Christo. Hæc scala terram tangit, & cœlos attingit, atque ei dominus est innixus. Charitas hæc est *Canti.3.* *Mat.8.* *Marc.4.* *Gen.28.* *Cant 3.* *Iob 19.* *Psal.119* *Philip. 1.*

quæ patiens eſt, benigna eſt &c. Ecce quomodo tangit terram,in qua preſſuram electi habent. Sed cœlum at-
Pſal.83. tingit,quia omnia ſuſtinet.Suſtinentes autem dominum ipſi hæreditant viuentium terram. Beatus homo cuius auxilium eſt à Domino, & qui aſcenſiones has diſponit in corde ſuo in hac valle lachrymarum, it de virtute in virtutem, donec Deus Deorum in Sion videatur. Hæc
Mat. 16. arcta via eſt quæ ducit in cœlum. ¶ Viduis deſolatis do Calicem paſſionis, & ſpongiam amaritudinis. Aromata myrrhæ & aloes boni odoris.Viduarum ſtatus,vna & aſſidua tribulatio & anguſtia eſt,vt alibi dicemus.Ideo eis
Mat. 27. do calicem paſſionis,quem oportet eas bibere, ſpongia
Luc.22. plena aceto felle mixto,idipſum ſignificat.Hunc calicem eis parant & miſcēt crebrò amici earum & proximi ea-
Pſal. 73. rum.Et ne notentur,in longa potum hunc eis porrigunt virga.Cum crucem paratam videtis, & proximi veſtri & amici veſtri aduerſum vos, & qui olim prope erant, de longe ſtant, & vim faciunt qui non ſolùm animam veſtram:ſed & bona veſtra quærunt,& non poteſtis violentiæ eorum reſiſtere,omnium auxilio deſtitutæ, tunc calicem domini accipite & bibite, & nomen domini inuo-
Iudi.8. cate.Et ſi amarus eſt,fuit & Chriſto amarus, eſt tamen ſalutaris.Sic quotquot deo placuerunt ab initio, calicē domini biberunt,& amici dei facti ſunt.Multa hîc de ſta-
Ioan. 19. tu viduarum dici deberent.Do vobis etiā aromata myrrhæ & aloes quibus fuit corpus Chriſti delibutū.Sic fa-
1. Tim.5. cite & facitis quando Chriſti bonus odor eſtis,& in operibus bonis teſtimoniū habetis: ſi filios in diſciplina dei educatis,hoſpicio recipitis, ſanctorum pedes lauatis,tri-
1. Cor.7. bulationē patientibus ſubminiſtratis. ¶ Matrimonio iunctis,do crucem tribulationis, tres clauos excuſationis.
Actu.4. Apoſtolus dicit, quòd tribulationem carnis habent qui
Iob 21. matrimonio iuncti ſunt:& certe innumeras miſerias,calamitates,triſtitias,grauamina,pericula, dolores & afflictiones habēt matrimonio iuncti,etiā illi qui habēt cor vnum & animā vnam, quibus non deſunt diuitiæ,quorum paruuli ſicut nouellæ plantationes,& egrediūtur ſicut greges,& quorum infantes exultant luſibus, & ſicut nouellæ oliuarū ſunt in circuitu menſæ parentū. Attamen crux eſt matrimoniū, & quidē maxima. Ideo virgo dum virgo traditur,offertur ad crucem.De hoc alibi. Do vobis etiam tres clauos, quibus corpus Chriſti cruci eſt

affixum:

affixũ:sic per istos tres clauos in cruce vestra debetis esse affixi,quod sola vos mors diuidat.Et ideo sicut Christus in sua,sic vos in vestra mori debetis cruce. Isti tres claui sunt,fides cõiugalis,ne quis alteri misceatur. Proles intenta & in timore dei educata. Sacramentum magnum Christi & ecclesiæ,in vobis significatum.Propter hæc & thorũ immaculatum & honorabile connubium seruatis, & vasa vestra in sanctificationis honore possidetis. De his alibi plura.¶Pueris,& seruis,labores manuũ suarum manducantibus,do gallum excitationis, virgam correctionis.Gallus est auis domestica,non discurrit per alienas ædes vt canis esuriens,est auis pulcherrima,sapiens, suis certis horis,etiã in nocte vigilans & cantãs, & Deũ etiam in nocte quater voce sua laudans, & alios ad laudem dei excitans & facto prouocans ad fletum & pœnitentiã. Habet externas pennas pulchre compositas &c. Breuiter,instar galli succincti lumbos esse debetis,parati ad omnem obedientiam,veloces ad cursum & ad implẽda quæ vobis iniuncta sunt. Suo tempore etiam in nocte vigilare,& alios ad opus excitare.Mane facto nõ expectare solis ortum in lecto, sed cito surgere. In moribus pulchri,ornati,dispositi,omnium oculis gratiosi: Intelligere quæ vestri sunt muneris,vnum oculũ ad cœlũ, alium ad terrã habere debetis,vt semper videatis volũtatẽ dei: altero, domini vestri.Si periculum,si damnum præ manibus est mox dare vocẽ,monere alios, vt gallos suas gallinas,nõ discurrere per alienas ædes.Ex terra cibum eruit,libẽter aliis communicat,pro suis pugnat:vocatus, mox accurrit, peccatores arguit præuaricatores. ¶Do etiam vobis virgã correctionis,qua si quæ debetis nõ rite absoluitis,feriri debetis,ne q̃d reprehẽsibile post hoc cõmittatis.Si quis autẽ iam domi nõ potest corripi, quia magnus est & pertinax,cũ flagellãdũ mittemus ad forũ.¶Peccatoribus resipiscentibus, do lanceã Longini militis,aquã & sanguinẽ Christi cordis.Nolumus mortẽ peccatorũ,sed vt conuertantur & viuãt.Et ipse venit peccatores vocare ad pœnitentiã & saluare in regnũ suum. Et ego sum maximus peccatorũ: imo in multis offendimus omnes. Venite ergo omnes q̃ laborastis vt iniquè ageretis,& peccatorũ grauissimo onere onerati estis, & procedamus ante deũ:ploremus corã dño qui fecit nos, & præoccupemus faciem eius in confessione,& tũc ipse remittet

Rom.7. Mat.27. Heb.13. 2.Thes.4. Luc.12. Eze.18. Mat.19. Luc.5. 1.Tim.1. Iaco.2 Matt.11. Psal.94.

remittet nobis impietatem peccatorum nostrorum & eorum amplius non recordabitur. Aperiamus lancea diuini amoris corda nostra tumentia, vt omnis sanies peccatorum de eis effluat. Deinde lauemus ea aqua mūda, & dealbemus ea in sanguine agnis, quæ effluxerunt de corde & latere Christi: Et tunc super niuem dealbabuntur. O quantus esset hic campus expatiandi. ¶ Peccatoribus obstinatis, induratis inique agentibus vsquequaque,
Luc.23. in reprobum sensum datis, do Colonnam & sudes siue baculos quibus corona capiti fuit impressa: Malleū item crucis & timoris. Columnam vobis do quæ est in foro, (taceo crucem in quam suffiguntur malefactores)
Isa. 28. vt ibi digna factis vestris recipiatis. Et vexatione dante intellectum auditui, & aperiente oculos quos culpa clausit, cum dextro latrone resipiscatis, imploretis magnam dei misericordiam, obtineatis peccatorum veniam, accipiatis paradisi repromissionem. Crebro nanq; cum mali occiduntur quærunt dominū, & diluculo ad eum reuertuntur. Imple facies eorum ignominia, & quærent
Psal.82. nomen tuum domine, dixit Dauid. Domine in angustia quæsierunt te in tribulatione murmuris docuisti eos. Sic Manasses, & filius prodigus, sic Dauid & Nabuchodosor, obiurgati, afflicti, humiliati, in angustia quæsierunt pacē. Quod si nec sic conuerti volueritis, tunc do vobis sudes, fustes, hastas, quibus corona spinea capiti Christi fuit impressa. *Vor den dollen hundt hoert eyn kluppel.* Maleuolo & nequam, gladij & fustes, tortura & compedes. Si hoc nihil iuuat, tunc do vobis malleum quo claues per manus & pedes Christi sunt transfixi, qui & crucis imaginem præ se fert: Vt vel sic crucis conspecta imago vos retrahat à malo. Vel timor saltem æternæ damnationis, per quem omnis peccator recedit à malo, vos deterreat: Alioqui malleos percutientes scitote paratos stultorum corporibus, si iam induratis corda vestra quasi lapis, sed
Luc.13. stringentur in inferno quasi malleatoris incus. Ergo, nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

IN DIE CIRCONCISIONIS DOMINI, SERMO QVARTVS DE vestimentis Christi.

Iob 40. Circunda tibi decorem & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Idipsum & alibi domi

dominus dicit: Suadeo tibi vt vestimentis albis induaris, ne appareat confusio nuditatis tuæ. Vestimenta hæc nõ sunt byssus & purpura, non ex auro, argento & lapidibus preciosis, margaritis, & serico contexta, multicoloria & preciosa, quia vanitas sunt, & ab apostolis Petro & Paulo etiam mulieribus interdicta. Sed sunt virtutes & dei gratia, sunt conuersatio sancta, honesta, & exemplaris, qua honor dei omnibus placet in bono, quæ ædificationis sunt vbique sectatur, sancte, iuste & sine reprehentione omnibus adest, digne deo & euangelio conuersatur. Et sicut luminare in mundo lucet per bona opera ad gloriam dei. Et dicit vestimentis in plurali, quia multæ sunt virtutes ad vitam deo dignam necessariæ: imo, sicut vestis ex multis filis contexitur, sic vita bona ex omnibus virtutibus (quia virtute connexæ sunt,) perficitur & integratur. Verum quamuis omnes Christiani, omnibus virtibus debeant esse adornati, maxime principalibus, tamen iuxta statuum, officiorum, actuum, administrationum, ætatum & conditionum diuersitatem, aliquæ magis in aliquibus fulgere debent & esse in vsu. Exempli gratia: Iustitiam omnes diligere & facere debemus, Magis tamen ea adornari debent, qui iudicant terrã & præsunt populis. Munditia carnis & spiritus & continẽtia ab omnibus immundiciis carnalibus, omnibus est pręcepta. Alia nihilominus est, & esse debet munditia sacerdotũ, ministrorum ecclesiæ & virginum, alia viduarum, alia cõiugatorum. His præmissis ad arenam iam descendam, & vnicuique vestem, non qualemcunque, sed ex Christi vestiario desumptam dabo pro nouo anno, vt vnusquisque sua se induat, ornet, & operiat, & ambulet sicut Christus ambulauit in veste illa. Et fiet, vt non solùm non appareat nuditas eorum & confusio, sed omnia vulnera eorum per vestimenta hæc curentur, & nihil confusione dignum, & de quo erubescere possint, in eis remaneat. Sed solummodo occasionem post hoc sapientibus dabo & fenestram aperiam, quia ex aliis sermonibus faciliter materia potest extendi. Nec vilescant apud vos vestes Christi, quia ex eis non solum corporum, sed etiam animarum sanitatẽ, qui ea in fide tetigerunt, sunt consecuti. Quãto magis vos hæc assequi potestis, cùm his fueritis induti. Sed obstreperas: Purpura Christi vestis alba, pallium, fimbria, tunica inconsutilis, sanitates donabant.

Apoc.3. *1.Pet. 2.* *1.Tim. 2.* *1.Cor. 10* *Sap.1.* *1. Pet.1.* *Luc.23.*

Sed hæc neque tibi sunt, nec ea nobis dare præuales?
Ad quod ego: Meliora, efficaciora, diuiniora, sanctiora,
salubriora, acceptiora deo, angelis & hominibus sunt do-
Prou.8. na mea & meliora illis. Accipite igitur doctrinã meam
Sapien.7. quam dabo vobis, & non pecuniam. Eruditionem magis
quàm aurum eligite. Melior enim est sapientia cunctis
operibus preciosissimis, & omnia quæ desiderantur, non
possunt ei comparari. Vtiliora etiam sunt ad salutem
corporis & animæ in vita quæ nunc est & futura, vesti-
menta quæ ego dabo vobis, quàm ea sunt quæ Christus
in corpore suo portauit: Nam ea quibus in vita sua Chri-
stus vsus est, si in vnum omnia haberes, ex se nihil vtili-
Psal. 14. tatis conferrent. Non facerent te bonum, iustum, san-
& 33. ctum, deo charum, virtuosum, diuitem in gratia ac meri-
tis, declinare à malo & facere bonum. Non facerent te
filium altissimi, fratrem & cohæredem & amicum &
membrum corporis Christi, nec templum viuum spiri-
tussancti, non facerent te ciuem sanctorum & domesti-
cum Dei. Hæc autem omnia vobis conferunt vestimen-
ta quæ ipse daturus sum vobis, si eis fueritis induti, &
in eis seruieritis deo omnibus diebus vestris in iustitia
Luc.1. & sanctitate: imò, tam sunt Deo accepta & placita Chri-
sto, quod dum eis vos ornatis, deus ad vos venit, & man-
sionem apud vos facit, & deus in vobis & vos in deo ma-
netis. Sed si hoc non sufficit, cum eis etiam induitis do-
minum Iesum Christum. Ergo induimini vestimentis
gloriæ vestræ. Sumite vestimenta vestra multicoloria, &
ornate vos eis, & tunc rex decorem vestrum concupi-
scet. Sed singulis apophoretum suum damus de impre-
Mat. 27. ciabili thesauro & vestiario Christi. ¶ Sacerdotibus dei,
Marc.13. & ministris in domo dei, do sindonem mundam, in qua
Luc.23. Christus fuit inuolutus & sepultus. Hanc Christus re-
Ioan. 20. surgens ex mortuis, reliquit in sepulchro. Per quod do-
cemini, si vultis ei seruire, per omnia placere, cum in
corde vestro sicut in viuo sepulchro sepelire, sicut dixi
1. Pet.1. sermone præcedenti, tunc debetis in albis ambulare se
cum, sancti esse, sicut ille sanctus est. Innocentes mani-
bus & mundo corde esse, & ab omnibus inquinamentis
1.Cor.11 carnis & spiritus emundati. Alioqui indigne munus ve-
strum obitis, & iudicium vobis manducatis et bibitis. Et
post buccellã intrat in vos Sathanas, nec Christus in vo-
Sapi.1. bis est et manet, sed diabolus cuius desideria maligna et
opera

opera damnabilia facitis. Christus non habitat in corpo- 1.Cor.1.
re subdito peccatis, quia nulla participatio iustitiæ cum iniquitate, nec aliqua societas est lucis ad tenebras hoc est peccatores. Sacerdos ergo iam offerens aut celebrãs in peccato, inquinatus luxuria, infideli deterior: Iuda impudentior, diabolo est obstinatior. Multa hîc de sacerdotum vestimentis dici possunt, & eorum morali significatione. De sacerdotum castitate & continentia, de eorum inculpata & irrepræhensibili vita, vt docet Apostol. ad Ti- 1.Tim.5.
motheum & Titum. Ecce sic vides quòd non solum vesti- Tit.1.
menta Christi nihil tibi prosunt sine innocentia, sine cordis puritate, sine munditia manuum tuarum, sine charita- 1.Cor.13
te, quæ non agit perperam, sed legẽ implet, & operit mul-
titudinem peccatorũ: imò, vniuersa peccata delet. Et hæc 1.Cor.11
omnia, sindonem mundã dixerim: & quod mirabilius est, nec corpus & sanguis Christi tibi quicquã prosunt sine munditia ista, sed magis obstãt & obsunt tibi ad damnationẽ, dum immundus sancta præsumis. Ad sindonẽ istã, totius euangelij obseruatio requiritur, electa ergo strena est sindon munda. ¶ Potestate præditis, do purpureũ vestimentum summi regis Christi, hoc est, iustitiam. Et sicut purpura regum insigne est & potestate præditorum, sic & iustitia super omnia Deo & hominibus eos dilectos facit & præclaros. Hunc ego ter quaterq; beatum dixe- Sap.6.
rim, qui gloriari potest in Domino, & dicere in veritate: Induit me Dominus vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Iustitia duas partes habet: nempe, declinare à malo & facere bonum. Et est virtus, omnem bonitatem, perfectionem & omnes virtutes complectens. Iustos istos Dominus diligit, benedicit & in regnum suum æternum introducit. Iusti isti fulgent sicut sol in regno dei, & sicut
stellæ in perpetuas æternitates. Hoc in Abel iusto, in Gen.4.
Noe, in Iob, in Zacharia, in Ioseph sponso Mariæ, in Si- Gen.6.
meone senẽ, in Ioseph ab Arimathæa, vt cæteros taceã, cernere est in literis sacris. Isti iustitiam fecerunt, & di-
cere potuerunt, conscientia ipsorum operibus quæ fece- Iob.29.
runt, & deo illis perhibentibus testimonium, Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento & diademate iudicio meo. Hæc reddit vnicuiq; quod debet, Deo, sibiipsi & proximo. De quibus alibi. Cum omnibus vestibus

Christi & cum sacramento altaris potes damnari: cum
Luc.23. iustitia prorsus damnari non poteris in æternum. ¶ Virginibus,do vestem albam in qua Christus fuit illusus vt stultus.Et id apposité multum:nam virginitas modo putatur insania,datur probro, damnatur à perfidis Lutheranis.Ideo virgines istis malis diebus & periculoso tēpore, opprobrium hominum sunt & abiectio plebis. Omnes Lutherani videntes eas derident eas,male loquun-
Heb.12. tur de eis,& mouent ex despectu capita sua.At vos,confusione contempta aspicite in authorem fidei Christum Iesum, qui non solum in alba veste propter vos despici,
Sap.2. sed etiam turpissimā mortem crucis sustinuit. Nolite ergo pusillo animo effici,sed magis gaudete quòd dignę habeamini pro nomine eius contumelias pati. Magis autē date operam,vt vestimēta vestra omni tempore sint candida,& si aliquid maculæ,hoc est,aliquid pecati contraxerint,vt nemo est sine peccatis,neq; infans vnius diei super terram,mox vt immunditias aduertitis,lauate vestimenta animæ vestræ,purificate corda vestra, & mundate
Apoc.7. manus peccatoris in sanguine agni. ¶ Viduis,orphanis & pupillis,quorum deus adiutor protector & cōsolator est,
Ioan. 10. do sudarium,quo teste Ioāne euangelista caput Christi fuit inuolutum.In isto sudario vos inuoluite,faciem abscondite,& ne vlli homini amplius velitis placere,quia si adhuc hominibus quæritis placere, veræ viduæ Christo
Rom.8. nō estis.Loca secreta amate,amica mœroribus,& in eis gemitibus inenarrabilibus vitæ prioris peccata deflete: ibi seruite domino in ieiuniis & obsecrationibus cū Anna Phanuelis die ac nocte, ibi mori huic mundo debe-
Col.3. tis,& vitam vestram abscondere cum Christo in deo,ibi carnem vestram crucifigere debetis cum vitiis & concupiscentiis, nullum locum diabolo dare, & omnes causas vestras,necessitates,damna,grauamina & molestias, sed domino reuelare,Domino commitere:Orando vt ille iudicet iudicium vestrum,& redimat vos à malis,quia vana salus hominum. ¶Do etiam vobis Veronicæ peplum, in quod Iesus secundum multos doctores & historias,faciem suam gratia plenam,iucundam & speciosam sua vir-
Ioan. 21. tute impressit,et ei dono dedit. Nec valet quòd non sit scriptum, quia multa docuit & fecit Iesus quæ non sunt scripta in euangeliis. Hanc vobis do pro strenula & apophoreto, vt quando irruit super vos repentina calamitas &

tas &

tas & quaſi tempeſtas ingruit. Quando circundant vos ſicut apes,& exardent ſicut ignis in ſpinis,tunc in faciem illam reſpicere debetis,& vos cum ea conſolari, & dicere:Deus in adiutorium meum intende,domine ad adiuuandum me feſtina.Et erit quod antequam clametis audit,& adhuc vobis loquentibus ille vos exaudiet: & dabit vobis petitiones cordis veſtri, quas petitis ſecundum deum.Rurſus calamum cohibeo. ¶ Matrimonio iunctis, *Eſa.65.* do tunicam inconſutilem deſuper contextam per totum. *Rom.7.* Hæc eſt vera charitas & vnitas, quia quos deus coniunxit *Mat.19.* homo ſeparare non debet nec poteſt:ſola mors eos diuidit,quia deſuper contexta eſt per totum tempus vi- *Mat. 10.* tæ,& ſi diuiditur,temeritas eſt,malitia eſt,inſania & ma- *1.Cor.7.* nia execranda.Sic Lutherani,cũ iniuria ſacramenti matrimonij,in deſpectum Ieſu Chriſti & eccleſiæ, cuius eſt ſacramentum, in vnitatis eccleſiaſticæ,pacis & concordiæ,iunctos matrimonio ſeparant, cum aliis contrahere permittunt,& hanc tunicam Chriſti, quòd etiam genti- *Mat.5.* les milites noluerunt & expauerunt,diuidunt. At ſepa- *Marc.9.* rati ſunt ſicut arbores eradicatæ, & ſicut ſal infatuatum, ad nihil poſtea vtiles ſunt,niſi vt mittantur foras,conculcentur & areſcant. Non poſſunt amplius fructum in quo Deus glorificetur ferre.Nihil ex eis amplius condiri po- *Sap.4. & 10.* teſt,fiunt arbores malæ,ex quibus non poſſunt boni fructus naſci.Et ſi fructus faciunt,iſti ſunt inutiles,acerbi & *Prou. 15. & 16.* teſtes nequitiæ eorum,& auferuntur,vt Sapiens ait. Nec mirum ſi Lutherus ſuos diuidit, quia inhabiles, diaboli conſilio & authoritate copulauit.Inter quos non eſt nec eſſe poteſt ſacramentum eccleſiæ dei:ſed canina copulatio,ideo etiam more canum ſimul viuunt,latrant,dentes ſibi oſtendunt, morſibus ſe aſſiduis moleſtant.Et tandẽ more beſtiarum et canum quibus non eſt intellectus, vnuſquiſq; in viam ſuam currit,cum altero coit. Sic verum eſt quod Lutherus dixit, in Eccleſia ſua malignantium,inter monachos et moniales apoſtatrices,inter ſa- *Heb.13.* cerdotes & ſuas ſalaces meretrices, non eſſe matrimonium Eccleſiæ verum et honorabile,nec thorum immaculatum, ſed beſtialem ardorem, et caninum amorẽ et cohabitationem corporalem, ſolummodo habent. Eſt pollutio terræ in fornicationibus eorum. Nã ſicut equus *Eccl.25.* ſcabioſus phaleris regalibus opertus, ſic inceſtus eorum et beſtialis ardor, honeſti matrimonij titulo ad-

umbratus est & velatus. Verum, vt phaleræ præciosæ si eis tegitur, equum scabiosum non faciunt sanum, bonũ & acceptum regi, sic matrimonij titulus, non excusat vos ab incestu, adulterio, sacrilegio, & fornicatione, sed estis & manetis sacrilegi, incestuosi, fornicatores, adulteri, ante Deum & Ecclesiam sanctorum. Ornamenta præciosa & vestimenta, quantumlibet eis ornetur adultera & fornicaria, non faciunt eam honestam, pudicam, & bonam mulierẽ, sed mores boni, timor Dei, & vita immaculata. Sic nec titulus matrimonij, quem false prætenditis, vestras libidines excusat, sed accusat, sed arguit, sed traducit, sed damnat. Væ illis qui dissentiones inter coniugatos seminãt, væ illis qui inter dissentientes ea quæ pacis sunt, nõ consulunt, & pro eorum pace reformãda, agẽda & cõfirmanda omnem lapidẽ non mouent. Nã si alter alterum deserit, hoc est, solummodo quo ad thorum, ad multiplicationẽ prolium, sed vinculum matrimoniale sola mors dirimit. Etsi diabolo, vel malis hominibus agentibus, aut propria malitia separantur, ne in vnũ habitẽt. & vnius moris in domo, & alter alterius onus non

Psal. 132 vult portare, vt adimpleant legẽ Christi, quę charitas est.

Psal. 64. Charitas autẽ patiens est, benigna est, oĩa suffert, omnia

Gal. 6. sustinet. Tũc eos innuptos et innuptas manere oportet, aut quod oĩbus modis consulendum et optãdum, opor-

1. *Cor.* 12. tet eos recõciliari. Si quis autẽ dimissam ducit, fornicatur: et si quæ dimissa nubit, adulteriũ cõmittit. Sed in bestiali et canino Lutheranorum coniugio, oĩa licita sunt, quia de nullo scelere erubescunt, frons mulierum meretricũ facta est eis, pudori renunciauerunt, peccãt sine omni timore, gloriantur in malitia, et quòd potentes sunt in

Hier. 3. iniquitate. Sic iã in matrimonio Lutheranorũ vbi vela-

Eccl 8. men malitiæ suæ libertatem, non Christi aut Euan-

Psal. 51. gelij, sed canum et bestiarum habent, commixta sunt omnia, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, tur-

1. *Pet.* 2. batio et periurium siuẽ votorum ruptio, tumultus, bo-

Sap. 14. norum dei immemoratio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mechiæ et impudicitiæ. Et non sufficit eis, quòd errant circa dei scientiam quæ est sacra scriptura, sed et in maximo viuunt inscitiæ bello cum tot et tam magna et horrenda mala, pacem appellant, et euangelium syncerum et doctrinam salutis. Hæc non sunt verba mea, sed doctissimi. Philonis, quibus perinde

de ac coram positos Lutheranos digito & calamo suo demonstrauit. Sic, heu, libertatem Christi & Euangelij in quam vocati sumus, Lutherani dant in occasionem & seruitutem carnis, peccatorum, & dæmoniorum, pessimam & damnabilem, & faciunt velamen suæ malitiæ, nequitiæ & carnalis voluptatis. ¶ Pueris, seruis, & ancillis, do linteum, quo Christus se præcinxit, quando se ad lauaudos pedes discipulorum suorum humiliauit. Mantile fuit, aut aliud quid de lino factum, videlicet supparum, succinctorium, semicinctum. Et hoc vobis do, quia lumbos præcinctos habere debetis, carnis illecebras & luxurias per continentiam coarctando. Debetis esse præcincti ad omnia mandata parentum & dominorum parati, sicut est præcinctus. Ad primum verbum, in auditu auris eis obediendo. Et sicut serui parati ad domini aduentum & mandata expectando. Beati pueri, serui & famulæ, qui semper dicunt Deo & parentibus & dominis suis: Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Linteum humilitatis, obedientiæ & seruitutis est instrumentum & indicium. Sic & vos humiles, obedientes, & in seruitio diligentes esse debetis. Linteum extenditur cum eius indigenus, aliàs complicatum in angulo iacet aut arca. Sic pueri, serui & ancillæ, cùm eorum opera necessaria est, sine mora, sine contradictione, sine vlla difficultate prodire debent, & quodcunque præcipitur facere. Quo expleto rursus in suo loco delitescant, donec eis aliud quid fuerit iniunctum. Aliorum immunditiis abstergendis vti sustineant per humilitatem, & ligari pro bona voluntate bonorum parentum & dominorum suorum. Tam sanctos, iustos & irreprehensibiles se omnibus exhibendo, quòd per eorum bonam, sanctam, & inculpatam vitam, seruitutem et obedientiam, alij filij Belial, immorigeri pueri, serui et famulæ confundantur, arguantur, emendentur, et sine verbo lucrentur. Facile est per symbola addere plura: nempe quòd seipsos post vsum et abstersionem, si quid immunditiæ (vt fieri adsolet) ex hoc contraxerunt, rursus per singulas noctes lauare ab iniquitate sua et à peccaro suo se mundare & cætera. ¶ Peccatoribus resipiscentibus à Diaboli laqueis, et pœnitentiam stabilem in salutem operantibus cum gratia Dei, do pallium Christi. Pro quo sciendum, quòd Deus Iudæis

Gal. 5. 2.Pet.2. Ioan.13. Luca 12. Tob.5. Psal. 118 & 59. & 107. 2.Thes.2. Psal.6. Psal.50. 2.Cor.7.

vnum actum charitatis explemus, quasi alterum negligimus. At priore absoluto charitatis officio, aliud perficere debemus. Ipse autem in omnibus perfectus fuit, & idem ipse semper permanet. Hoc pallium breue est, vtrunque operire non potest. Nemo potest deum & mundum diligere, duobus dominis seruire, carnis curam in desideriis facere, & in spiritu Deo seruire. Quod in quatuor angulis licias hyacinthinas habere debet, hoc est, quod charitas hæc sancta & saluans pœnitentia quatuor virtutibus cardinalibus debet esse ordinata & suffulta: nempe, prudentia, temperantia, fortitudine, & iustitia. Et charitas nihil aliud est, quàm quadripartitus dilectionis affectus &c. ¶ Obstinatis & desperatis, do immundissimum velum quo speciosissimam & gratiosissimam Christi faciem filij diaboli velauerunt, sicut illud immundum, sic & vos abominabiles in conspectu Dei estis, sicut & ea quę facitis, & sicut illi faciem Christi noluerunt videre, sic & vos tollemini ne videatis gloriam Dei, & sicut illi per hoc Christo illudebant, sic vos in peccatis vestris illi illuditis, & quasi non videat vos, qui rursus eum crucifigitis et ostentui habetis in vobismetipsis et dicitis: Quis est qui te percussit? te irritauit, te inhonorat, te in proximo configit, molestus est, percutit et persequitur, quis est qui in te peccat, scandala et offendicula dando, paruulos in fide, pusillos in meritis contristando, offendendo, infirmando, pueros perdẽdo, simplices destruendo, quòd pereunt de via iusta et recta. Sed et quoties scelera designatis et operamini iniquitatem, totiens conscientiæ vestræ faciem, ad imaginem et similitudinem dei factam maculatis, et ex consequenti, faciem Dei et Christi.

Heb. 1.

August.

Psal. 13. & 51.

IN DIE CIRCONCISIONIS DOMINI,

Sermo Quintus.

De nominibus Iesu, quibus ab Esaia vocatur & nominatur.

CHristus Iesus candor est lucis æternæ, & speculum sinè macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius. Cogitanti mihi quid boni & ædificatorij pro nouo anno vobis darem, vt vel paruam vicem redderem vobis pro omnibus

Sap. 7.

Act.3. omnibus bonis quæ retribuitis nobis. Et cum aurum & argentum non sit mihi, in mentem subiit, quod nec ea
Sap.3. à me expectatis nec speratis. Quid ergo? Imperfectum meum confiteor, quòd homo infirmus & exigui temporis ego sum, & minor ad intellectum iudicij & legum.
Psal. 40. Non cognoui literaturam, sed sum stultissimus virorum & sapientia hominum non est mecum. Ideo de mea sapientia desperans, ad eius confugio misericordiam, qui exoratus humiliter, omnibus sapientiam dat affluenter. Qui os multorum aperit, & linguas infantium facit esse disertas. Eius igitur gratia fultus, & adiutorio, quod vtile vobis erit dabo: imo, quod iam habetis in domo, & habentes nescitis quid sit, & quæ vtilitas in eo. Sicut scrip-
Iob 28. tum est: Nescit homo precium & vtilitatem eius. Et ne longa verborum ambage vos detineam & tempus perdam, speculum vobis dabo pro apophoreto & strenula in hoc sermone. At non formatum est ex cinere aut ex vitro arte & manu alicuius hominis, sed virtute Spiritus sancti. Est autem speculum hoc ipse Iesus Christus, sine macula, ipse paruulus et puer natus nobis, et cum eo pater misericordiarum omnia nobis donauit, teste Paulo. Vt autem enucleatius dicam, videamus quid Esaias de eo dicat; Puer, ait, natus est nobis omnibus ad salutem, et filius patris dilectissimus datus est nobis in speculum, ambulandi et placendi Deo. Quod maxime ex eo patet quod principatus factus est super humerum eius, crux sancta videlicet, quam humeris suis baiulauit, et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, deus Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Ecce sex nomi-
1.Cor.13. na Christi, quasi sex specula sunt, quæ vobis dabo, vt vnusquisque in suo videat, quomodo se componat, regat, quomodo viuat, et agat sicut in speculo suo viderit et cognoscit esse viuendum et agendum. Ex præcedentibus sermonibus, præfatio potest extendi, non tamen ordinem seruabo in nominibus quem Propheta posuit, sed quem exigit materia et ordo sermonis nostri. ¶ Sacerdotibus
Esa 5. sanctis, do pro speculo Iesum, Admirabilem. Mirabilis est Deus in sanctis suis, et mirificat eos, dum opera quæ ipse facit et illi faciunt. et maiora illis faciunt, Fecit
Psal. 67. Christus magna, et inscrutabilia et mirabilia sine nu-
Psal.4. mero. Fecit opera dum habitauit in nobis, et cum hominibus conuersabatur, quæ nemo alius fecit. Ideo omnes

miraban-

mirabantur et dicebant: Omnia bene fecit, nec solummodo mirabilis fuit in operibus quæ fecit, sed mirabilis fuit in doctrina sua, sicut scriptum est: Omnes mirabantur in doctrina eius, vt Marcus ait: Et Luca referente: Omnes illi testimonium dabant, quod ipse erat desideratus cunctis gentibus. Emmanuel et sanctus sanctorum. Et mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant: Nunquam sic locutus est homo. Mirabilis fuit eius conceptio, natiuitas, conuersatio, mors, resurrectio, ascensio, et quicquid fecit. Sed in sacerdotib. tam est mirabilis vt nemo verbis assequi possit. Ipsorum lingua est clauis cœli, nam potestatem eis dedit aperiendi et claudẽdi cœlum, ipsi per aquam et verbum Dei de filiis diaboli faciunt filios Dei, Per eos iniquitas redit ad innocentiam, et in nouitatem vetustas. In adoptionem veniunt alieni, et in hæreditatem ingrediuntur extranei, imo ipsi creaturam (vt sic loqui liceat) vertunt in creatorem, Christum de cœlo trahunt in terram, inuisibilem, faciunt visibilem, et bonis omnibus replent bonos et rectos corde, dum augustissimum et benedictum eis porrigunt altaris sacramentum. Dignum profecto et iustum est et super omnia necessarium, vt exemplo Christi sancti in omni conuersatione vestra sitis, secundum eum qui vocauit vos in gratiam istam. Vt faciatis mirabilia in vita vestra. Loquendo linguis nouis, videndo angelos in carne præter carnem in mundo sine vlla conformatione huic mundo, inter malos sine malitiæ eorum imitatione, inter nocentes, innocuè. Hoc qui facit, mirabilius facit, quam si inter districtos gladios ambularet sine læsione, in camino ignis ardentis incederet sine vlla ignis adustione. Super prunas ambularet, et non combureret plantas, vt Salomon ait: Quis est hic et laudabimus eum? Quapropter æmulamini angelorum obedientiam, angelorum doctrinam, principatuum sollicitudinem, potestatum adiutorium, virtutum mirabilia opera, donationum authoritatem, thronorum pacem, intelligentiam Cherubim, charitatem ardentem Seraphim. Et hoc modo cum Deus venerit glorificari in sanctis suis, gloria et honore nos coronabit, pro eo quòd admirabiles in vita hac fuistis ad gloriam eius. Calamum cohibeo. ¶ Potestate præditis pro speculo, in quo se contemplentur ad

Mat. 5. *Luca 4.* *Ephes. 5.* *1. Cor. 1.* *1. Pet. 1.* *Rom. 13.* *Dan. 3.* *Prou. 6.*

ad quod adornent,regant, & actus suos dirigant, do Ie-
Ephe.5. sum,vt est princeps pacis: sint rectores principales, ex-
celsioréſque aliis in bonitate cordis,in veritate oris, in
Apoc.1. iustita euangelica,sanctæ,inculpatæ, virtuosæ, & deifor-
mis vitæ. Tales fuerunt quos princeps regum terræ,
principes constituit populorum, & super omnem ter-
ram:ideo nimis confortatus est principatus eorum.Mo-
ribus,virtutibus,vitæ,sanctis, & deo dignis operibus,cla-
Esaia 2. ri & nobiles extiterũt.De quibus scriptum est: Princeps
secundum cor dei, ea quæ digna sunt principe cogita-
bit.Hæc autem sunt,vt seipsum exemplum omnium ope
rum bonorũ subditis suis præbeat.Ab omni specie mala
se abstineat,gloriam dei ante omnia promoueat, & au-
Psal. 81. geat cum Dauid, præcepta dei seruet & seruari faciat,
atq; horum trangressores dure corrigat,recte iudicet,op
pressis subueniat,iudicet pupillos,defendat viduas,deso-
latos consoletur, pauperibus quibus indigent tribuat,
1.Cor.13. non quærat quæ sua sunt, sed quæ sunt Iesu Christi, et
aliorum vt salui fiant,nullius personam accipiat, pacem
amet,quæ pacis sunt vbiq; sectetur, pacem Christi quæ
omnem sensum exuperat,confirmet, pacem inquirat et
prosequatur,habeat pacem ad deum,per obseruationem
mandatorum ipsius, ad seipsum per conscientiæ purita-
tatem.Habeat etiã quantum in ipso est,pacem cum om-
Rom.5. nibus hominibus,et tunc deus pacis et dilectionis,dabit
ei pacẽ æternam. Qui facit hæc,iste beatus in facto suo
est,hunc collocabit cum principibus suis super omnia bo
na sua.Contra quod alij principes sunt infideles,socij fu
Osea 7. rum,diligunt munera,iustos gratis persequuntur,in trans
gressionibus sunt primi, sicut leones rugientes & vrsi e-
surientes impij principes sunt super pauperes:& tales o-
mnes ministros habent impios,qui in malitiis suis reges
Ezec.12. & in mendaciis suis letificant principes,& laudant eos in
Esa.9. desideriis suis,& benedicunt & decipiunt,propter fragmẽ
panis & pugillum hordei,sed caudæ & capita crebro pe-
Num.25. reunt vno die.Vnde dominus Moysi præcepit,vt princi-
pes qui malo non restiterunt,tolleret,et in patibulis cõ-
tra solem suspenderet et c.Auertat hæc Deus à principi-
bus nostris,qui pacem sequuntur et sanctimoniam, sine
quibus nemo deum videt. ¶ Virginibus. Virgines mun-
ditiam plus aliis diligunt coporis et externam, et sicut
externi hominis ornatum,mundiciam et decorem ad spe
culum

culum de vitro factum cōponunt,diligentiſſime:ſic multo diligētius ad ſpeculum ſine macula Chriſtum Ieſum, internum hominem prius,& deinde exteriorem conuerſationem cōponere debent. Stultum eſt & extremæ dementiæ,corpus quod foris eſt lauare & ornare ad hominum complacentiam,quod ſaccus immundiciarum eſt & manet,quantiſlibet auri & argenti molibus grauetur,& animā negligere quæ dei eſt inſignita imagine. Stulte, qui corpus fecit,ipſe et animam fecit,& hæc illud incōparabiliter excedit. At omnes corpus curāt:rara eſt quæ de animæ ſit ornatu & decore ſollicita virgo.Ideo do vobis pro ſpeculo Chriſtum Conſiliarium, qui propter regnum cœlorum virginitatem conſulit ſeruandam. Virgo enim & innupta cogitat quæ domini ſunt , vt ſit ſancta, munda,immaculata corpore & ſpiritu. Virgines,quæ verè virgines , ſine macula ſunt ante thronum dei & agni. Hæc eſt ſpecies animæ interna,& pulchritudo totius honeſtatis externa. Illis virgo debet eſſe intenta diu noctúq;,in illis ſeruandis,augendis & conſummandis debet proſpere procedere:& tunc cum ſponſo in regnum intrabit & regnabit.Hoc modo fit omnium oculis gratioſa,& rex decorem eius concupiſcit. Sic aſtare debet à dextris regis in veſtitu deaurato charitatis,& circumamicta varietate aliarum virtutum , quas Apoſtolus charitati tribuit.Omnis tamen gloria eius abintus eſſe debet , & in fimbriis aureis perſeuerantiæ finalis &c. Conſilium eſt virginitas , & bonum eſt homini ſic eſſe.Ergo , qui filiam ſuam matrimonio iungit,benefacit:et qui non iungit,melius facit. ¶ Viduis et deſolatis , do pro ſpeculo fortem paruulum Ieſum. Nam viduas fortitudine oportet lumbos ſuos propter experientiam priorem , accingere : ſeipſas abnegare,vim ſibi facere , crucem tollere , calicem paſſionis bibere , nullam carnis curam amplius facere, magis autem ieiuniis et obſecrationibus vacare , et deo ſeruire die ac nocte,omnia opera bona abſoluere Oportet eam loca ſolitaria ac plena mœroribus diligere. Et ſicut turtur viduata , viros perteſa , thalamos alteri non ſociatur,ſed gemit , et quod reliquum eſt vitæ ſuæ tempus in caſtitate tranſigit. Ad hoc autem fortitudine ſpiritusſancti opus eſt. Et vos eſtotē fortes in bello , legitime certate,fortiter diabolo in fide reſiſtite , et nullum ei locum date,et tunc fugiet à vobis,videte quàm fortis ſit

Gen.5. *1.Cor.7.* *1.Cor.13.* *Mat 19.* *1.Cor.9.* *Eſa.9.* *Mat. 11.* *Luc.2.* *1. Tim.5.* *2.Tim.2.* *1.Pet.2.*

puer Iesus. Ecce æditus à matre omnia suffert, omnia su-
Ioan. 1. stinet, in propria venit, & sui eum non recipiunt. Hero-
Matt. 2. des eo audito turbatur, & omnis Hierosolyma cum eo, cùm gaudentes gaudere deberent in domino, & exultare in deo Iesu suo. Quæritur ad mortem, agitur in exi-
Rom. 12. lium, persequitur in paruulis, dedit locum iræ. Vt impo-
Iac. 1. tens fugæ præsidium arripuit, patientia & humilitate, impiorum malitiam superandam docuit, & gloriæ coronã accipere postquam in camino tribulationis eiectus est & probatus. In isto speculo vultum natiuitatis vestræ inspicite, & ad eius exemplum vos ornate. Transeo mul-
1. Pet. 3. ta sciens & volens. ¶ Coniugatis, quod Deus coniunxit
Heb. 3. qui in timore dei suum coniugium auspicati sunt, & in timore dei & secundum scientiam in eo viuunt, & thorum sine macula custodiunt, pro speculo do Iesum patrẽ futuri seculi. Et hoc ideo, quatenus sic cohabitent hîc in pace, & cum eis in futuro seculo regnum cœlorum hæreditate accipere possint. Sunt nanque multi parentes, qui hîc proles florere volunt, magnificari, diuitiis, deliciis affluere, aliis dominari, parum curantes aut cogitantes,
Tob. 4. quales post vitam istam futuræ sint. Isti non sunt parentes futuri, sed huius seculi: non diligũt, sed odiunt proles
Tob. 14. suas. At aliter sanctus Tobias filium suum docuit. Ideo omnis generatio eius in bona vita & in sancta conuer-
Matt. 10 satione permansit, ita vt accepti essent tam deo quàm hominibus cunctis habitantibus in terra: sic heu, crebrò, istis malis diebus, frater fratrem, pater filium, mater filiam, & econuerso, filius patrem, & filia matrem tradit in mortem. Quando parentes filij iniustas diuitias relinquunt, peccantes non corrigunt, & proles secum in hæreses trahunt. At vos estote parentes futuri seculi &c. ¶ Pueris & seruis. Cùm magni referat quomodo pueri instituantur. Ideo pro speculo vobis do puerum Iesum, omnia quæ legis sunt implentem, exemplum obedientiæ, patientiæ, humilitatis etiam in ætate tenera, seipsum
Tob. 1. dantem. Nihil puerile in opere gerentem, per omnia pa-
Luc. 1. rentibus suis obedientem & subditum. Et vos eius exemplo estote parentibus morigeri, deuoti erga deum, ite in
Thren. 3. templum, irrepræhensibiles in conuersatione. Ab ado-
Ephe. 5. lescentia, magis à pueritia & ab incunabilis portate iu-
Psal. 23. gum domini. Nullus sermo malus ex vestro ore proce-
Iob 13. dat, innocentes manibus & mundo corde estote: ab infantia

ſtantia creſcat vobiſcum miſericordia, & propenſiſſimi eſtote ad largiendum pauperibus, ad laudes perſonandas in eccleſia iuſtorum. Tanquam à facie colubri fugite *Prou.22.* peccata, nec dolus vllus inueniatur in ore veſtro: quia puer & adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit ab ea non recedit. ¶ Peccatoribus. Ipſe venit peccatores *Luc.19.* ſaluos facere, & omnes ad pœnitentiam conuertere, quia *2. Pet.3.* benignus eſt & miſericors, patiens, & præſtabilis ſuper *Ioel. 2.* malitia. Ideo pro ſpeculo do puerum Ieſum quatenus vocatur & eſt, Deus. Deus autem bonus eſt, ſic & vos relicta malitia ad eum redire debetis, & ex malis boni, & ex iniuſtis, iuſti, ex ſceleratis effici virtuoſi &c. Facile eſt hîc alias extendere.

IN DIE CIRCONCISIONIS DOMINI, SERMO SEXTVS, DE crucibus variis quas portare debent imitatores Christi.

SI quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. *Mat. 10.* *Marc.8.* ¶ Tota vita Chriſtiani hominis ſi ſecundum euangelium & Chriſti exemplum ordinatur, crux eſt, & mortificatio veteris hominis, qui corrumpitur ſecũdum deſideria erroris. Nam *Luc.9.* *Ephe.4.* caro ipſa ſemper aduerſus ſpiritum concupiſcit, delitias *Col.3.* quietémque expetit, fugit crucem, labores declinat, iu- *Gala.5.* gum domini excutit, abhorret vim ſibi facere, recuſat ſeipſam crucifigere cum viciis & concupiſcentiis. Infirma & inuoluntaria eſt ad bonum. Ideo oportet ſpiritum viriliter agere, carnem caſtigare, concupiſcentias eius ei non præſtare, à voluntate eius & deſideriis eius malignis atque noxiis ſe auertere, pedem ſuum à placitis eius cohibere, & in ſeruitutem ſuam eam redigere. Cuſtodiendo vias duras, in vigiliis multis, in ieiuniis *1. Cor.9.* multis, in laboribus multis ſe exercendo, & in omnibus operibus bonis fructificando, & Chriſtum quo- *Col. 1.* cunque ierit, ſequendo. Sed verbum crucis pereunti- *1. Cor.1.* bus ſtultitia eſt, & ſermo durus quem ferre nec volunt nec poſſunt. Verum qui ſapiens vult eſſe ſecundum deũ, eum amplectetur, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur Chriſtum. Fiat ſtultus vt ſit

1. Cor.3. sapiens:& tunc ab auditione mala & terribili, in die iræ
Psal.111 & iusti iudicij Dei non timebit, quando sapientibus & prudentibus in oculis suis & apud semetipsos, & nunc
Mat. 25. carnis suæ curam in desideriis facientibus, dicet: Discedite à me maledicti in ignem æternum &c. Per crucem
Luc. 14. itur ad cœlum, per delicias ad infernũ. Nõ est salus animæ, nec spes veniæ, nec fiducia vitæ æternæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucẽ tua quotidie, esto patiens, esto benignus, omnia suffer, omnia sustine, & sequere Christũ:
2.Tim.2. Quia si socius es passionis eius, eris & consolationis so-
Rom.8. cius: si fueris commortuus, tunc etiam conuiues: si compateris, & conregnabis. In cruce tota salus, & in moriendo totum iacet, & non est alia via ad vitã, & ad verã internã pacem, nisi via sanctæ crucis, & quotidianæ mortificationis. Ambula quocunque volueris, fac & quære quodcunque placuerit, crux tibi semper occurret: & maxime cum velle tuum sequendo putas te crucẽ velle effugere, tũc facis tibi grauiorẽ, quàm si bonitatẽ faciẽdo
Sapien.5. & voluntatẽ tui prælati, habuisses. Grauior multo & su-
Hiere.4. pra modum grauior est crux diaboli, quàm crux Christi.
2.Par.12 Ecce, vt inique agant laborãt. Ambulant vias difficiles,
Hiere. 16 lassantur in via perditionis, omnes iniqua agentes superuacue & nulla eis requies datur, nec die nec nocte. Nos ergo aliter instituti sumus. Ergo tollamus iugũ & crucẽ domini super nos, quia iugum eius amoris suaue est, & onus crucis suæ, leue. Ergo breuiter hic vnicuique crucẽ suam, quam Christũ sequẽdo portare debet, dabo: Nam ex præcedentibus sermonibus & aliis scripturis, faciliter extendi possunt à præconibus verbi dei. ¶Sacerdotali dignitati, do crucem Christi gloriosam atque dignissimã, in qua salus, vita, pax, iustitia, sapientia, fortitudo, sancti-
Galat.5. tas & resurrectio nostra est. Crucifigite carnẽ vestrã in ea cum vitiis & concupiscentiis. Voluntarie in ea offerte Domino corpora vestra in hostiam sanctam, viuentẽ &
Rom. 12. Deo placentem, & nullam carnis curam in desideriis facite amplius. Tribus clauis huic cruci vos affigere debe-
Ephe.4. tis: Nempe; castitatis & continentiæ, vt corpora vestra possideatis in sanctitudinis honore, & nullo modo ea tra datis impudicitiæ in operationem immunditiæ in aui-
1.Tim.6. ditate. Deinde clauo sufficientiæ, vt habentes alimenta & quibus tegamini, his contenti sitis. Tertio, clauo ti-
Psal.18. moris domini pedes vestros configere debetis & affi-

gere

gere cruci,& per timorem recedere à malo & facere bonum.Sic Christo confixi esse cruci debetis, viuere quidem in fide filij Dei, quatenus sic in vobis viuat Christus.Hoc dum facitis,tunc magnificatur Christus in corpore vestro,per vitam & per mortem vestram.Tūc glorificatis & portatis deum,nō solum in anima vestra, sed etiā in corpore vestro. Et si qui vobis cum inuidia tabescente iter habentes,ex malitia detrahunt, confundantur,& ex bonis operibus vos considerātes, & quod tanquam peregrini & aduenæ abstinetis vos à carnalibus desideriis,quæ militant aduersus animam,glorificāt deū in die visitationis.Crucis vestræ altitudo,oratio esse debet,qua pro vobis & populo orare debetis.Profundum, humilitas mentis: Vt quo maiores estis in officio tanto magis vos deprimere debetis per humilitatem mentis, & tunc coram deo & hominibus gratiam habetis.Sed & deus respicit in orationes humilium,et non spreuit,imo exaudit præces eorum. Latū crucis vestræ sit charitas, quæ est latum mandatum nimis.Longitudo,sit perseuerantia in bonitate vsque in finem.Et tunc accipietis coronam vitæ.Hæc longe extendi possunt, sed sufficit dedisse occasionem et aperuisse fenestram. ¶Rectoribus, potestate præditis, qui ministri Dei sunt & regni illius, do crucem S. Andreæ apostoli. Hæc quatuor cornua habet æqualia, inter quæ corpus apostoli stetit in medio, sed manus eius in longum,latum, profundum & altum fuerunt expansi & alligati, & solam in ea linguam liberam habuit,cum qua Deum honorauit & magnificauit in laude,& populum erudiuit ad iustitiam, & verba bona eructauit, quæ gratiam & ædificationem in fide audientibus præbebant, & eos qui in omni pressura sunt, consolabatur. Quatuor cornua æqualia, quatuor sunt principales virtutes,quas docet æterna sapientia,quibus in terra nihil vtilius est hominibus:nempe,prudentia,iustitia,temperantia & fortitudo.Iam per charitatē,quam oportet esse in cordibus vestris,(alioqui non estis Dei, imò,nihil estis & nihil vobis prodest, quicquid facitis & patimini)debetis cruci vestræ alligari, quia charitas est vinculum perfectionis. Et in charitate Dei & proximi omnia opera vestra operari debetis, vt placeant deo & vobis prosint ad salutem. Et vt breuiter me absoluam, Manum dexteram in charitate ligare debetis ad dextrū

Eccle. 2. Phili. 1. Eccle. 3. Psal. 10. Matt. 10. & 24. Dan. 12. Sapi. 8. Rom. 8.

cornu crucis, & in ea habere virtutem prudentiæ: non
Ioh. 13. carnis quæ mors est & lege dei non est subiecta, sed pru-
& 15. dentiam spiritus quæ est vita & pax. Et quid vita desiderabilius? & pace Christi vtilius? in qua populo suo benedicit. Prudentia hæc ex charitate fluit, & hac pleni sunt omnes qui diligunt legem dei & faciunt eam. Hinc
Psal. 118. Dauid ait: Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo. (Mandatum autem dei & Christi, dilectio est fraterna & mutua) quia illud in æternum mihi est, in
Deu. 32. corde, in ore, in opere & impletione. Et per illud charitatis mandatum, super omnes me docentes, & super omnes senes, in quibus tamen est sapientia, intellexi. Quod contrà de præuaricatoribus legis diuinæ & expertibus
Luc. 16. charitatis dicitur: Gens sunt absque consilio & sine prudentia vera. Et si sapientes sunt vt faciant mala filij huius seculi, & prudentiores filiis lucis in generatione sua, tamen hæc prudentia carnis & huius mundi, in veritate summa stultitia, calliditas serpentina, & nocentissima suiipsius perditio comprobatur. Ideo deus eam stultam facit & destruit, perdit & reprobat cum professoribus
Ier. 18. suis. Rursus de ea scriptum est: Stultus factus est omnis homo à scientia sua. ¶In manu sinistra iustitiam habere
1. Tim. 3. debet per charitatem cruci alligatam. Vt ipse iustitiam diligat & faciat, & si quandoque præuaricatores punire debet vt emendentur, & cæteri timorem habeant, totum hoc ex charitate fieri debet. Sit illi etiam curæ ne eadem ipse aut peiora faciat quæ iudicat: alio-
Matt. 7. quin seipsum condemnat. Ne in alterius oculo festucam videat, & in suo trabem non consideret. In dextro pede temperantiam habere debet per charitatis perfectum vinculum cruci colligatam: Ne corpus suum crapula & ebrietate grauet, aut percutere incipiat seruos & ancillas, quoniam vindex horum est deus. Ma-
Esai 65. gis autem secum reputet illud: Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis & sitietis. Et tunc nec panis micam, nec aquæ guttam pro cõsolatione vestra accipietis in æ-
Ephe. 4. ternum. In sinistro pede fortitudinem habere debetis cum charitatis vinculis cruci alligatam: vt sicut curam carnis nullam in desideriis malis facitis per temperantiã retracti, sic etiam in aduersis fortes sitis, & nullum locũ diabolo aut suasionibus eius detis, vt vlli peccato cõsentiatis. Hęc late extẽdi possunt. In hac cruce cũ S. Andręa

mori debetis. ¶ Virginibus, do crucem beati Petri apostoli principis apostolorum: Nam virginitas non est sine sua cruce. Habuit virgo virginum, mater agni, suam crucem, habuit suam Ioannes Baptista, qui propter puritatem suam illibatam & officium angelus vocatur. Habuit & Ioannes euangelista, quem (August. & Hieron. cæterísq; multis doctoribus testibus) Christus vocauit de nuptiis, & virgo in æuum permansit, crucem suam, quamuis pro Christi nomine sanguinem suum non fuderit, nec suffixus sit in crucem. Do autem vobis crucem Petri, vt hanc vosmetipsas abnegando, quotidie portetis post Christum. Cruci illi & Christo, vinculo amoris debetis alligari, & catena dilectionis quæ iuncturas xv. virtutum habet, quas tuba euangelij tribuit charitati, dicens: Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, nõ agit perperam, non est inflata, non est ambitiosa, nõ quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, cõgaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Catena ista alligatura salutis est. Omnes qui se ea vinciunt catena, eos nulla creatura separare potest à charitate Christi, Quod virginibus ante omnia opus est. Petrus in cruce humilitatem seruauit, quia noluit crucifigi sicut dominus & magister suus: sic & vos quanto estis corpore & mente sanctiores, tanto debetis esse humiliores. Habuit S. Petrus caput versus terram depressum, & pedes in altum eleuatos: sic vos debetis caput deprimere, non erigere per superbiam, sed infra omnes vos humiliare, in loco infimo siue nouissimo recumbere, vt cum dominus venerit, vos in gloria exaltet. Caput debetis habere depræssum, sed oculos leuare debetis in cœlum, vbi sponsus vester habitat & thesaurus vester est. Sic & pedes affectuum vestrorum sursum habere debetis, vbi Christus est in dextera dei sedens. Et quæ sursum sunt sapere & desiderare, & non quæ sunt super terram. Siquidem huic mundo mortuæ esse debetis, & ea quæ in mundo sunt despicere sicut stercus. Sed & pedes ligatos & manus alligatas huic cruci habere debetis. Ideo non potestis ire quò vos vultis, sed quò alius vos ducit. Nec manib' operari quod vobis placet, sed quod aliis, quibus propter deũ vos submisistis. Taceo hîc quòd Petrus vxorem quam habuit reliquit. Taceo quòd filiam suam pulcherrimam,

Mat. 16. Marc. 8. Luc. 7. 1. Cor. 13. Rom. 8. Luc. 14. Mat. 6. Philip. 3.

Luc.4. Petronellam ad castitatem seruandam induxit,&c. ¶ Vi
Mat. 19. duis do crucem Philippi apostoli. Viduarum status & vita miseriis & crucibus plenus est,& ferè quacunq; se vertunt,crucem inueniunt sibi paratam. Ideo do vobis crucem Philippi apostoli, qui & ipse viduus fuit & vxorem
Mat.19. reliquit vt perfecte posset imitari Christum, vel mortua fuit antequam vocaretur à Christo ad culmen apostolicæ functionis,quamuis primum magis videatur ad veritatem appropinquare. Philippus apostolus dilectus Deo & hominibus fuit comis in verbis,sanctus in vita,paratus ad omne bonum. Duas filias virgines speciosissimas habuit specula sanctitatis,formas virtutum,castitatis imagines,lumina euangelicæ perfectionis,paternorum operū
1. Cor. 9. absolutissimas imitatrices.Nam ipsę multas virgines sine verbo ad perpetuum cœlibatū suis exemplis,sanctis moribus conuerterunt. Verùm cùm pater earum Philippus prædicatione sua multos saluos fecisset, tandem à filiis diaboli suffixus est in crucem,& simili modo quo dominus suus & magister,incolatus sui tempus conclusit.Hāc ergo crucem vidui, vobis viduis do pro strena siue apophoreto,vt vos eius exemplo,eadem cogitatione armetis.Oportet vos calicem domini potare,qui licet sit amarus,est tamen salutaris.Huic cruci & vos funibus charitatis alligare debetis, & sola quæ nunquàm excidit charitas syncera,in cruce hac vos astrictas tenere debet. Huic cruci tribus aliis funibus alligare debetis manus vestras & pedes vestros. Vnus est, occasionum peccandi fuga: quia qui amat periculum perire solet in eo, vt in Dauid & Dina virgine est cernere. Quando enim occasionem dant ad aduersariis maledicendi gratia, & ociosæ & verbosæ discunt circuire domos, curiosè loquentes ea quæ
1. Tim.5. non oportet.Tunc diabolus vacantem eam inueniens,& ornatam ad hominum complacentiā, tunc assumit alios
Mat. 12. septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt posteriora earum prioribus peiora. Nam cum luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, habentes suam damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt. Alius funiculus est castigatio carnis & crucifixio cum
1.Tim.5 vitiis & concupiscentiis assidua. Hoc faciant orationibus instando,ieiuniis multis & vigiliis insistendo,&c.Tertius est continua operatio bona. Nam vidua in operibus bonis testimonium habere debet:nempe, educare filios in

timo re

timore dei et et disciplina, vicem reddere parentibus, regere domum, pauperes hospitio recipere, sanctorum pedes lauare, tribulationem patientibus subministrare. Et sicut Christus tribus clauis suæ cruci est affixus, sic vos his tribus funibus, vel si magis vultis, triplici funiculo alligare debetis vos, et in ea mori. Funiculus iste triplex difficulter rumpitur, quia difficile est et ferme impossibile, quod vidua retro post Satanam abeat, quæ isto triplici funiculo cruci suæ se constrixit, et sic constrictam et alligatam in ea se conseruat. ¶ Coniugatis, vobis do crucẽ apostoli Simonis Cananæi, vt Matthæus et Marcus eum vocant. sed Lucas in suo euangelio et in Actis, Zeloten eum vocat, quod cana interpretatur. Et hoc ideo facio, quia dominus in Cana sua sancta præsentia corporali nuptias confirmauit, cõnubiũ honorauit. Et in Cana ista Simon natus erat, et nomen ex ea accepit. Iste Simon angelum vixit, euangelium seruauit et docuit, in omnibus operibus bonis fructificauit, et cum in sanctitate et iustitia omnibus diebus suis domino seruiuisset, tandem per crucis supplicium, ex hoc mundo iuit ad patrem, et iustitiæ coronã post legitimum certamen suum accepit: Iudice nihilominus et omnibus qui aderãt in diaboli isto theatro, admirãtibus, quòd cẽtum viginti annorũ senex, crucis suppliciũ sustinere potuisset. Hæc crux similis est cruci Christi, vt et vos imitatores Dei sitis, sicut filij charissimi et ambuletis in dilectione. Iuxta illud Apostoli: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, et cætera. Et iterum: Viri debent diligere vxores suas sicut corpora sua, quia qui vxorem suam diligit, seipsum diligit. Et sicut Christus in sua Cruce omnium salutem est operatus, sic vos in statu vestro tam sancte, tam iuste, et tam irreprænhensibiliter viuere debetis, seruando honorabile coniugium, et thorum immaculatum, in ea salutem vestram etiam operari potestis cum metu et tremore. Habete ergo pacem inter vos, et tunc Deus pacis et dilectionis est vobiscum, et benedicit vos in omnibus quę facitis, et dat vobis pacem sempiternam. Sed et omnia grauamina et pœnalia, quæ infinita in matrimonio sunt, dum Deum et vosmetipsos secundum Deum diligitis, vobis cooperantur in bonum, et post istius Crucis baiulationem in patientia, accipietis coronam vitę, quàm Deus diligentibus

Mat. 10. *Marc. 6.* *Luca 9.* *Act. 1.* *Ioan. 2.* *Luc. 1.* *2. Tim. 4.* *Psal. 12. & 118.* *Psal. 33.*

gentibus se,præparauit. Vt autem coronam illam accipere mereamini, tunc tribus clauis siue funibus in cruce illa ligare debetis:nempe,fide mutua, sine adulterij macula. Prole,quam religiose debetis educare,& sacramen-
Ephes.5. tum magnum,quod est vita & copula matrimonialis venerando,thorum vestrum seruando sine macula. Sed his hic non immoror, occasionem solummodo dare volo præconibus verbi Dei. In tribus illis placitum est spiritui meo,& probata sunt corã deo & hominibus. ¶ Pueris & illis qui seruitute premuntur & pœnitentibus, do crucem latronis dexteri,qui in ea pœnituit,veniam obti-
Luc.23. nuit,& vitam æternam promeruit. Hæc late extendi possunt. Deum immortalem,quàm fortem fidem,quàm firmam spem,quàm ardentem habuit ille charitatem. Quã tam prudentiam habuit in rationali,quantam fortitudinem in irascibili,quantam temperantiam & iustitiam in concupiscibili.De hac materia affluentissimus est S. Bernadinus ordinis Minorum. ¶ Religiosis,do crucẽ S. Frãcisci cum sex alis.vt Esaias Seraph,qui ad se ornatũ ve-
Isa.6. nit,vidit.Alæ istæ sic erant dispositæ,quòd duabus volabat, duabus corpus velabat, duas super caput extenderat.Hæc sunt sex virtutes & exercitia quibus religiosi iugiter debent esse intenti.Alæ super caput, orationis instantia est & humilitas cordis.Alæ quibus volat, misericordia & pietas est cum iustitia. Alę quibus circumplectendo totum corpus tegit,constantia,firmitas & patien-
Rom.7. tia in aduersis,& innocentia in prosperis. De his S.Bonauen.vide in suo Seraph. ¶ Obstinatis,induratis, & in reprobum sensum datis,do crucẽ latronis sinisti, in qua
Luc.23. peccatum super peccatum fecit,deum blasphemauit,spi-
Iob.24. ritui sancto restitit,oblatam gratiam accipere noluit, indulto ad pœnitentiam tempore in superbia sua abusus fuit & pœnitere noluit, nec peccatum suum confiteri.
Rom.2. Sed diuitias bonitatis, patientię & longanimitatis diuinę contempsit: & maluit damnari quàm saluari.Quid ei profuit, quod Christum vidit & audiuit, & iuxta eum, & cum eo mortis supplicium pertulit? Auxit hoc eius damnationem. Multi dicunt: Si Christum vidissem,si eius doctrinam audiuissem, si eius miracula conspexissem, Deum ne putarem. At hoc Iudę proditori, huic latroni, Annæ & Caiphæ, cæterísque omnibus exasperatoribus & in arcum prauum conuersis, nihil pro-

fuit,

fuit, imò obfuit magis, eo quòd noluerunt intelligere vt bene agerent, & noluerunt relicta malitia conuerti ad deum. Possunt hæc late extendi, sed fenestram aperuisse satis est in præsentiarum, præstruxisse viam & iecisse fundamenta. *Psal. 15.* *Sap. 2.*

IN DIE CIRCONCISIONIS DOMINI,

Sermo septimus.

De septem verbis quæ Christus dixit in Cruce.

DOmine, dixit sanctus Petrus, verba vitæ æternæ habes. Apposito & verissimo epitheto in verbis istis vsus est vertex apostolorum, nec ipse hæc verba, sed spiritus sanctus locutus est per eum, nec caro & sanguis, sed pater qui in cœlis est, verba ista ei reuelauit, quibus dixit: Ad quem ibimus te derelicto? nam verba vitæ æternæ habes. Siquidem verba Christi verissime verba vitæ sunt & dicuntur. Tum quòd à Christo, qui ipsa vita est, sunt de bono cordis sui thesauro eructata. Tum quòd vitam quandā habent in se sicut semen. Viuus est enim, sermo dei & efficax. Ideo & semini bono similis dicitur in euangelij paradiso. Tum quòd indicat siue ostendit vitā, sicut lux viam, nam verum lumen est quod iā lucet, quod ambulantib. in tenebris & in regione vmbræ mortis habitantibus, exortum est, & viderunt omnes fines terræ. Hinc ait maximus vatum: Lucerna pedib. meis verbum tuum lumen semitis meis. Tum quia vitam confert, sicut panis: quia panis egentium vita eorum. Vnde scriptū est: Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore dei. Hanc ob causam pani cōparatur à Iesu Syrach, cum dicit: Cibauit eum pane vitę. Tum ꝙ ducit ad vitam ternam, sicut fons in altum sui ducit originis. Fit in eo qui verbum Dei audit & facit, fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Omnes qui timent verbū & legem Dei, perueniunt ad vitam æternam. Vnde vni dixit ipsa vita: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. *Ioan. 14.* *Mar. 4.* *Psal. 118* *Eccl. 34.* *Deut. 8.* *Mat. 4.* *Luca 4.* *Eccl. 16.*

¶ Verùm, quamuis omnia verba Christi spiritus sint & vita, lignum item vitæ eis qui ea appræhendunt, & custodientibus ea vita animæ, & gratia faucibus eorum, maxime tamen hoc sunt verba ista septem, quæ oppetens in Cruce, & mortem pro omnibus gustans, de

cordis sui bono thesauro eructauit. Illa enim septem verba Christi in Cruce prolata, tam exuberantia sunt gratiarum, tam profunda in salutaribus institutis, tam plena mysteriis & sacramentis, vt rarus sit aut forsitan nullus, qui profunda eorum scrutari, & abscondita illorum producere possit in lucem, etiam si lingua eius calamus sit
Psal. 44. Spiritus sancti velociter scribentis, & ipse linguis hominum loqueretur & angelorum. Puteus profundus est, &
Sap. 9. nos in quo hauriamus, non habemus. Homines sumus exigui temporis & infirmi, & minores ad intellectum iudiciorum & legum. Multa dicimus. & deficimus in verbis, quia mirabilis facta est scientia Dei ex nobis, conforta-
Iob 36. ta est & non possumus ad eam. Omnes quidem homines vident eum, at vnusquisque intuetur procul. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: nihilominus (vt pace omnium dixerim) tam copiose, profunde & luculenter super ista septem Christi verba in suo quadragesimali de Christiana religione, & in euangelio æterno, scripsit Sanctus Bernadinus ordinis Minorum, quòd vix in hac parte inuentus sit similis illi. Ad illius sancti lucubrationes
Psal. 28. lectorem remitto, ego hic tantummodo viam prostruam
& 118. & fundamenta locabo. Et quomodo hæc dulcissima verba (super mel & fauum suauiora, faucibus pie in Christo viuentium, qui nouerunt mel sugere de petra, & oleum de durissimo saxo) pro nouo anno conuenientissime & dubio procul, vtilissime dari possint, solummodo per tran
Heb. 5. sennam indicabo. Lac paruulis potum do, exercitati in sacris literis, suum sermonem iustitiæ habent & solidum cibum. ¶ Sacerdotibus omnibus qui altario deseruiunt, & stant coram Deo, laudántque eum die ac nocte: vel benedicere Dominum in omni tempore tenentur, & in quorum ore laus Domini semper esse debet, pro strena
Psal. 33. do, primum vebum Christi in Cruce prolatum: nempe, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hoc proprium est vestrũ apophoretum: vos enim orare & offerre debetis pro vestris & populi delictis, inter vestibulum, & & altare sacerdotes plorare debent & ministri domini, ac dicere: Parce domine, parce populo tuo, &c. Ignosce
Ioel. 2. illis quia nesciunt quid faciunt. Sic Moses post adoratum vitulum. Sic Aaron dum furor domini grassabatur in populo, factus est reconciliatio. Verum cum deus peccatores non exaudiat, & oratio eius qui declinat aurem

suam

ſuam ne audiat & faciat legem, ſit execrabilis. Ideo recogitare vos decet, quales vos eſſe oporteat in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, vt orationes veſtræ dignæ ſint quæ audiantur. Heu, heu, ipſis lenonibus iam impudentiores & carnaliores ſunt multi ſacerdotes, et ſcurris ſceleratiores. Ideo ſolennitates veſtras odit deus, victimas abominatur, orationes non exaudit, quia iniqui ſunt cœtus veſtri, vt dominus ad longum dicit per Eſaiam. Sed in aëra hęc loquor. Deſperauerunt, nolunt intelligere vt bene agant, Non faciemus quod bonum eſt, dicunt, ſed magis vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciamus. O tempora, o mores, o obſtinatio deſperabilis, Hic nulla ſcriptura iuuat, nulla comminatio dei curatur. Alterum verbum Chriſti do rectoribus aliorum et paſtoribus ouium Chriſti nempe, Amen dico tibi et promitto, quod hodie mecum eris in paradiſo. Verbum hoc omnes poteſtate præditi, et qui populis dominantur, in lectulis ſuis et menſis, in poſtibus domorum deſcribere deberent, vt dormientes et vigilantes, ſiue comederent, ſiue biberent, ſiue domum exirent ſiue intrarent, hoc recordarentur. Tanquam appenſum quid ob recordationem ſemper ante oculos eorum, et quaſi ſignum in manibus eorum eſſe deberet. Neque in tota ſacra ſcriptura tam pulchrum, breue, notabile, neceſſarium et plenum ſalutis documentum apophthegma pro rectoribus et poteſtate præditis, offendi crediderim. Tota in eo parænetica doctrina, veteris ac noui teſtamenti eſt compræhenſa, imo, omnia iura que vel ſapientes genti philoſophi, vel potentes decreuerunt et ſanxerunt, ſunt in eo compræhenſa. Tota enim ſcriptura ſacra, omnia iura, hoc moliuntur, hoc docent, quod poteſtate præditi cum ſuis ſubiectis ad ſalutem perueniant Ideo rectores iuſtos eſſe oportet, declinare à malo et facere bonum. Nec ſufficit quòd illi ingrediuntur ſine macula, et operantur iuſtitiã. Quòd ad omnia mandata Dei diriguntur, et omnem viam iniquam odio habent, ſed oportet eos etiam ſubditos ad hoc cum bonis exemplis vitæ, tum ſalutaribus documẽtis, tum denique inſtantia opportuna et importuna, arguendo, increpando, obſecrando inducere, vt ſuo exẽplo quo ſe præbent illis exemplum in omnibus operibus bonis, digne Deo et Euangelio viuãt, in omnibus operibus

Hier. 28. Sap. 6. Deut. 11. Prou. 9. Pſal. 33. 2. Tim. 4. Epheſ. 4.

boni.

bonis fructificent, in quibus pater cœlestis glorificetur. Quod cum facit, tunc omnibus & singulis dicere potest, Hodie mecum eris in paradiso. Et nisi iustus sit in seipso,
Psal. 139. & iustitiam fecerit, non erit ipse in paradiso, cum intrat viam vniuersæ carnis, sed proiicietur in profundum in-
Psal. 33. fernum. Iuxta illud: Virum iniustum mala capient in interitu. Et iterum Iniusti interibunt, simul, & reliquiæ im-
Ioan. 19. piorum interibunt. Et quid prodesset vobis, si vniuersum mundum lucraremini domino & vestra sollicitudine saluaretis, recte iudicando, omnem inobedientiam vlciscendo, si vos operando iniquitatem, carnis curam facien do in desideriis, per iniustitiam opes cōgerendo, vel per superbiam essetis inflati? Atque hoc modo detrimentum pateremini in anima vestra? Tunc non possetis in veritate dicere subditis vestris, quando nocentes corripitis, vel pœnis afficitis in corpore, vel damno in eorum possessione, & malis etiam gratibus eorum eos ad viam veritatis reducitis, Hodie mecum eris in paradiso. illos saluatis, vos damnatis: illos ad paradisum mittitis, vos ad in fernum, scelerata designando detruditis, Semper ergo
1. Cor. 13 verbum hoc sit in corde & ore vestro: Sic agite, sic viuite, sic subditis vestris præesse curate, vt vobiscum sint in paradiso illo in quem Apostolus fuit raptus, vbi deus facie ad faciem videtur. Nihil melius, salubrius, pro vobis tota habet sacra scriptura. Sed vela cōtraho gratia breuitatis. ¶ Virginibus sacris quid iucundius, vtiliúsve dare possũ illo verbo Christi, quod virgini dixit: Ecce mater tua.
Ioan. 21. Virgo iste Ioannes euangelista, dilectus discipulus fuit, cui virginem matrem commendauit, vt virgo virginem custodiret, virginis curam vt matris haberet. Hæc virginum primiceria. virgo ante, in, & post partum sit mater vestra. Quodcunque illa fecit & dixit, facite. Imitatrices eius estote sicut filię charissimæ, & ambulate in innocentia cordis vestri, & sanctitate corpus vestrum in medio domus vestræ. Ad hoc autem opus est vobis vt sitis Ioãnes. quod est, dei gratia, vel in qua est dei gratia, quia virginitas donum dei, & gratia est. Secundo, vt cum Ioãne, hoc est. cum sanctis sit conuersatio vestra: nempe, cum Christo, cum Maria virgine, & in congregatione sanctarum virginum. Ne cum peruersis peruertimini, quia qui
Psal. 17. tangit picem inquinatur ab ea. Tertio, in iuuẽtutis flore hic Mariam & Ioannem imitari debetis. Quarto debetis

Christi discipulæ esse,& amari ab eo.Sed Christus se diligentes diligit,Sit Maria mater vestra,seruite ei in sanctitate & iustitia.Imitamini eius patientiam, benignitatem,charitatem,innocentiam,tum beatę eritis in factis vestris,& bene vobis erit.Hic latus expaciandi se campus offert,sed calamum cohibeo.¶Viduas & orphanos calicem Domini bibere oportet & multa pati. Verum nihil tam graue,tam durum,tam pœnale quod non ęquanimiter toleretur,si passio Christi ad mentem reuocetur,Parum est quod nos patimur propter Christum , si rememoramus quid passus est pro nobis ab egressu suo de vtero matris suæ benedictæ,vsque dum opus nostræ redemptionis consummauit in cruce. Vnde ait Apostolus:Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem,vt non fatigemini animis vestris deficientes.Pro strena igitur do vobis quartũ verbum Christi,quod dixit Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?Non potest non esse patiens in sua aduersitate,qui cogitat quomodo pater filium dereliquit in sua passione.Tribus modis fuit Christus in sua passione derelictus.Per condemnationem:Ecce sic pater dilexit mundum quòd pro nobis omnibus tradidit illum, vt condemnare eum in mortem,& ibi pater posuit iniquitatem omnium in eo,& disciplina pacis nostræ venit super eum,& quæ non rapuit tunc exoluit.Sic pater filium tradidit,vt seruum redimeret:Dilectum vt inimicum recuperaret. Derelictus etiam fuit per spiritualium consolationem.Alios sanctos pater consolatur in omni tribulatione eorum,sed filiũ hic dereliquit. Tertio derelictus est à patre per onerationem, quia solus torcular calcauit,& de gentibus non fuit vir cum eo.Vnde ait:Veni in altitudinem maris, & tẽpestas demersit me.At Deus cũ electis suis est in tribulatione, & non relinquit hominẽ nocere illis.Vnde Apostolus ait de seipso:In prima mea defensione nemo mihi adfuit,sed omnes me dereliquerunt , Non eis imputetur : Dominus autem mihi astitit, & confortauit me,& liberauit me de ore leonis. Patientes ergo estote vos o viduæ , & confirmate corda. Propter nos enim hæc scripta sunt , & doctrinam nostram,vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Nolite ergo ingemiscere in alterutrum o viduæ cum tribulátio & angustia veniunt super vos

Heb. 12. *Rom. 8.* *Esa. 53.* *Psal. 94* *Psal. 90.* *2. Tim. 4.* *Iac. 5.* *Rom. 15.*

vos,nec murmurare contra Deum vel proximos nocentes vobis, vt non perdatis patientiæ coronam, & obnoxiæ fiatis æternæ damnationis Transeo multa. Ecce beatos eos qui sustinuerunt omnia propter deum & iustitiam. ¶ Coniugatis,matrimonio iunctis, vt breuis sim, pro strena,do illud Christi verbum ad matrem suam benedictam:Mulier, ecce filius tuus. Maxima in verbo hoc sacramenta,mysteria profunda,gratia incompræhensibilis & explicatu impossibilis est recondita. Prius dederat humano generi potestatem filios dei fieri per fidem omnibus qui credunt in nomine eius,dicente Apost. Omnes filij dei estis per fidem. Hanc dignationem gratuitã
1.Ioan.2. Ioannes apost.ait: Videte qualem charitatem nobis dedit deus pater, vt filij dei nominemur et simus.et iterũ: Nunc filij dei sumus,& nondum apparuit, quid erimus. Sic gloriari ergo possumus, quòd deum patrem habemus,sine tamen iniuria patris naturalis qui est in terris. Sed vt perfecti essemus filij dei & fratres & cohæredes
Heb. 3. Christi,matre opus erat: ergo Christus Iesus, splendor paternæ gloriæ,qui non confunditur nos habere & vocare fratres,vt plenã & perfectam & dilectam dilectionẽ suam in omnibus erga nos ante mortem suam ostenderet & compleret,voluit nos vnam & eandem secum habere matrem per gratiam, sicut vnum patrem cum eo habemus per fidem & dilectionem:ergo ad Ioannem dixit discipulum dilectum: Ecce mater tua,per gratiam,& ad Mariam:Ecce filius tuus. Sed quod vni Ioanni dixit, omnibus dixit:ecce mater tua,& ad Mariam. Ecce filius tuus. Omnes ergo sumus filij Dei, fratres Christi & filij Mariæ,autoritate verborum Christi.Ideo extunc natura transiuit in gratiam, & gratia nobilitauit naturam. Non quòd vna in alteram mutetur,sed quia ex gratia natura perficitur,nobilitatur & deificatur.Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Datur ergo Ioanni & omnibus, mater gratiæ Maria, pro matre naturæ. Manet nihilominus
Ephes.2. mater natura, cum matre ex gratia. Ex matre & patre nascimur filij iræ & damnationis, corruptioni obnoxij. Ex patre & matre gratiæ,renascimur filij dei,fratres Chri
Exo.20. sti, hæredes regni. Honoremus parentes carnis & naturæ, vt deus præcepit, sed magis honoremus Deum patrem & Mariam matrem gratiæ,& eis obtemperemus,vt
Ephes.6. digni habeamur in regno Dei, & ne abiiciamus gratiam Dei,

Dei,nec inuacuum eam accipiamus.Audite ergo parentes naturæ, quòd vos in adoptionem cum prolibus vestris transistis gratiæ.Ideo vosmetipsos & proles sic educate,sic instruite,ne perdatis quod per gratiam consecuti estis. O gratia qua Christus in cruce nos eripuit de potestate tenebrarum,& transtulit in regnum suum.Nihil ô parentes in prolibus habetis nisi corpus,quòd grauat animam,& difficile est ad bonum, ac propensum ad malum, & suapte natura immundum, multisq; miseriis obnoxium.Quod in peccato conceperunt matres,in dolore genuerunt, in multis laboribus enutrierunt. Ergo semper cogitate,semper dicite, quando proles vestras respicitis,quòd Mariæ proles sunt & dei.Sic ergo eas regite,quòd illa gratia in eis non sit frustra vel vacua,& cogitate quod deus & Maria plus iuris in eis habent quàm vos. ¶ Pueris & seruientibus,do verbum Christi sextum: nempe,Consummatum est.O beati pueri & serui,qui voluntatem dei, parentum & dominorum suorum semper implent & consummant, & dicere semper ad deum, ad parentes & dominos suos possunt,cum seruis illis bonis & fidelibus:Factum est vt imperasti. Qui in auditu auris obediunt, & cum Paulo semper dicunt: Domine, quid me vis facere?Paratus sum & non sum turbatus,vt custodiam mandata tua &c. ¶ Peccatoribus do quintum verbum Domini,nempe:Sitio. Obsecro vos per misericordiam Dei, ne fiat hoc verbum apud vos in opprobrium, vt inter potationes prouerbij vice eo vti velletis, quia hoc grande nefas esset & morte piandum. Qui ergo hactenus cycopleam. edacitatem, aut idoli Bel voracitatem habuistis,& hactenus in luxuriis,desideriis,vinolentiis,commessationibus,potationibus,ebrietatibus & voluptatibus corda vestra enutriuistis: Vos iam sitire debetis ad Deum fontem viuum, esurire & sitire iustitiam, quia hanc sitim & esuriem habentes, deus replet omnibus bonis.Vt iam dicatis:Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Vnde Christus ait: Qui bibit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo illi,fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. De aqua illa bibit Matthæus & Zachæus, & sitis cupiditatis in eis dicto citius extinguebatur. Bibit ex ea Magdalena, & carnis mox delitias exhorruit. Aqua ista omnem inordinatum

Col.1. *Sap.9.* *Mat. 26.* *Psal. 50.* *Ioan. 16.* *Act.9.* *Dan. 14.* *1.Pet.4.* *Mat.5.* *Psal. 41.* *Ioan.4. & 7.* *Luc.19.* *Luc.7.*

natum affectum extinguit in electis. ¶ Religiosis, do vltimum verbum Christi, nempe, In manus tuas pater, commendo spiritum meum. Quia non debent amplius facere quod illis videtur, sed quod pater eorum vult. Hic de obedientia, castitate & puritate, longus sermo fieri potest.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI, SERMO OCTAuus, de octo Beatitudinibus.

2.Par.29 SAcerdotes explauerunt templum domini diebus octo. In confesso est & omnis id scriptura astruit, quòd sacerdotes in templo domino seruire debent, sanctificare pro fanata, instaurare demolita. Rex autē impius & profanus Achaz, templum domini profanauerat, idola in illud intulerat, laudes Dei abrogauerat. At filius eius Ezechias mox vt regnare cepit, iussit templum expiari, eiici infanda idola, omnem Dei cultum iuxta le-
1.Cor.10 gem instaurari. Talique studio deum promeruit, & iram
1.Cor.5. eius auertit. Hæc in figura nostri facta sunt & propter nos scripta, vt & nos faciamus. Templum namque dei
Rom.2. sanctum nos sumus, interim quod deo in sanctitate & iustitia seruimus, ac membra nostra exhibemus seruire iustitiæ in sanctificationem, tunc deus habitat in nobis.
1.Tim.5. Verùm, cùm retro post satanam imus, reuertimur ad vomitum, deum derelinquimus, & recedimus à Deo saluta-
Ephe.4. ri nostro, adhæremus diabulo, corpus nostrum tradimus impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ in aui-
Psal.78. ditate. Tunc illo igne concupiscentiæ qui nunquam dicit sufficit, & ardet vsque ad inferni nouissima, incendimus sanctuarium dei, polluimus templum sanctum eius & impie violamus, disperdendi à Deo, cum iudicauerit
Psal.20. orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia. Verùm cum trahentē patrē ad filiū sequimur in misericordia &
Apo.1. benedictionibus dulcedinis eius dignanter præuenti, &
1.Pet.1. filio pulsanti aperimus, nec non oblatā spiritussancti gratiam accipimus, tunc à diaboli laqueis resipiscimus, vincula eius dirumpimus, & graue iugum eius & onus peccatorum à nobis proiicimus. Sicque relicta malitia ad

patrem

patrem reuertimur, tunc gaudens occurrit nobis, benigne nos suscipit, pie consolatur, & omnia peccata nostra, propter seipsum & abyssalem bonitatem suam delet, primam stolam nos induit, & omnium iniquitatum nostrarum amplius non recordatur, nisi ingrati postea noluerimus cõseruis nostris misereri, sicut ille misertus est nostri. Nos autẽ interim quòd diabolo adhæsimus, porcos eius pauimus, tenebræ eramus, in tenebris ambulauimus, tenebrarum opera fecimus, iustitias dei & sanctuarium eius (quod sumus nos) profanauimus in terra, vt scelestus Achaz, perfidus Manasses, superbus Antiochus. Nox tunc eramus & tenebræ ipsæ, atque in nocte & tenebris fuimus. Ergo dum ad patrem reuertimur, tunc arma & opera tenebrarũ oportet nos abiicere, & arma lucis induere, sicut in die honestè ambulare. Lucis opera & fructus facere, qui sunt in omni veritate & iustitia & sanctitate, euangelicæ & deo digne vitæ, & conuersationis. Ad hæc, oportet nos templum nostrum, quod est corpus nostrum, ab ni fermento malitiæ & nequitiæ expurgare, cor nostrum lauare à malitia, mundare nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, & perficere sanctificationem nostram in timore dei. Sic expiare & sanctificare à peccatorum immunditiis oportet sanctuarium & tabernaculum dei, quod nos sumus, & lauare nos à peccatis nostris in sanguine Christi, & tunc super niuem albiores efficimur. At hoc octo diebus fieri debet. Dies, gratia dei est, & euangelica doctrina. Quid ergo est, quod octo diebus templum Dei sanctificatur & expiatur, nisi quòd homo per octo beatitudines euangelicas à peccatis expiatur & sanctificatur in templum sanctum in Domino? Et quamuis omnes Christiani has octo beatitudines omnes scire & seruare debeant: Nihilominus eas singulis statibus seorsum distribuam, vt in die Circuncisionis fieri solet. Et primo, ¶ Sacerdotibus, do supremam beatitudinem, quia status eorum est supremus in ecclesia dei. Hanc videlicet. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Ecce tria probata coram Deo & hominibus, quibus qui adornantur, perueniunt ad salutem: nempe pœna in passione, causa in iustitia, perseueran-

Sapien. 2. *Luc. 15.* *Ephe. 5.* *Psal. 88.* *Rom. 13.* *Ephe. 5.* *1. Cor. 5.* *Apoc. 1.* *2. Par. 29*

tia in remuneratione. Quia non tantum beati sunt qui operantur, esuriunt & sitiunt iustitiam, & faciunt bonitatem, sed & beati sunt, qui persecutionē patiuntur, nō propter sua scelera, vt homicidæ, fures, malefici, proditores, hæretici, latrones: sed propter iustitiā defendendā vt
1. Pet. 2. Machabei, annunciandam vt Hieremias & Apostoli, propagandam vt Ioannes Baptista, confirmandam, vt Thomas Cantuariensis episcopus. Et vere beati, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Sacerdotibus hæc strena congruit, quia illi iustitia debent esse induti, iusti ante deum vt Zacharias: Iustitiam facere in omni tem-
Iob 29. pore. Vt dicere possint in veritate: Induit me dominus vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, & illud: Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento. Et dum sacerdotes iustitia sunt induti, tunc om-
Psal. 131 nes sancti exultant exultatione & in deum viuum. Verum, dum iusti ipsi, iniustos arguunt cum omni imperio,
Eccle. 4. pro iustitia agonisant vsque ad mortem. Dum Iustitiam dei annunciant in Ecclesia magna, tunc iustorum simpli-
Sapi. 2. citas deridetur. Impij opprimunt pauperes iustos, & eos circumueniunt, odio eos gratis habent, & pro eo quod eos diligere deberent. Tunc iustitia longe stat, imo, iustus perit in iustitia sua, & nemo est qui recogitet in corde suo. Causas quare scelesti iustos gratis persequuntur, & morte afficiunt, lege in sapientia Salomonis. Inutilis etenim iustus est filiis diaboli, & contrarius operibus eorum & improperat illis peccata legis &c. Hic oportet iustum sacerdotem cum Zacharia, quasi leonem confidentem esse, & absque terrore, vt etiam fecit glo-
Psal. 22. riosus pontifex Thomas. Etiam tunc, cum ambulat in medio vmbræ mortis, non oportet eum mala timere & eos qui corpus occidunt, quoniam dominus cum eo est.
Prou. 10. Vnde rursus scriptum est: Non contristabit iustum, quic-
& 12. 14 quid acciderit ei, nec in æternum commouebitur, imò, iustus etiam sperat in morte sua. Ergo, si quid patimini propter iustitiam nolite pusillo animo effici, quia sic estis beati. Imò gaudete & exultate, quoniam merces vestra, copiosa est in cœlis. Sic intratis in regnū cœlorum, vbi sicut stellæ fulgebitis in æternas perpetuitates. Hæc in longū extendi possunt. Ex opposito, dum sacerdotes vestimentis sordidis sunt induti, lenones viuunt & scurras,
Dan. 12. tunc sunt inglorij, sancti lugent, omnia sunt cōfusa, abo-

mina

minabilis horribilísque eſt facies eccleſiæ. Vos autem diligite iuſtitiam &c. ¶Rectoribus, Dei miniſtris & regni illius, ſeptimam beatitudinem do: nempe, Beati pacifici, quoniam ipſi filij dei vocabuntur. In pace vocauit nos deus. Ad hoc ſolummodo ordinatur poteſtas, vt pax dei conſeruetur: ſi nutat, confirmetur: ſi turbata, ſi fugata in exilium, & proſcripta, reuocetur, inſtauretur, perpetuetur in ſe & in aliis. Eſt autem pax dei, quæ omnē ſenſum exuperat, in bono & in voluntate dei conſentio. Tūc pax eſt quando omnibus hominibus eſt cor vnum & anima vna in bono. Idipſum ſapiunt omnes in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum. Et vnanimes, vno ore honorificant deum, & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti. Pax triplex eſt: Vna tēporis, quam ſi fieri poteſt quādo in nobis eſt, cum omnibus hominibus habere debemus. Alia pectoris, quæ eſt in terra hominibus ſolis, qui ſunt bonæ voluntatis. Tertia æternitatis, vbi populus ſedebit in pulchritudine pacis. Paci temporis & externæ, contrariantur, bella, lites, tumultus, inquietudines & moleſtiæ. Pacifici ergo ſunt, qui bellis ſopiendis, litibus dirimēdis, tumultibus ſedandis, inquietudinibus quietandis, moleſtiis mitigandis operam dant. Paci pectoris & internæ (per quod & homo excluditur à pace æterna) peccata mortalia contraria ſunt & tranſgreſſiones mandatorū dei. Pacifici ergo ſunt, qui tanquam à facie colubri fugiunt peccata, & ambulāt in lege domini, & ſi ipſi, ſicut & iuſtus ſepties cadit in die, offendūt in vno, mox ad cor reuertuntur, & dignis pœnitētiæ fructibus deū demerētur. Et ſic irreprehenſibiles & nullū crimē habentes dn̄o miniſtrāt, & ſeipſos omnium bonorum operum exemplum aliis præbent. Per hoc ipſi pacem habent ad deum, dum nihil ſibi conſcij ſunt & pacem internam. Econtrario nō eſt pax impiis. Tunc etiā exemplis & verbis eos qui operati ſunt iniuſtitiam ad Deū reducunt, Deo reconciliāt, in pace pectoris confirmāt. Hæc munia filiorū Dei ſunt, illi confringunt potentias, ſcutū, gladiū, & bellum. De iſtis rectoribus dicitur, ꝙ filij Dei vocantur, imò & ſunt, vt dicit Ioannes. Vocabuntur autē filij Dei à populis in mūdo iuxta illud: Omnes vos filij lucis eſtis & filij diei, deus autē lux eſt A malis in iudicio: Ecce quomodo cōputati ſunt inter filios Dei. A Chriſto in premio: Venite benedicti patris mei. Breuiter, & ſummis la-

Rom. 13. *Philip. 4.* *Ephe. 4.* *Eſai. 32* *Eccle. 21* *Prou. 24.*

biis tetigimus, quis sit pacificus. Hæc vos potestate præ-
Sap. 6. diti profundius cogitate & facite, & tunc Deus pacis dabit vobis pacem sempiternam, Sed quis est hic (inter omnes qui sibi complacet in turbis, & continent multitudines) & laudabimus eum? Sed beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Qui autem bella volunt, dissipabuntur. ¶ Virginibus, do sextam beatitudinem, nempe, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Virginibus agni sponsis magis congruam strenam hac donare non possem. Mundum cor sponsus requirit, mundus ipse & speculum sine macula. Vnde & Nazaræus est dictus, flos campi, lilium cõualium, sanctus sanctorum. Qui peccatũ
Sap. 7. non fecit, nec dolus inuentus est in ore ipsius. Ergo vir
Esa. 63. go, quæ diligit cordis munditiam habebit amicũ, & sponsum regem regum & sanctum sanctorum. At cor mundum, nullo est maculatum scelere. Sitis ergo mundæ o virgines, sicut domus sine palea auaritiæ, sicut speculum sine macula luxuriæ, sicut aër sine nube superbiæ, sicut vas sine fractura iracundiæ, sicut oculus sine albuginæ inuidiæ, sicut argentum sine rubigine accediæ, sicut pel-
1. Cor. 10 lis sine pinguedine gulæ. Beatæ mundo corde. Munditia cordis duobus constat: nempe in omnibus quæ agimus solius dei gloriam & honorem quærere. Deinde salutem & vtilitatem proximorum toto cordis annisu, promouere. Et bene ac proprie dicit, mundo corde. Mundo corde sunt, qui oculum simplicem habent intentionis, quos non arguit conscientia peccatorum admissorum, nec accusat mala voluntas & propositum peccandi in futurum.
Mat. 23. Vnde corde dicit non superficie, sicut hypocritæ fallaces, qui quod foris erat mundabãt, corde neglecto. Foris erant sicut sepulchra dealbata, & paries dealbatus, speciem pietatis prætendentes, sed virtute eius expertes: & intus pleni erant fœtoribus, vermibus, & abominationibus vniuersis. Sed mundo corde, vbi intellectus est sine errore, voluntas sine malitia & prauitate, irascibilis sine inordinato timore. memoria sine Dei & beneficiorũ eius obliuione. Viduis & orphanis do quintã beatitudinẽ, videlicet, Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur. De misericordia sermo mihi multus & in præsentiarium difficilis, imo impossibilis explicatu. Est autem misericordia, cordis miseria super malo. Sed inordinata est, nisi prius misericordia fuerit super miseria
propria

propria: Vt sit misericordia hominis triplex: Vna ad seipsum per pœnitentiam redimendo animam suam de potestate diaboli et laqueis peccatorum, iuxta illud: Miserere animæ tuæ, placens deo, et contine, et congrega cor tuum in sanctitate. Altera ad proximum per beneficentiam, sicut Samaritanus misericordia motus est super sauciatum et alligauit vulnera eius. Tertia est filialis ad deum, per compassionem. Vnde Christus ait: miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei. Attendite omnes qui transitis per viam, si est dolor sicut est dolor meus. At, sustinet qui simul contristetur, et non est qui consoletur, et non inueni, quia non sumus memores multitudinis misericordiæ eius. Has misericordias omnibus necessarias censeo, viduis maxime. Hîc alas prædicator extendat. Matrimonio iunctis, quartam beatitudinem do pro apophoreto, videlicet Beati qui esuriūt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Non enim sufficit nobis velle iustitiam nisi iustitiam faciamus sine defectione, et eā esuriamus et sitiamus desiderio et studio magno. Hoc quid sit, et ea quæ hic addi debent, vide in die omnium sanctorum. Maxime coniugatis sitis iustitiæ congruit, quia non solum vt ipsi in iustitia deo placeant, operam dare debent: Sed etiam proles in sanctitate et omni iustitia educare et instituere, totam familiam regere tenentur, vt salutem consequantur. Ad hoc multa necessaria sunt quæ prædicator extēdat. Pueris et seruituti subiectis, do secundam beatitudinē, videlicet: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Est autē mitis qui neminem offendit, iniuriam passus, non conturbatur, non irascitur, non exacerbatur, nō commouetur, sed in lenitate, æquanimitate, benignitate, pace et bonitate perseuerat. Est ergo mitis, quem mentis amaritudo non afficit, quem commotio et ira non deiicit, aut conturbat. Qui non irritat nec irritatur, non nocet, nec vlli nocere cogitat. Certe, illi terram hæreditant corporis quàm gerunt, quia non occiduntur. Terram mundi quam terunt, quam destruunt, immites. Terram viuentium quam quærunt, quia mansueti hæreditabunt terram. Mititas puerorum maximum insigne et ornamentum seruientium est, et dilectos eos facit angelis, deo et hominib' etc. Peccatoribus do tertiam beatitudinem: nempe, Beati qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Si hîc lugēt sua peccata,

Eccl. 30.
Luc. 10.
Iob 2.
Thren. 1.
Psal. 36.

poculum suum cum fletu miscent, laborant in gemitu
Psal.6. suo, lachrymis suis rigant stratum suum, & per singulas
noctes, hoc est, pro singulis peccatis suis lauant conscien
Luc.7. tiæ suæ lectum, tunc consolabuntur, sicut dominus Magdalenam consolabatur, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua multa, vade in pace. Non est lætandum in male factis, nec gloriandum in malitia, nec exultandum in rebus pessimis, sed dolendum, sed gemendum, sed flēdum, sed lugendum. Et tunc deus luctum eorum conuertit in gaudium, & consolatur eos & lætificat eos à dolore suo. Et secundum multitudinem dolorum eorum quos in corde suo habent de peccatis, consolationes dei lætificant animas eorum. Sic tristitia pœnitentium, conuerti-
Prou.14. tur in gaudium æternum, quod nemo tollet ab eis. Ex-
Mat. 26. trema gaudij peccatorum, occupat æternus luctus dolo-
Luc.6. rum. Sic fleuit Magdalena & Ezechias, sic fleuit Esdras
4.Reg.20 & populus, & dominus exaudiuit vocem fletus eorum, &
1.Esd.10. remisit impietatem peccatorum eorum. ¶ Monachis & religiosis, do primam beatitudinem, quæ est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc distinguenda est, triplex est enim paupertas, videlicet: Voluntaria, necessaria, ficta. Prima est laudabilis, altera tolerabilis, tertia damnabilis. Prima est, cum merito, altera sine merito, tertia cum demerito. Sunt autem pauperes spiritu, humiles corde, & voluntarie propter deum omnia relinquentes, vt Christum quocunq; ierit sequi possint. Tertio humiles spiritu sunt, qui in vero Dei timore sunt stabiliti &c. Alia vide in die omnium sanctorum.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI, SERMO NONVS *de septem donis Spiritussancti.*

NOVA delectant, vt est in trito prouerbio. Et cum in vna ciuitate hac die multi sermones fieri soleant. E re fore ratus sum, alium adhuc præter solitum addere sermonem, & solummodo iacere fundamentum de septē donis Spiritussancti. De quibus alibi longius scripserim: nempe, sermone xxvj. & xxvij. ij. partis de tempore. Ideo

per

per transennā hîc solummodo iter ostendam. Et quamuis omnes pie in Christo viuentes, dona Spiritussancti habent in munere & habitu, consummatum tamen vsum eorum nemo in hac terra omnium donorum habuit praeter Christum. Vsus nihilominus eorum magis vnus quā alteri officiorum, statuum, & conditionum diuersitatem applicari potest, & est necessarius, vt patebit. Ideo ¶ Sacerdotibus, do donum Sapientiæ, illius quæ de sursum descendit à patre luminum, & primum pudica est, deinde pacifica est, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, & sine simulatione. De quibus fructibus late egi in libro meo de duplici sapientia. Hæc superabundare debet in vobis, quia in omni sapiētia docere debetis, vt omnes homines perfectos exhibeatis in Christo Iesu. Et hæc sapiētia non est in sermone, sed in virtutē. Nō in sermone composito aut sublimi, ita vt nō possis intelligere disertitudinē linguæ eius sed in sancta, cœlesti, angelica, euāgelica & Christiformi vita. Ille sapiens erat, qui dicebat: Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Iesum, & hunc crucifixum. Et iterum: Nostra cōuersatio in cœlis. Et iterū: In simplicitate cordis & gratia, & synceritate Dei, conuersati sumus in hoc mundo. Omnis proinde, qui audit verba Dei & facit ea, vir sapiens est, qui domum suam supra petram ædificat: & omnis qui audit verba Dei, & non facit ea, stultus est. Hinc frater Domini beatus Iacobus ait: Si quis inter vos est, aut haberi vult sapiens, & scientia, & iudicio valens, nō altum sapiat, sed humilibus cōsentiat. Sed ostēdat primum & cōprobet ex bona couersatione sua quid habeat virtutis in operādo ea quæ scire existimat, præsumit, gloriatur et profitetur. Idq; præcipue in māsuetudine, et lenitate, quæ veræ sapiētiæ efficacissimum atq; verissimū est testimonium. Nā opera nostra quæ facimus, hæc testimoniū perhibēt de nobis, quæ et qualis est sapiētia nostra. Carnalis videlicet an spiritualis, diuina an Diabolica, terrena an cœlestis, salutaris an dānabilis. Sapiēs proinde et omniū sapiētissimus est (imo si non cognoscit literaturā et sit idiota, sine literis) qui voluntatem Dei scit et facit, hoc est: qui Deū diligit corde puro, conscientia bona, et fide nō ficta. Hæc est clara, et quæ nunquā marcessit, sapientia, et ad regnum deducit perpetuum. Qui hanc sapientiam abiicit, infelix est, et vacua spes illorum,

[Margin notes: Iaco. 1. — Ephes. 1. — Col. 1. — Philip. 3. — 2. Cor. 1. — Mat. 7. — Luc. 6. — Iaco. 3. — Ioan. 24. — 1. Tim. 1.]

Non precipit virginitatem,sed consulit.Multis tamẽ modis & verbis ad eam adhortatur, & non vulgata eius emolumenta recenset &c. De his alibi latius actum est. ¶Viduis & orphanis, fortitudinis donum do. Et hoc eis imprimis est necessarium, vt mala quorum non est numerus, quibus eas salutis nostræ aduersarius circundat, & eminus cominúsque lacescit, cum adiutorio dei vincant.Non loquor hic de fortitudine corporis,quam spurius Goliad,Hector,Hercules, inuictus membra Glicon & alij multi fidebant, quia hæc corporis erat, & multis ansam peccandi, & alios lacescendi bellis iniustis dedit, quia hęc fortitudo facta est vt fauilla stupe,& ipsi fortes in sua fortitudine sunt confusi.Alia est fortitudo mentis qua Stephanus cum gratia dei plenus erat. De qua scriptum est: Dominus dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ.Hęc non confundit.Et est animus fortis & promptus ad omnia bona facienda,& ad omnia mala propter deum sustinenda. Hac Apostolus indutus ex alto virtute,sicut leo fortis erat,& ad nullius aduersitatis expauit occursum.Vnde dixit:Ego non solum ligari, sed & mori paratus sum in Hierusalem propter nomẽ domini Iesu. Ecce aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quęrens vos deuorare.At illi fortiter resistite in fide.Nam si ei resistitis, & nullum ei locum datis, infirmior est musca,si autem eius acquiescitis consiliis, fortior est leone,& non est potestas super terram,que cum eius fortitudine possit conferri. ¶Matrimonio iūctis, do scientiæ donum, quod lumen est, dirigens hominem in hac vita,secundum doctrinam euãgelij pacis,in omni bonitate,iustitia & veritate ad gloriam dei. Hæc est scientia salutis quam Ioannes sanctus antequam natus,dedit plebi dei.Hæc est scientia sanctorum,qua nihil vtilius super terram,Hæc est scientia Dei,quia facit hominem digne Deo ambulare.Hanc vobis do,quia vt diuus Petrus ait:Viri debent secundum scientiam cohabitare cum mulieribus siue uxoribus suis. Sufficit & hic aperuisse fenestram. ¶Pueris & seruis,do pietatis donum quia singulariter pueri debent iuste, sancte & pie viuere in hoc seculo.Iugum domini ab adolescentia, vel magis ab incunabulis, portare, Innocue viuere,pie agere,quia deus sapientiam suam in quam pueri cum gratia & ætate,proficere debent, pie agentibus largitur. Sint Ergo

1.Reg.17

Act.6.

Psal.76.

1.Pet.5.

Ephes.4.

Iob 41.

Eccl.45.

Col.1.

pij ad deum, per omnia ei placendo, in omni opere bono ad eius gloriam fructificando, in sanctitate & iustitia ei seruiendo, tenere eũ deligendo. Sint pij ad proximos, quoad illis possibile est, patientibus compatiẽdo, egenis subueniendo, tristes consolando. Sint pij erga se, seipsos & animas suas ab omni peccato sollicite custodiendo, nulli voluptati consentiendo, carnis curam in desideriis nullam faciendo, ¶ Peccatoribus do timorem dei vt per eum à peccatis resipiscant, contineant, vias vitę apprehendant
Psal.23. & quod bonum & placitum est ante deum faciant, quia
Rom.3. timor domini expellit peccatum, mundando à præteritis & cauendo à futuris. Nam qui sine timore est, non potest iustificari. Ideo Dauid & Apostolus, cum horrenda peccata multa enumerant, quibus impij deum lacescunt & inhonorant, causam omnium & radicem tantorum malorum addit in fine dicens: Non est timor dei ante oculos eorum, quia timor domini odit peccatum. Et
Prou.8. per timorem domini, declinat omnis homo à malo. Ideo melior est vnus homo timens deum, quam infinita milia impiorum: ergo nihil melius, quam timor domini. Timenti enim deum bene erit in extremis & in die defun
Psal.32. ctionis suæ benedicetur. Venite ergo audite me, & timorem domini docebo vos &c.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI SERMO NONVS, in orationem Dominicam.

PATER noster qui es in cœlis. Crebro accidisse, fratres charissimi, deprehẽdimus, quod in domibus agrisque pauperum, occulti thesauri reconditi fuerunt: quos si pauperes sciuissent apud se fuisse humi defossos aut in cauernis maceriarum absconsos, vtique effodissent, tulissent & cum eis negotiati & diuitias sibi cumulassent.
1.Cor.14. Hæc parabola est temporis instantis. Multi sciunt & crebrò repetũt, orationis dominicæ verba, sed thesauros cœlestium documentorum in ea reconditos, pauci intellectus sui acumine scrutantur, pauci degustant, pau-
Psal. 31. ci vita & operibus adimplere contendunt. At ignorans ignorabitur. Hinc vatum maximus admonet nos dicens: Nolite fieri sicut equs & mulus, quibus nõ est intellectus

Sic

Sic primus parens ignauiæ arguitur, quod cum in honore esset summo conditus à deo, ad imaginem & similitudinem dei videlicet, non intellexit diuitias bonitatis & gratiæ dei acceptas. Ideo sua negligentia & culpa, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sic Baruch principes gentium damnatos dicit, eo quòd viam disciplinæ ignorauerunt, neque intellexerunt semitas sapientiæ. Et concludens ait: Non habuerunt sapientiam veram quæ desursum descendit à patre luminum quam humilibus petentibus dat affluenter. & abscondit à sapientibus in oculis suis, & prudentibus apud semetipsos & secundum carnem. Ideo interierunt propter suam insipientiam. verum in oratione dominica, perinde ac in mari maximo, omnes thesauri sapientiæ & scientiæ dei sunt absconditi, & tota parenetica doctrina dei nostri et seruatoris Iesu Christi, esca vniuersorum qua anima viuit, alitur et crescit in salutem, est in ea. Ideo apposite orationem hanc promptuarium plenum dixerim, eructans ex hoc in illud. At beatus qui intelligit, et qui animam suam esurientem et sitientem iustitiam, bonis illius replet et faciat. Hoc est: Qui documenta salutis, ex ea accipit, et secundum ea vitam suam, affectus suos, verba et opera moderatur, vt deo placeat in lumine viuentium, et sancte, iuste ac fine querela omnibus adsit, omnibus in bono placeat ad ædificationem. Nemini item vllam det offensionem, ne vituperetur ministerium eius. Hic beatus in facto suo est. Qui in hoc seruit Christo, placet deo, et hominibus probatus est. Qui in bonis doctrinis huius orationis replet desideriũ suum, huius iuuentus et homo interior instar aquilæ renouatur de die in diem. Quia veterem hominẽ qui corrumpitur secundum desideria errorum, cum actibus suis deponit, et nouum induit, qui secundũ deum creatur in iustitia et sanctitate veritatis. Incipit hoc modo hõ noua creatura esse, nouam viam ambulare, in nouitate spiritus deo seruire, conuersationem in cœlis habere, angelũ viuere et imaginem Adæ cœlestis portare, ambulando in vera dilectione. Hoc dum facimus, recte nouũ annũ celebramus. At circumcidere nos cũ Christo oportet, nõ circumcisione carnis (alioqui Christus nihil nobis prodesset, sed euacuati essemus à Christo, et gratiæ eius expertes) sed circumcisione cordis in spiritu, auferendo præputium

Psal. 48. *Gen. 1.* *Bar. 3.* *Iac. 1.* *Marc. 11.* *Psal. 143* *Psal. 48.* *1. Thes. 2.* *2. Cor. 6.* *Rom. 16.* *Psal. 102* *Ephes. 4.* *Col. 3.* *Gal. 6.* *Heb. 10.* *Phil. 3.* *1. Cor. 15.* *Gal. 5.*

tium cordis,& emũdando nos ab omnibus inquinamentis carnis & ſpiritus.Expurgando vetus fermentum ma-
2.Cor.11 litiæ & nequitiæ,& miniſtrare Domino,nullum crimen habendo,in azymis ſynceritatis & veritatis.Ac ei ſeruien
1.Cor.5. do in ſanctitate & iuſtitia omnib. diebus noſtris. De iſta
1.Tim.3. loquitur Apoſtolus:Nos ſumus circũciſio,qui ſpiritu deo ſeruimus,& in ſpiritu ambulamus. Qui oculum ſcandalizantem eruimus, manum & pedem abſcindimus & a
Phil.3. nobis proiicimus.Similiter vt lutum & peripſema deſpicimus & relinquimus quicquid in via dei nobis eſt impe-
Mat. 18. dimento.Non ſolum falſas diuitias, ſed etiam patrem &
Phil.2. matrem,Vxores,filios & fratres,ſed etiã abnegamus nos
Luca 18. metipſos,Qui omnem inordinatum amorem de voluntate,& omnem errorem excludimus de intellectu,atque omnes recordationes noxias & cogitationes ſine intel-
Rom.6. lectu de memoria noſtra extirpamus.Qui omnium membrorum noſtrorum abuſum abdicamus,& ea nunc exhi-
Rom.2. bemus ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Hæc eſt vera circunciſio,cuius laus eſt ex Deo.¶Iam ad diſtributionẽ munerum,ſiue ſtrenarum accedamus.Vbi illud obiter aduerte,quod doctrinas ſalutares,vobis dabo, quibus nihil eſt vtilius.Quia aurum & argentum non eſt mihi. Dein de nota quòd oratio Dominica tria in ſe habet. Nempe: Exordium,petitiones ſeptem,& concluſionem.In exordio,Dei beneuolẽtia captatur,& orãtis affectus in Deũ per ſpem erigitur.In petitionibus omnia ad ſalutem neceſſaria poſtulantur.In concluſione , orantis animus de obtinendis& petitis,ſi ſecundum deum petit,certificatur.
Luc.1. ¶Quando igitur in fide nihil hæſitando patrem orare volumus,ſic exordimur:Pater noſter amabiliſſimus, benigniſſimus, clementiſſimus,ditiſſimus, excellentiſſimus, formoſiſſimus& totus deſiderabilis es,in cœlis per apertam viſionem.Taceo hic omnia gratia breuitatis,quę in verbis iſtis ſunt recondita. Sequuntur iam petitiones, quarum primam do

Sacerdotibus dei,nempe,

¶*Sanctificetur nomen tuum.* Vt præfatus ſum ab exordio, quod vni dico , omnibus dico. Omnes enim qui initiati ſumus baptiſmo,& ibi Chriſtum induimus,vtique ablu-
Gal.3. ti tunc ſumus,ſanctificati ſumus,iuſtificati ſumus, in no-
1.Cor.6. mine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in ſpiritu Dei. Ideo ſecundum eum qui vocauit nos ſanctũ,in omni conuerſa

tione

tione nostra sanctos nos esse oportet, sicut scriptum est: 2. Pet. 1
Sancti estote quoniam ego sanctus sum. Maxime tamen Luc. 19.
sacerdotes sanctos esse oportet. Tum quia angelorum & nomen & munus habent. Tum quod sancto sanctorum ministrant, sancta verba legunt, orant & docent. Sancta sacramenta consecrant, & in loco sancto dispensant in vestimentis sanctis & ceremoniis. Ideo eos sanctos esse oportet, vt deus et dominus noster Iesus Christus sanctificetur et glorificetur in eis. Alioquin si iniquitatem agerent vsquequaque, et per præuaricationem legis Deũ inhonorarent, vtique nomen dei per eos blasphemaretur inter gentes. ¶ Vos igitur conuenio sacerdotes et moneo, vt tam sancti, iuste et sine querela omnibus adsitis, vt omnes qui vident opera vestra bona, et sanctam in timore Dei conuersationem vestram, glorificent patrem Esa. 52.
qui in cœlis est, et per sanctam conuersationem vestram lucrifiant Deo sine verbo prædicationis. Imò, si qui cum 1. The. 2.
inuidia tabescente iter habent, & de vobis tamquam de Mat. 5.
malefactoribus detrahunt, ex bonis operibus vos considerantes, confundantur, & glorificent deum in die visita 1. Pet. 3.
tionis. Sic fideles in Apostolo Paulo glorificabãt deum. Gal. 1.
Sic pater glorificatur in filiis & in sanctis suis. ¶ Sancti- 2. Thes. 1.
ficate ergo deum & dominum nostrum Iesum Christum in cordibus vestris, habendo fidem dei & electorum. Secundo sanctificate nomen dei in ore vestro, cauendo vt nullus sermo malus de ore vestro procedat, sed omnis ser Ephes. 4.
mo vester bonus sit in gratia sale conditus, qui gratiam & ædificationem fidei auditoribus prebeat. Benedicite Dominum in omni tempore. semper laus dei sit in ore vestro. ¶ Tertio sanctificate nomen dei in operibus vestris, omnia in gloriam eius faciendo. Omnibus placen- 1. Cor. 10
do in bonum ad ædificationem. Vobiscum ergo reputate o sacerdotes, quales vos esse oporteat, in sanctis conuersatonibus, in pietatibus & iustitiæ operibus. Sacerdotes tui induãtur iustitia, & tunc sancti tui exultabunt. ¶ Hæc omnia faciunt sacerdotes, si in fide filij Dei cum Apostolo viuunt, & Christus per fidem in cordibus eorum habitat. Nam per fidem deus corda eorũ purificat. Gal. 2.
Per fidẽ filij dei efficiũtur. Ideo digne deo & euangelio Ephes. 3.
in fide ambulant. Et nihil aliud nisi quod patrem facien- Act. 15.
tem, volentem & præcipientem sciunt et vidẽt facere, fa- Gal. 4.
ciũt. Semper laus patris est in ore eorũ. In omnib. gloriã Ephes. 4.
Dei

Eccl. 10. Dei quærunt. ¶ At contra radix perditionis superbia
Iob. 41. hæc omnia destruit, confundit et euacuat, cum sit initiū omnis peccati. Quia cor maculat, à Deo apostatat, Diaboli qui rex est super omnes filios superbię, filium facit
Rom. 2. et subiicit ei. Vnde et inique agit vsquequaque, et supra modum peccat peccata, per quę nomen Dei blasphematur. Fenestram solummodo aperio, et sapientibus do tantummodo occasionem. Nam ista extendere cuique facillimum est.

Potestate præditis, do

Sap. 6. ¶ Adueniat regnum tuum. Vos estis ministri regni Dei, & vobis concessa est potestas à Deo, in ędificationem,
2. Cor. 10 dilatationem, defensionem et regimen ecclesię, non in
& 13. eius destructionē. Ideo Deus interrogabit opera vestra,
Sap. 6. vt Sapiens dicit, & cogitationes vestras scrutabitur. Vnde si non recte iudicatis, nec custoditis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem dei ambulatis, væ vobis, &c. ¶ Triplex autem est regnum dei. Nempe, Internum siue gratiæ dei. Externum siue ecclesiæ. Supernum siue cœleste. Regnum gratiæ intra nos est. Hoc regnum, iustitia est
Rom. 5 & pax & gaudium in spiritussancto. Hoc regnum dei, nō est in sermone, sed in virtute & bonitatis operatione. Vn
1. Thes. 4. de sicut peccatum prius regnauit in nobis in mortem, sic postquā Christum induimus, gratiam oportet in nobis
1. Cor. 1. regnare per iustitiam in vitam æternam. Date ergo operam vt deus regat vos & subiectos vestros, & dirigat corda & corpora vestra, in charitate dei & patientia Christi, & tunc nihil vobis in vlla gratia deerit. ¶ Regnum dei externum, quod est ecclesia iustorum, regere, defendere, dilatare debetis. In eo esse debetis sicut filij obedientiæ, & alios vt ad illud intrent compellere. Hic alæ sunt extēdendæ. ¶ Regnum gloriæ dabit deus omnibus in quibus hic regnauit per suam gratiam, & qui in regno ecclesiæ ei seruierunt in sanctitate & iustitia, omnibus diebus suis.
Matt. 25. Date ergo operam, vt vos sitis regnum dei, vt ille vos regat. Vt sitis in regno ecclesiæ, vt & illud recte administretis, Et tunc dabit vobis regnum gloriæ, quod iustis parauit ab origine mundi. Sic adueniat regnum dei. ¶ Nec hoc sufficit, sed oportet vos etiam regnum diaboli quod similiter triplex est, destruere, impedire, & in nihilum redigere. Habet enim diabolus regnum suum internum, quod est peccatum, At vos date operam, ne peccatum in mortē,

corpore aut vestro aut alterius alicuius regnet in mortem, vt obediatis concupiscentiis eius. Regnum externum diaboli, ecclesia malignantium & synagoga Sathanæ est, ac mundus in maligno totus positus. De illo regno vos & alios eripere debetis, vt adueniamus omnes in regnum ecclesiæ sanctorum. ¶ Regnum miseriæ & damnationis, quod opponitur regno gloriæ, paratum est diabolo & angelis eius, hoc modo euadetis cum subditis vestris. Date ergo operam, vt regnum dei adueniat, & regnum diaboli destruatur. ¶ Ad hoc spes est necessaria. Quia non delinquunt omnes qui sperant in eo. Et iterum: Spera in deo & fac bonitatem. Per hanc sanctificamus nosmetipsos, sicut ille sanctus est. Laboramus in vinea. Et adoptionem filiorum dei expectamus, liberandi à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Auaritia idolorum seruitus, & omnium malorum radix cupiditas hic necesse est, vt excludãtur. Quia auaro nihil est scelestius, ergo deus nõ regnat in auaro per gratiã. Nec est auarus in regno ecclesiæ. sed foris in agro cum filio seniore, vbi seruit mammonæ, & ambulat vias difficiles. Et ibi supergreditur iustitiæ metam, & doló circunuenit fratres in negotiis, & sic regnum cœleste, non assequitur. Proinde sic agite vt regnum dei vobis adueniat, & vos in regnum dei cœleste cum omnibus subditis vestris, quos oportet vobiscum adducere. Ansam dedisse, satis est. *Virginibus.*

Rom.6. *1.Ioan.5.* *Mat.25.*

¶ Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Appositum apophoretum siue strena virginum, in quo tota virginitatis institutio & regula est comprehensa. Nam virginitas, non est terrena, sed cœlestis vita, propter regnum cœlorum obseruata in terra. Nam virgines, instar angelorum & ciuium sanctorum ac domesticorum dei, non nubunt neq; nubuntur, sed sunt sicut angeli Dei, sine macula ante thronum dei. Et deo seruiunt die noctúq; in templo eius, sine externarum & mundi huius curarum impedimento. Et profectò, in carne, præter carnẽ viuere, quód faciunt virgines, plus est quàm angelum esse. Nam angelum esse, naturæ est. Sed virginem castam seipsum deo exhibere, & immaculatam se ab hoc seculo & carnis concupiscentiis custodire, gratiæ dei est, & meriti maximi. Virginum est non solum voluntatem dei facere, custodiendo dei mandata, sed sicut angeli in cœlo sine macula vlla an-

Mat.22. *Apoc.7.* *1.Cor.7.* *Iac.1.* *Apoc.7*

vlla ante thronum dei ſtare, ei ſeruire, ſine intermiſſione eum laudare, ſicut ſcriptum eſt, Beati qui habitant in domo tua, non manufacta in cœlis, in ſecula ſeculorum
Apo. 1. laudabunt te. Inſuper in albis coram deo ambulare & agnum dei quocunque ierit, conſilia euangelica cum ipſius gratia & ope cuſtodiendo ſequi. Ideo voluntatem
1.Cor. 13 dei non ſolum faciunt virgines, ſicut impletur in terris à bonis & rectis corde, qui pie viuunt in Chriſto, ſed ſicut impletur in cœlo ab angelis & vranicis ciuibus, qui facie ad faciem deum vident. Hîc laudibus virginitatis eſt immorandum. Hîc de certamine incoinquinatorũ, de legitima pugna, & corona eius præparata ſermo texen-
1.Cor. 12 dus eſt. Virginitas, eſt via excellẽtior, via regia, quàm rex gloriæ Chriſtus cum matre ſua ambulauit. Cum Ioãne itẽ baptiſta & Paulo apoſtolo, aliiſque innumeris, quorum nomina ſcripta ſunt in cœlo in libro vitæ. Virginitas via immaculata & arcta, nec non anguſta porta quæ du-
Matt. 7. cit ad cœlum, quam pauci inueniunt. Nempe illi quibus datum eſt à patre, Sed pauciſſimi ad dextram vel ad ſiniſtram non exorbitant ex ea. Quia multi poſtquam diu in ea ambulauerunt, & pondus diei & æſtus diu portauerunt, omnia quæ eis præcepta erãt fecerunt, vel ad Ægyptum reuerti deliberant, carnis deſiderio fragrantes: vel exploratorũ malitia deterrentur: vel laboris onere fran-
Num. 11. guntur: vel Balaam doctrinam ſequuntur, qui docet edere & curam carnis in deſideriis facere, fornicari & ſcan-
Apo. 2. dala mittere, in cubilibus & impudicitiis templum dei quod eſt corpus noſtrum violare, polluere & profanare. Sic & Lutherus igne concupiſcentiæ, qui ardet vſque ad inferni nouiſſima, ſanctuaria Dei incendit, & multi luxurias eius ſecuti ſunt. Quorum poſteriora prioribus multo peiora ſunt facta. Nam cum duce ſuo cæco ceciderunt, aut non poſt multos hos dies cadent in foueam damnationis æternæ. Stultæ certe virgines, à ſponſo nõ exaudiendæ in æternum, nec recipiendæ. Vos autem virgines prudentes eſtote paratæ, angelicè viuite, miniſtrate deo & ad omnia beneplacita Dei eſtote paratæ, vt angeli in cœlis. Incerta & occulta ſapientiæ dei, reuelate vt archangeli. Principes & omnes iudices, reges terræ & omnes populos, exemplo veſtro & doctrina ad Deum conuertite, vt principatus. Rurſus, ſi diabolo fortiter in fide reſiſtitis, nullum ei locum datis, omnia conſilia

Virgines ſimiles ſũt angelis in gratia dei & vſu eius.

filia eius destruitis,in omnibus perfectæ statis, abductos ab eo reducitis,ligatos solutis,captos liberatis,vulneratos sanatis,tunc inter potestates sortem habebitis ac eis similes estis. Deinde inter virtutes pars vestra est,si virtute indutæ ex alto,virtuose viuitis,virtutibus vos adornatis,sicut cœlum sideribus, pratum floribus, arbores bonæ fructibus bonis.Verùm hic vim vobis facere oportet,custodire vias duras,abnegare vosmetipsas, crucem portare,& ire cum Petro quò non vultis,facere quod displicet,pati quod lædit & dolorem infert. Ad hæc si dominamini animo vestro, & appetitum carnis in obsequium spiritus redigitis. Si Dominus vos regit, & spiritus eius bonus vos agit,&per semitas iustitiæ vos ducit. Si nulla vobis dominatur iniquitas,& bene aliis præestis secundum Deum; tunc certe voluntas Dei in vobis fit in terra, sicut in cœlo in media hierarchia & inter dominationes. Deinde si pacem diligitis, iustitiam zelatis, tunc vtique deus pacis & dilectionis vobiscum est. Imo est in vobis & vos in eo, & mansionem apud vos facit & habitat in cordibus vestris. Atque sic veri throni estis & fercula Salomonis.Domus dei sanctæ,arcæ sanctificationis,sedes Dei & propiciatoria, è quibus dominus pacem loquitur in plebem suam, reconciliauit inimicos,exhortatur,iustitias decernit, & moram imponit.

*Matt.*11. *Luc.*14. *Ioan.*21. 1. *Cor.*9. *Rom.*8. 2.*Cor.*13 2.*Cor.* 6.

At cùm virgines reuelata facie gloriam dei speculantur, profunda fluuiorum scrutantur, & abscondita eius producunt in lucem. Cùm Christus lux vera illuminat corda eorum ad illuminationem scientiæ claritatis dei in faciem Iesu Christi, & eius inuestigabiles diuitias euangelizant,omnésque illuminant, quæ est desponsatio sacramenti absconditi in deo à seculis.Atque euangelizant principibus & potestate præditis, & quibusuis terrigenis & filiis hominum, multiformem sapientiam dei,Cherubin sunt & dici merentur. Cum autem sunt lucernæ ardentes & lucentes,cum ascendunt & eunt de virtute in virtutē, & sunt ignis ardens aut flamma ignis per amorem dei,& languent amore dei, ac nihil eas potest separare à charitate Christi. Sed amor Christi vrget eas ad declinandum à malo,& faciendum omne bonum,quod potest manus earum instanter. Tunc Seraphin sunt, & voluntatem Dei in terris faciunt: sicut angeli supremi in cœlo &c.

*Ioan.*6. 2. *Cor.*2.

Viduis, pupillis & orphanis.

¶*Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Optimum
Psal.103 apophoretum viduarum est hoc. Quid enim pane cœlesti vtilius (qui cor hominum confirmat in omni opere & sermone bono, & mœrentes consolatur in tribulatione eorum & angustia) viduis dari posset, non video. Cùm tota vita earum, tribulatio, angustia, persecutio, afflictio, calamitas, crux & tristitia super tristitiam sit. Ideo, ne abundantiori tristitia absorbeantur, pane cœli sunt cibandæ
Rom. 15. & cõsolandæ. Quęcũque enim scripta sunt, ad nostrã doctrinã scripta sunt, vt per pacientiã (quæ opus perfectum
Iac.1. habet) & consolationem scripturarum, spem habeamus.
1.Mac.12 Sic Iudæi circundanti malis, quorum non erat nume-
Dan. 13. rus, pro solatio sanctos libros habuerunt, qui erant in manibus eorum. Ergo quando venit super vos tribula-
Psal. 37. tio, & angustiæ vobis sunt vndique, quando amici vestri & proximi aduersus vos appropinquant, & qui viuente
Mat. 10. viro iuxta vos erant, duo genua coram vobis curuauerunt, de longe stant, negant vos, relinqunt vos: Et quando filij vestri in vos insurgunt, & domestici vestri sunt inimici vestri, aut aduersum vos falsum testimonium dicunt, bona vestra diripiunt, sortem mittunt, quis quid tollat, & seipsos adhortantur dicentes: Deus dereliquit eã, persequimini & comprehendite eam, quia non est qui
Psal. 70. eripiat. Quando dant vobis panem tribulationis, & aqua angustiæ vos sustentant. Quando vos cibant pane lachrymarum, & potũ calicis domini dant vobis in mensura.
Luca 21. sura. Tunc leuate capita vestra, quia si sociæ estis pas-
2. Cor. 1. sionis Christi, eritis & consolationis. Si compatimini, &
2. Tim.2. cõregnabitis. Triplicem igitur panem à deo quotidie vt det vobis, petere debetis: Nempe, panem scripturæ, panem vitæ, & panem gloriæ. Panem verbi dei cum quo confortetis corda vestra, ne abundatiori tristitia absor-
Psal. 18. beamini. Hæc lex videlicet tua, me consolata est in hu-
Ioan.6. militate & afflictione mea, quia eloquium tuum viuificat me. Secundo, pane vitæ, qui de cœlo descendit, qui est Christus Iesus. Nihil enim tam graue est, quod non equo animo toleretur, si Christi passio ad mentem reuocatur. Vnde Apostolus ait: Recogitate eum qui talẽ sustinuit à peccatoribus, ab iis qui diligebant eum, à fra
2. Tim.2. tribus suis & amicis, vt non fatigemini animis vestris deficientes &c. Petite & panem gloriæ: quia si commortuę fueri

fueritis,& conuiuetis cum Christo,si sustinetis, & conregnabitis. Beati estis,si hunc triplicem panem in regno dei,quod est ecclesia, semper manducatis & ruminatis, quia tunc nullus vobis nocere potest, & quicquid patimini pro iustitia,cooperatur vobis in bonum. *Luc. 14. 1.Pet.3. Rom.8.*

Matrimonio iunctis,

¶ *Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Multi in cœlo se esse putant, & omnia sana ac sibi integra,cum sunt in matrimonio. Deósque se esse arbitrantur.At toto cœlo aberrant. Non diffitemur con nubium à Deo institutum, & magnum esse pietatis sacramentum.Sed hoc arguimus & causamur, quod à pau cis omnia honeste & secundum ordinem Dei in matrimonio fiunt. Pauci honorabile connubium & thorum immaculatum custodiunt.Pauci (quod oportet) vasa sua in sanctificatione & honore possident, sed (proh scelus) in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum. vt gemens dicere cogar, quod iam neque vita, neque nuptiæ mundæ custodiuntur.Ideo qui vxorem duxit, sine omni excusatione dixit se nō posse ad nuptias Christi venire. Quotusquisque namque virorum est,qui tam casto,mundo, sancto & syncero amore vxorem suam diligat,sicut Christus ecclesiam, quod præcipit Apostolus & docet. Crebro etiam coniugium suscipitur eo modo quo contrahentes à se & à cordibus suis deum excludūt,vt suæ libidini vacent, sicut equus & mulus, quibus nō est intellectus, super quos demonium potestatē habet.Merito & iuste igitur strenam hāc do,vt dicatis deo qui interrogabit opera vestra, & renes scrutatur & corda: Dimitte nobis debita nostra. At debita illa summis labiis ex parte constringam,alia vobis rememoranda relinquens. Orate vt dimittat vobis quòd simplicem oculum non habuistis matrimonium contrahendo, sed nequam voluptatem carnalem intendendo. Quòd secundum scientiam siue rationis dictamen & doctrinā Christi,non cohabitastis.Quòd thorum immaculatū & connubium honorabile non custodiuistis, sed magis passiones desideriorum carnis, instar gentium secuti estis. *Ephe.5. 1.Cor.14. 1.Thes.4. Sapi.14. Matt.21. Luc.14. Ephe.5. 1. Pet. 2. Heb.13.*

¶ Quòd vasa vestra in sanctificatione & honore, nō possedistis. Quòd puro, sancto & ordinato amore vos non amastis.Quòd dissentiones inter vos & iurgia habuistis. Quòd non solo posteritatis desiderio ad laudem dei *1.Tes.4. Tob.3.*

1. Cor. 7. educandæ, aut vitandi adulterij gratia, ficut Apoftolus indulget, conuenitis, fed nonnunquam propter explendam voluptatem carnis. ¶ Quòd non cohabitaftis in pace & in timore dei. Quòd in omni actu veftro matrimoniali, non feruatis debitum ordinem, modum, tempus &
Ephe. 6. locum. Quòd non educatis proles veftras in timore ab adolefcentia eorum, & in difciplina fiue moribus bonis. Quòd non corripitis eas verbis, aut virgæ parcitis vbi
Tit. 2. neceffe foret. Quòd non datis vofmetipfos prolibus veftris formas viuendi, pie, fobrie & iufte in hoc feculo &
Philip. 4. fine querela. Quòd in vobis non vident, nec à vobis difcunt, nec eas opere & fermone docetis, omnia quæcunque funt vera, iufta, pudica, honefta, fancta, pia, amabilia, bonæ famæ, virtuofa, bonorum morum, falutis, &
Tit. 2. euangelicæ perfectionis. Quod non datis vofmetipfos in omnibus quæ Deo placent, & illis vtilia & neceffaria funt, eis exemplum omnium bonorum operum, in doctrina falutari, in integritate mentis & corporis, in grauitate morum, & fanctæ conuerfationis. Et vt
1. Tim. 3. ad Timotheum ait: Effe debetis prolium veftrarum ficut & omnium fidelium exemplum in verbo, in conuerfatione, in charitate, in fide, in caftita. Meritò igitur dicitis: Dimitte nobis debita noftra, &c. eo quòd hæc non facitis & feciftis. Quòd diffimulatis eorum exceffus & peccata, ficut Heli facerdos fecit. Vel in faciem eis non refiftitis, aut eas dure non corripitis, & cum omni imperio, quando eos à via Dei declinare & fcelerata defignare, auditis, videtis & fcitis. Quòd iniuftas
1. Reg. 2. eis diuitias coaceruatis per dolos, vfuras, fraudes, rapinas, violentias, iniuftas exactiones, menfuras, iniqua pōdera, calumnias, & iuftitiæ fubuerfiones. Quòd facitis eas in hæreticis & erroneis doctrinis inftitui, & à fide vera abduci. Quòd ad eorū fuperbias conniuetis, tacetis ad eorū potationes & fectationē ebrietatum. Ad luxurias & fcortationes. Ad ludos eorum cum cartis & taxillis. Quando non orant, non ieiunant, non feruant ftatas ferias, tacetis. quòd vos in ieiuniis & orationibus, in Dei laudibus & feruitiis in operibus mifericordiæ, cùm fpiritualibus, tum corporalibus & pietatibus, non præbetis vofmetipfos eis bonum exemplum & formam. Quòd cum inuidia tabefcente, videtis eos iter habere. Ita excandefcere, maledicere, blafphemare, peffima quæque

quæque imprecari & optare proximis. Vim aliis facere, in cubilibus & impudicitiis, in cõmessationibus & ebrietatibus Deum offendere, & alios scandalizare. Difficiles ad bona & reprobos, ad mala verò currere sicut equi cum impetu currunt in prælium. Taceo quæ occulte fiunt à multis, quæ & turpe est dicere. Hæc ei relinquo, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quia tunc confusio faciei cooperiet omnes, qui lucem fugiunt, &c. Meritò igitur vobis do hanc strenam, Dimitte nobis debita nostra &c. Hanc orationem dicant et se emendent obsecro, qui his malis diebus, filios suos et filias suas immolant dæmoniis, et sculptilibus gentium. Dum eas in doctrina hæretica institui faciunt et coalescere. Qui aures audiendi habet, audiat. Qui sciunt, audiunt et gaudent, quòd sacramenta ecclesiæ aspernantur, sigillant, calce abiiciunt. Non confitentur sua peccata, indigne eucharistiam accipiunt, semper in peius proficiunt. Deum non timent, homines non reuerentur, sed contumeliis afficiunt. Peccant sine omni timore. *Hiere.8.* *Ephes.5.* *1.Cor.4.* *Mat.12.*

Pueris, seruis & subiectis.

Et ne nos inducas in tẽtationem. Vsu discimus, quòd virgulæ teneræ si in vnam partem flectuntur & ita crescunt, haud facile rectificari possunt postquam indurauerunt. Sic lana alba aut sindon mundissima, colorem quẽ primò accipit, difficulter amittit. Et quo semel est imbuta recens, seruat odorem, testa diu. Sic est cum pueris, seruis et subiectis. Ab infantia docendi sunt timere Deum, et cauere ab omni peccato. Nam plurimum refert, qualiter à teneris vnguiculis instituuntur. Quia adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Hinc Hieremias ait: Si potest Ethiops mutare pellem suam, et pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Et de filiis Belial dicitur. Ossa eius implebuntur viciis adolescentiæ eius, et cum eo in puluere dormient. Ergo bonum est viro, cum iugum domini portauerit ab adolescentia sua. Proinde, orandus est deus, non vt non tentemur, quia tota vita hominis in Christo viuere cupientis, tentatio et malitia est super terram, sed ne inducamur in tentationem, hoc est, ne locum demus diabolo. Ne consentiamus peccato. Ne verbo aut opere offendamus ad lapidem *Tob.1.* *Prou.22.* *Hiere.12.* *Iob.20.* *Thren.3.* *Iob 7.* *Ephes.4.*

 angula-

1.Pet.2. angularem pedibus nostris.Ne vlla nobis dominetur ini
Psal.118. quitas. Ne odibilia Deo opera faciamus. Ne addamus
Rom.6. peccatum super peccatum. Ne inique agamus vsquequa
que. ¶ Maxime hoc est puerorum,assuescant in malis à
teneris vnguiculis. Nam sic semper proficerent in peius,
ac magis magísq; se elongarent à Deo de die in diem.
Eccl.32. Primo sectando otium,radicẽ omnium malorum.Deinde cogitando inania,& cogitationibus sine intellectu immorando.Nam hos sequitur delectatio,consensus,opus, consuetudo,excusatio,defensio,incuria,contemptus peccandi,complacentia,exultatio, gloriatio , inuerecundia, adhortatio,illusio,prosperitas peccandi,carnalitas,necessitas,insensibilitas,subuersio cordis,hypocrisis,despectus bonorum,persecutio iustorum,abusus diuinæ misericordiæ,dilatio conuersionis & pœnitentiæ,abiectio legis diuinæ,mutatio Dei,præsumptio,desperatio , impugnatio veritatis agnitæ,inuidentia fraternæ gratiæ,obstinatio, finalis impœnitentia,damnatio æterna. Hoc modo inducuntur pueri in tentationem , elongant se à Deo,magis appropinquant ad portas mortis. Et si vincula ista nõ dirumpunt,ab istis diaboli laqueis non resipiscunt,paren
2.Cor.4. tum cura & instantia opportuna & importuna,arguẽdo, obsecrando & increpando in omni patientia & doctrina,pereunt sine vlla spe in suis peccatis.Date igitur operam,ne inducamini in tentationem.

¶ *Peccatoribus.*

¶ Libera nos à malo. Et quis nõ offendit in multis? Quis non est debitor , decem vel magis centum milium talentorum? Verùm,cum nõ habeamus vnde reddamus
Psal.80. quæ debemus : hoc solum habemus residui , vt procida-
& 68. mus ante thronum gratiæ dei,dicendo:Libera nos pro-
Iaco.1. pter temetipsum , & propter bonitatem tuam & miseri-
Heb.4. cordiam tuam,quæ suauis est & benigna,ab omni malo. Si hoc in vero corde,in fide nihil hæsitando,in plena spe misericordiæ Dei facimus,vtiq; misericordiam consequimur,& gratiam inuenimus in auxilio opportuno.Et omne debitum nobis dimittit , quia benignus & misericors
Iohel.2. est,patiens & multæ misericordiæ,& præstabilis super ma
Osee.6. litia.Misericordiam vult,& non sacrificium. Amen.
Mat.9. ¶ Sigillum & certificatio est dei nostri. Quòd omnia
1.Ioan.5. quæ in fide secundum voluntatem eius petimus , accipimus absque vlla dubitatione. Amen. Nec dubium,quin velit,

velit,quia amat nos. Nec dubium quin possit, quia est omnipotens. Nec dubium quin scit nos adiuuare, quia scientiarum dominus est.Ergo, Amen. *Ioan. 16.* *1. Reg.2.*

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI, SERMO DE SAlutatione angelica.

VERBVM abbreuiatum & consummationis, fecit dominus super terrã in æquitate. Nihilominus illa abbreuiata consummatio, inundabit iustitiam vt dicit Esaias. Quorsum ista? Ad hoc certe, quòd in salutatione angelica, quæ nostræ salutis exordium est, cardo, summa & scopus, ostendam omnem sancti euangelij & salutis nostræ paræneticam doctrinam esse compræhensam. Vnde pro nouo anno vnicuiq; ex ea salutis doctrinam dabo, quã si seruauerit, in sequenti anno, cum metu & tremore salutem suam operabitur. Sed breuitati studebo, quia in sermonibus præcedentibus copiosa materia est ad alas extendendas & materiam dilatandi. *Rom.9.* *Esa.10.*

Sacerdotibus & templi ministris do

¶ Aue. Quid est Aue aliud, quàm sine væ & malo? Vnde vobis do, hanc dilectionem aue, quia debetis esse sine malo sinistræ intentionis in corde, sine malo locutionis in ore, sine væ & malo culpæ, peccati cuiuscunque, & sine omni scandalo in opere & conuersatione. Magis autem oculus vester simplex esse debet, omnia in gloriam dei ordinans & faciens. Sermo bonus ex ore vestro solummodo procedere debet, qui ædificationẽ fidei & gratiã auditoribus præbeat. Exẽplum omnium bonorum operũ vosmetipsos præbere debetis omnibus in grauitate, in integritate, in omni bonitate, iustitia & sanctitate. Qui in his tribus seruit deo, acceptus est ei, & probatus est hominibus. Hæc tria etiã designant tres literæ in dictione Aue positæ: Nẽpe. A V E. Sit amor in corde qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ sunt Iesu Christi, & aliorum vt salui fiãt. Sit veritas & sermo dei semper in ore vestro. Sit exẽplum bonum ædificãs in opere vestro & cõuersatione. Et tunc dilecti deo eritis & hominibus, & memoria vestra in benedictione erit, & cum laude. Hic latus campus est, extendendi sermonem. Ecce tria *Mat.6.* *Ephes.4.* *Col.4.* *Tit.2.* *1. Tim.3.* *Rom. 15.* *1.Cor.13* *1.Cor.10*

vobis necessaria: amor verus in corde, veritas doctrinæ synceræ in ore, exemplum bonum in opere & conuersatione. Qui facit hæc, beatus est in facto suo. Aue salutis, gaudij, consolationis & omnis boni est annunciatiuum, optatiuum atq; imprecatiuum & exordium. Sic sacerdotalis functio, dies salutis in medio terræ operare per Iesum Christum annum placationis, tẽpus miserendi eius annunciare debet in vniuersa terra, offerre omnibus gra
Luc. 2. tiam dei, reconciliare omnes deo. Vt gaudeant omnes in
Ephes. 5. domino adhortari. Euangelisare omnibus gaudium ma-
Mat. 22. gnum magnúmq; pietatis sacramentum, quod est omni
Luc. 14. populo factum, & cœnam magnã quæ est omnibus præparata deo obtemperantibus. Aue mutatio est nominis Euæ. Nam si Eua retrogado modo legitur, fit aue. Per hoc signatur, quòd quicquid maledictionis Eua intulit per suam inobedientiam ac præcepti Dei præuaricationem, hoc per vestram obedientiam, inculpatam vitam, doctrinam sanam, debitam sacramentorum administrationem & vsum, auferre debetis & mutare in benedictionem. Vos imitatores Dei esse debetis & portare imagi-
Ephes. 5. nem Adæ cœlestis, non Adæ terreni, & Euæ nomen mu-
1 Cor. 15. tare, contraria eius operibus faciendo. Nempe, nullum locum diabolo dando, fortiter ei in fide resistendo, Deo
Ephes. 4. magis quàm diabolo credendo & obtemperando, om-
1. Pet. 5. nes ad bonum, tum operibus tum salutaribus doctrinis adhortando. Hæc enim faciendo, non peccabitis aliquando. Imo vosmetipsos saluos facietis, & eos qui vos au-
2. Pet. 1. diunt & imitantur in bonitatis operatione ac volunta-
1. Tim. 4. tis Dei adimpletione. Dum hæc facitis, cum Dei gratia & adiutorio destruitis omnia consilia diaboli, technas
2. Cor. 10. fraudium eius eluditis, seductos ab eo saluatis, captos liberatis, vinctos soluitis, vulneratos sanatis. Breuiter quicquid damnationis & mali per mendacia sua humano generi intulit, vos destruitis & ad nihilum redigitis, veritatem amando, faciendo, prædicando
Psal. 50. & propugnando Nam Deus veritatis, veritatem dili-
Iob 8. git, requiritque. Et sola veritas, saluat, quos dam-
Mich. 3. nauit falsitas & mendax lingua illius, qui non stetit in veritate, & ab initio peccat, qui diligit malum & odio iniquo odit bonum. Tunc namque floret Christiana religio & fructificat deo in omni opere bono, quando ministri ecclesiæ sunt sine væ, sine omni of-

fensione

fensione & peccato, & abstinent ab omni specie mala, & sancte, iuste & sine querela omnibus adsunt, & iustitiam operantur. Iuxta illud: Sacerdotes tui induantur iustitia, quia tunc omnes sancti exultant. Sic Iob iustitia indutus fuit, & dominus eum sicut diademate vestiuit iudicio suo. Iustitia hæc olim habitauit in functione sacerdotali. at nunc sunt homicidæ, propter scandala & offendicula horrenda quæ sine omni timore designant & pudore. Imo sunt animæcidæ. Occidunt enim animas quæ non moriuntur, & scandalizãt plurimos in lege, ideo etiã sunt contẽptibiles, opprobrium hominũ, & abiectio plebis. Nec à maledicto isto liberabũtur, nisi relicta malitia & omni via peccatorum, reuersi fuerint ad dominum in toto corde suo. Hic expatiandi latus campus patet. 1. Thes. 2. Psal. 13. Iob 29. Esa. 1.

Potestate præditis do

¶ *Gratia plena.* hoc est, nomen nouum quod os domini nominauit, quo vocata et honorata est Maria mater verbi et agni, qui plenus gratia fuit et veritate, et de cuius plenitudine omnes gratiam pro gratia accipiunt, qui in Christo electi sunt ante mundi constitutionem, vt sancti et immaculati sint in cõspectu eius in charitate. Hoc nomen maria accepit. Nempe, quod esset et vocaretur, gratia plena, quando deus respexit humilitatem eius, et magna ei fecit. Nempe, vt esset sponsa patris altissimi, mater vnigeniti, sedes, thronus, domus, ferculum Dei, templum spiritus sancti, regina cœli et angelorum, domina mundi. Nam sponsæ à sponsis gloriam et honorem accipiunt, et qualia sponsi, talia nomina sortiuntur et sponsæ. Sic Hester humilis, ingloria et captiua, Assuero regi desponsata, regina est appellata. Sic innocens manibus et mundo corde Ioseph, postquem probatus fuit, sicut aurum in fornace, sceptrum regni accepit, et potentiam aduersus eos qui eum depræsserunt et maculauerunt, et claritatem æternam. Nam saluator mundi vocatus est, nomine suo mutato, et constitutus est dominus super vniuersam Aegyptum. Taceo Danielem et Mardochæũ, vasa electionis et in honorem, quos quàm in sublimi posuerit deus postquam legitimè certauerũt, fidem suam à deo non mutauerunt, in iustitia, et timore dei immobiles steterunt, pro iustitia agonizauerunt vsq; ad mortẽ, nemo est q ignoret. Ergo cùm legatione pro Deo fungamini locũ Dei in terra teneatis, et dij vocemini in sacris literis Ioan. 1. Ephes. 1. Luca 1. Psal. 23. Psal. 3. Sap. 10. Gen. 41.

2.Cor.4. iuxta illud: Diis non detrahes. Et iterum, Causa ad deos
Exod.20. referatur. Et iterum: Deus stetit in synagoga Deorum,
Psal 81. in medio autem Deos diiudicat. Sic Moses, Deus pha-
Exo.9. raonis fuit constitutus. Et potestas in edificationem vo-
2.Cor.10 bis sit concessa à Deo, ideo nomen nouum assecuti estis
& 13. & gratiosi beneficíque vocamini, iuxta gentium morem
Mat. 20. & dominamini eorum. Ideo curæ vobis sit vt opere & ve
Marc.10. ritate sitis quod vocamini. Gratiosi, gratia pleni, venera-
Luca 12. biles, augusti, lumina mũdi, sal terre, vasa electionis & in
Mat.3. honorem, repugata ab omnibus inquinamentis mẽtis &
Rom.9. corporis sanctificata, vtilia domino, & ad omnia opera
1. Tim.2. bona parata siue instructa. Estote gratiosi omnium ocu-
lis, specula virtutum, viua lex euangelica, forma couer-
sationis angelicę, & cœlestis lucernæ super candelabrum
positæ. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant,
vestra bona opera (quę sunt fructus gratiæ & signa virtu-
tum) vt glorificent ea videntes, patrum vestrum qui est
in cœlis. Gratia pleni estis, si tam sancte, tam iuste, tam
inculpate adestis ouibus vestris, quòd nemo mali quid
loqui potest in veritate de vobis. Imo si qui cum inuidia
tabescente iter haberent, et de vobis tanquam de male-
factoribus detraherent, confundantur bonis operibus
vestris consideratis, et glorificent deum in die visitatio-
nis. ¶ Tunc recta sunt omnia, tunc lætantur cœli et exul-
tat terra, tunc vinea domini germinat iustitiam, et ma-
ter ecclesia gaudens gaudet in domino, et exultat in deo
1.Reg.13 Iesu suo, quando potestate præditi, viri sunt cum Dauid
Act.13. secundum cor dei, et faciunt omnes voluntates eius.
Quando instar Moysi dilecti sunt deo et hominibus, et
Eccl.45. cum Aaron, circumcincti sunt zona iustitiæ, induti sto-
lam gloriæ, et coronati vasis virtutum. Taceo Iosue, Sa-
muel, Nathan, Dauid, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam, Mac
habæos et alios dei amicos, gratia plenos, quorum laus
Heb.13. est in sacris literis et in benedictione. Eorum ergo in-
tuimini exitum, et conuersationis fidem imitamini Sic
2.Pet.1. namque certam vocationem vestram et electionem fa-
citis, & abundanter ministrabitur vobis in æternum re-
gnum, et saluatoris nostri Iesu Christi. Econtrario,
quid tam vanum, tam ridiculosum, tam viciosum, tam
turpe, detestabile & damnabile, quam permittere se gra-
tiosum vocari, & esse deo odiosum, virtuosum, & esse vi-
tiosum. Dominum, & esse seruum demonum et pecca-

torum

torum. Eſſe primum in honore, et poſtremum in dei cognitione et bonitatis operatione, eſſe magnum in officio, et minimum in gratia et in regno cœlorum, Nobilem genere, et degenerem vitæ prauitate. Mandare iuſtitiam, et ſeminare mala in ſulcis iniuſtitiæ. Velle alios eſſe bonos, cum ipſe in malitia ſua præſeueret. In aliorum oculis feſtucam videre et in propris trabem non conſiderare. Alios pro minimis exceſſibus ſine vlla miſericordia cum maxima ſeueritate punire, & non ſolum non velle pro maximis ſcandalis in miſericordia à iuſtis non corripi, & in ſpiritu lenitatis inſtrui, ſed magis in de ſideriis peſſimis velle laudari, & in iniquitatibus ſuis & maliciis benedici, & lætificari & beatificari. Ad quod magiſtros mendaces coaceruant, qui propter fragmen panis & pugillum hordei, placentia loquuntur, oleum eis vendunt, beatificant & decipiunt. Vos ante gratia pleni eſtote, vt quod vocamini, ſitis opere & veritate. Ne habeatis nomen quod ſitis gratioſi & viui, & ſitis vitioſi malicioſi, iniqui, reprobi & mortui in delictis & peccatis veſtris. Sicut ille qui dixit non recte cogitans apud ſemetipſum, & non ſolum aliquid, cum nihil eſſet, ſed magnum ſe eſſe putauit, ſemetipſum decipiendo, & cor ſuum ſeducendo. Dixit enim inſipiens in corde ſuo: Diues ſum, & nullius egeo, Sed falſum ſuum iudicium, veritas omnia vincens confudit, traduxit & damnauit, dicens: Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus? Cur fruſtra inflaris? Nam miſer es & miſerabilis, pauper, cæcus & nudus. iſta vero cogitant impii & errant, quia excæcat eos malitia eorum. Verum, non qui ſeipſum commendat, (vt phariſæus in templo. vt rex Tyri, vt Heliu Buſites, fruſtra ſenſu carnis ſuæ inflatus) ille probatus eſt ſed quē Deus cōmendat. Sicut fecit iuſtum Abel manſuetum Moſen, Iob patientem, Dauid, Ioahannem Baptiſtam, Nathanael, & patrem fidei noſtræ Abraham, vt taceam cæteros. Sic & Paulum vocat vas electionis. At ille gratia Dei id fuit quod fuit, & gratia Dei in eo vacua non fuit ſed magis omnibus aliis cum ea & ſuam & aliorum ſalutem operatus fuit. Eius imitatores & vos eſtote, & multiplicem gratiam dei acceptam, ſicut boni & fideles diſpenſatores in alterutrum diſpenſate. Hec enim faciendo, & voſipſos & eos quibus præeſtis in domino, ſaluos facitis.

Eccl. 7. Pſal. 140 Gal. 6. Oſea 7. Eſa. 30. 2. Tim. 4. Hier. 13. Mat. 25. Eſa. 3. Gal. 6. Apoc. 13. Iob 13. Sap. 2. 2. Cor. 10. Luca 18. Ezec. 28. 2. Cor. 10 Iob 3. Mat. 3. Act. 9. 1. Cor. 15 1. Pet. 4

Virginibus do.

Dominus tecum. Sponsus amat sponsam,& nihil eis iocundius,desiderabilius & delectabilius, quàm quòd habitant in vnum.Christus sponsus sanguinum est,indutus vestimento salutis, & indumento iustitiæ circundatus,& coronam auream habens in capite,expressam signo sanctitatis,gloriæ & honoris,opus virtutis & desiderio oculorum ornatum,& sponsam habet,de qua Apostolus ait: Despondi vos vni viro,virginem castam exhibere Christo. Iam venerunt nuptiæ agni regis regum, & principis regum terræ,Et hoc superest,vt spõsa se ornet & induat decorem,vt sit omnium oculis,instar Hester, gratiosa, & amabilis videatur : Verum , nolo in corpore se ornare sponsas Christi,nisi quantum verecundia & honestas exposcit Nam vertex apostolorum,extrinsecas capillaturas & circundationes auri & argenti,ac cultum vestimentorum,mulieribus interdicit.Similiter tuba euangelij mulieribus tortos crines,aurum,lapides preciosos,margaritas & vestes multi precij. Sed per Esaiam dominus omnes vanitates, superfluitates, pompas & carnis oblectamenta,aufert à filiabus Hierusalem. Quapropter, adorna thalamum tuum sponsa Christi.Expurga vetus fermẽtum,scopa spiritum tuum , emunda conscientiam tuam ab omni inquinamento carnis & spiritus,& sanctificationem tuam perfice in timore dei.Vt sis sancta cum sancto, lux cum luce,iusta cum iusto. Quia nulla est participatio iustitiæ cum iniquitate,nec vlla societas lucis huius veræ ad tenebras. Ipse non habitat in corpore subdito peccatis, nec sapientia patris per quam omnia fecit, in maleuolam animam intrat: Laua igitur per singulas noctes lectum tuum,stipa eum malis,fulci eum floribus, sterne eum tapetibus pictis de cœlo, adorna eum iconibus omnium electorum, qui deo placuerunt ab initio. Intexe illud funibus, aspergere cubile tuum myrrha & aloe & cinamomo. Parietes illius auleis adorna,in quib. magnalia dei quæ fecit ab initio opere plumario sunt elaborata. Compone lectum tuum,o sponsa Christi, vt nihil in corde tuo & in corpore tuo indecens maneat et appareat. Sis mundus per vtriusque hominis puritatem Sis altus, per mentis ad cœlestia eleuationem. Quietus per Christi pacem, Mollis per mansuetudinis lenitatem, Grandis et latus per dilectionis extensionem.

2.Cor.11 · Hest.2. · 1.Pet.3. · 1.Pet.3. · 1.Tim.2. · Esa.43. · 1.Cor.5. · 2.Cor.7. · 2.Cor.6.

Custodi-

Custoditus, per sollicitudinem contra timores nocturnos, Opertus per pallium amoris. Solitarius, quia non habitat iuxta sponsum malignus. Tum quod coangustatum est stratum sponsi huius, alter decidat necesse est. Et pallium breue, vtrunque operire non potest. Quia nemo potest duobus dominis seruire. Et nulla est societas Christi ad Belial, lucis cum tenebris, et iustitiæ cum iniquitate. Dominus vniuersorum, Dominus cœli et terræ, ad te veniet, tecum erit et est, et mansionem apud te faciet, si eum diligis. Vt te sanctificet per omnia, quatenus integrum spiritum tuum et animam et corpus sine querela seruet in aduentum suum. Dominus tecum, o virgo beata et sponsa agni, vt te abluat, sanctificet et iustificet in nomine suo et in spiritusancto. Vt te ornet omnibus virtutibus tanquam varietate vestimentorum. Vt te sibi desponset in fide, diuitem faciat in gratia, vniat et copulet per charitatem quæ est vinculum perfectionis. Vt te fœcundet virtutum prole. Est tecum, vt caput cum membris, vt te viuificet per fidem motúmque tibi tribuat in dilectione. Est tecum sicut sol cum aere, vt te illuminet. Vt pluuia cum terra, vt te fructificare faciat in omni opere bono. Vt color cum lana, vt te sibi assimilet. Vt tutor cum pupillo, vt te ab omni malo defendat. Proinde, tecum reputa, quàm sancte, iuste et pie et absque omni querela te oporteat esse, cùm non solum angelus tuus bonus tecum est, sed et ipse Dominus angelorum semper tecum sit, et omnes vias tuas, imo, omnes cogitationes, et intentiones cordis tui consideret et scrutetur. Quia omnes viæ tuæ, in conspectu suo sunt. Dominus tecum, hoc est, tota trinitas, Pater, per potentiam, filius per sapientiam, spiritus sanctus per bonitatē, charitatem et gratiam. Pater tibi dabit virtutem et fortitudinē, vt in eo et cum eius ope omnia bona possis, Filius te docebit per suam sapientiam quomodo omnia bona facere debes. Spiritus sanctus, ad quem finem facere ea debes. Nempe ad gloriam Dei. Dominus tecum, in mēte et in corpore. In mente animam tuam renouando de die in diem, et imaginem animæ tuæ reformando ad se. Memoriam tuam, sua præsentia pascendo. Intellectum tuum luce omnis veritatis illustrando, Voluntatem tuam bonitatis, gratiæ et dilectionis suæ dono, rectificando, sanctificando, et perficiendo. Per hæc nam-

Mat. 6.
2. Cor. 6.
Ioan. 14.
1. Cor. 6.
Col. 2.
Psal. 118
Tit. 1.
Psal. 118
1. Cor. 10
Rom. 2.
2. Cor. 4.

namque anima, ad imaginem Dei transformatur, à claritate gratiæ, in claritatem gloriæ, tanquam à Domini
2. Cor. 3. spiritu. ¶ Per hoc etiam assequitur, quod ratio appetitui sensitiuo dominatur, nec peccatum regnare permittit in suo mortali corpore, vt obediat concupiscentiis carnis
Gen. 4. suæ. Sed nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato, sed se exhibet deo, tamquam ex mortuis viuens, &
Rom. 6. membra sua, arma iustitiæ deo. Ergo mortificationem Iesu Christi semper in corpore suo circumfert, adeò quòd vita Iesu manifestatur in corpore suo & in carne sua mortali. ¶ Dominus tecũ, qui te facit sponsam amoris, cœlum suæ mansionis, thronum suæ maiestatis, thalamum suæ quietis, templum, sanctuarium, domum suæ
Rom. 13. habitationis, ferculum suæ delationis, propitiatorium &
Gal. 3. oraculum suæ responsionis. Dominus tecum, vt te lu-
Apoc. 12. mine suo sicut vestimento induat, quia lux est. Sol est, vt induat te iustitiam, quia iustus & iustitia. Nec non vt Christum te induat, & solem. Vt sis mulier amicta sole, lunam habens sub pedibus, & in capite coronam ex stellis duodenis.

Viduis, orphanis & desolatis,

1. Cor. 7. ¶ Benedicta tu in mulieribus. Mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Et illi vidui & viduæ benedicti sunt inter viros & mulieres, qui post priores nuptias & thalamos, alterius hymineum recusant, & cum turture gemebunda, solitudinis loca amica meroribus quærunt. In quibus dum gemitibus
Luc. 2. inenarrabilibus diu noctúq; dominum obtestantur per viscera misericordiæ suæ, ad votum exaudiri merentur, cum Anna Phanuelis, quæ in ieiuniis & orationibus domino in templo suo deseruiuit. Benedictæ sunt viduæ illæ, quæ recusant thorum in delicto, quæ carnem suam cum viciis & concupiscentiis crucifigũt. Nam quę in deliciis viuit, viuens mortua est. Quæ irrreprehensibilis est, & in operibus bonis testimonium habet, & omne opus
1. Tim. 5. bonum subsequitur &c. Est autem quadruplex ratio siue modus benedictionis, & illis benedictæ sunt viduæ sanctæ. Nam benedictio significat maledictionis euacuationem, iuxta illud: Benedixisti domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Significat etiam fœcunditatis ampliationem sicut scriptum est: Crescite & multiplicamini. Significat etiam singularis gratiæ collationem: Sic benedixit

benedixit dominus Abrahæ. Sic etiã benedicit omnibus *Psal.113.*
qui timent dominum, pusillis cum maioribus. Quarta
est cõgratulantium collaudatio. Iuxta illud: Benedictus *Mat. 21.*
qui venit in nomine domini. Benedictionibus istis estis
& vos benedictæ, si veræ viduæ estis. Nam Deus remittit
vobis peccata vestra. Proles vestras propter vos benedicit, & in mille millia crescere facit. Singularem gratiã vobis largitur cum Iudith & Anna Phanuelis. Sed & magnificantur, & memoria earum est cum laude, à generatione in generationem, vt in Iudith & Anna cernere est. Benedictio dei nihil aliud est, quàm gratiæ & donorum suorum cõmunicatio. Dona autem illa in triplici genere sunt, nempe naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sunt verè viduæ *Marc.13.*
benedictæ singulariter, in donis naturæ multipliciter, sed differenter. Sicut hîc & in dominis gratiæ, tandem erunt etiam in donis gloriæ, quia ibi fructum sexagesimum accipient. Hic latissimus campus est expatiandi, sed vela *Prou.1.*
contraho, gratia breuitatis. Sufficit aperuisse fenestram, præmonstrasse viam, & sapientibus dedisse occasionem.

Matrimonio iunctis.

¶ Et benedictus fructus ventris tui. Verba Elizabeth sunt, quibus & Mariam & fructum ventris eius Iesum Christum, repleta spiritusancto, quantum potuit, magnificauit. Mariam imitari vos oportet, quę couiugatorum speculum, splendor, honor & gloria est. At illa fuit sine vę culpę, plena gratię & veritatis. Habuit deum pręsentem. Omni honore dignissima & cumulata fuit: ideo fructus ventris eius benedictus fuit. Iuxta communem modum & cursum, ex bonis, sanctis, iustis, & deum timentibus & diligentibus parentibus, bonæ, sanctę, iustę & deo acceptę proles procreantur, iuxta illud euangelij verissimum apopthegma: Arbor bona, fructus bonos facit. Vnaquęq; enim arbor, iuxta genus suũ fructificat. Sic etiam ex malis parẽtibus qui nascuntur, oẽs testes sunt nequitię & malitię aduersus parentes suos in interroga- *Sap.4.*
tione sua. Quia nõ potest arbor mala, fructus bonos face *Mat.7.*
re. Nihilominus vsu venit, atq; id crebrò, quòd bonorum *Gen.9.*
parentũ proles degenerãt. Sic vnus ex iusti Noe filiis, in arcũ prauũ mutatus fuit. Vnus ex Abrahę filiis reproba *Rom.9.*
tus fuit. Vnus ex filiis Isaac elect⁹, alius abiect⁹, & à deo odio habitus fuit &c. Nõ ex parentũ culpa aut negligẽtia, sed ex ꝓpria malitia. Sic ex malis parẽtibus, nõnunq̃

iusti,sancti, & deo acceptissimi sunt per exuberantissimam dei misericordiam & gratiam prognati. Sic Abraham amicus dei,pater fidei nostræ benedictus, quasi rosa de spinis,natus ex parētibus idololatris. Electus Exe-
4.Reg.18 chias de impio Achaz prognatus est. Sanctissimus Iosias,ex pessimo patre Amon genitus est. Sic Hilarion, S. Barbara &c.Quia boni parentes,in filiis suis benedicuntur,laudantur & mortui viuunt. Parentes verò quæ teneantur prolibus suis præstare,vt in eis gaudeat,nempe,bonum exemplum in omnibus operibus bonis,disciplinam,educationem in timore dei sancto,correctionem in excessibus, & præcludendi occasiones peccandi &c. alibi diximus.

¶*Peccatoribus do*

Matt.1. *Iesum.*Ipse enim saluum facit populum suum à peccatis eorum; Ipse redemit Israel, ex omnibus iniquitati-
Psal.129
Luca 19. bus suis.Ipse venit peccatores saluos facere, misericor-
Eze.18. diam facere,& quærere quod perieratquia nō vult mor-
1.Tim.1. tem peccatorum,sed vt conuertantur & viuant,ideo expectat,vocat,clamat,nuncios suos mittit,trahit pater,filius pulsat ād ostium cordis,spiritussanctus gratiā offert, occurrit in omni prouidentia, circuit quærēs vt eis prior se ostandat, quia vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire. Si quis autem diuitias bonitatis illius, & pacientiæ & longanimitatis cōtemnit, quibus ad pœnitentiam vocat,trahit & adducit, & non vult relicta malitia ad deum reuerti,ipse seipsum damnat, & thesaurisat sibi secūdum duritiam suam:& cor impœnitens iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicij dei, qui reddit vni-
Rom.2. cuique secundū opera sua &c.Ipse factus est sibi obtemperantibus,voluntatem suam facientibus, & dignos fru-
1. Pet.2. ctus pœnitentiæ causa salutis æternæ. Cæteris nempe operantibus iniquitatem, factus est lapis offensionis & petra scandali, & durus atque inexorabilis iudex & condemnator.

¶*Pueris,seruis,subditis,do*

Psal. 44. *Christum,*Christus autem vnctus dicitur,quia ipse oleo lætitiæ vnctus est præ participibus suis.Quia accepit spiritum non ad mensuram,plenus namque gratia & veri-
Ioan. 1. tate fuit.Et de plenitudine gratię eius omnes accipimus, qui in ipso sumus,sicut palmites in vite,membra in corpore eius,arbores bonæ,in bona & pingui radice,flores

& lilia in terra fructifera & optima, cuius non deficiunt aquæ. Gratiam ergo à Christo debetis accipere, sed non in vacuum. Nec eam abiicere, nec ei deesse sed cum ea abundantius aliis laborare, & cum eo salutem vestrã operari. In gratia proficere, & sapientia coram deo & hominibus. Vt sicut in ætate & corporis viribus atque magnitudine, sic etiam in gratia dei & virtutibus augescatis de die in diem. Et hoc ab infantia, sicut Tobias filium suum docuit. Vt vita vestra instar lucis splendentis procedat & crescat vsque ad perfectũ diem gloriæ, vbi nox non est, sed facie ad faciẽ ibi deus videtur. In tempore se curuat, quod in vncũ crescere debet. Ideo bonum est viro, quòd à pueritia & adolescentia portet iugũ domini, quia etiã cum senuerit non recedet ab eo &c. Hoc dum facitis, & rem & nomen Christi vere habetis. Et à Christo, boni Christiani in veritate vocamini. Insuper notandũ, quòd reges, sacerdotes, prophetæ & bellatores olim vngebantur. Ergo filius Dei Christus vocatur, ex officiis, quia rex regum, sacerdos secũdum ordinem Melchisedech in æternum, prophea magnus, & fortis ac potens in prælio fuit. In quo fortem superauit, arma eius diripuit, in quibus fiduciam habuit. Ipsum alligauit, captiuos eripuit, & spolia eius distribuit. Simili modo & vos cõformes imaginis suæ faciet, si gratia illius bene vsi fueritis. Nam faciet vos reges & sacerdotes. Reges, si vos bene regitis secundum volũtatẽ & verbum eius. Sacerdotes, vt corpus vestrum & animam vestram illi offeratis, vitulos item labiorum, & incensum orationum. Faciet vos prophetas & syncere scripturas interpretari. Demum & milites suos bonum certamen legitime certantes, in agone contendentes vos faciet, vt incorruptam iustitiæ coronam accipiatis. Proinde viriliter agite, & confortetur cor vestrũ, & sustinete dominum & sustentationes eius.

Ioan. 15. *1. Cor. 15* *Philip. 2.* *Tobiæ 10* *Thr. 3.* *Apoc. 19* *Psal. 109* *Luc. 7.* *Psal. 23.* *Matt. 12* *Luc. 11.* *Rom. 8.* *Rom. 12.* *2. Tim. 2* *1. Cor. 9.* *Psal. 29.*

¶ *Religiosis do*

Amen. Quod est fideliter, siue fiat, fiat. Et est veritatis confirmatio & iuramentum. Nam ipsi domino reddere debent vota sua quæ distinxerunt labia eorum. Ipse in timore dei fidelibus agere debẽt & cõrde perfecto. Debent esse fideles vsque ad mortem, & tũc fidelis, & verus dabit illis coronam vitæ, & super omnia bona sua constituet eos. Solummon hoc eis curæ sit vt gratiæ dei sint fideles dispensatores & serui illius boni concordes vita

Luc. 12. illorum cum nomine, professio sentiatur in opere. Fiat,
opere præstent & veritate, quæcunque domino promi-
1. Cor.4 serunt. Quia ruina est homini deuotare sanctos, & post
Eccle.5. vota retractare. Nam damnationem sibi acquirunt, eo
1.Tim.5. quod primam fidem irritam fecerunt.

DE PRECIOSO SANGVINE CHRISTI IESV PRO NOBIS effusi, Sermo in die Circuncisionis Domini.

1.Ioan.1. *SI in luce ambulamus, sicut & Deus est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato,*
Apoc.1. Et rursus: Christus Iesus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo,
Col. 2. Quando pro nobis æterno patri Adæ debitum soluit, &
veteris piaculi cautionem siue chirographum mortis,
quod erat contrarium nobis, pio cruore detersit, deleuit
& cruci affixit. Vbi & mortem destruxit, & eum qui mor-
2.Tim. 1. tis habuit imperium, nempe principem & Deum huius
Heb. 2. mundi, atque rectorem tenebrarum harum expoliauit,
Eph. 14. eiecit foras, ligauit & traduxit confidenter, palam trium-
Eph. 2.6. phans eum in seipso. Hinc rursus tuba euangelij into-
Col. 2. nat quasi classicum quid & epinicion dicẽs: Pater mise-
2.Cor.1. ricordiarum & Deus omnis consolationis, in sanguine
noui & æterni testamenti Iesu Christi, eripuit nos de
Col. 1. potestate tenebrarum & trãstulit in regnum filij sui di-
Luc.1. lectissimi in quo habemus redemptionẽ de manu om-
nium qui oderunt nos, & remissionem peccatorum ex
Psal.129 omnibus iniquitatibus nostris. Proinde gratias deo aga
2. Cor.9. mus (dignum & iustum est) semper pro inenarrabili do-
no eius. Nã deus pater volens ostendere in seculis super-
Ephe.2. uenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate
Rom. 8. super nos, proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis
Esai 53. omnibus tradidit illum in mortem turpissimam crucis,
Psal.68. & posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Christus
vero, langores nostros ipse portauit. Ibi quæ non rapuit
Gala. 3. exoluit, factus pro nobis maledictum & peccatum. Vt à
maledictione liberatos, omni benedictione cœlesti nos
benediceret. Vt item de peccato peccatum damnaret, &
1. Pet.1. efficeremur iustitia dei in ipso. Non sumus ergo de vana

cõuersatione nostra paternæ traditionis, corruptibilibus auro vel argento redempti, sed precioso sanguine agni dei, qui tulit peccata mũdi. Agni inquã immaculati, quia peccatũ non facit, cum esset innocens manibus & mundo corde, & incõtaminati, adeo quod princeps mũdi nihil in eo habuit. ¶ Sed cũ illo pater omnia nobis donauit, & diuinæ virtutis suæ charismata preciosa, quę ad vitã deo & euangelio gratiæ eius dignam & pietatem nobis necessaria sunt, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur, & fugimus eã quæ in mundo est concupiscentię corruptionem. Has autẽ diuitias multiformis gratiæ suę, Christus sicut bonus & fidelis dispensator, hodie distribuere cœpit. Quãdo sanguinem suum preciosum effundere dignatus est. Hinc & ego dignum duxi, eundẽ preciosum sanguinem vobis dare pro strena siue pro nouo anno (vt dicere solemus). Verũ, sicut paruulus noster nobis datus à Deo & nobis natus ex virgine in temporis plenitudine sępe sanguinem suum fudit, sic thesaurũ hũc cœlestem, per status diuersos, gradus, officia, ministeria & operationes distribuere volo, vt vnicuique melius congruere videro, singulis iuxta vocationem vniuscuiusque in qua vocauit & posuit eum deus. Quia sicut in vno corpore multa membra habemus, & vnumquodque membrum suum proprium officium, actum & ministerium habet ad vtilitatem, consolationem, defensionem, conseruationem, fomentum, augmentum & nutrimentum omnium membrorum & totius corporis, sic multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et habemus donationes, officia & ministeria, secundum gratias dei quæ dantur nobis differentes, iuxta vniuscuiusque virtutem. Crebrò igitur seruator noster sanguinem suum dedit & effudit. Dedit eum in cœna nouissima in sacramentum suæ amarissimæ passionis, suæ æternæ dilectionis, &(quam per spem expectamus) æternæ vitæ & beatificationis. Dedit sanguinem suum in confirmationem, stabilitionẽ & roborationem, noui & æterni sui testamenti. Quia sicut primum testamentum confirmatum est sanguine vitulorũ & hircorũ, sic nouũ testamẽtũ (quod est euangeliũ æternũ, gratiæ & gloriæ dei quod Christus Iesus filius dei viui aperiendo os suum nos docuit) precioso sanguine suo Christus dedicauit, firmauit & roborauit.

Ioan 1. *Esai.* 53. *Ioan.* 14. *Rom.* 8. 2. *Pet.* 1. *Esai.* 9. *Gala.* 4. 1. *Cor.* 7. *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12 *Ephe.* 4. *Mat.* 25. *Exod.* 14 *Heb.* 9. *Hier.* 31. *Heb.* 8.

*Psal.*109 Effudit insuper sanguinem suum sacerdos in æternum
*Heb.*7. secundum ordinẽ Melchisedech, vindicator noster et me
diator piissimus in remissionẽ peccatorum nostrorũ, vi-
cibus multis. Nempe, vt principaliores modos tangã. In

Circuncisione		supbiã		initium
Sudatione		inuidiã	In re	desiderium
Flagellatione		iram	dẽpti	meritum
Coronatione	contra	accediã	onis	triumphum
Exuitione		auaritiã	no-	signum
Cruci affixione		gulam	stræ	precium
Lateris apertione		luxuriã		sacramẽtũ.

¶ *Sacerdotibus.*

Ioan. 13. Do sanguinem Christi Iesu eo modo, quo ab eo da-
tus est suis apostolis in cœna nouissima, quando per
mortem suam ex hoc mundo exiuit ad patrem. Nam
tunc sacrificium istud instituit, & eius officium commisit
solis presbyteris, quibus sic congruit vt sumant illud &
*Luc.*21. dent cæteris, quando Luca referente eis dixit: Hoc faci-
1.*Cor.*10 te in meam commemorationem. Hic est calix salutaris
& benedictionis, quem vos soli benedicere & consecrare
potestis, vt sit participatio sanguinis Iesu Christi. Ne
autem panem istum viuum qui de cœlo descendit & di-
gne acceptus dat vitam eis qui de eo participant, & bi-
batis calicem Domini indigne, & rei fiatis corporis &
Matt. 7. sanguinis domini, & iudicium vobis manducetis aut bi-
batis. Ne item hunc panem filiorum dei mittatis, vt de-
tis sanctum hoc canibus, vel margaritas has cœlestes
proiiciatis ante porcos qui eas conculcent, quod foret
2. *Cor.* 7. impietas maxima. Ideo priusquam munia hæc angelica
obitis, ab omni inquinamẽto carnis & spiritus vos emũ-
dare debetis, & sanctificationem vestram perficere in ti-
*Leui.*17. more dei. Vt sancti & mundi sitis, sicut deus sanctus est,
1.*Pet.*1. & hæc augustissima mysteria munda sunt quæ tractatis.
Sic apostolos mundos esse dixit, quamuis non omnes
priusquã eis corpus suum in cibum & sanguinem suum
Ioan. 11. eis in potum dedit. Nam Iudas proditor, solus immũdus
inter istos filios Dei vt alter Satanas erat. Ideo illi sacra
hæc mysteria ad augmentum salutis acceperunt, hic ve-
rò ad cumulum suæ damnationis. Hinc etiam apostolis
ante huius institutionem sacramenti, pedes lauit. Hinc
vas electionis memoriam mirabilium domini eructare
volens,

volens, qua semetipsum escam dedit timentibus se, ait: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua cōspersio. Vel vt sitis noua & incorrupta & immaculata massa, vel ecclesia. Quemadmodum & esse debetis sine aliquo corruptionis & cuiusuis peccati fermento. Nam pascha nostrū Christus est immolatus in cruce. Itaq; epulari agnum illum necessum est, non in fermento veteri maliciæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Sanguis Christi iam nō sumitur aut bibitur in remissionem peccatorum, sed effusus est in remissionem peccatorum, vt tres euangelistæ. Nempe, Matthæus, Marcus et Lucas dicunt, et tuba euangelij in multis locis adstipulatur, cum omnibus orthodoxis apostolicæ et catholicæ fidei cultoribus. A quorum doctrina nemo pius vel latum digitum deflectit. Pudefiant igitur magistri mendaces, fascinatores populi, cultores peruersorum dogmatum, duces cæci, Satanæ ministri et apostoli, qui in sumptione sanguinis Christi mentiuntur remissionem peccatorum dari. De hoc alibi multis egi. Hic sacerdotes considerare et vigilare oportet, vt sint irreprehensibiles et sine crimine, sobrij, iusti, ornati virtutibus, induti iustitiam et Christū, et sancti in omni sua conuersatione, Quia Deus peccatores non exaudit, nec dona iniquorum probat altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiatur eis. Quæ hîc de dignitate, officio et opere sacerdotali dicenda sunt, alibi vide.

1.Cor.5. Mat. 26. Marc. 14 Luc. 22. 1.Cor. 11. 1.Cor. 11. 1. Tim. 3. Tit. 1. Ioan. 9. Eccl. 14. Esa. 1.

Potestate præditis

¶ Do sanguinē preciosum Iesu Christi, quem in agonia et oratione fudit in horto. Nunc ergo reges intelligite quæ sit voluntas dei bona, bene placens et perfecta, erudimini qui iudicatis terram. Vos debetis viua lex dei esse, et legem dei facere et docere. Vos debetis vosmetipsos subditis vestris exemplum omnium bonorum operum præbere. In fide non ficta, in spe firma, in charitate ordinata. In doctrina sana, in integritate mentis et corporis, in grauitate vitæ et morum. Vt is qui ex aduerso est, vereatur et confundatur, nihil habens malum dicere de vobis. Sic fecit vir secundum cor dei, qui deo teste, fecit omnes voluntates eius, vt testatur de seipso psalmo 100. Dilexit iustitiam et odiuit iniquitatem. Sic Iob vir dolorum et rex potentissimus, quando dominus benedixit operibus manuum eius. Rex

Psal. 2. Rom. 12. Act. 1. Tit. 2. 1. Tim. 3. 1. Pet. 2. 1. Reg 1. Act. 13. Iob 1.

vtiq; simplex & rectus fuit, timens deum & recedens à malo. Verùm quomodo iustitia indutus fuit, declinando à malo & faciendo bonum & omnibus virtutibus adornatus ad honorem dei & vestram ædificationem, ipse deseruit capit. xxix. & xxxj. libri sui. Hęc vtiq; propter vos scripta sunt, vt & vos ita faciatis. Christus agonem sustinuit, vt & vos pro iustitia agonizetis & pro anima vestra vsq; ad mortem certare debetis. Quia si hoc facitis, tunc deus expugnat pro vobis inimicos vestros. Seruator noster tertio pro se orauit & pro discipulis suis, vt & vos sine intermissione orare discatis pro subditis vestris, & ipsos omni qua potestis instantia ad deum orare doceatis, operibus & verbis. Ipse sanguinem sudauit, & vos pro ouibus & fratribus vestris animas ponere debetis. Velut apostolus ait, libentissime omnia vestra impendere. Imò quod amplius est, expendere vestram vitam pro salute & vita spirituali subditorum vestrorum, & sanguinẽ vestrum fundere. Christus in agonia voluntatem suam voluntati patris sui subiecit, erudiens vos, vt & vos similiter faciatis, cum in tentationes varias incidítis. Quando tribulatio & angustiæ veniunt super vos. Quando circundant vos mala quorum non est numerus, & effugium perit à vobis. Nam statim vt eum inuocatis in fide nihil hæsitantes, exaudiuit vos, & adhuc vobis loquentibus, adest. Adstat à dextris vobis, & saluat à persecutoribus animas vestras. Sed angelos suos bonos immittit in circuitu vestro, qui de manibus inimicorum vestrorum, vos potenter eripiunt, & statuũt in loco spacioso pedes vestros. Sic castrametati sunt quondam in circuitu Helisæi. Adfuerunt in lacu leonum Danieli. Eripuerunt Petrum de manu Herodis. Apostolos noctu illæsis claustris eduxerunt de carcere, & Iudam Machabæum victorem per fera hostium castra crebrò adduxerunt illæsum. Verum, si calix iste transire non potest aliquando nisi bibatis illum, propter vestra vel populi peccata, tunc inuocato nomine domini accipite illum. Quia gloria magna est homini, sequi dominum suum & calicem eius bibere. Qui licet amarus sit, est nihilominus salutaris. Quia diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, eo quòd id quod in præsenti momentaneum est & leue tribulationis iustorum, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in eis. Occasionem sufficiat dedisse sapien-

[Margin notes: 1. Cor. 10. — Eccl. 4. — Mat. 26. — Marc. 14. — Luc. 22. — Luc. 12. — 1. Ioan. 3. — 2. Cor. 12. — Mat. 26. — Rom. 2. — Iac. 1. — Esa. 6. — Psal. 108 — Psal. 33. — 4. Reg. 6. — Dan 6. — Act. 12. — Act. 5. — 2. Mat. 1. — Eccl. 23. — Rom. 8. — 2. Cor. 4. — Heb. 12.]

se sapientibus, aperuisse fenestram, præstruxisse viam, & locasse fundamenta.

Virginibus

¶ Do coronam spineam, vel potius sanguinem quem Christus fudit in sua coronatione. Corona reginarum est insigne. Virgines autem regis gloriæ & agni sunt sponsæ. Ergo si vultis coronam regni accipere & iustitiæ, tunc oportet vos bonum certamen legitime certare, in agone contendere, cursum consummare, fidem sponso seruare. Isto sanguine genas vestras cum Agnete sanctissima ornare debetis, & tunc rex decorem vestrum concupiscet. Pingant filiæ huius seculi facies suas stibio, ornent se auro & argento, onerent se margaritis & lapidibus preciosis, induant se purpura & bysso, multiplicent vestes preciosas & mutatorias, & omnes vanitates adhibeant, vt carnalibus placeāt & sint rete diaboli & laqueus mortis. Sola tamen virtus est, quæ sponsam Christi ornat vt placeat coram eo in lumine viuentium. Solus item sanguis Christi, animas à peccatis lauat vt sint super niuem albiores, formosæ valde et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosæ et amabiles. Iuxta illud apostoli. Sanguis Christi qui per spiritumsanctū semetipsum obtulit immaculatum deo, emundat conscientias nostras, ab operibus mortuis ad seruiendū deo viuenti. In sanguine illo stolas vestras lauare et dealbare debetis, vt semper cum sponso vestro in albis ambulare possitis. Et iuste sanguinē Christi per coronam spineam effusum largior virginibus, in quo sumus redēpti de potestate mortis et tenebrarum. Nam si culmen virginitatis et coronā incoinquinatorum certaminum concupiscitis, tunc punctiones carnis, quæ concupiscit aduersus spiritum pacienter sustinere oportet. Et carnem cum viciis et concupiscentiis crucifigere. Nullam curam carnis in desideriis facere, nec cogitationum quæ ad mala propensa sunt ab adolescentia, sed spiritu oportet facta carnis mortificare, corpus castigare et in obedientiam spiritus redigere, membra quę super terram sunt mortificare, quia caro et sanguis regnum dei non possidebunt. Et nihil nequius, quàm quod caro et sanguis excogitant. Igitur si secundum carnem vixeritis moriemini et alius accipiet coronam vestram. Si vero spiritu facta carnis mortificaueritis, si vosmetipsas abnegaueritis et crucem vestram

Apoc. 19. 2. Tim. 2. 1. Cor. 9. 2. Tim. 4. Psal. 44. Apoc. 1. Heb. 9. Apoc. 7. Apoc. 3. Col. 1. Gal. 5. Rom. 13. 1. Cor. 9. Col. 3. 1. Cor. 15. Rom. 8. Luc. 14. Mat. 11. Gal. 6.

2.Cor.4. iuxta illud: Diis non detrahes. Et iterum, Causa ad deos
Exod.20. referatur. Et iterum: Deus stetit in synagoga Deorum,
Psal 81. in medio autem Deos diiudicat. Sic Moses, Deus pha-
Exo.9. raonis fuit constitutus. Et potestas in edificationem vo-
2.Cor.10 bis sit concessa à Deo, ideo nomen nouum assecuti estis
& 13. & gratiosi beneficique vocamini, iuxta gentium morem
Mat. 20. & dominamini eorum. Ideo curæ vobis sit vt opere & ve
Marc.10. ritate sitis quod vocamini. Gratiosi, gratia pleni, venera-
Luca 12. biles, augusti, lumina mūdi, sal terre, vasa electionis & in
Mat.3. honorem, repugata ab omnibus inquinamentis mētis &
Rom.9. corporis sanctificata, vtilia domino, & ad omnia opera
1. Tim.2. bona parata siue instructa. Estote gratiosi omnium ocu-
lis, specula virtutum, viua lex euangelica, forma couer-
sationis angelicę, & cœlestis lucernæ super candelabrum
positæ. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant,
vestra bona opera (quę sunt fructus gratiæ & signa virtu-
tum) vt glorificent ea videntes, patrum vestrum qui est
in cœlis. Gratia pleni estis, si tam sancte, tam iuste, tam
inculpate adestis ouibus vestris, quòd nemo mali quid
loqui potest in veritate de vobis. Imo si qui cum inuidia
tabescente iter haberent, et de vobis tanquam de male-
factoribus detraherent, confundantur bonis operibus
vestris consideratis, et glorificent deum in die visitatio-
nis. ¶ Tunc recta sunt omnia, tunc lætantur cœli et exul-
tat terra, tunc vinea domini germinat iustitiam, et ma-
ter ecclesia gaudens gaudet in domino, et exultat in deo
1.Reg.13 Iesu suo, quando potestate præditi, viri sunt cum Dauid
Act.13. secundum cor dei, et faciunt omnes voluntates eius.
Quando instar Moysi dilecti sunt deo et hominibus, et
Eccl.45. cum Aaron, circumcincti sunt zona iustitiæ, induti sto-
lam gloriæ, et coronati vasis virtutum. Taceo Iosue, Sa-
muel, Nathan, Dauid, Iosaphat, Ezechiam, Iosiam, Mac
habæos et alios dei amicos, gratia plenos, quorum laus
Heb.13. est in sacris literis et in benedictione. Eorum ergo in-
tuimini exitum, et conuersationis fidem imitamini Sic
2.Pet.1. namque certam vocationem vestram et electionem fa-
citis, & abundanter ministrabitur vobis in æternum re-
gnum, et saluatoris nostri Iesu Christi. Econtrario,
quid tam vanum, tam ridiculosum, tam viciosum, tam
turpe, detestabile & damnabile, quam permittere se gra-
tiosum vocari, & esse deo odiosum, virtuosum, & esse vi-
tiosum. Dominum, & esse seruum demonum et pecca-
torum

torum. Esse primum in honore, et postremum in dei cognitione et bonitatis operatione, esse magnum in officio, et minimum in gratia et in regno cœlorum, Nobilem genere, et degenerem vitæ prauitate. Mandare iustitiam, et seminare mala in sulcis iniustitiæ. Velle alios esse bonos, cum ipse in malitia sua præseueret. In aliorum oculis festucam videre et in propris trabem non considerare. Alios pro minimis excessibus sine vlla misericordia cum maxima seueritate punire, & non solum non velle pro maximis scandalis in misericordia à iustis non corripi, & in spiritu lenitatis instrui, sed magis in desideriis pessimis velle laudari, & in iniquitatibus suis & maliciis benedici, & lætificari & beatificari. Ad quod magistros mendaces coaceruant, qui propter fragmen panis & pugillum hordei, placentia loquuntur, oleum eis vendunt, beatificant & decipiunt. Vos ante gratia pleni estote, vt quod vocamini, sitis opere & veritate. Ne habeatis nomen quod sitis gratiosi & viui, & sitis vitiosi maliciosi, iniqui, reprobi & mortui in delictis & peccatis vestris. Sicut ille qui dixit non recte cogitans apud semetipsum, & non solum aliquid, cum nihil esset, sed magnum se esse putauit, semetipsum decipiendo, & cor suum seducendo. Dixit enim insipiens in corde suo: Diues sum, & nullius egeo, Sed falsum suum iudicium, veritas omnia vincens confudit, traduxit & damnauit, dicens: Quid tumet contra Deum spiritus tuus? Cur frustra inflaris? Nam miser es & miserabilis, pauper, cæcus & nudus. ista vero cogitant impii & errant, quia excæcat eos malitia eorum. Verum, non qui seipsum commendat, (vt pharisæus in templo. vt rex Tyri, vt Heliu Busites, frustra sensu carnis suæ inflatus) ille probatus est sed quē Deus cōmendat. Sicut fecit iustum Abel mansuetum Mosen, Iob patientem, Dauid, Ioahannem Baptistam, Nathanael, & patrem fidei nostræ Abraham, vt taceam cæteros. Sic & Paulum vocat vas electionis. At ille gratia Dei id fuit quod fuit, & gratia Dei in eo vacua non fuit sed magis omnibus aliis cum ea & suam & aliorum salutem operatus fuit. Eius imitatores & vos estote, & multiplicem gratiam dei acceptam, sicut boni & fideles dispensatores in alterutrum dispensate. Hec enim faciendo, & vosipsos & eos quibus præestis in domino, saluos facitis.

Eccl. 7. Psal. 140 Gal. 6. Osea 7. Esa. 30. 2. Tim. 4. Hier. 13. Mat. 25. Esa. 3. Gal. 6. Apoc. 13. Iob 13. Sap. 2. 2. Cor. 10. Luca 18. Ezec. 28. 2. Cor. 10 Iob 3. Mat. 3. Act. 9. 1. Cor. 15 1. Pet. 4

Virginibus do.

Dominus tecum. Sponſus amat ſponſam,& nihil eis io-
cundius,deſiderabilius & delectabilius, quàm quòd ha-
bitant in vnum.Chriſtus ſponſus ſanguinum eſt,indutus
veſtimento ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundatus,&
coronam auream habens in capite,expreſſam ſigno ſan-
ctitatis,gloriæ & honoris,opus virtutis & deſiderio ocu-
2.Cor.11 lorum ornatum,& ſponſam habet,de qua Apoſtolus ait:
Deſpondi vos vni viro,virginem caſtam exhibere Chri-
ſto. Iam venerunt nuptiæ agni regis regum, & principis
regum terræ,Et hoc ſupereſt,vt ſpōſa ſe ornet & induat
decorem,vt ſit omnium oculis,inſtar Heſter, gratioſa, &
Heſt.2. amabilis videatur: Verum, nolo in corpore ſe ornare
ſponſas Chriſti,niſi quantum verecundia & honeſtas ex
1.Pet.3. poſcit Nam vertex apoſtolorum,extrinſecas capillaturas
& circundationes auri & argenti,ac cultum veſtimento-
rum,mulieribus interdicit.Similiter tuba euangelij mu-
lieribus tortos crines,aurum,lapides precioſos,margari-
1.Pet.3. tas & veſtes multi precij. Sed per Eſaiam dominus om-
1.Tim.2. nes vanitates, ſuperfluitates, pompas & carnis oblecta-
Eſa.43. menta,aufert à filiabus Hieruſalem. Quapropter, ador-
na thalamum tuum ſponſa Chriſti.Expurga vetus fermē
tum,ſcopa ſpiritum tuum, emunda conſcientiam tuam
ab omni inquinamento carnis & ſpiritus,& ſanctificatio
nem tuam perfice in timore dei.Vt ſis ſancta cum ſancto,
1.Cor.5. lux cum luce,iuſta cum iuſto. Quia nulla eſt participa-
2.Cor.7. tio iuſtitiæ cum iniquitate,nec vlla ſocietas lucis huius
2.Cor.6. veræ ad tenebras. Ipſe non habitat in corpore ſubdito
peccatis, nec ſapientia patris per quam omnia fecit, in
maleuolam animam intrat: Laua igitur per ſingulas
noctes lectum tuum,ſtipa eum malis,fulci eum floribus,
ſterne eum tapetibus pictis de cœlo, adorna eum iconi-
bus omnium electorum, qui deo placuerunt ab initio.
Intexe illud funibus, aſpergere cubile tuum myrrha &
aloe & cinamomo. Parietes illius auleis adorna,in quib.
magnalia dei quæ fecit ab initio opere plumario ſunt
elaborata. Compone lectum tuum,o ſponſa Chriſti, vt
nihil in corde tuo & in corpore tuo indecens maneat et
appareat. Sis mundus per vtriuſque hominis puritatem
Sis altus, per mentis ad cœleſtia eleuationem. Quie-
tus per Chriſti pacem, Mollis per manſuetudinis leni-
tatem, Grandis et latus per dilectionis extenſionem.

Cuſtodi-

Custoditus, per sollicitudinem contra timores nocturnos, Opertus per pallium amoris. Solitarius, quia non habitat iuxta sponsum malignus. Tum quod coangustatum est stratum sponsi huius, alter decidat necesse est. Et pallium breue, vtrunque operire non potest. Quia nemo potest duobus dominis seruire. Et nulla est societas Christi ad Belial, lucis cum tenebris, et iustitiæ cum iniquitate. Dominus vniuersorum, Dominus cœli et terræ, ad te veniet, tecum erit et est, et mansionem apud te faciet, si eum diligis. Vt te sanctificet per omnia, quatenus integrum spiritum tuum et animam et corpus sine querela seruet in aduentum suum. Dominus tecum, o virgo beata et sponsa agni, vt te abluat, sanctificet et iustificet in nomine suo et in spiritusancto. Vt te ornet omnibus virtutibus tanquam varietate vestimentorum. Vt te sibi desponset in fide, diuitem faciat in gratia, vniat et copulet per charitatem quæ est vinculum perfectionis. Vt te fæcundet virtutum prole. Est tecum, vt caput cum membris, vt te viuificet per fidem motúmque tibi tribuat in dilectione. Est tecum sicut sol cum aëre, vt te illuminet. Vt pluuia cum terra, vt te fructificare faciat in omni opere bono. Vt color cum lana, vt te sibi assimilet. Vt tutor cum pupillo, vt te ab omni malo defendat. Proinde, tecum reputa, quàm sancte, iuste et pie et absque omni querela te oporteat esse, cùm non solum angelus tuus bonus tecum est, sed et ipse Dominus angelorum semper tecum sit, et omnes vias tuas, imo, omnes cogitationes, et intentiones cordis tui consideret et scrutetur. Quia omnes viæ tuæ, in conspectu suo sunt. Dominus tecum, hoc est, tota trinitas, Pater, per potentiam, filius per sapientiam, spiritus sanctus per bonitatē, charitatem et gratiam. Pater tibi dabit virtutem et fortitudinē, vt in eo et cum eius ope omnia bona possis, Filius te docebit per suam sapientiam quomodo omnia bona facere debes. Spiritus sanctus, ad quem finem facere ea debes. Nempe ad gloriam Dei. Dominus tecum, in mēte et in corpore. In mente animam tuam renouando de die in diem, et imaginem animæ tuæ reformando ad se. Memoriam tuam, sua præsentia pascendo. Intellectum tuum luce omnis veritatis illustrando, Voluntatem tuam bonitatis, gratiæ et dilectionis suæ dono, rectificando, sanctificando, et perficiendo. Per hæc nam-

Marginal references: *Mat.6.* — *2. Cor.6.* — *Ioan. 14.* — *1. Cor.6.* — *Col.2.* — *Psal. 116* — *Tit.1.* — *Psal. 118* — *1.Cor.10* — *Rom.2.* — *2. Cor.4.*

namque anima, ad imaginem Dei transformatur, à claritate gratiæ, in claritatem gloriæ, tanquam à Domini
2. Cor. 3. spiritu. ¶ Per hoc etiam assequitur, quod ratio appetitui sensitiuo dominatur, nec peccatum regnare permittit in suo mortali corpore, vt obediat concupiscentiis carnis
Gen. 4. suæ. Sed nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato, sed se exhibet deo, tamquam ex mortuis viuens, &
Rom. 6. membra sua, arma iustitiæ deo. Ergo mortificationem Iesu Christi semper in corpore suo circumfert, adeò quòd vita Iesu manifestatur in corpore suo & in carne sua mortali. ¶ Dominus tecũ, qui te facit sponsam amoris, cœlum suæ mansionis, thronum suæ maiestatis, thalamum suæ quietis, templum, sanctuarium, domum suæ
Rom. 13. habitationis, ferculum suæ delationis, propitiatorium &
Gal. 3. oraculum suæ responsionis. Dominus tecum, vt te lu-
Apoc. 12. mine suo sicut vestimento induat, quia lux est. Sol est, vt induat te iustitiam, quia iustus & iustitia. Nec non vt Christum te induat, & solem. Vt sis mulier amicta sole, lunam habens sub pedibus, & in capite coronam ex stellis duodenis.

Viduis, orphanis & desolatis,

1. Cor. 7. ¶ Benedicta tu in mulieribus. Mulier innupta & virgo, cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Et illi vidui & viduæ benedicti sunt inter viros & mulieres, qui post priores nuptias & thalamos, alterius hymineum recusant, & cum turture gemebunda, solitudinis loca amica meroribus querunt. In quibus dum gemitibus
Luc. 2. inenarrabilibus diu noctúq; dominum obtestantur per viscera misericordiæ suæ, ad votum exaudiri merentur, cum Anna Phanuelis, quæ in ieiuniis & orationibus domino in templo suo deseruiuit. Benedictæ sunt viduæ illæ, quæ recusant thorum in delicto, quæ carnem suam cum viciis & concupiscentiis crucifigũt. Nam quę in deliciis viuit, viuens mortua est. Quæ irreprehensibilis est, & in operibus bonis testimonium habet, & omne opus
1. Tim. 5. bonum subsequitur &c. Est autem quadruplex ratio siue modus benedictionis, & illis benedictæ sunt viduæ sanctæ. Nam benedictio significat maledictionis euacuationem, iuxta illud: Benedixisti domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Significat etiam fœcunditatis ampliationem sicut scriptum est: Crescite & multiplicamini. Significat etiam singularis gratiæ collationem: Sic

benedixit

benedixit dominus Abrahæ. Sic etiã benedicit omnibus *Psal.113.*
qui timent dominum, pusillis cum maioribus. Quarta
est cõgratulantium collaudatio. Iuxta illud: Benedictus *Mat. 21.*
qui venit in nomine domini. Benedictionibus istis estis
& vos benedictæ, si veræ viduæ estis. Nam Deus remittit
vobis peccata vestra. Proles vestras propter vos benedicit, & in mille millia crescere facit. Singularem gratiã vobis largitur cum Iudith & Anna Phanuelis. Sed & magnificantur, & memoria earum est cum laude, à generatione in generationem, vt in Iudith & Anna cernere est. Benedictio dei nihil aliud est, quàm gratiæ & donorum suorum cõmunicatio. Dona autem illa in triplici genere sunt, nempe naturæ, gratiæ, & gloriæ. Sunt verè viduæ *Marc.13.*
benedictæ singulariter, in donis naturæ multipliciter, sed differenter. Sicut hîc & in dominis gratiæ, tandem erunt etiam in donis gloriæ, quia ibi fructum sexagesimum accipient. Hic latissimus campus est expatiandi, sed vela *Prou.1.*
contraho, gratia breuitatis. Sufficit aperuisse fenestram, præmonstrasse viam, & sapientibus dedisse occasionem.

Matrimonio iunctis.

¶ Et benedictus fructus ventris tui. Verba Elizabeth sunt, quibus & Mariam & fructum ventris eius Iesum Christum, repleta spiritusancto, quantum potuit, magnificauit. Mariam imitari vos oportet, quę couiugatorum speculum, splendor, honor & gloria est. At illa fuit sine vę culpę, plena gratię & veritatis. Habuit deum pręsentem. Omni honore dignissima & cumulata fuit: ideo fructus ventris eius benedictus fuit. Iuxta communem modum & cursum, ex bonis, sanctis, iustis, & deum timentibus & diligentibus parentibus, bonæ, sanctę, iustę & deo acceptę proles procreantur, iuxta illud euangelij verissimum apopthegma: Arbor bona, fructus bonos facit. Vnaquęq; enim arbor, iuxta genus suũ fructificat. Sic etiam ex malis parẽtibus qui nascuntur, oẽs testes sunt nequitię & malitię aduersus parentes suos in interroga- *Sap.4.*
tione sua. Quia nõ potest arbor mala, fructus bonos face *Mat.7.*
re. Nihilominus vsu venit, atq; id crebrò, quòd bonorum *Gen.9.*
parentũ proles degenerãt. Sic vnus ex iusti Noe filiis, in arcũ prauũ mutatus fuit. Vnus ex Abrahę filiis reproba *Rom.9.*
tus fuit. Vnus ex filiis Isaac elect', alius abiect', & à deo odio habitus fuit &c. Nõ ex parentũ culpa aut negligẽtia, sed ex ꝓpria malitia. Sic ex malis parẽtibus, nõnunq̃

iusti,sancti, & deo acceptissimi sunt per exuberantissimam dei misericordiam & gratiam prognati. Sic Abraham amicus dei,pater fidei nostræ benedictus, quasi rosa de spinis,natus ex parētibus idololatris. Electus Exe-
4.Reg.18 chias de impio Achaz prognatus est. Sanctissimus Iosias,ex pessimo patre Amon genitus est. Sic Hilarion, S. Barbara &c.Quia boni parentes,in filiis suis benedicuntur,laudantur & mortui viuunt. Parentes verò quæ teneantur prolibus suis præstare,vt in eis gaudeat,nempe,bonum exemplum in omnibus operibus bonis,disciplinam,educationem in timore dei sancto,correctionem in excessibus, & præcludendi occasiones peccandi &c. alibi diximus.

¶ *Peccatoribus do*

Matt.1. *Iesum*.Ipse enim saluum facit populum suum à pecca-
Psal.129 tis eorum: Ipse redemit Israel, ex omnibus iniquitati-
Luca 19. bus suis.Ipse venit peccatores saluos facere, misericor-
Eze.18. diam facere,& quærere quod perierat:quia nō vult mor-
1.Tim.1. tem peccatorum,sed vt conuertantur & viuant,ideo expectat,vocat,clamat,nuncios suos mittit,trahit pater,filius pulsat ad ostium cordis,spiritussanctus gratiā offert, occurrit in omni prouidentia, circuit quærēs vt eis prior se ostandat, quia vult omnes homines saluos fieri, & neminem perire. Si quis autem diuitias bonitatis illius, & patientiæ & longanimitatis cōtemnit, quibus ad pœnitentiam vocat,trahit & adducit, & non vult relicta malitia ad deum reuerti,ipse seipsum damnat, & thesaurisat sibi secūdum duritiam suam:& cor impœnitens iram in die iræ,& reuelationis iusti iudicij dei, qui reddit vni-
Rom.2. cuique secundū opera sua &c.Ipse factus est sibi obtemperantibus,voluntatem suam facientibus, & dignos fru-
1. Pet.2. ctus pœnitentiæ causa salutis æternæ. Cæteris nempe operantibus iniquitatem, factus est lapis offensionis & petra scandali, & durus atque inexorabilis iudex & condemnator.

¶ *Pueris,seruis,subditis,do*

Psal. 44. *Christum*,Christus autem vnctus dicitur,quia ipse oleo lætitiæ vnctus est præ participibus suis.Quia accepit spiritum non ad mensuram,plenus namque gratia & veri-
Ioan. 1. tate fuit.Et de plenitudine gratię eius omnes accipimus, qui in ipso sumus,sicut palmites in vite,membra in corpore eius,arbores bonæ,in bona & pingui radice,flores

& lilia in terra fructifera & optima, cuius non deficiunt
aquæ. Gratiam ergo à Christo debetis accipere, sed non *Ioan. 15.*
in vacuum. Nec eam abiicere, nec ei deesse sed cum ea
abundantius aliis laborare, & cum eo salutem vestrã ope *1. Cor. 15*
rari. In gratia proficere, & sapientia coram deo & homi- *Philip. 2.*
bus. Vt sicut in ætate & corporis viribus atque magnitu
dine, sic etiam in gratia dei & virtutibus augescatis de
die in diem. Et hoc ab infantia, sicut Tobias filium suum *Tobiæ 10*
docuit. Vt vita vestra instar lucis splendentis procedat &
crescat vsque ad perfectũ diem gloriæ, vbi nox non est,
sed facie ad faciẽ ibi deus videtur. In tempore se curuat,
quod in vncũ crescere debet. Ideo bonum est viro, quòd *Thr. 3.*
à pueritia & adolescentia portet iugũ domini, quia etiã
cum senuerit non recedet ab eo &c. Hoc dum facitis, &
rem & nomen Christi vere habetis. Et à Christo, boni
Christiani in veritate vocamini. Insuper notandũ, quòd
reges, sacerdotes, prophetæ & bellatores olim vngeban-
tur. Ergo filius Dei Christus vocatur, ex officiis, quia rex *Apoc. 19*
regum, sacerdos secũdum ordinem Melchisedech in æ- *Psal. 109*
ternum, prophea magnus, & fortis ac potens in prælio *Luc. 7.*
fuit. In quo fortem superauit, arma eius diripuit, in qui- *Psal. 23.*
bus fiduciam habuit. Ipsum alligauit, captiuos eripuit, & *Matt. 12*
spolia eius distribuit. Simili modo & vos cõformes ima *Luc. 11.*
ginis suæ faciet, si gratia illius bene vsi fueritis. Nam fa- *Rom. 8.*
ciet vos reges & sacerdotes. Reges, si vos bene regitis se- *Rom. 12.*
cundum volũtatẽ & verbum eius. Sacerdotes, vt corpus
vestrum & animam vestram illi offeratis, vitulos item la-
biorum, & incensum orationum. Faciet vos prophetas &
syncere scripturas interpretari. Demum & milites suos *2. Tim. 2*
bonum certamen legitime certantes, in agone conten- *1. Cor. 9.*
dentes vos faciet, vt incorruptam iustitiæ coronam acci
piatis. Proinde viriliter agite, & confortetur cor vestrũ,
& sustinete dominum & sustentationes eius. *Psal. 29.*

¶ *Religiosis do*

Amen. Quod est fideliter, siue fiat, fiat. Et est veritatis
confirmatio & iuramentum. Nam ipsi domino reddere
debent vota sua quæ distinxerunt labia eorum. Ipse in
timore dei fidelibus agere debẽt & cörde perfecto. De-
bent esse fideles vsque ad mortem, & tũc fidelis, & verus
dabit illis coronam vitæ, & super omnia bona sua consti-
tuet eos. Solummon hoc eis curæ sit vt gratiæ dei sint
fideles dispensatores & serui illius boni concordes vita

Luc. 12. illorum cum nomine, professio sentiatur in opere. Fiat,
operè præstent & veritate, quæcunque domino promi-
1. Cor. 4 serunt. Quia ruina est homini deuorare sanctos, & post
Eccle. 5. vota retractare. Nam damnationem sibi acquirunt, eo
1. Tim. 5. quod primam fidem irritam fecerunt.

DE PRECIOSO SANGVINE CHRISTI IESV PRO NOBIS effusi, Sermo in die Circuncisionis Domini.

1. Ioan. 1. *Si in luce ambulamus, sicut & Deus est in luce, societatem habemus ad inuicem, & sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato,*
Apoc. 1. Et rursus: Christus Iesus dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo,
Col. 2. Quando pro nobis æterno patri Adæ debitum soluit, &
veteris piaculi cautionem siue chirographum mortis,
quod erat contrarium nobis, pio cruore detersit, deleuit
& cruci affixit. Vbi & mortem destruxit, & eum qui mor-
2. Tim. 1. tis habuit imperium, nempe principem & Deum huius
Heb. 2. mundi, atque rectorem tenebrarum harum expoliauit,
Eph. 14. eiecit foras, ligauit & traduxit confidenter, palam trium-
Eph. 2. 6. phans eum in seipso. Hinc rursus tuba euangelij into-
Col. 2. nat quasi classicum quid & epinicion dicẽs: Pater mise-
2. Cor. 1. ricordiarum & Deus omnis consolationis, in sanguine
noui & æterni testamenti Iesu Christi, eripuit nos de
Col. 1. potestate tenebrarum & trãstulit in regnum filij sui di-
Luc. 1. lectissimi in quo habemus redemptionẽ de manu om-
nium qui oderunt nos, & remissionem peccatorum ex
Psal. 129 omnibus iniquitatibus nostris. Proinde gratias deo aga
1. Cor. 9. mus (dignum & iustum est) semper pro inenarrabili do-
no eius. Nã deus pater volens ostendere in seculis super-
Ephe. 2. uenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate
Rom. 8. super nos, proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis
Esai 53. omnibus tradidit illum in mortem turpissimam crucis,
Psal. 68. & posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Christus
vero, langores nostros ipse portauit. Ibi quæ non rapuit
Gala. 3. exoluit, factus pro nobis maledictum & peccatum. Vt à
maledictione liberatos, omni benedictione cœlesti nos
benediceret, Vt item de peccato peccatum damnaret, &
1. Pet. 1. efficeremur iustitia dei in ipso. Non sumus ergo de vana
conuer

cõuersatione nostra paternæ traditionis,corruptibilibus auro vel argento redempti, sed precioso sanguine agni dei,qui tulit peccata mũdi. Agni inquã immaculati,quia peccatũ non facit,cum esset innocens manibus & mundo corde,& incõtaminati, adeo quod princeps mũdi nihil in eo habuit. ¶ Sed cũ illo pater omnia nobis donauit,& diuinæ virtutis suæ charismata preciosa,quę ad vitã deo & euangelio gratiæ eius dignam & pietatem nobis necessaria sunt, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur,& fugimus eã quæ in mundo est concupiscentię corruptionem.Has autẽ diuitias multiformis gratiæ suę, Christus sicut bonus & fidelis dispensator,hodie distribuere cœpit. Quãdo sanguinem suum preciosum effundere dignatus est.Hinc & ego dignum duxi, eundẽ preciosum sanguinem vobis dare pro strena siue pro nouo anno(vt dicere solemus).Verũ,sicut paruulus noster nobis datus à Deo & nobis natus ex virgine in temporis plenitudine sępe sanguinem suum fudit,sic thesaurũ hũc cœlestem,per status diuersos,gradus,officia, ministeria & operationes distribuere volo, vt vnicuique melius congruere videro,singulis iuxta vocationem vniuscuiusque in qua vocauit & posuit eum deus. Quia sicut in vno corpore multa membra habemus,& vnumquodque membrum suum proprium officium, actum & ministerium habet ad vtilitatem,consolationem, defensionem, conseruationem, fomentum, augmentum & nutrimentum omnium membrorum & totius corporis, sic multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et habemus donationes, officia & ministeria, secundum gratias dei quæ dantur nobis differentes, iuxta vniuscuiusque virtutem. Crebrò igitur seruator noster sanguinem suum dedit & effudit. Dedit eum in cœna nouissima in sacramentum suæ amarissimæ passionis,suæ æternæ dilectionis, &(quam per spem expectamus) æternæ vitæ & beatificationis. Dedit sanguinem suum in confirmationem, stabilitionẽ & roborationem,noui & æterni sui testamenti. Quia sicut primum testamentum confirmatum est sanguine vitulorũ & hircorũ,sic nouũ testamẽtũ (quod est euangeliũ æternũ, gratiæ & gloriæ dei quod Christus Iesus filius dei viui aperiendo os suum nos docuit) precioso sanguine suo Christus dedicauit, firmauit & roborauit.

Ioan. 1. *Esai. 53.* *Ioan. 14.* *Rom. 8.* *2. Pet. 1.* *Esai. 9.* *Gala. 4.* *1. Cor. 7.* *Rom. 12.* *1. Cor. 12* *Ephe. 4.* *Mat. 25.* *Exod. 14* *Heb. 9.* *Hier. 31.* *Heb. 8.*

Psal.109 Effudit insuper sanguinem suum sacerdos in æternum
Heb.7. secundum ordinē Melchisedech,vindicator noster et me
diator piissimus in remissionē peccatorum nostrorū,vi-
cibus multis.Nempe, vt principaliores modos tangā. In

Circuncisione		supbiā		initium
Sudatione		inuidiā	In re	desiderium
Flagellatione		iram	dēpti	meritum
Coronatione	con-	accediā	onis	triumphum
Exuitione	tra	auaritiā	no-	signum
Cruci affixione		gulam	stræ	precium
Lateris apertione		luxuriā		sacramētū.

¶ *Sacerdotibus.*

Ioan.13. Do sanguinem Christi Iesu eo modo, quo ab eo da-
tus est suis apostolis in cœna nouissima, quando per
mortem suam ex hoc mundo exiuit ad patrem. Nam
tunc sacrificium istud instituit,& eius officium commisit
solis presbyteris, quibus sic congruit vt sumant illud &
Luc.21. dent cæteris,quando Luca referente eis dixit:Hoc faci-
1.Cor.10 te in meam commemorationem. Hic est calix salutaris
& benedictionis,quem vos soli benedicere & consecrare
potestis, vt sit participatio sanguinis Iesu Christi. Ne
autem panem istum viuum qui de cœlo descendit & di-
gne acceptus dat vitam eis qui de eo participant, & bi-
batis calicem Domini indigne, & rei fiatis corporis &
Matt.7. sanguinis domini, & iudicium vobis manducetis aut bi-
batis.Ne item hunc panem filiorum dei mittatis, vt de-
tis sanctum hoc canibus, vel margaritas has cœlestes
proiiciatis ante porcos qui eas conculcent, quod foret
2.Cor.7. impietas maxima.Ideo priusquam munia hæc angelica
obitis,ab omni inquinamēto carnis & spiritus vos emū-
dare debetis,& sanctificationem vestram perficere in ti-
Leui.17. more dei.Vt sancti & mundi sitis, sicut deus sanctus est,
1.Pet.1. & hæc augustissima mysteria munda sunt quæ tractatis.
Sic apostolos mundos esse dixit, quamuis non omnes
priusquā eis corpus suum in cibum & sanguinem suum
Ioan.11. eis in potum dedit.Nam Iudas proditor,solus immūdus
inter istos filios Dei vt alter Satanas erat.Ideo illi sacra
hæc mysteria ad augmentum salutis acceperunt,hic ve-
rò ad cumulum suæ damnationis. Hinc etiam apostolis
ante huius institutionem sacramenti, pedes lauit. Hinc
vas electionis memoriam mirabilium domini eructare
volens,

volens,qua semetipsum escam dedit timentibus se, ait: Expurgate vetus fermentum,vt sitis noua cõspersio. Vel vt sitis noua & incorrupta & immaculata massa, vel ecclesia. Quemadmodum & esse debetis sine aliquo corruptionis & cuiusuis peccati fermento. Nam pascha nostrũ Christus est immolatus in cruce. Itaq; epulari agnum illum necessum est, non in fermento veteri maliciæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Sanguis Christi iam nõ sumitur aut bibitur in remissionem peccatorum, sed effusus est in remissionem peccatorum, vt tres euangelistæ. Nempe, Matthæus, Marcus et Lucas dicunt, et tuba euangelij in multis locis adstipulatur, cum omnibus orthodoxis apostolicæ et catholicæ fidei cultoribus. A quorum doctrina nemo pius vel latum digitum deflectit. Pudefiant igitur magistri mendaces, fascinatores populi, cultores peruersorum dogmatum, duces cæci, Satanæ ministri et apostoli, qui in sumptione sanguinis Christi mentiuntur remissionem peccatorum dari. De hoc alibi multis egi. Hic sacerdotes considerare et vigilare oportet, vt sint irreprehensibiles et sine crimine, sobrij, iusti, ornati virtutibus, induti iustitiam et Christũ, et sancti in omni sua conuersatione, Quia Deus peccatores non exaudit, nec dona iniquorum probat altissimus, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiatur eis. Quæ hic de dignitate, officio et opere sacerdotali dicenda sunt, alibi vide.

1.Cor.5. *Mat. 26.* *Marc. 14* *Luc. 22.* *1.Cor. 11.* *1.Cor. 11.* *1. Tim. 3.* *Tit. 1.* *Ioan. 9.* *Eccl. 14.* *Esa. 1.*

Potestate præditis

¶ Do sanguinẽ preciosum Iesu Christi, quem in agonia et oratione fudit in horto. Nunc ergo reges intelligite quæ sit voluntas dei bona, bene placens et perfecta, erudimini qui iudicatis terram. Vos debetis viua lex dei esse, et legem dei facere et docere. Vos debetis vosmetipsos subditis vestris exemplum omnium bonorum operum præbere. In fide non ficta, in spe firma, in charitate ordinata. In doctrina sana, in integritate mentis et corporis, in grauitate vitæ et morum. Vt is qui ex aduerso est, vereatur et confundatur, nihil habens malum dicere de vobis. Sic fecit vir secundum cor dei, qui deo teste, fecit omnes voluntates eius, vt testatur de seipso psalmo 100. Dilexit iustitiam et odiuit iniquitatem. Sic Iob vir dolorum et rex potentissimus, quando dominus benedixit operibus manuum eius. Rex

Psal. 2. *Rom. 12.* *Act. 1.* *Tit. 2.* *1. Tim. 3.* *1. Pet. 2.* *1. Reg. 1.* *Act. 13.* *Iob 1.*

se sapientibus, aperuisse fenestram, præstruxisse viam, & locasse fundamenta.

Virginibus

¶ Do coronam spineam, vel potius sanguinem quem Christus fudit in sua coronatione. Corona reginarum est insigne. Virgines autem regis gloriæ & agni sunt sponsæ. Ergo si vultis coronam regni accipere & iustitiæ, tunc *Apoc.19.* oportet vos bonum certamen legitime certare, in agone *2.Tim.2.* contendere, cursum consummare, fidem sponso seruare. *1.Cor.9.* Isto sanguine genas vestras cum Agnete sanctissima ornare *2.Tim.4.* debetis, & tunc rex decorem vestrum concupiscet. Pingant filiæ huius seculi facies suas stibio, ornent se au*Psal.44.*ro & argento, onerent se margaritis & lapidibus preciosis, induant se purpura & bysso, multiplicent vestes preciosas & mutatorias, & omnes vanitates adhibeant, vt carnalibus placeāt & sint rete diaboli & laqueus mortis. Sola tamen virtus est, quæ sponsam Christi ornat vt placeat coram eo in lumine viuentium. Solus item san- *Apoc.1.* guis Christi, animas à peccatis lauat vt sint super niuem albiores, formosæ valde et incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosæ et amabiles. Iuxta illud apostoli. *Heb.9.* Sanguis Christi qui per spiritumsanctū semetipsum obtulit immaculatum deo, emundat conscientias nostras, ab operibus mortuis ad seruiendū deo viuenti. In sangui *Apoc.7.* ne illo stolas vestras lauare et dealbare debetis, vt sem- *Apoc.3.* per cum sponso vestro in albis ambulare possitis. Et iuste sanguinē Christi per coronam spineam effusum largior virginibus, in quo sumus redēpti de potestate mortis et tenebrarum. Nam si culmen virginitatis et coronā *Col.1.* incoinquinatorum certaminum concupiscitis, tunc punctiones carnis, quæ concupiscit aduersus spiritum pacienter sustinere oportet. Et carnem cum viciis et concupiscentiis crucifigere. Nullam curam carnis in deside- *Gal.5.* riis facere, nec cogitationum quæ ad mala propensa sunt ab adolescentia, sed spiritu oportet facta carnis mortifi- *Rom.13.* care, corpus castigare et in obedientiam spiritus redige- *1.Cor.9.* re, membra quę super terram sunt mortificare, quia ca- *Col.3.* ro et sanguis regnum dei non possidebunt. Et nihil ne- *1.Cor.15.* quius, quàm quod caro et sanguis excogitant. Igitur si *Rom.8.* secundum carnem vixeritis moriemini et alius accipiet *Luc.14.* coronam vestram. Si vero spiritu facta carnis mortifica- *Mat.11.* ueritis, si vosmetipsas abnegaueritis et crucem vestram *Gal.6.*

quotidie post Christum baiulaueritis, si vim vobis feceritis, si in spiritu seminaueritis, si vosmetipsos odio habueritis, si Christum imitati fueritis, quocunq; ierit, si ei compassi cōmortuique fueritis, & socij passionum eius, tunc etiam cum illo conglorificabimini & conuiuetis, & socij consolationum eius eritis. Si suffertis tentationes, tunc etiam postquā probati fueritis, sicut aurum in fornace, & expurgati sicut ferrum sub lima, triticum sub flagello, & vinum in torculari, accipietis coronam vitæ & gloriæ, quā deus diligentib. se præparauit, & eis qui in bonitate permanēt vsq; in finē, largitur. Ergo viriliter agite, confortate corda vestra in domino, & in potentia virtutis illius, & dominum sustinete, quia dominus prope est.

Mat. 8. *Rom. 8.* *2. Cor. 1.* *Sap. 3.* *Philip. 4.*

Viduis, orphanis & desolatis

¶ Do Christum & eius preciosum sanguinem quem in gemina exuitione effudit in remissionem peccatorum totius mundi. Christus namq; tertiò exutus & nudatus fuit in sua benedicta passione: Nempe, in domo Pilati ante flagellationem. Altera vice, cum exutus fuit purpura & vestimentis propriis indutus adiudicatus morti, & educendus ad crucifigendum. Tertiò quando cruci eum affigere voluerunt nudum ad cumulum suæ confusionis & pœnæ. In prima exuitione sanguinem nullum effudit, sed in secunda & tertia. Qui aures audiendi habet, audiat calamitates viduarum, orphanorum & desolatorum quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentum, nec nō violentias quæ inferuntur eis, & neminem consolatorem. Nec posse violentiæ, oppressioni, iniustitiæ & direptionibus eorum resistere, cunctorum auxilio, præsidio & consolatione destitutos. Intuemini ergo, quomodo dominus vniuersorum, rex vniuersæ terræ, & ipse verus hæres, derelinquitur in sua passione, nemo verbum pro illo loquitur. Nullus eum vel defendit, vel excusat, vel eruit de morte. Ibi omnia eius beneficia & opera magnifica quæ fecerat, obliuioni data sunt. Sed & ipse obliuioni datur tanquam mortuus à corde. Sed & amici eius & proximi eius aduersus eum appropinquauerunt & steterunt. Et qui prius (cum esset in honore, & pertransiuit omnibus benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo) iuxta illum erant, tunc longe steterunt, fugerunt, negabant eum se vnquam nouisse, & reliquerunt eum solum. Aspicite nunc in auctorem fidei & consummato

Marc. 15. *Eccl. 4.* *Psal. 30.* *Psal. 37.* *Act. 10.*

matorem Iesum. & vos eadem cogitatione armate. Et cum similia patimini,& consolamini inuicem verbis istis & bibite calicem eius cum patientia,si non potestis eum bibere cum lætitia & in tribulationibus gloriari, aut vobis Apostolico more complacere in eis. Reuera, panis vester, hæreditas vestra & bona vestra vobis relicta, vita vestra sunt. Qui hæc aufert à vobis, vir sanguinis est. Qui aufert in sudore panem vestrum & quæ vestra sunt, homicida vester est. In exuitione gemina non solum filij diaboli Christi sanguinem fuderunt, & vestimentis eum spoliauerunt, sed & maximum ei dolorem intulerunt, eo quod adglutinatas & adhærentes carni vestes cum carne detraxerunt. Sic et vos sicut agni obmutescere debetis coram tondente, quando bona externa, quæ sunt quasi vestimenta vestra vobis tolluntur, et in dolore sustinere, et in humilitate vestra patientiam habere oportet, et in patientia vestra possidere animas vestras. Nec mirari debetis de tribulationis et persecutionis igne qui ad tentationem vobis fit et probationem quasi noui aliquid et insoliti vobis contingat. Neque conturbari debetis, dum super vestes vestras et possessiones mittuntur sortes, diuiduntur à diripientibus, omne malum mendaciter dicitur de vobis, deridemini à videntibus et vos obloquuntur qui sedent in porta. Vel dum in vos psallunt qui bibunt vinum. Sed tunc communicate Christi passionibus gaudentes quod merces vestra copiosa est in cælis. Sic olim hæbræi fideles et Tessalonicenses, rapinam bonorum suorum cum gaudio sustinuerunt, cognoscentes se habere meliorem et permanentem substantiam in regno patris eorum, quam nemo tollere potest ab eis. Et hanc per patientiam expectare debetis et vos, et non fatigari animis vestris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinis effusionem restitistis malo et aduersus peccatum repugnantes, Hic alas extendere facillimum est, ideo hic sermo claudendus.

Heb. 12. 1. Pet. 4. 1. Thes. 4. Rom. 5. Eccl. 37. Eccl. 2. Mat. 10. Luca 12. 1. Pet. 4. Mat. 5. 1. Pet. 4. Heb. 10. 1. Thes. 2. Heb. 12.

Matrimonio iunctis.

¶ Sicut omnes ex legitimo thoro prognati sumus, et matrimonialis status quo ad personarum respectum et numerum ordo est maximus(. Nam status vidualis et virginalis in se sunt matrimonio excellentiores) sic etiã prædicator operam dare debet, vt pulcherriman strenam et doctrinam det coniugatis. Maximè quæ eos oblectet doceátque,

doceátque, & quam nunquam possunt obliuisci. Ideo matrimonio iunctis ex precioso thesauro Iesu Christi, sanguinem do & aquam, qui effluxerunt de corde & la-
Lucæ 22. tere Christi, postquam Longinus latus eius aperuit cũ
Abac.3. lancea sua. Leuate nunc capita vestra, gaudentes gaudete in domino, & exultate in deo Iesu vestro, qui tali vos apophoreto dignatus est in die desponsationis suæ. Vere sponsus sanguinum Christus nobis est. Erigite corda vestra ad coruscantem atque exuberantem gratiam dei,
Rom.5. videte primum Adam & nouissimum. Ille nos damnauit,
1.Cor.55. hic nos saluauit, Ille per suam inobedientiam peccatores constituit multos, hic per suam obedientiam iustos constituit multos. Ex illius latere dormientis facta est Eua, ex huius latere dormientis in cruce, facta est spon-
Gen.2. sa sua ecclesia. Vnde ait Apostolus: Viri, diligite vxores
Ioan. 19. vestras sicut & Christus dilexit (quæ vxor illius est) ec-
Ephes.5. clesiam. Et seipsum tradidit pro ea in mortem, vt illam
Apoc.19. sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, Vt exhiberet ipsi sibi gloriosam sponsam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Hæc verba in corde vestro vobis-
2. Pet.3. cum expendite vos coniugati. & quales vos esse oporte-
Heb.12. at in sanctis conuersationibus & pietatibus, apud vos re-
1.Tes.5. putate. Honorabile seruate coniugium vestrum, & thorum immaculatum. Possidete vasa vestra in sanctificatione & honore, non in passionibus desiderij carnalis, sicut gentes faciunt quæ ignorant deum. Hinc apostolorum
2.Pet.3. vertex ait: Viri, cohabitate secundum scientiam salutis & sanctorum, quasi infirmioribus vasculis, mulieribus, impartiendo eis honorem tanquam cohæredibus gratiæ
Prou. 10. dei, quæ est vita æterna. Verum cùm nonnunquam i-
Iob 41. gnis concupiscentiæ, qui nunquam dicit, Sufficit, in corde vestro exardescit (sicut etiam in corde Dauid diaboli opera) cuius flatus siue halitus etiam prunas ardere facit (ignis ille accensus fuit) tũc nolite locum dare diabo-
1.Pet.5. lo, sed fortiter in fide ei resistite, & fugiet à vobis instar
Gen.39. casti Ioseph & pudicę Susannę, in clypeo fidei, omnia te
Dan.13. la eius ignea extinguite. Ad hoc vobis do aquam viuã
Ephes.6. gratiæ dei, quæ ex latere Christi profluxit. Nihil enim tam efficax ad incendium ignis illius concupiscentiæ carnalis, qui ardet vsque ad inferni nouissima, extinguendũ, quàm est aqua ista viua gratiæ dei, quæ ex latere Chri-

sti

ſti manauit. Et in eis qui ea rite vtuntur, fons viuus efficitur, ſaliens in vitam æternam. Hic eſt vſus aquæ lateris *Ioan. 4.*
Chriſti. Sanguinem verò cordis Ieſu, vobis do, quia in *& 7.*
ſanguine eſt vita hominis & omnis virtus eius & operatio. Cor vero eſt ſedes dei (iuxta illud : Fili præbe mihi *Leuit. 17.*
cor tuum) & principium amoris. Ideo ſit amor veſter talis, vt in eo viuatis innocue, & ad vitam perueniatis æternam. Nam operantes iniquitatem, ſecundum ſeculū mūdi huius & ſecundum principem poteſtatis aëris huius *Prou. 13.* *Ephef. 5.*
ambulantes in deſideriis carnis, faciendo voluntatem & inclinationem carnis & cogitationum, ſiue in ſuperbia aut inuidia aut cæteris peccatis mortalibus obnoxij, nō *Gal. 3.*
viunnt in Chriſto, non viuūt deo in fide filij dei, ſed mortui ſunt in delictis & peccatis ſuis grauant & polluunt *Hier. 3.*
terram. Ex ſanguine cordis Chriſti & eius gratia & merito, adornare & regere debetis vitam veſtram. Ex illo ſit virtus & omnis fortitudo veſtra. Ex illo ſanctificare debetis omnem vitam veſtram & operationem, Hoc enim *2. Pet. 1.*
faciendo, non peccabitis aliquando, ſed ſancte, iuſte & ſi- *1. Theſ. 2*
ne querela adeſtis omnibus & digne deo & euangelio e- *Ephef. 4.*
ius conuerſamini, prouidentes bona non ſolum coram *Rom. 8.*
deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Hæc facien- *Ioan. 4.*
do, in charitate vera ſtatis, & deus charitas in vobis ma- *Ioan. 14.*
net & vos in illo Ad vos venit & manſionem apud vos facit, atque omnibus operibus veſtris benedicit benedictionibus cœleſtibus, Omnia vobis facit cooperari in *Rom. 8.*
bonum, & facit quod omnia quæ facitis proſperantur. Et *Pſal. 1.*
facit, vt amor veſter, pax & concordia magis augeatur. *Pſal. 67.*
Sic quod vnanimes habitetis in domo, et ſit vobis cor v- *Act. 4.*
num et anima vna. Sic Chriſtus per ſanguinem ſuæ crucis et ſui cordis omnia reconciliauit et pacificauit atque *Ephef. 2.*
reconciliat et pacificat adhuc omnia quæ ſunt in cœlis et in terris

Pueris ſeruis, ſubditis

¶Iſtis do roſeum ſanguinem quē ſeruator noſter in ſua infantia effudit, in circuncifione. Nam tunc factus eſt ſub lege, et legem circuncifionis quamuis cum maximo do- *Gal. 4.*
lore et cruciatu impleuit in forma ſerui quam aſſumpſit. *Phil. 2.*
Ecce, infans legem implet, ſic et vos iugum domini ab adoleſcentia veſtra portare eius exemplo debetis et quā- *Tren. 3.*
tum poſſibile eſt, cuſtodire vias duras. Sic Tobias vir dilectus deo et hominibus cuius memoria in benedictio- *Tob. 2.*
ne

ne est, filium suum ab infantia deum timere docuit, & ambulare in lege domini, & abstinere ab omni peccato. Sic fecit Iosias, sic fecit Ioannes Baptista, maximus inter
Iob 1. natos mulierum. Sic innocue vixit Iob, ille virtutum decus & speculum, quod non repræhendit eum cor eius in omni vita sua. Nec Tobias timorem Dei & viam dei ver
Tob. 1. bis docuit solummodo, sed facere cœpit & docere: quia cum esset iunior omnium in tribu sua, nihil tamen puerile gessit in opere. Et cum omnes vitulos aureos adorarent, hic solus fugit consortia eorum, & opera impiæ execrabatur, & ad Hierusalē cum periculo capitis sui & vitę perrexit, ibique omnia quę deus præcepit, etiā puerulus, obseruabat & impleuit, quia adolescens (iuxta cō mune adagium) iuxta viam suam, etiam cum senuerit,
Flaccus. non recedit ab ea. Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu. Taceo hic sanctum Nicolanm episcopum. Taceo sanctum Benedictum, virum virtutis. Taceo
Gen. 25. sanctum Dominicum, hominē Dei. Taceo Isaac, qui simplex fuit, & in tabernaculis habitauit. Habetis ergo in circuncisione Christi exemplum charitatis, ex qua sanguinem suum fudit, Vt & vos ambuletis in dilectione. Habetis in ea formam obedientiæ & obseruationis legis diuinæ. Ite ergo & facite vos similiter. Obedite parentibus vestris in omnibus in domino. Hoc enim iustum est & placitum Deo. Sed & serui & vos subditi, obedite per omnia dominis carnalibus. Non solum bonis, iustis, piis & modestis, sed etiam discolis, duris & reprobis. Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis vestri vt serui Christi, faciendo volunta-
1. Pet. 2. tem dei ex animo. Verum sic debetis seruire hominibus vt nihilominus nihil agatis contra deum & iustissimas leges illius. Ille enim dominus dominantium, & rex est vniuersæ terræ. Ideo si parentes & domini carnales aliquid contra voluntatem patris qui in cœlis est præcipi-
Act. 4. unt, tunc deo magis est obediendum quàm hominibus. Ibi inobedientia ad parentes & potestate præditos, est
Deut. 33. pietas in Deum. Qui in casu isto parentibus, fratribus & potestate præditis, dicunt. nescio vos, & nesciunt filios suos, Vel, vt Christi verbis vtar, qui hoc modo odiunt pa-
Luce 14. trem & matrem, fratres & sorores & vxores & amicos
Ioan. 12. suos, hi custodiunt eloquium Dei, & pactum illius ser-
Mat. 10. uant, & animas suas custodiunt in vitam æternam. Insuper

super, vt iustificati estis in sanguine Christi, sic etiam acceptam gratiam in baptismo custodire debetis. Et in gratia & sapientia & ætate immaculata proficere semper coram Deo & hominibus. Sic & puer Samuel proficiebat crescebátque instar lucis splendentis, eundo de virtute in virtutem, adeo quod profectus eius manifestus erat omnibus. Et placebat in bono, tam Deo quàm hominibus. Quod vt absoluere possitis, tunc vosmetipsos spiritualiter circuncidere oportet. Non in carne, quia tunc Christus nihil vobis prodesset, sed in spiritu, omnes malas inclinationes, omnes prauas concupiscentias (& vt laconismo vtar) omnia quæ deus odit & prohibet mala, abdicando, excludendo, fugiendo & abhorrendo. Huius circuncisionis laus non est ex hominibus, sed ex deo. De hac Apostolus ait: Circuncisi estis in christo, per eius euangelium, non circuncisione manifesta, in expoliatione corporis carnis, sed circuncisione Christi, quæ consistit in præcisione viciorum, & concupiscentiæ continentia. Circuncidite ergo corda vestra, à prauis desideriis & & cogitationibus malis, quæ cor coinquinant, & ab omni malitia & nequitia. Carnem à fœdis oblectationibus spurcísque concupiscentiis. Oculos à vagis impudicísque aspectibus. Aures à pruritu suo. Os à noxio gustu. Linguam ab omni verbo malo. Manus ab omni tactu illicito & violētia. Pedes ab omni via mala &c. prohibete.

1. Reg. 2. Rom. 14. Gal. 5. Rom. 2. Col. 2. Rom. 2. Col. 2. Mat. 15. Psal. 118

Peccatoribus pœnitentibus

¶Do sanguinem Iesu Christi, quem effudit in flagellatione. Sunt quidem multa flagella peccatorum, quibus à domino corripiuntur, ne cum hoc mundo damnentur. Sic flagellat omnem filium quem recipit, & castigat quos diligit iuxta illud: Multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij & amoris diuini, inditium est. Hinc Tobias senior dixit ad deum: Tu flagellas & saluas. Et dominus in Apocalypsi: Ego quos amo arguo verbis, & castigo flagellis. Sic mortificat carnem, & viuificat spiritum, deducit per comminationes duras peruaricatores ad inferos, & reducit resipiscentes à diaboli laqueis & dignos fructus penitentiæ facientes, promittendo eis vitam æternam, cum relicta malitia ad ipsum in toto corde reuertuntur. Dominus pauperem spiritu facit & ditat in fide, in gratia, in meritis

Psal. 31. Heb. 12. Prou. 3. 2. Mac 6. Tob. 13. Apoc. 3. 1. Reg. 2. Sap. 12.

&

Mat.5. & opibus supernis,humiliat in sua superbia gradientes,
Dan. 4. et subleuat sub potenti manu eius se humiliantes.Hinc
Deut.32. rursus ait:Ego occidā impium, et viuere faciam iustum,
Act.9. conuersum percutiam, sicut Paulum prostrauit in terrā,
et ego sanabo omnes contritiones eorum et infirmita-
Esa.3. tes.Sic ipse attritus est propter peccata nostra,et vulne-
ratus propter iniquitatęs nostras.Disciplina pacis nostrę
Luca.15. super eum venit,et liuore eius sanati sumus. Verum,si
ille pro aliorum peccatis tanta pertulit, qui peccatum
Psal.118. non fecit,multo magis peccator qui in cœlum et coram
eo peccauit,qui inique egit vsquequaque,et supra modū
peccans peccauit in omnem iustitiam dei,flagellare de
Psal.72. bet seipsum tota die, et castigare se in matutinis. custo-
dire vias duras, pœnitentiam agere in cinere et cilicio,
Deut.25. et pro mensura delictorum assumere plagarum modum.
Apoc.18. Et quantum se glorificauit et in deliciis fuit, tantum sibi
Iona 2. imponere cruciatum et pœnitentiæ rigorem.Sic Niniui-
tę fecerunt, et bonis operibus suis deum demeruerunt,
ac iram dei in misericordiam conuerterunt. Sic Dauid
in corde contrito et humiliato ad deum cum peccato-
Psal.50. rum confessione clamans,deum placauit.Adeò quòd an
2.Reg.24 gelo percutienti populum dixit: Sufficit,mitte gladium
tuum in locum suum,et contine manum ab extermina-
2.Pa.vlt. tione.Sic Manasses omnium pessimus, dum vere pœni-
3.Reg.21 tuit, et Achab impius, venditus sub peccato, vt faceret
Luc.23. malum,dum se humiliauit,et latro in Christi latere pen
dens dum peccata sua confessus fuit et veniam petiit,
pro diuina clementia et misericordia exauditi sunt ad sa
Luc.9. lutem. Quamuis Achaz scelestus retro aspiciens, & ad
1.Pet. 2. vomitum rediens, indignum se fecerit vita æterna. Hinc
Hier. 18. dominus ait:Si pœnitentiam egerit gens peccatrix à ma
lo suo,quod locutus sum aduersus eam, & ego pœniten
tiam agam super malo quod cogitaui vt facerem ei. Et
subito de gente & de regno vt ædificem & plantem il-
lud,vt habes de Dauid,de Achab, de Niniuitis & Nabu-
Hier. 11. chodonosor. Hinc rursus ait Hieremias: Castigasti me
domine & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.
Postquam conuertisti me,egi pœnitentiam,& postquam
ostendisti mihi,percussi femur meum.Et hæc pœnitētia,
mortificatio,castigatio corporis,crucis baiulatio, necessa
Luc. 13. ria est peccatoribus.Quia nisi pœnitentiam egerint,car-
nem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerint,
omnes

omnes simul peribunt. Vela contraho. *Luc. 13.*

Religiosis personis

¶ Do crucem Christi & sanguinem quem effudit in crucis affixione. Illi in sola cruce debẽt gloriari, Christo *Gal. 6.* cruci configi, vt viuant, iam non illi, sed viuat in eis Chri *Gal. 2.* stus. Illi seipsos debent abnegare, Christum sequi, & quo *Luc. 14.* tidie crucem suam portare post eum. Illi tribus clauis debent cruci suæ esse affixi: Nempe, claue obedientiæ, contra superbiam per pedes. Claue castitatis per manum dextram, contra carnis spurcicias & luxurias. Claue paupertatis per sinistram, contra diuitias, proprietates & possessiones. In cruce illa mori debent, nec ab ea descendere, quantumlibet derideantur in ea, blasphementur & maledicantur. In ea cursum suum consummare debent, & spiritum suum in manus dei patris moriendo commendare, & redire ad deum à quo venerunt. Hæc latissime extendi possunt, sed satis est occasionem dedisse sapientibus.

IN DIE CIRCVNCISIONIS DOMINI SERMO, DE CORONIS variis militum Christi, & amatorum illius.

ESTO *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et rursus: tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Imperatorum *Apoc. 2.* mos est dilectissimi, coronas militibus decernere, & dona prout vnumquemque viderint certare legitime, hostes persequi, castra irrumpere *Apoc. 2.* aduersariorum, inimicos vincere, fortiter viriliterq; agere, regerere triumphum, & statuere trophæa. Verum, cùm *Iob 7.* militia sit vita hominis super terram, & iugis colluctatio non solum aduersus carnem & sanguinem, ad malum ab *Ephes. 2.* incunabulis propensissimis, sed etiam aduersus principes *Gen. 6.* huius mundi in maligno positi, & potestates æreas, adeo *Iob 41.* fortibus, quòd nulla super terram potestas ei comparari potest, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum. Nã mundus qui deum nõ cognoscit, electos persequitur, & *Ioan. 16.* spiritũsanctum nõ potest accipere, similiter & tenebras, *Rom. 13.* de quibus Apostolus ait: Fuistis aliquando tenebræ, opera tenebrarum facientes, tenebris obscuratum intellectum habentes, armis tenebrarum induti, quibus caligo

tenebrarum est reseruata, aduersus spiritus nequam, qui in caliginoso cœli aërísque loco habitant. Ideo armis lu-
Ephe. 4. cis & Dei induere nos oportet, vt in diebus malis & his
1. Pet. 5. temporibus periculosis, fortes in fide eis resistere possi-
2. Tim. 4. mus, nullum eis locum dare, & in omnibus perfecti stare.
Proinde operæpretium est, vt vnusquisque nostrum se
2. Tim. 2. confortet in domino, & in potentia virtutis eius, agat viriliter, certamen bonum fidei certet, militiam bonam,
1. Tim. 1. laboret sicut bonum militem Christi oportet, habendo fidem dei, Iesu Christi & electorum (quæ operatur omnem iustitiam per dilectionem) & conscientiam bonam,
Gal. 5. Ac nullo modo se negotiis ac curis huius seculi implicet,
2. Tim. 2. vt illi placeat in omnibus quæ cogitat, loquitur & operatur, cuius se militiæ addixit, in cuius sacramenta iurauit, & à quo ad militandum est susceptus. In confesso
1. Cor. 9. namque est, quòd omnes qui in agone contendunt aut in stadio currunt, ab omnibus abstinent, quæ illis impe-
Prou. 1. dimento esse possunt à cõsequenda victoria. Et filij huius
Sapien. 5. seculi, & hominum quidem (vanitatem diligentes mendaciúmque quærentes, dum spem futurorum bonorum non habent & ea quæ noxia illis sunt cupiunt) hæc faciũt & lassantur in via iniquitatis & perditionis, ambulántque vias difficiles, vt corruptibilem coronam & temporale brabeum accipiãt, nos verò incorruptam. Vnde necesse est, vt persequamur semper inimicos nostros, vsque dum comprehendamus eos, & non conuerti, nec gladium in
Psal. 67. vaginam mittere, donec deficiant. Confringere illos ne
Actu. 1. possint stare ante faciem nostram, quando dominus nobis dat virtutem & fortitudinẽ, ac virtute nos induit ex alto, sed cadunt subtus pedes nostros. Imo ipse dominus supplantat insurgentes in nos subtus nos, eo quòd nobiscum est in tribulatione. Ideo nõ relinquit hominem
Psal. 90. vllum nocere nobis, Quia manus eius auxiliatur electis, & brachium illius confortat eos. Adeò, quòd nihil pro-
Psal. 88. ficere potest inimicus in eis, & filius iniquitatis, ipse Satanas non apponet nocere eis. Imo ipse concidit à facie eorũ, & percutit & interficit inimicos eorũ, & odientes
Rom. 8. eos in fugam conuertit. Et malitias eorum, electis facit cooperari in bonum, & malum quod illi cogitant in malum, in casum & perditionem iustorum, deus ex misericordia abyssali, bonis & rectis corde, vertit in bonũ. Itaque charissimi, stabiles estote in fide, nec vllo pacto ab

illo

illo fundamento moueamini. Neque per flatū vētorum superbiæ, neque per pluuiam carnalis concupiscentiæ, neque per alluuionem temporalis affluentiæ. Et abundate in omni opere domini semper, scientes quod labor vester nō est inanis in domino. Imo, ipse dabit vnicuique secundum proprium laborem. Sed & ipse dominus vniuersorum, iudex viuorum & mortuorum semper de cœlo prospicit super filios hominum, vt videat si est intelligēs & requirens deum. Ipse laborem nostrum & dolorem considerat, iuxta illud: Scio opera tua & laborem & patientiam tuam. Et iterum: Noui opera tua, & fidem & charitatem tuam, & ministerium & patientiam tuam, & opera tua nouissima plura prioribus. Et rursum: Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Beatus proinde omnis homo, qui certat legitime bonum certamen fidei. Qui cursum suum consummat, fidem seruat, in vocatione sua in quā eum deus vocauit manet, & in bonitate, nullum locum diabolo tribuit, sed viriliter ei in fide resistit, quoniam cum probatus fuerit sicut aurum in fornace, expurgatus à veteri fermento, mundatus ab omni carnis & spiritus iniquinamento, emundatus sicut ferrum per limam à rubigine peccatorum, sicut vinum & oleum in torculari ab acinis carnalium desideriorum, sicut granum tritici sub flagello, à paleis vanitatum, tunc accipit coronam vitæ & iustitiæ, quam Deus se diligentibus promisit & præparauit, iuxta vniuscuiusque laborem. Verum, sicut in militia huius mundi diuersæ coronæ dabantur, iuxta vniuscuiusque laborem, periculum & dolorem, sic etiam in domo patris nostri qui in cœlis est, mansiones multæ sunt & coronæ, quibus deus electos suos honorat. Quia alia est claritas solis regis iustitiæ & vnigeniti filij Dei, alia lunæ deiparæ virginis, & alia stellarū siue iustorū, qui sicut stellæ fulgebunt in æternis mansionibus, sicut in hac vita luxerunt sicut luminaria clarissima per inculpatæ vitæ & operum bonorum splendorem ad gloriam. Sic alia fuit corona triūphalis, alia obsidionalis, alia corona ciuica, alia muralis, alia vallaris, alia naualis, vide Dasipodiū. Pari modo rex regū, deus deorū, dominus dominantiū & princeps regum terræ, diuersas coronas habet quibus electos suos coronat post certamē legitimū, & deuictū triūphatūque hostē antiquum, & mundū. Nam sacerdotibus qui bene

Apo 22. *Actu. 10* *Psal. 13.* *Psal. 9.* *Apoca. 2.* *Apoca. 2.* *2. Tim. 4.* *1. Cor. 7.* *Rom. 11.* *Iacobi 1.* *Ioan. 14.* *1. Cor. 14* *Matt. 13*

præsunt & laborãt in verbo & doctrina, dat coronam auream. Potestate præditis ministris regni illius, qui diligunt iustitiam & iuste iudicant terram, ac custodiunt legem iustitiæ, & ambulant secundum voluntatẽ Dei, largitur coronã iustitiæ. Virginibus quæ cogitant quæ Domini sunt, & sanctæ sunt corpore & spiritu, tribuit coronam de rosis & liliis. Viduis quæ vere viduæ sunt & desolatæ, sperant in Dominum, instant orationibus & obsecrationibus die ac nocte, & omne opus bonum subsequuntur, dat coronam suam spineam, & tribulationum. Cõiugatis qui thorum immaculatũ, & honorabile cõnubium custodiunt, & vasa sua in sanctitate & honorẽ possident, dat coronam vitæ. Pueris & quibuslibet sub iugo obedientiæ & seruitutis positis, qui proficiunt sapiẽtia & ætate & gratia apud deũ & homines, decernit coronam gloriæ honoris. Peccatoribus à diaboli laqueis resipiscentibus, dignisque pœnitentiæ fructibus peccata sua abluentibus, dat coronam de lapide precioso & de palmarum ramis, quæ proprie est corona misericordiæ. Peccatoribus induratis instar lapidis & adamantis, qui peccant sine omni timore, venerunt in profundum malorum, dati sunt in reprobum sensum, & nolunt reuerti, nec intelligere vt bene agant, dat coronam vaccerdineam, factam de stercore boum. His præmissis, rursus notandũ quòd corona insigne regum & pontificũ est. Nam reges coronas deferunt & pontifices infulas. Nos autẽ qui in Christo baptisati sumus, Christum induimus, & filij dei facti sumus per fidem, Imo fratres Christi & mẽbra corporis eius, hæredes Dei & cohæredes Christi, Genus itẽ electũ, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis facti sumus per exuberantẽ gratiã dei & viscera misericordiæ Christi Iesu, regnũ & sacerdotes, vt regnemus super terrã, quod est corpus nostrũ, & dominemur appetitui illius, ad malũ propensissimi ab incunabulis, & in nullo carnis curam in desideriis faciamus. Hæc nãque faciendo, non peccamus aliquando, & veri reges sumus, & magnum, imo maximum regnum regimus. Sed & illi soli veri reges sunt & domini, qui seipsos regunt secundum exemplum & doctrinam Christi, etiam si non habeant passum pedis proprium, vel vbi caput reclinẽt super terram. Et reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, qui cõtinent multitudines, & præ-

sunt

[Margin: 1. Cor. 7. / 1. Tim. 5. / Heb. 13. / 1. Thes. 4. / Esai. 61. / Gal. 3. / Rom. 13. / Rom. 8. / 1. Pet. 1. / Apoc. 1. & 5. & 20. / Gen. 4. / Gen. 6. / 1. Pet. 1.]

sunt nationibus. Qui dominantur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, etiam si dominentur toti mundo, si non regunt se secundum exemplum & doctrinam Christi, serui sunt, captiui sunt diaboli & vitiorum. Et tot catenis ligati, tot funibus cõstricti, quot vitiis innodati, seruiunt diabolo die ac nocte in luto luxuriæ, in palea vanitatis et superbiæ, et in lateribus duris, auaritiæ, sine vlla requie. Intelligite hæc insipientes in populo, et stulti hæc aliquando sapite. Verùm insipiens hæc non cognoscit, et stultus ista non intelligit. Stultitia enim est illi, et non potest ea intelligere. Quia sunt sicut equus et mulus quibus non est intellectus. Nec sciunt sacramenta dei, neque mercedem sperant iustitiæ, nec iudicant honorem animarum sanctarum. *Psal. 71.*

Sacerdotibus, & infulatus honore fulgentibus, quibuslibetque Dei ministerio deputatis, do

¶Coronam auream. Ipsi namque in genere electo, regali sacerdotio, gente sancta, populo acquisitionis præcipui sunt in honore, et ratione functionis qua locum dei tenent, virtutes dei annunciant et Christi Iesu, qui de tenebris nos omnes vocauit in admirabile lumen suum. Nempe, fidei et euangelicæ veritatis. Quod instar lucernæ lucentis in hoc caliginoso mundi huius loco, lucet modo, donec lucifer gloriæ oriatur in cordibus nostris. Deum immortalem, quam longe latéque hîc campus se offert et patet expatiendi, sed calamum cohibeo data opera, et occasionem solummodo sapientibus præbeo alas extendendi. Corona aurea super caput sacerdotis poni debet. Vnde religiosi in signum regij huius honoris, coronas deferũt, similiter et sacerdotes (quamuis minores) in capitibus suis. Nec solummodo coronam portant, sed signo sanctitatis expressa est, & gloria honoris, & opus virtutis desiderio oculorũ ornata. Ecce quomodo deus sacerdotes in vasis, hoc est, operibus virtutis coronat. Corona aurea de auro purissimo in capite sacerdotis, est purissima, ardentissima, verissima & continua charitas in illius corde. Signa sanctitatis sunt omnes virtutes ex charitate illa procedentes, quibus adornatus, sicut sol fulget in regno dei, & sicut luminare in mundo. Tunc formosus est in stola sua, & graditur in multitudine virtutis suæ ante oues suas in viis iustitiæ, oues ipsum sequuntur quocunque ierit, & vocem eius *1. Pet. 2.* *1. Pet. 1.* *Esaia. 61.* *Ioan. 10.*

audiunt, & faciunt quæcunque ipſum facere viderint & audierint docentem. Corona hæc de auro optimo eſt, quia eorum charitas, tanto aliorum dilectionem præcellere debet, quanto aurum obriſum excellit alia metalla. Corona fine caret, quia eorum charitas, nunquam excidere vel fieri debet. Et nulla creatura eos à chari-
1.Cor.13 tate Chriſti ſeparare debet. Vnde fortis eſſe debet vt
Rom.8. mors, & dura ſicut infernus. Debent ſacerdotes inſtar
Canti.8. arcæ dei, intus & foris, in conſcientia & conuerſatione, auro mundiſſimæ dilectionis eſſe operti, & corona au-
Exodi.25 rea redimiti, vt pulchre in Exodo eſt digeſtum. Taceo quæ in arca fuerunt, quia hæc eadem in ſacerdotibus eſſe debent & ſunt, ſi digne ſuam functionem exequuntur. Taceo de ſacerdotum ornamentis, quibus myſticè ſacerdotes noui teſtamenti induti eſſe debent.

Poteſtate praditis, reipublicæ moderatoribus, & omnibus qui praſunt populis, do

¶Coronam iuſtitiæ. Verùm, hanc nemo accipit, niſi
Sap. 1. qui diligit & operatur iuſtitiam, & odit iniquitatem. Niſi
Pſal. 44. qui recte iudicat, & cuſtodit legem iuſtitiæ, & ambulat
Sap. 6. ſecundum dei voluntatem. Niſi is, qui quieſcit agere
Eſaia 1. peruerſe, & diſcit bene facere. Qui quærit iudicium, ſubuenit oppreſſis, iudicat pupillis, defendit viduas, eruit
Prou. 24. eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum. Niſi qui iuſtitia induti ſunt, et quaſi veſtimento et
Iob 29. diademate veſtiunt ſe iudicio ſuo. Ipſi eſſe debent oculus cæcis, pes claudis, baculus ſenibus, patres pauperum,
Eccle. 5. matres afflictorum, refugium omnium in neceſſitate conſtitutorum. Sint via errantium, lumen in tenebris exiſtentium, virtus debilium, conſolatores omnium tribulatorum. Cauſas quas ignorant, diligentiſſime inquirant. Pro iuſtitia agonizare debent vſque ad mortem, et
2.Par.19 certare pro iuſtitia, et tunc deus expugnat pro eis ini-
Exod. 12 micos eorum. Nulla ſit apud eos perſonarum acceptio, nulla munerum acceptio, quæ excæcant oculos ſapien-
Prou.16. tum, et peruertunt verba iuſtorum. Inclinare debent pauperibus aurem ſuam ſine triſtitia, & reddere illis de-
Prou. 24 bitum ſuæ ſubuētionis, defenſionis et iuſtitiæ, et reſpon-
Eccle.4. dere illis pacifice in mãſuetudine. Liberent eos qui iniurias patiuntur de manu ſuperborum, et non acide ferre
Deut.16. in animabus ſuis. Iuſte quod iuſtũ eſt, erga deum, ſeipſos, & omnes

et omnes proximos exæquantur. Certent certamen bonum fidei, cursum agonis sui et vitæ inculpatæ consumant, fidem deo et hominibus seruent. Et sic coronam iustitiæ, iustitiam facientibus promissam accipient de manu dei iusto iudice, qui reddit vnicuiq; secundum opera sua. Et iustos introducet in vitam æternam. Volens calamum cohibeo. 2. Tim. 4. Rom. 2. Mat. 25.

Virginibus do

¶ Coronam de rosis et liliis: Virgines se coronare debent, idq; priusquã marcescant, et liliis inter quæ pascitur sponsus. Vt sint rubicundi instar rosarum, omnia patiendo propter iustitiam; omnia sufferendo, et omnia sustinendo propter eum qui pro nobis pertulit crucem, confusione contempta. Vt sint item candidi, immaculatíque ante thronum dei, instar liliorum, et sancti corpore et spiritu, et seruent vestimenta sua candida. Sic se coronare debet Christo sponso suo, qui est flos campi et lilium conuallium, iuxta illud: Erit dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populo suo. Hanc coronam nemo accipit, nisi qui legitime certat. Nisi qui corpus suum cum vitiis et concupiscentiis crucifigit. Nisi qui carnis suæ curam in desideriis non facit. Nisi qui sub se appetitum suum ligatum instar bestiæ in perniciem et iugulationem propemodum tenet, et illius dominatur. Nisi qui odit animam suam in hoc mundo, et immaculatum se ab hoc seculo custodit, fugerítq; perinde ac serpentis morsum, scorpij ictum, lætale mulsum, gladium bis acutum, concupiscentiæ carnis corruptionẽ. Quid mundius candidiúsue rosis et liliis? Et quid mundius virginitate? Magna est puritas coniugatorum, si secundum scientiam cohabitant, et thorum immaculatum custodiunt, et vasa sua in sanctificatione et honore possident. Maior puritas est in viduitate, sed maxima in virginitate, quia virginum puritas homines facit proximos deo. Sed rosæ hæ et lilia inter spinas crescunt, quia virginitas carnis illecebris pungitur, affligitur et molestatur. Et quamuis rosæ ex spinis oriantur, nihil tamen cum spinis habet cõmune in duritia, læsione et nigredine: sic virginitas in carne est, nihilominus nihil cõmercij cũ carnis desideriis et operibus habet. Sed in carne ambulat, nõ tamen secundũ carnẽ ambulat, sapit, viuit, aut sentit, sed potius secundũ spiritũ viuit, sentit, sapit et ambulat, Heb. 12. 1. Cor. 7. Esa. 28. Gal. 5. Rom. 13. Heb. 13. 1. Thes. 4. Cant. 2. 2. Cor. 10.

& fructibus spiritus exuberat & lucis. Et sicut rosæ & lilia ex terra & spinis nascuntur,& nihil terræ vel spinarũ habent, sic virgines nihil terrenum inordinate habere debent,esse sine spinis iniuriarum,contumeliarum,scommatum & offensionum.Sint virgines instar liliorũ,mundi per carnis & spiritus puritatem. Sint Christi bonus odor in omni loco per bonæ famæ diffusionem. Sint pulchri & speciosi per inculpatam vitam,qua se omnibus formam quã imitentur,præbent,& exẽpla in omnibus operibus bonis.Lilium est repandum,ecce humilitas.Et medicinale,ecce ædificatio,& contra vitia instructio. Est succi plenum,ecce lachrymatio & fletus pro propriis & aliorum peccatis.Est lene,ecce mititas.Est tenerum,ecce pietas.Est leue,quia sine vllo peccatorum pondere. Ornat caput,qui est Christus,templum dei, quod est ecclesia, miro modo venustat. Flos lilij.fructus eius est, & alius nullus,quia fructus eius honoris & honestatis,& nõ corruptionis.Radix lilij sancta,sed abscondita,fides est.Hastile in altum consurgens,spes est.Flos innocentia. Grana aurea,charitatẽ significant. In lilio quatuor considerantur,quæ ipsum commendant .Radix humilitatis , fidei & charitatis.Hastile,in quo quatuor considerantur:Gracilitas consurgens,temperantiam designat. Eius æqualitas, iustitiam:Soliditas,fortitudinem : Altitudo, prudentiam repræsentat.Considerate ergo lilia virginitatis, quomomo crescunt, & florete quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ.Sic Israel germinat quasi lilium.Inter ista sponsus pascitur. Hæc colligit in regnum suum cœleste.Dicat ergo virgo corpore & mente:Hac corona tanquã sponsam suam me decorauit dominus. Hæc est corona xij.rosarũ & liliorum,quasi xij. stellarum, qua mulier sole amicta, est coronata.Hæc virginibus legitime certantibus corona datur. O quàm pulchra igitur est virginitas siue casta generatio cum charitate. Immortalis est enim memoria illius,quoniam & apud deum nota est,& apud homines, & in perpetuum coronata triumphat.

1.Thes.4. *Tit.2.* *Mat.6.* *Cantic.2.* *Mat.25.* *Esa.61.* *Apoc.12.* *Sap.4.*

Viduis

¶ Do coronam spineam nostri adsertoris & tribulationum. De corona spinea in alio sermone dixi. Et iterum: Coronans coronabit te dominus tribulationibus: quia tota vita viduarum,tribulatio & calamitas magna. Hinc vidua illa Noemi, ad suos ait: Vocate me maram, hoc

hoc eſt amaram, quia amaritudine me valde repleuit omnipotens. Sed ſi fideles eſtis vſque ad mortem, certatis legitime, agitis viriliter, & fidem ſeruatis, tunc omnia hæc cooperabuntur vobis in bonum. Et quicquid mali cogitant aut inferunt vobis, qui vos perſequuntur iniuſte, hoc ſua bonitate deus vobis conuertit in bonum, vt Ioſeph dixit fratribus ſuis. Nam poſtquam probatæ fueritis ſicut aurum in fornace, tunc deus dicet vobis: Veni te de libano, venite coronabimini, de capite Amana, de capite Sanir & Hermon, & cætera. Quia dabo vobis coronam gloriæ, pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris, vitam pro morte, pro eſurie & ſiti ſacietatem, pro exilio patriam, pro confuſione laudem ſempiternam, pro paupertate voluntaria, ſuper omnia bona mea vos coeſtituam. Et quot & quanta pro meo nomine ſuſtinuiſtis aduerſa & mala, tot & tanta, imò incomparabiliter maiora bona vobis reddam in vita æterna. Egredimini ergo ô vidui & viduæ, et videte regem Salomonem verum Ieſum Chriſtum, in diademate ſuo, quo coronauit eum mater eius impia ſynagoga, et vos eadem cogitatione armate. Aſpicite in auctorem et conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Nam ſi eum perſecuti ſunt, et vos perſequentur. Si eum vocauerunt Beelzebub, et de vobis omne malum dicent. Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt.

Gen. 50. *Cant. 4.* *Eſa. 61.* *1. Pet. 4.* *Ioan. 15.* *Mat. 10.*

Coniugatis

¶ Do coronam vitæ. Vt interim taceam, quod mulier diligens, honeſta, pudica et timens deum, corona eſt viro ſuo, teſte Salomone. Imo eſt honor, ſalus et vita viro ſuo. Hinc rurſus ſcriptum eſt: Mulier bona, donum dei eſt, idq; maximum, quia ſicut vir malus ſaluatur per mulierem bonam, ſic vir prudens, iuſtus et ſanctus, ſeducitur, corrumpitur et damnatur per mulierem malam, vt cernere eſt in Salomone. Do vobis coronam vitæ, non mortis. Hæc eſt corona incorruptibilis, quam vt accipere poſſitis, ab omnibus illicitis deſiderijs, verbis malis, et operibus tenebroſis vos abſtinere debetis, ſeruando thorum immaculatum, et ſecundum ſcientiam ſalutis et ſanctorum cohabitando, poſsidendo vaſa veſtra (ſiue corpora veſtra) in ſanctificatione et honore, et non in paſsione deſideriorum carnalium, ſicut gentes

Iacobi 1. *Prou. 11.* *Gen. 3.* *2. Reg. 11* *1. Cor. 9.* *Heb. 13.* *1. Pet. 3.* *1. Theſ. 4.*

tes quæ ignorant deum. Vel sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Nam sicut angelus Raphael ad To-
Tob.6. biam dixit, hi qui coniugium, ita suscipiunt, quod deum à à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. At vos coniugati, ali-
Ephes.5. ter edocti estis, aliter didicistis Christum. Nempe, vt dile ctio vestra sit syncera, absq; macula & ruga. Nā viri suas vxores, non qualicunq;, sed tali amore diligere debent quali Christus diligit ecclesiā sponsam, pro qua seipsum
Cant.6. tradidit in mortem, vt illam sanctificaret. Quatenus esset sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, & terribilis vt castrorum acies ordinata, sancta prorsus &
Ephes.6. immaculata. Estote ergo fideles sine adulterij piaculo, mundas seruate animas vestras & corpora vestra. Honorate in vobis deum & Christum Iesum, nec non magnū pietatis sacramentum in Christo Iesu & ecclesia Educate proles vestras in disciplina & in correptione domini. Custodite vos ab omni sermone & opere malo. Sit in lege domini voluntas vestra, & ambulate in ea, & tunc dominus dabit vobis coronam vitæ, diligentibus eum præparatam. Multa volens transeo, gratia breuitatis.

Pueris & subditis

Psal.20. ¶ Do coronam de lapide precioso. Lapis iste precio-
1.Pet.11. sus, summus, probatus, angularis & electus, de monte Ma
Dan.2. ria, sine manibus abscisus, & sine virili semine cōceptus, ac sine matris violatione natus, Christus Iesus est. De isto lapide præcioso coronam sibi facere debent pueri & sub potestate constituti. Hoc faciunt, dum ambulant sicut ipse ambulauit. Dum imaginem eius portant, mali-
Apoc.14. tia paruuli, & sensibus perfecti. Dum sine macula sunt
1.Reg.3. ante thronum dei. Dum eunt de virtute in virtutem, & proficiunt sapientia & gratia & ætate ante deum & homines semper. Isti pueri sequuntur agnum quocunq; ierit, & sunt cum eo in cubili suo. Pueri tales ministrant domino cum Samuele in templo sancto suo. Ibi deus ex ore infantium & lactentium laudem suam perficit, per quā
Psal.8. inimicum destruit & vltorem. Sic tres pueri in camino
Mat.11. ignis vno ore glorificabant et benedicebant deum. Sed
Luc.9. heu, pueri cantant nobis cantica domini, et non salta-
Dan.3. mus. Hoc est, cor et caro in deum viuum non exultat, nec

cum

cum eis in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus domino cantamus, nec psallimus in cordibus nostris domino gratias agentes semper pro omnibus quæ retribuit nobis in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri. Lamentantur, & nō lugemus peccata nostra & aliorum, qui peccant & non agunt pœnitentiam super immunditiis et fornicationibus et impudicitiis quas gesserunt. Pueros tales, Christus ad se recipit et benedicit. Et nisi nos relicta malitia, conuersi fuerimus, et efficiamur sicut modò geniti infantes et eiusmodi pueri, non intrabimus in regnum cœlorum. Væ autem illi, qui scandalisat vnum de pusillis istis. Isti pueri accipient regnum decoris, in quo iusti fulgebunt sicut sol, et diadema speciei de manu domini Quia gloria et honore coronabit eos, et constituet eos super opera manuum suarum. Ad alia propero.

Ephes 5. *Col.3.* *2. Cor.12.* *Matt.18.* *1.Pet.2.* *Sap.5.* *Mat.15.* *Psal.8.*

Peccatoribus pœnitentibus, & à diaboli laqueis resipiscentibus, do

¶ Coronam misericordiæ & miserationis diuinæ. Hæc est corona de ramis oliuarum. Nam adeo benignus, pius præstabilis super malitia est pater misericordiarum omnis consolationis deus, quod cùm filius perditionis reuertitur ad eum in toto corde suo, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindit cor suum & non vestimenta sua, & confitetur aduersum seipsum iustitias suas domino, & dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Item miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatē meam, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Mox in profundum proiicit deus omnia peccata eius. Lauat eum in sanguine suo, super niuem eum facit albiorem. Iniquitatum illius amplius non recordatur, & sicut cum illi peccauit, & malum coram eo fecit, Deus spoliauit eum gloria sua, & abstulit coronam de capite illius, deleuit nomen eius de libro vitæ, reprobauit eum de pueris suis, proiecit eum à facie oculorum suorum, dimisit eum secundum desideria cordis, vt iret in adinuentionib. suis, destruit eum vndique & perit, & quasi euulsæ arbori aufert spem illius, sic cum reuertitur, obuiat illi quasi mater honorificata. Excipit illum & amplexatur, atque nullum charitatis officium non ostendit, vt in filio prodigo cernere

Iohel.2. *Psal.31.* *Luca 18.* *Esa.50.* *Apoc.1.* *Ezec.18.* *Exod.32.* *Esa.68.* *Psal.80.* *Eccl.15.* *Luca 15.*

cenere est, & Manasse, vt cæteros omnes taceam, qui
Psal. 64. venerant in profundum, & absque omni timore & pudore perpetrauerant mala. Illos ecce coronauit in misericordia & miserationibus. Hæc est corona anni benignitatis suæ cui benedicit. Nam cum ea, pœnitentibus omni benedictione spirituali in cœlestibus bonis benedicit
Psal. 61. in Christo. Sic dat pœnitentibus coronam misericordiæ pro cinere pœnitentiæ, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro spiritu mœroris. Sed has diuitias misericordiæ bonitatis, patientiæ, & longanimitatis, obstinati, in repro
Psal. 88. bum sensum dati, contemnunt, ideo iusta est damnatio eorum, & nullam habent in suis peccatis excusationem. Has misericordias in æternum ciues cœlorum cantant.

¶ Conuertimini ergo ad Deum o peccatores, nolite differre de die in diem, ne Dominus imparatos vos inueniat, qui sicut fur, in nocte veniet.

Obstinatis & in reprobum sensum datis

¶ Deus dat locum & tempus pœnitentiæ, expectat, lon
Iob 24. ganimiter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœ-
2. Pet. 3. nitentiam conuerti: sed multi eo abutuntur in superbia
Sap. 11. sua, & nolunt, vt Ioannes dicit, pœnitere à fornicationi-
Isa. 30. bus suis & peccatis, imo lætantur cùm male fecerunt, &
Apoc. 2. in rebus pessimis exultant. Gloriantur in malitia & quod
Prou. 2. potentes sunt iniquitate. Sed væ, væ, væ, coronæ super-
Isa. 51. biæ, quia pedibus conculcabitur, & erit sicut flos deci-
Isa. 28. dens gloria exultationis eorum. Humiliabimini & sede-
Hier. 13. bitis in terra, & descendet de capite vestro corona glo-
1. Ma. 2. riæ vestræ. Imo, gloria vestra in ignominiam conuerte-
Tren. 5. tur, & erit stercus & vermis. Tunc dicetis vel inuiti: Defecit gaudium cordis nostri, versus est in lutum chorus noster. Cecidit corona capitis nostri, (qua gloriabamur in spe gloriæ filiorum dei, & eramus filij altissimi, fratres & membra Christi, ciues sanctorum & domestici dei, hæredes & cohæredes Christi) væ nobis, quia peccauimus. Quid nobis iam prodest superbia nostra, luxus carnis, delitiarum illecebræ, vanus honor, aut diuitiarum
Isa. 3. iactantia, quid confert nobis? Transierunt omnia tam-
Apoc. 18. quam vmbra, & nos in malignitate nostra consumpti-
Gal. 6. sumus. Væ nobis, quia reddita sunt nobis mala nostra.
Prou. 1. Et quantum nos glorificauimus & in delitiis fuimus,
Psal. 27. tantum nobis redditum est tormentorum & luctus. Re-
Psal. 93. tributio manuum nostrarum, facta est nobis. Quæ semi-
nauimus,

nauimus,hæc & metimus. Commedimus fructus viarum nostrarum, nostrísque consiliis saturamur. Sic deus iustus,fortis & patiens,impiis & non subditis,dat secundum opera eorum,& secundum nequitiam adinuentionum ipsorum. Reddit illis iniquitatem ipsorum, & in malitia ipsorum disperdit eos dominus,& manum eius neque viui neque mortui effugere possunt:in quam incidere horrendum est, Apostolo teste. Hic finis eorum qui nolunt intelligere vt bene agant. Qui peccant absque vllo timore, & secundum corda sua dura & impœnitentia thesaurisant sibi iram,in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Ibi desiderabunt mori,& mors fugiet ab eis. Imo cruciatus eorum durabit in secula seculorum. Hic finis eorum qui impie agunt vsquequaque,& nolunt ad dominum conuerti,nec agere volunt pœnitentiam vt dent gloriam deo. Ideo blasphemant deum cœli prę doloribus & vulneribus suis Sic fit omnibus qui diligunt maledictionem, nam veniet eis in die & hora,qua non sperant,& noluerunt,atque pro nihilo habuerunt benedictionem, iustis promissam, & elongabitur ab eis , Et induent maledictionem sicut vestimentum(cum eis dicetur:Ite maledicti in ignem æternum)& intrabit sicut aqua in interiora eorum, et sicut oleum in ossa eorum. Fit eis sicut vestimentum quo operiuntur, & sicut zona qua semper præcingũtur Quia maledicti omnes qui declinant à mandatis dei,et ea ore non complent. Intelligite hæc insipientes in populo, et stulti ea aliquando sapite. Quia zelus et furor non parcet in die vindictæ,nec acquiescet cuiusquam præcibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima, Sed lignum si ceciderit in morte siue ad aquilonem siue ad austrum,ibi erit in æternum, Illis do coronam vaccerdineam contextam de stercore boum. Illos deus tribulationibus coronat & cruciatibus æternis.

Heb. 10. Psal 35. Rom. 2. Apoc. 9. Apoc. 16. Luca 12. Psal. 118 Matt. 25. Deut 27. Psal. 118 Prou. 6. Eccl. 11. Esa. 22.

IN FESTO TRIVM REGVM IN EPISOLAM HOMILIA.

Surge illuminare Hierusalem. Plus cæteris vatibus clarius & consummatius Esaias omnia Christi et ecclesiæ dei sacra mysteria in spiritu vidit,et produxit in lucem,non videatur legentibus

Esa. 60.

tibus & intelligentibus futura salutis humanæ sacramenta,quæ per dei filium cõsummanda erant,prædicere,sed tam luculenter ea digessit,ac si omnia oculis suis impleta præsens aspexisset. Inter infinita autem misericordiæ dei beneficia,gratuita idololatrarum gẽtium vocatio ad fidem catholicam & salutem æternam,vnum est.De qua gratia nos qui canes vocati sumus, & in illo tempore sine Christo eramus,alienati à conuersatione Israel,& hospites testamentorum,promissionis spem non habentes & sine deo in hoc mundo, & longe eramus,sed per exuberantem Dei bonitatem facti sumus prope,& vocati in partẽ sortis sanctorum,in lumine,sine intermissione gratias deo agere debemus.Eramus tunc temporis,insipiẽtes & increduli, errantes,seruientes desideriis & voluptatibus variis,in malitia & inuidia agentes,odibiles & odientes inuicem, odibilia deo opera facientes, & supra modũ peccantes peccata. Tunc eramus nõ populus dei, nunc autem populus dei.Non consecuti misericordiam, nunc autem secundum propositum dei & gratiam per illuminationem saluatoris nostri Iesu Christi,misercordiã consecuti, vt vatum maximus in epistola huius diei ait. Videns ergo in spiritu propheta eximius, ecclesiam dei ex gentibus colligendam, *Surge* inquit, ecclesia militans, *Hierusalem*.Ibi enim ecclesia sumpsit exordium,per Christi in templum oblationem,euangelij prædicationẽ, miraculorum operationem. Per passionem eius ignominiosam,sepulturã,gloriosam resurrectionem, mirabilem ascensionem,iocundam & spiritus sancti missionem manifestam & virtuosam.Ibi primitiæ credentium,per apostolorum prædicationem in fide coaluerunt mirabiliter, & multiplicati sunt in breui. quando piscator Petrus rete prædicationis suæ in mare magnum mundi huius eiecit, & non piscium, sed hominum tria milia in vno sermone cœpit & conuertit ad dominum deum suum, domino cooperante & sermonem eius confirmante, sequentibus signis. Sic verum comprobatur, quod salus est ex Iudæis. sed hæc se extendit, à mare vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Quia deus non est solummodo Iudæorum, sed & gentium. Igitur Hierusalem sancta & noua, descendens de cœlo, surge à morte, vt illuminet te Christus, lumine fidei & euangelicæ doctrinæ, & ambula in lumine, istẽ

Marginal references: *Mat.* 14. *Ephes.* 2. *Col.* 1. *Tit.* 3. 1.*Pet.* 2. 2.*Tim.* 1. *Act.* 2. *Mar.* 16. *Ioan.* 4. *Rom.* 13.

isto vero, quod à tempore illo omnibus lucet. Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea à te. Et vos reges terræ intelligite, erudimini qui iudicatis terram, quia ignorans ignorabitur. Quid est quod Israel erat in terra inimicorum, inueteratus in terra aliena, inquinatus cum mortuis, deputatus cum descendẽtibus in infernum? Dereliquit fontem sapientiæ. Noluit intelligere, vt bene ageret. Hinc conqueritur ipse saluator, lux vera mundi: filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me & non erat qui cognosceret me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Israel autẽ me non cognouit, & populus meus non intellexit, quando veni & visitaui eos, oriens exalto, radians magis in cœlo positus fuit in presepio. Imo audientes ortum meum à magis, Hierusalem omnis cum rege impio turbata fuit. Et quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, & diuitias bonitatis meæ, quibus veni eos ditare, & thesauros eorũ veni replere. Hinc rursus ait, Populus stultus non cognouit me. O stupor & horror. In propria venit, & sui eum non receperunt. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. sicut postea dixerunt: Hunc nescimus vnde sit. Gentes autem cognouerunt eum, quia dedit eum pater in lucem gentium, & fuit salus eius vsque ad extremũ terræ. Sic radix Iesse. & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperauerunt. Sic gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt hodie iustitiam, iustitiam autem quæ est ex fide Iesu Christi. Sic inuentus est à non querentibus, palam apparuit eis, qui eum non interrogauerunt. Ideo gentes super hac misericordia vocationis gratuitæ, et illuminationis tam insperatæ deum honorauerunt, et gratias egerunt semper deo qui eos illuminauit. Ad Israel autem gentem insipientem, sic dicit qui omnem hominem illuminat in hunc mundum veniẽtem. Tota die expendi manus meas, dona mea largiendo, Manu sinistra eos protegendo à malo. et dextera manu eis tribuendo bona. ad populum stultum et insipientem et non credentem corde ad iustitiam, sed ore blasphemo contradicentẽ mihi. Hoc est, iudiciũ mundi, quod est abyssus multa. Lux venit in mundũ, et dilexerũt homines magis tenebras q̃ lucẽ, erant enim opera eorum mala: et iterũ ait: In iudiciũ ego in hũc mũdũ in maligno posi-

Ephes. 5. Hier. 6. Psal. 2. Baru. 3. Psal. 35. Esa. 1. Hier. 8. Mat. 2. Hier. 3. Hier. 4. Ioan. 1. Ioan. 9. Esa. 49. Esa. 11. Rom. 9. Esa. 65. Rom. 10. Rom. 15. Esa. 65. Rom. 10. Ioan. 3. Ioan. 9.

positum veni,vt gentes quæ non vident, videant, & qui vident & sciunt scripturas, suapte malitia & obstinatio-
Sap. 2. ne,cæci fiant.Quia malitia eos excæcauit. Ideo incom-
prehensibilia sunt iudicia dei,& terribilis in consiliis su-
Rom. 11. per filios hominum.Cuius vult miseretur, & quem vult indurat,vt sic bonitatem eius in electis, & seueritatem illius in reprobis videamus et pauentes honoremus.Sur
Rom. 13. ge igitur à mortuis et tu,et illuminare.Dum lucem hāc habes, crede in lucem et ambula in lumine eius, vt sis filius lucis,et lucis fructus fac, qui sunt in omni bonitate,et iustitia et veritate,vt tenebræ te non comprehen-
Ephe.5. dant.Quia quod vni dicitur,omnibus dicitur. Surge illuminare Hierusalem,anima fidelis, ciuitas dei sancta, *quia* ad salutem operandam in medio terræ,ad te illuminandum,iustificandum & glorificandum,*venit*,misericor
Matt.4. dia motus & ex charitate sua perpetua, *lumen tuum*,illu-
Luca 1. minare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent,ad
Esa.9. dirigendos pedes eorum in viam euangelicæ pacis & di-
1.Cor.12 lectionis,quæ via excellentior vocatur à Paulo.Venit lumen tuum,tibi promissum,quod Simeon iustus in vlnas accipiens,gratias agens benedixit,*& gloria domini* dei patris,qui dominus est cœli & terræ:Filius autem sapiens,
Mat. 11. patris sui gloria est,*super te orta est*. Lux ista orta est iusto, & lætitia hæc & gaudium magnum,quod est omni popu
Psal. 96. lo,orta est rectis & bonis corde. Hæc claritas dei humi-
Luca 12. les pastores circunfulsit. Hanc lucem Magi viderunt in
Matt.2. oriente, & venerunt adorare eum. Hæc lux in corde Si-
Dan.7. meonis iusti illuxit quando puerum Iesum in vlnas accepit,& intellexit paruulum esse magnum dominum, &
2.Cor.8. laudabilem nimis.Puerum esse antiquum dierum & deū æternum.Pauperem esse diuitem,sed propter nos pauperem factum,vt sua nos inopia ditaret,diuitésq; in deo fa-
Ephes.6. ceret. Accede & tu ad lucem hanc cum vero corde & in
Sap.1. plenitudine fidei, qui hactenus tenebris excæcatum intellectum habuisti,in tenebris ambulasti,tenebrarū opera fecisti,armis tenebrarum indutus fuisti, tenebras dilexisti,ipsæ tenebræ fuisti,principibus & rectoribus tenebrarum obediuisti. Accede inquā ad lucem hanc,in simplicitate cordis quære eam,& mox illuminabit te, & faciem tuam non confundet,non improperabit tibi pecca-
Psal. 33. ta legis,sed illuminabit oculos tuos,ne post hoc vnquam
Psal.12. obdormias in morte,& ne vlli peccato cōsentias. Super te or-

te orta est, iuxta te est. Non potes excusationes in peccatis tuis obtrudere aut dicere. In cœlis est lux ista, & quis potest eam inde adducere? Vel in abysso est, & quis descẽdere potest & inde eam reuocare? Super te orta est, omnes viæ tuæ in conspectu eius sunt. Prope te est, quia in ipsa viuis, moueris & es. Prope est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Crede in hanc lucem & inuoca eam, tunc omnia tibi euenient prospere, & saluus eris. *Quia ecce tenebræ* ignorantiæ, malitiæ & infidelitatis, *operient terram*, hoc est terrenos, terrena amantes, qui terra sunt sicut ea quæ diligunt, & in terram reuertuntur, *& caligo populos*, omnes qui nolunt credere in lucẽ, & in lumine eius ambulare. Omnes qui sunt extra ecclesiam catholicam, & qui non pertinent ad Hierusalem quę sursum est, et est mater nostra. Isti sunt ipsæ tenebræ et caligo, et partem in lumine viuentium, et sortis filiorum lucis non habent, sed detrudentur in tenebras exteriores æternas, *super te autem*, qui diligis lumen, exortum in tenebris, misericordem et miseratorem et iustum dominum, *orietur dominus*, illuminabit tenebras tuas. Vt de tenebris in quibus ambulasti, te conuertat ad lucem, de potestate Satanæ ad deum, vt accipias remissionẽ peccatorum, et sortem inter sanctos per fidem quæ est in Christum Iesum. Super te orietur dominus, manifestabit semetipsum tibi, faciet te seipsum cognoscere, vt nihil arbitreris te scire, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum. Sed ignorantiam dei, heu, adhuc multi habent. *& gloria* maiestatis eius *in te videbitur*. Deus enim in domibus suis cognoscitur, domus autem dei, nos sumus, dum sancte, iuste et sine querela cum hominibus viuimus. Hoc Paulus fecit postquàm per gratiam dei dę vtero matris suæ in euangelium vocatus fuit. In me, inquit, glorificabant deum, qui in corde meo per dilectionem fuit, iuxta illud: Deus charitas est, et qui manet in charitate, in deo manet, et deus in eo. Gloria dei in eo videbatur, dũ deus per eum exhortabatur, dum digne deo et euãgelio conuersabatur, dum omnibus placuit in bonum, fructificauit in omni opere bono, in quibus pater cœlestis glorificabatur. Dum non solum nemini vllam dedit offensionem, sed etiam abstinuit ab omni specie mala. Beatus qui hoc modo glorificat et portat deum in corpore suo. Reuera dum tanquam aduenæ et peregrini abstinemus

Rom. 10 · *Psal. 118* · *Act. 17.* · *Psal. 144* · *Ioan. 12.* · *Act. 26.* · *1. Cor. 1.* · *1. Cor. 15.* · *Psal. 47.* · *1. Thes. 2.* · *Gal. 1.* · *1. Ioan. 4.* · *2. Cor. 5.* · *Col. 1.* · *2. Cor. 4.*

nos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus ani-
1. Pet. 2. mam,&conuersationem bonam inter gentes habemus,
tunc si qui de nobis tanquam de malefactoribus detre-
ctant,confunduntur ex bonis operibus consideratis, &
glorificant deum in isto nomine,quem in nobis esse vi-
dent,in die visitationis. Sed gloria hæc non est solis Iu-
dæis,sed & gentibus missa,imo omnibus sanctis eius,qui
Psal. 83. sunt de ouibus eius,ideo ait: *Et ambulabunt*, eundo de
virtute in virtutem,*Gentes*,quæ abierant in regionē lon-
Luca 15. ginquam,adhæserunt diabolo,pauerunt porcos eius, &
omnem paternam substantiam prodegerunt, viuēdo lu-
xuriose. At vexatione illis dante intellectum, præuenti
Psal. 20. in benedictionibus dulcedinis, vocati ad cœnam agni,&
regales nuptias,diruperunt vincula sua, & relicta mali-
tia,crediderunt in deum & saluatorem omnium, domi-
num Iesum Christum. Et ex tunc ambulauerunt *in lu-*
Ioan. 1. *mine tuo*, quod est Iesus Christus,fides electorū,& euan-
Psal. 48. gelium pacis *& reges terræ*, & omnes populi, principes &
omnes iudices terræ,quique terrigenæ & filij hominum,
simul in vnum diuites & pauperes, *in splendore ortus tui*,
hoc est,participes erunt,gratiæ & veritatis Christi. Hoc
hodierna die in tribus Magis cernimus esse impletum,
Ioan. 6. qui nullo homine vocante, venerunt ad Christum,sed
solummodo patrem sequentes qui eos traxit ad filium,&
Esai. 54. audiēdo quid in eis loquebatur deus. Quapropter o ste-
Galat. 4. rilis quæ non paris,lætare in deo salutari tuo,erumpe tu
gentilitas,& clama quæ non parturis filios deo per euā-
gelium & fidem, quia multi sunt modò per exuberātem
dei gratiam,magis quàm eius synagogæ videlicet, quæ
habet virum. *Leua igitur in circuitu tuo oculos tuos, & vide*
quomodo magnificauit dominus misericordiam suam
tecum, quàm benefecit tibi in bona voluntate sua, &
propter gloriam nominis sui. Circonspice Hierusalē ad
Bar. 4. orientem,& vide iocunditatē tibi à deo venientem. Ecce
veniunt tibi filij tui,quos dimisisti dispersos,veniunt col-
lecti ab oriente vsque ad occidentem, in verbo sancto
gaudentes in honorem dei, *omnes isti congregati sunt*, ex
Iudæis & gentibus,quos trahit & conclusit fidei sagena,
bonos,& malos pisces. Congregati sunt in vnum ouile,
Coloss. 3. in vnum corpus Christi, & in fide in vinculo perfectio-
Esaia 3. nis quod est charitas,vniti & colligati, *venerunt tibi* adu-
nandi. *Filij tui*, quos per euangelium generabis, *de longe*

venient

venient, recesserunt námque in profundum, & abierunt in regionem longinquam. Venient, credendo, & amando vt dimissa culpa, fiant filij regni & hæredes dei, *& filiæ tuæ* quæ sunt imperfectiores, *de latere.* Vel vt alia litera habet: *lac sugent*, quod Apostolus carnalibus & paruulis potum dedit. Vel lac sugent, quia fouebuntur consolatione spiritussancti, & faciliori scripturæ doctrina, eo quod propter imbecillitatem suam, sermonis iustitiæ, qui est perfectorum cibus, non sunt capaces. Vel *surgent*, quia veniēt ab oriente & occidente, ab aquilone & mari, multi ad fidem Christi. *Tunc* etiam impleri omnia gloriosa quæ dicta sunt de te, quæ es ciuitas dei, *videbis*, & hanc ob causam, gaudens gaudebis in domino, *& affiues*, gratiarum diuitiis, & omnibus bonis. Affiues etiam filiorū & filiarum multitudine, qui præ multitudine numerari non possunt, eo quòd super arenam multiplicantur, & super stellas cœli, *& mirabitur*, de subitatione tantæ salutis, & præ magnitudine gaudij, *dilatabitur cor tuum, quando conuersa ad te multitudo* insularum *maris*, *fortitudo gentium* vniuersarum, *venerit tibi*, & tecum idipsum sapere ceperit, secundum Iesum Christum, & vnanimiter vno ore honorificat deum, & patrem domini nostri Iesu Christi. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij, Madian & Epha.* Hoc est, tanta multitudo eorum erit, qui conuertentur ad dominum deum suum, quòd terram Hierusalem operire videbantur. *Omnes*, hoc est, aliqui de singulis regionibus, ex Saba, *de Saba venient* ad lumen fidei, *aurum & thus deferentes, & laudem domino annunciantes.* Quod futurum, tres hodie Magi præfigurauerunt, qui ex gentibus primitiæ gentium in fide, Christum quæsierunt, Christum confessi sunt ad salutem, coram rege apostata, Christum adorauerunt sicut deum viuum & verum. Ac denique fidem quam in corde habuerunt de Christo, operibus & donis testati sunt, quæ obtulerunt. Credebant eum deū, ideo obtulerūt ei thus, quod in dei seruitio crematur. Credebant eum regē vniuersorum, factum ex semine Dauid, cui pater sedem patris sui dedit, & regnare debere in domo Iacob in æternum, ideo obtulerunt ei aurum. Credebant eum mortalem, & per omnia fratribus assimilatū absque culpa. Vel se tandem per innocentem mortem destruere eum, qui mortis habuit imperium, & liberare omnes qui timore

1. Cor. 3. Hebr. 13 — Abac. 3. — Psal. 138 — Rom. 15. — Rom. 1. — Luca 1. — Hebr. 2.

mortis, per totam vitam suam obnoxij erant seruituti, ideo obtulerunt ei myrrham, qua mortuorum corpora condiuntur, ne putrescant. Vnctio eius de his omnibus eos docuit, quam habuerunt à sancto.

IN FESTO TRIVM REGVM IN EVANGELIVM, Sermo exegeticus.

CVM natus esset Iesus, Pater misericordiarũ & omnis consolationis, olim promisit se positurum in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, præciosum, qui de monte in quo beneplacitum deo
Dani. 3. fuit habitare, hoc est, de Maria virgine, si-
1. Pet. 2. ne manibus abscisus est, hoc est, sine viri cognitione & fœcundatione, in quem qui crediderit, nõ confunditur in æternum. Christus Iesus lapis est iste præciosus, quo redempti sumus, electus ex milibus, probatus deo & hominibus, summus in honore, gratia, perfectione & glo-
Ephe. 2. ria. Angularis, quia pacem fecit in terra, & reconciliauit nos deo, & veniens euangelizauit pacem gentibus qui longe erant, & Iudæis qui prope erant, & reconciliauit ambos in vno corpore deo, hoc est, in vna ecclesia præ-
Esaie 59 destinatorum, quæ est corpus eius. Vnus nãque panis &
Ephe. 4. vnum corpus multi sumus. Dum per crucem interfecit
1. Cor. 10 & sustulit inimicitias, & peccata quæ inter nos & deum
Psal. 117 diuidebãt. Hic est lapis quem ædificãtes Iudæi obstinati
Luc. 20. reprobauerunt ad suæ cumulũ perditionis, & nihilomi-
Mat. 12. nus ipsis vocatis & credentibus gentibus & Iudæis factus est in caput anguli, & causa salutis æternæ. Verùm quomodo salus hæc gẽtibus innotuit, & quomodo hanc salutẽ cognitã quæsierunt, inuenerunt & adorauerũt, in hodierno euangelio Euangelista recenset. Hodierna die, notũ fecit dominus salutare suum, in conspectu gentiũ
Esai. 49. reuelauit iustitiã suam. Dedit nanq; pater filiũ in lucem gentiũ, vt esset salus sua, non in Iudææ regno paruo, sed vsque ad extremũ terræ. Vt aperiret oculos cæcorũ per fidẽ, & educeret de conclusione & lacu, in quo non erat
Col. 2. aqua, vinctum genus humanũ: nam patres qui in tenebris & in vmbra mortis sedebãt clausi, quãdo ad inferiores partes terræ descendit, deleto mortis chirographo, &

diabolo victo, triũphato & traducto in semetipso, resurgens & rediens ab inferis secum duxit, & captiuã captiuitatẽ soluit. Qui locus eis domus carceris & tenebrarum erat. Iam audite & intelligite, quomodo gẽtes quæ prius deum ignorabãt, tam ad fidẽ propensi fuerunt. Et mox ad vnius stellæ ortũ, ambulare ceperunt in lumine fidei Christi, & reges in splendore ortus sui impleuit sol iustitiæ, timẽtibus deum exortus, splẽdoribus fidei & veritatis animas istorũ sapientũ, ideo ossa eorũ liberauit ab acedia & infidelitate, & quasi herbã germinare fecit iustitiæ germen. Sed euangelij verba dispiciamus. *Cum natus esset Iesus* de virgine, iuxta illud: Ecce virgo cõcipiet & pariet filiũ. Ipse cum magnus esset, paruulus natus est nobis, *in Bethlehem Iudæ*, ad differentiã alterius Bethlehẽ in tribu Zabulon. Triplex hic mediũ euangelista ponit circa Christi ortũ, quo probat ipsum esse verũ regem Iudæorũ, in lege & prophetis illis promissum. Ex loco natiuitatis, quia in Bethleem Iudæ, sicut Micheas spiritusancto edoctus prænũciauerat. Ex tempore idem astruit dicens: *in diebus Herodis regis* crudelissimi & alienigenæ, ex patre Idumæo & matre Araba. Et sic vaticinium Iacob ostenditur impletum, quod dixit: Non auferetur sceptrũ de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. Et in Daniele: cum venerit sanctussanctorum, cessabit vnctio vestra. Quandiu enim sub regibus & ducibus propriæ gentis fuerunt, misit eis deus prophetas: sed nunc sub alienigenis misit filium suum vnigenitum, non vt iudicet, sed vt saluetur mundus per eũ. Tertium fuit nouæ stellæ ortus, vt Balaã dixit in Numeris: Orietur stella ex Iacob, de quo sequitur: Ecce nouum mirum & admirabile quiddam, *Magi*, non malefici, sed philosophi doctissimi Chaldæorum. Et hoc epitheto cẽsentur propter altitudinem suæ sapientiæ & magnitudinem potestatis. Tunc enim sapientes regebant & philosophi. Nam tunc solummodo beatas esse respublicas Socrates dicebat, quando eas sapientes regunt, aut rectores sapientum consiliis morem gerunt, *ab oriente venerũt Hierosolymam*, tracti à patre ad filium quærendum. Venerunt ab oriente vnde dies nascitur, vt vnde sol visibilis oritur & lux terram illuminans, inde lux vera animarũ & fidei procederet, cresceret & proficeret vsque ad perfectum diẽ gloriæ, in quo deus facie ad faciem videtur,

Esai. 60. *Esai. 58.* *Esai. 7.* *Iosue 19.* *Mich. 5.* *Gene. 49.* *Dani. 9.* *Ioan. 3.* *Num. 24.*

quia fides & euangelium, lumina sunt animarum. Sed Hierosolymam venerunt, quæ erat ciuitas regia & sacerdotalis, æstimantes regem regum & gloriæ, in regia ciuitate, iuxta mundi vanitatem, nasci & esse natum, *dicentes* sine omni timore. Non regis Herodis indignatione retracti. Et duo faciunt. *Ubi est*, ecce interrogatio, *qui natus est?* Ecce confessio cōstantissima, iam natum esse scimus,
Rom. 10. credimus & attestamur ad salutem, *rex Iudæorum*. Tria dicunt, quæ Herodem mouere poterant. nempe, quòd natus, quòd rex, quòd Iudæorum, quibus ipse dominabatur. Si dixissent eum esse regem Angliæ, Franciæ, Daciæ, Poloniæ, nihil hoc curæ fuisset Herodi. Natus: adfert materiam gaudij & exultationis, iuxta illud angeli: Annun-
Luca 1. cio vobis gaudium magnum, quia natus est &c. Rex, af-
Cant. 3. fectum venerationis, iuxta illud in Canticis: Egredimini filiæ Sion & videte regem Salomonem. Sic omnes reges
Matt. 12 terræ cupiebant videre faciem Salomonis. At hic plus erat Salomone, sed rex Iudæorum, pariebat effectum religionis, notus siquidem in Iudæa Deus. Ecce titulus triumphalis, rex Iudæorum, à Magis nunciatus, quem Iudæi semper cane & angue peius habuerunt & abomi-
Luc 23. nati sunt. De hoc titulo Christum accusauerunt, eidem renunciauerunt, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem. Et ipsum publicari prohibuerunt, dicentes: Noli scribere rex Iudæorum. Et eum postea in cruce illi exprobrauerunt, dicendo: Si rex Israel est, descendat nunc de cruce. Sed scriptoris voce confirmatus est, qui dixit: Quod scripsi, scripsi. Nec hoc solum, sed maior est homine omni super terram, & æqualis deo, quod ex hoc sci-
Bar. 1. mus, quia *Vidimus stellam eius*, quæ sua luce, suum nobis monstrauit opificem, quia stellæ lucent ei qui fecit illas. Magi stellam, pastores angelum, Iudæi regem viderunt. Illi crediderunt, isti ei contradixerunt, gratis eum odio
Ioan. 15. habuerunt. Ideo illi salutem consecuti in sua fide, hi re-
Rom. 1. probati sunt, & proiecti à facie dei in perfidia sua. Sic Philosophi & Magi, inuisibilia Dei & sempiternā eius virtutē & diuinitatē per ea quæ facta sunt & intellecta cognouerūt, *& venimus*, personaliter, quia eū natū certi sumus. Ideo nō misimus nostros nūcios, & exploratores ad rei veritatē inquirēdā, sed venimus *adorare* humiliter & reuerētur *eum*, singulariter, tāquā Emmanuel, deū & hominē in vna persona. Felices qui tūc veniunt & adorāt cum Magis.

Magis. Venite ergo quique terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diuites & pauperes,adoremus & procidamus & nos ante deum,ploremus coram domino qui fecit nos,quia ipse est dominus deus noster,nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Nam quomodo nos iram dei effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Hæc enim propter nos scripta sunt, vt fidem & deuotionem Magorum imitemur, & Iudæorum obstinatam perfidiā expauescamus, Sic Magi in simplicitate cordis sui & puro oculo dominum quæsierunt,& senserunt de eo in bonitate,& eum inuenerunt,quia deus simplicitatem diligit.Omnis qui sic petit accipit,sic pulsanti aperitur. Sequitur iam Herodis inquisitio maligna,frustrata suo intento,quia deus dissipat cogitationes malignorum,ne possint implere quod cœperant manus eorum. *Audiens autem Herodes* magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius. Audiens quod ira dei in misericordiam conuersa est,& prope esse regnum dei:imo promissum regē Iudæorum in lege natum audiens,suspicatus est successorem, ideo *turbatus est*: Sed frustra turbatur omnis homo:imo,turbati sunt cum eo omnes insipientes corde,de quibus subditur: *& omnis Hierosolyma cum eo*, quia qualis rector ciuitatis,tales & inhabitantes in ea. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Et mobile semper mutatur cum principe vulgus. Ecce Hierosolyma,ciuitas iusti & sancta,tota turbatur, audito Saluatoris ortu, quo quid mirabilius?quid scelestius? quid execrabilius? quid tandem damnabilius? Assiduis clamoribus cœlum repleuerant prophetæ magnis vocibus,dicentes:Veni ad liberandum nos domine deus virtutum. Ostende faciem tuam & salui erimus.& iterum: Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum,aperiatur terra & germinet saluatorem,& id genus multas præces quotidie personabant. Ecce venit desideratus cunctis gentibus,& promissus Iudæis,sancta de radice Iesse & ex semine Dauid oritur.Venit in propria.Et cùm dño cātica noua cantare deberent propter mirabilia quæ fecit:cātare domino & benedicere nomini eius,annūciare de die in diē salutare eius,annunciare inter gentes gloriā eius,in omnibus populis mirabilia eius:ecce hæc nō solū nō faciunt,sed & sui eū nō receperunt:imo,eū alienigenis euāgelizantibus,nō solū nō dāt fidem,sed oēs turbati sunt in irascibili ira magnā, & moti

Psal. 142. Heb. 2. Mat. 4. Luc. 1. Iob 5. Eccl. 10. Esa. 45. Psal. 31. Psal. 106

& moti sunt per malitiam, in concupiscibili, dei misericordiam & allatam salutem despiciendo. Et omnis sapientia eorum, quā ex lege & prophetis, qui omnes ei testimonium perhibebāt habuerūt, deuorata est, ad nihilum redacta est: & facti sunt sicut equus & mulus in quibus nō
Act. 10. est intellectus. Peiores gētibus, qui deum ignorabant, & legē & Prophetarum oracula nesciebāt. Hæc est bone Iesu, prima populi tui ingratitudo, qua tibi retribuunt mala pro bonis, & odium pro tua dilectione gratuita. Quid autē facturi sunt cum scelera eorum argues, & dure increpabis, docēdo sicut authoritatē habēs, exitus docebit.
Isa. 66. O infelices, qui paruulum abominamini, irascimini infantulo, quis vnquā audiuit talia? Nā pueros paruulos omnis diligit & fouet rationalis creatura. Quis mirabitur scelestum & profanum regē turbari, audita regis vestri & noua & stupenda natiuitate? At vos omnes turbatos fuisse cum eo, quis satis admirari potest? quis nō abhorret? quis nō damnat? Omnes ecce estis turbati cum eo, plus iusto fuisset, si vnus, si decem, si cētum, si deniq; mille ex vobis ad impij regis fauorē & gratiā turbati fuissent. Nunc autē ad infamiā vestrā & æternæ dānationis cumulum, om
Esa. 50. nes estis turbati. Loquimini illi placētia, vēditis ei oleū,
Mat. 25. os eius sublinitis, lactatis eum sermonibus pessimis: nihilominus in eā sententiā ire nō possum quòd omnes si mul sint turbati. Sed iuxta hyperbolen, quod multi vel maxima pars facit, tota ciuitas astruitur fecisse. Fuerunt
Act. 2. in Hierusalem viri religiosi, redemptionē Israel assiduis orationibus postulantes & expectantes. Sed hi tacent timore mortis, vel verba eorum non sunt audita, & cane &
Iob. 5. angue magis abominabantur. Deridetur namq; iustorū simplicitas, & cum loquuntur sensate, nō datur eis locus.
Deut. 23. Insuper, iustus arguitur & dicunt, quis est hic? Et si votis eorum contradicit, subuertunt illum. Hæc sunt bone Iesu auspicia ingratitudinis gētis pessimæ, quā venisti saluare. O generatio praua atq; peruersa, hæccine reddis Domino Deo tuo & regi à seculis promisso & expectato, popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus qui possedit & fecit & creauit te? De malis & ingratis hæc dicta sunto. Bonos nihilominus & rectos corde etiā turbatos fuisse firmissime credo regis nati auditis optimis rumoribus: sed aliter. Nam isti cognouerunt malitiā Herodis & nimiam crudelitatem, & ideo formidabant ne quid

quid mali in Iudæos moliretur, vel ne puero nato mortem intentaret & perderet eum. Nam quemadmodum certantibus ventis, mare concutitur & naues submerguntur, sic regibus sibi aduersantibus, populus vexatur & occiditur. At Herodes vulpis dolosa ad technas fraudium se conuertit. Nam vt gentem Iudæorum se diligere simularet, de loco natiuitatis Christi eos sciscitabatur, quia natum eum esse, iam certus erat. *Et congregans omnes principes sacerdotum.* Ecce quanta diligentia malitiam suam & nequitiam exequitur. Nam filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, quia vt inique agant laborant, ambulant vias difficiles, lassantur in via perditionis, non dormiunt nisi cum malefecerint, & non capitur somnus ab eis, nisi supplentauerint. Herodes hic nihil negligit quatenus vitam occidat, Iudæi nec pedem vnum mouerunt vt vitam inuenirent aut speciosum præ filiis hominum, in quem & angeli conspicere desiderant, eo quòd facies eius plena est gratiarnm, videre possent. Sacerdotes iuxta ordinationem Dauid ministrabant in templo. *& omnes scribas populi*, qui in difficilioribus legis locis & negotiis erudiebant populum ad iustitiam. Sed iam omnia in diuersum sunt mutata, nam nullus eorũ, legem seruabat, & solummodo quæ sua sunt quærebant, ideo scripturas ad lucra sua detorquebant, & magis gloriam hominum, quàm gloriam quæ à solo deo est, quærebant. Alioqui hîc Herodi saluti consilia dedissent, & in fide eum Iesu Christi instruxissent. *sciscitabatur*, dolose, quasi ipsis congratularetur & congauderet. *vbi Christus*, rex eorum & sacerdos magnus, propheta & propugnator ad iustitiam, fortis et potens in prælio, *nasceretur*, in carne. Omnes ecce vocat, et dispares in professione: nempe sacerdotes et scribas, vt si ex vno ore, de proposita quæstione responderent omnes et idem, audiret. Si autem schisma inter eos oriretur, responsum haberet suspectum, et cruciatibus extorqueret veritatem ab eis. Sic exuberans bonitas et eius misericordia abyssalis, mox voluit in Hierusalem diuulgari, maximum dignationis et pietatis hoc sacramentum ad consolationem bonorum, et ne desertoribus vllum excusationis in sua perfidia velamen relinqueretur, et in malitia et obstinatione sua esset. Vt sic Hierusalem prima haberet iuxta nomen suum, lumen Dei et æternæ pacis visionem, et

Luc. 1. (beside line 6) · *Luc. 16.* (beside line 10) · *Hier. 9.* (beside line 14) · *Psal. 44.* (beside line 16) · *1. Pet. 1.* (beside line 17) · *Mat. 19.* (beside line 21) · *Esa. 19. & 63.* (beside lines 29–30) · *1. Tim. 3.* (beside line 36) · *Rom. 1.* (beside line 39)

in saluatorem crederet, quia salutem omnium in medio
Esa. 1. terræ, non post multos hos annos erat oporaturus. Sed sicut patres eorum, sic & isti genimina viperarum, infideles filij erant et adulterinæ plantationes. Restiterunt spirituisancto, abiecerunt gratiam Dei, oblatam salutem neglexerunt, noluerunt Christum super se regnare, à se
Mat. 13. proiecerunt leue onus & suaue iugum eius. Ideo salutem quam nolebant accipere oblatam, gentes cum gau-
Act. 13. dio receperunt, vt hic ostenditur in Magis, & electio eam
Rom. 11. est consecuta. *At illi dixerunt*, omnes concorditer ex vno ore, veritati quam odio habuerunt, testimonium reddendo. *In Bethleem Iuda*. Ergo non ex ignorantia, sed cordis duritia & malitia, credere noluerunt. Vnde Christus eis
Ioan. 9. postea dixit: Si cæci essetis & ignari, non haberetis peccatum, videlicet in spiritum sanctum, quo veritati resistitis, & agnitam impugnatis. Nunc verò, quia dicitis, quia videmus: peccatum vestrum manet. Bethleem prius dicta est Ephrata, id est, videns furorem, propter famē, qua
2. *Tim.* 3. furor Dei propter eorum peccata percussit eam tempore Ruth. Vel propter iram & furorem Herodis, quo in pueros deſæuit. Postea dicta est Bethleem, propter insperatam fœcunditatem: Maxime, quòd ibi Christus erat
Ioan. 6. nasciturus, qui est panis vitæ & cœli. Confirmant dictum suum scripturæ testimonio, dicentes: *Sic enim scriptum est per prophetam*, Michæam: *Et tu Bethleem.* Quatuor hæc scriptura ostendit: Ciuitatem, quia Bethleem: Regionē, quia *terra Iuda*: Dignitatem, quia *nequaquam minima es*
Heb. 13. *in principibus Iuda.* Dignitatis causam. *quia ex te exiet dux*,
Gen. 49. Christus, qui & olim dux itineris eorum fuit in deserto, quia Christus Iesus heri & hodie, ipse & in secula. Ipse dux est de fœmore Iudæ, ipse dux est & præceptor datus gentibus. Et dicit: Ex te exiet, non mo-
Rom. 4. rabitur. Valde enim breui tempore ibi habitauit. *qui*
& 9. *reget populum meum Israel*, Israel non secundum car-
Gal. 3. nem, sed secundum spiritum: nempe, eos qui ex fide sunt Abrahæ, & sectantur vestigia Abrahæ, qui pater est omnium credentium. Isti vident deum per fidem, &
Philip. 2. cum fideli Abraham benedicuntur. Circuncisi sunt,
2. *Tim.* 2. non in carne, sed in spiritu ab omni iniquitate. Felices qui hunc ducem per vias & semitas iustitiæ sequuntur, quia perueniunt ad vitam. Qui hoc non faciunt, cum cæcis ducibus suis cadunt in foueam damnationis æternæ.

æternæ. Sic omnia fiunt propter electos, vt ipsi salutem consequantur: Nam Magi in fide & hîc firmantur per testimonium scripturæ. O deploranda Iudæorum duritia, *Mat. 15.* qui aliis locum natiuitatis Christi, quem tanto desiderio omnes iusti desiderauerant, indicant. Et gentibus illuc euntibus, inquirentibus & adorantibus atque venientibus ex longinquo, illi in sua regione quærere eum recusant & adorare. Similes reuera lapidibus à miliario & manibus aliis iter ostendentibus, & illi immobiles perseuerant. Similes candelis accensis, quæ aliis iter ostendũt, & ne offendant pedib. aut cadant in foueas, lucẽt, & aliis lucendo consumunt semetipsas, Similes militibus, qui dũ duci suo victoriam bellando acquirunt & regno, ipsi occiduntur manus conserendo. Similes fabricantib. arcam Noe, in qua non ipsi, sed Noe saluatus fuit. Illi vero in aquis vehementib. sunt submersi. Tales doctores adhuc multos habet Ecclesia, qui dicunt & nõ faciunt, alios docent, seipsos non docẽt, aliis ostendunt viam salutis, & illi pereunt in suis peccatis, alios saluant, seipsos damnant. *Rom. 2.* Saluant alios per veram salutis doctrinam, seipsos damnant, operando iniquitatem & iniustitiam.

IN FESTO TRIVM REGVM

SERMO SECVNDVS.

BEATA per omnem modum Bethlehem, vt à calce sermonis prioris auspicer. Tum ratione nominis, tum ratione conditionis tum ratione germinis. Secundum nomen, domus panis: secundum conditionem, domus principis, secundum germen, domus saluatoris. Omnia super mel & fauum dulciora, bonis et rectis corde. *Psal. 18.* Beata ex nomine, quia Bethlehem, quia Ephrata, quia ciuitas Dauid. Omnia competunt Christo, quia et Christus Dauid vocatur crebrò in scriptura, et *Hier. 23.* originem habet ex semine Dauid secundum carnem. E- *& 30.* phrata est frugifera, et ipse plenus est gratia et veritate, *Ezec. 34.* existẽs, et ipse benedict⁹ fructus ventris Mariæ, fructúmque *& 37.* multum attulit in patientia. Bethlehem est ratione *Osea 3.* refectionis, quia esurientes et sitientes iustitiam satiat, et *Ioan. 1.* implet omnibus bonis, atque omnes ad se venientes reficit *Mat. 5.* nec vnum permittit fame affligi. A conditione beata est, quia nequaquam minima est: quippe quia conscia

ſcia myſteriorum ante aduentum Chriſti. Conſcia gau-
1.Reg.16 diorum in aduentu Chriſti. Conſcia item martyriorum,
& 20. poſt aduentum Chriſti. Quo ad myſteria, ibi Dauid fuit
vnctus in regem, ibi ſolenne ſacrificium fuit celebratum.
Ruth.4. Ibi connubium Ruth & Booz fuit contractum, in quo
præfigurabatur humanitatis & diuinitatis Chriſti vnio
Pſal.144 in vna perſona. Eius verum & perfectum ſacrificium, &
Dan.7. eius æternum regnum. Fuit conſcia gaudiorum in aduen
tu Chriſti. Quæ vox quæ poteſt lingua retexere gaudiū
angelorum pſallentium, paſtorū videntium, regum ado-
Luca 2. rantium, populorum credentium. Fuit & conſcia marty-
riorum poſt aduentum Chriſti, quia Herodes miſit in
Bethlehem & occidit, &c. Maxime tamen beata eſt in
germine, quia germen nobile eſt, nempe rex ſiue dux &
Mat.2. dominator. Germen vtile, quia reget populum ſecūdum
cor dei. Reget per potentiam, omnia ſuſtinendo & hoſtes
traducendo. Per ſapientiam, omnia bene diſponendo &
faciendo. Per bonitatem, miſericordiam & iuſtitiam o-
Hier.23. mnia ſaluando, & ad ſe trahendo. De his Hieremias ait:
Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex & ſa-
piens erit, & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. *Tunc*
cognito loco à ſacerdotibus & ſcribis, *Herodes*, impius et
alienigena, aſtutus et callidus et ſerpens et Satanas, *clam*
vocatis magis, concilio ſacerdotum et ſcribarum prius di-
miſſo. Timebat enim ne forte Iudæi iugum tyrannidis
ſuæ pertæſi, et regem ſui generis amantes, et cognoſcen-
tes aſtutias ſuas, conſilium et dolos ſuos Magis prode-
rent, vel natum regem occultarent (vt Ioiada ſacerdos
2.Par.22 Ioas regem) vel in exteras regiones educandum fur-
tim mitterent. Vt enim timida eſt nequitia, ſemper ſæua
Sap.17. præſumit. Sonitus terroris ſemper eſt in auribus illius,
et cum pax ſit, illa ſemper ſuſpicatur inſidias. Ignorabat
autem iſte ſceleſtus, quòd maiores inimici Chriſti erant
Iudæi, quàm ipſe. *diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ*
apparuit. Non quærit tempus pueri, ne ei videretur inſi-
diari, ſed ſtellæ, quando orta eſt eis. Item de ſtellæ for-
ma, ſitu, motu & occultatione, de quibus late vide Po-
merium, quaſi vellet cognoſcere ſignum, & venerari re-
gem natum. Nequiter ſe humiliauit, & interiora illius
plena erant dolo. Ideo cùm tales vocem ſubmittunt, nō
eſt eis credendum, quia ſeptem, hoc eſt, omnes nequitiæ
ſunt in corde eorum. Iam certificatus de loco & tēpore,
nunc

nunc inquirit de persona. Et Magis tria committit: nempe, quò debent ire, quid facere & quo fine. *Et mittens eos in Bethlehem*, secundum dicta sacerdotum & scribarum, dixit, ex malo thesauro cordis sui mali: quid autem ibi debeant facere, addit: Ite in pace, & deus pacis & dilectionis sit vobiscum, & angelus eius bonus vos comitetur, *& interrogate diligenter*, vt certum mihi nuncium portare possitis, *de puero*. non dicit de nato rege Iudæorum, quia superbia mente sua eum despexit, & proprium est superborum, de aliis contemptibiliter loqui. Nec nomine regio aut principatus eum dignabatur, & regnum illi inuidebat. *Et cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum*. Eo modo quo Ioab Abner occidit in dolo: & ad Amasan sub verbis pacificis dicens: Salue mi frater, & cum osculo eum proditorie occidit: sic & iste filius diaboli, qui homicida est ab initio, vult patris sui desideria & opera facere. Mentitur vultu hilari, & verbis se eum adorare velle, quem inuida cogitatione tractabat occidere. Et hoc vt Magi alacrius redirent, & ne Iudæi quorum rex erat futurus, ab eo ipsum absconderent. Væ tibi o profane, qui tuas malitias existimas puerũ latere, omnia nuda & aperta sunt oculis eius. Ipse discretor cogitationum & intentionum cordis est. Conuertetur dolus iste in caput tuum, & in verticem tuam iniquitas tua descendet. Contra animam tuam moliris insidias, & contra sanguinem tuum insidiaris. *Qui cum audissent regem* nihil mali suspicantes, omnia syncero putantes agi affectu & corde. Sic innocentes & simplices, ex sua natura alios æstimãt. Et sicut ipsi omnibus prodesse & nulli volunt obesse, eadem cogitatione alios armatos & affectos esse sibi pollicentur & sperant, *abierunt* festinanter & sine malitia, viam regiam, & magno gaudio pleni de certificatione loci natiuitatis Christi. *Et ecce stella quam viderant in oriente*, quæ se occultauerat interim quod in Hierusalem erant, iterum eis apparuit, postquam ciuitatem sanguinum fuerunt egressi, *antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra* domum, multum vicina domui, quia aliter non discerneretur domus in qua salus mundi, deus deorum, rex regum, & desideratus cunctis gentibus hospitabatur, ab aliis, *vbi erat puer*, qui & antiquus erat dierum, & deus ab æterno. Et quem loquendo non poterat, stando demonstrauit. quasi dicat, Hic est rex Iudæorum, desiderat-

Mat. 12.
2. Reg. 3.
Ioan. 8.
Heb. 4.
Psal. 7.

desyde-

desiderium collium æternorum, salus, vita, pax & redem
ptio omnium electorũ *Videntes autem Magi stellam* quam
Hierusalem ingrediendo amiserant, *gauisi sunt gaudio magno valde.* Gauisi sunt, quia quod quærebant inuenerunt.
Psal. 3. Sed gaudio magno, quia veritatis nuncij facti sunt: sed
magno valde, quia non inaniter laborauerunt: vel gauisi
sunt, quia hostis Herodis technas euaserunt. Sed gaudio
magno, quia ducem stellam recuperauerunt. Sed valde,
quia regem gloriæ, dominum virtutum, qui est omne bo
num, inuenerunt, quem quæsiuerunt. Hoc est triplex gau
dium sanctorum: nempe, puritas conscientiæ, in cuius a-
Rom. 16. more iugiter delectantur. Palma victoriæ, quia Satanam
2. Tim. 4. contriuerunt sub pedibus suis certando legitime. Adep-
tio coronæ iustitiæ quam optauerunt. hoc gaudium ne-
mo tollit ab eis. Et *intrantes domum*, ergo omnis qui quæ
rit in simplicitate cordis dum inueniri potest, inuenit.
Sed quomodo inuenerunt eum. Intrantes ait simul. Ma-
gnum est ergo societatis emolumentum, et væ soli. In-
trantes ergo per ianuam siue ostium, et non irruentes
Mat 7. aliunde. Intrauerunt per angustam portam quæ Chri-
stus est: nempe per fidem eius & imitationem. Intrabant
domũ dei, quæ est ecclesia. Illam intrabant in multitudi-
ne misericordiæ eius. Non in superbia, sicut radix pecca-
ti Antiochus intrauit in sanctificationẽ. Hoc modo *inuenerunt*, quia quæsiuerunt *puerum*, in quo nulla erat macu-
la, decorum forma, eruditum omni sapientia, cautum
scientia, doctum disciplina, malitia puerum, sensibus au-
tem perfectum, quia in eo erant omnes thesauri sapien-
Col. 2. tiæ & scientiæ dei absconditi. Inuenerunt illum puerum,
cui pater imperium suum dedit. Hic est puer qui placet
deo & hominibus. Ecce puer paruulus, amabilis, pacifi-
cus, patiens, & humilis, innocens manibus & mundo cor-
de, & nisi nos conuersi à malo fuerimus, & efficiamur si-
cut puer iste, non intrabimus in regnum cœlorum. Hic
puer Nazarenus dei erat (peccatum non fecit, nec dolus
inuentus est in ore eius vel minimus) ab infantia sua, &
ex vtero matris vsque in diem mortis suæ. Sed cum
quo & quibus inuenerunt? *Cum Maria matre eius.* O hu-
militas stupenda seruatoris nostri, Nos humiliamus
nos vtcunque sub potenti manu dei, humiliter etiam
sentimus de nobis. Despicimus nos in conclaui, & in-
dignos nos dicimus pane quo vescimur. Arguimus vias
nostras

noſtras in conſpectu dei,& dicimus: Ego ſum maximus peccatorum, minimus ſanctorum, onus terræ, opprobrium hominum & abiectio plebis &c. At, ab aliis nolo deſpici,argui,inutilis,malus, vilis & abiectus dici & cenſeri. Profecto, ſi vere humilis eſſem in corde, tunc qualem ego me inuenio,dico,iudico & reputo,vellem quod omnes talem me dicerent, iudicarent, haberent & reputarent. Hoc facit humilis corde. ſed humilis ore tantum, non eſt humilis in veritate, ſed in oſtentione & ore vel fictione, quia non eſt, ſed vult humilis dici & reputari, ſpeciem humilitatis habet, virtutem eius & veritatem abnegat, ſi arguitur prauitatis, probris afficitur,deſpicitur aut humiliatur. Sic in imagine humilitatis pertranſit homo, & fruſtra certe in humiliatione ſua perturbatur. Nos ſumus ſimiles ſepulchris mortuorum, quæ foris pulchra colorum varietate depicta parebant: ſed intus pleni ſumus hypocriſi, ſuperbia,ambitione.Sic idolum Bel, foris aureum apparebat, ſed intus luteum erat. Si in aliquo vis humilitatis veræ periculum facere, extende non manum virga percutiendo, ſed linguam, ſceleris eam & ignauiæ arguendo, & tunc in faciem tibi maledicet, excuſabit ſe,mendacij te arguet, calumniatorem te eſſe proclamabit, ad ſuperiorem iudicem prouocabit, non parcit linguæ à verbis maledicis, vix continet manus à verberibus & plagis. At Chriſtus mitis eſt & humilis corde, hoc eſt in veritate & operis atteſtatione, quia cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, ſed ſicut agnus coram tondente ſe, obmutuit. Aliquando falſis calumniis vt doctor veritatis reſpondet, non vt ſe vindicet,aut malum pro malo reddat, ſed vt vincat in bono malum, & documenta ſalutis pro ſcommatibus reddat.Aliquando tacet,vt & nos ita faciamus. Amplius,ille q̃ erat omniũ ſanctiſſimus,potentiſſimus,maximus & nobiliſſimus hic inuenitur in ſtabulo vel magis in humili diuerſorio, cum ſua matre paupere,pannis inuolutus vilibus,ſed mundis. Vt oſtẽdat ſe humilitatẽ amare:ideo pauper vilis & deſpectus etiã aliis apparet,& maxime iſtis regibus.Nec erubuit, ſicut nos erubeſcimus de pauperib.amicis,de paupertate,de habitus vilitate,de domus noſtræ paruitate de liberorum noſtrorum aſſiduo labore pro vitæ ſuſtẽtatione. Ille vilem,abiectum et deſpectum et pauperem,cum

Dan. 14. Eſa.53. Ioan.8. Rom. 12. Luce 2.

eſſet

esset diues & super cœlum & terram maximus,se ostendit in veritate,quod non erat in veritate. Et nos in veritate viles,abiecti,peccatores & omni extremitate & de-
1.Cor.3. spectione pleni sumus & digni,& volumus,humiles,boni,iusti & sancti reputari, quod non sumus,& quod sumus,nequiter dissimulamus,excusamus,defendimus,negamus.Discamus ergo nunc quomodo exemplo Christi
Mat. 12. humiles corde esse debemus,et non solum nosmetipsos
Esa.53. humiliare,sed etiam humiliationem diligere.Sic qui pec
1.Pet.2. catum non fecit,& hunc mundum ingressus sine vlla ma
Luc.2. cula fuit peccati,vt peccator circunciditur. Vt quem mater sua in peccato concepisset, in templo offertur,vt in-
Gal.3. glorius et omnium peccatorum maximus crucem pertu
2.Cor.5. lit,peccatum factus pro nobis & maledictum. Æmulemur veram humilitatem Christi in terris,vt cum eo postea exaltemur in cœlis. Inuenerunt ergo puerum cum
Heb.2. Maria matre eius. Quid erubesceret matrem, qui non confunditur nos esse & dicere suos fratres? O felix o ter quaterque beata virgo Maria & omni laude dignissima, quia sine Maria Iesus non nascitur,sine Maria non inuenitur,sine Maria non crucifigitur. Ipsa ministra fuit incarnationis eius: ideo sine ea non nascitur. Ipsa famula educationis, ideo sine ea non inuenitur. Et errat sicut ouis quæ periit, qui Iesum quærit & eum se inuenire posse æstimat sine Maria. Inuenerunt pastores Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio. Ipsa socia est passionis,quia ibi gladius animam eius pertransiuit,ideo sine ea non crucifigitur. Stabat namque iuxta crucem Iesu Maria mater eius. Inuenerunt ergo puerum cum
Luca 2. Maria matre eius.Cum dicit, puerum cum Maria matre eius.satis claret quod ipsa puerum tenuit in gremio suo quando Magi domum intrauerunt. *Et procidentes*.ecce eorum humilitas *adorauerunt*, eccce vera eorum fides et
Ioan. 19. pietas,que est dei cultus, Adorauerunt deum et hominem in spiritu et veritate. Adorauerunt in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in paupertate diuitem et omne bonum, in humilitate regem regum,in forma hominis Deum Deorum et Dominum maiestatis.Et *apertis thesauris suis*.Ecce dona et oblationes commendabiles ex multis. Tum ratione preciositatis,quia de thesauris.Ratione ꝓprietatis,quia de suis, non de alienis. Ratione præuentionis, quia *obtulerunt*,

hilari

hilari & propensissimo animo. Hilarem nanq; datorem 1.Cor.8.
diligit Deus & laudat totus mundus. Non ex tristitia, nõ
ex necessitate, non ad placendum hominibus, sed volun-
tarie obtulerunt, non post longas preces tradiderunt. Ra
tione liberalitatis, quia *munera*, nõ mutuum, non debita.
Ratione significationis. quia *aurum, thus & myrrham.* Fi-
dem suam mysticis muneribus protestantes. Aurum re-
gi magno, thus Deo vero, myrrham homini mortali. Per
hæc significabant & credebant in Christo, regiam maie-
statem, veram deitatem, & humanam mortalitatem, qua Iob.5.
mortem destruxit & vitam reparauit. Vel ad literam hæc
tria singuli obtulerunt: Aurum, ad matris pauperis & pue
ri sustentationem, thus contra stabuli fœtorem, myrrhã
propter membrorum debilium pueri confortationem. *Et* Gen. 49.
responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, puerũ quæ
rentem ad perdendum. Sic deus dissipat cogitationes
malignorum, ne possint implere manus eorum quod ma Psal.114
chinantur. Sic fratres Ioseph, cogitabant de eo malum,
sed deus conuertit hoc in bonum. Sic iuuidus Saul cre-
bro innocentem Dauid ad mortẽ quæsiuit, sed deus eri-
puit animam eius de morte, oculos suos à lachrymis, pe-
des eius à lapsu. In somnis responsum acceperunt, quia
ad fidẽ & credendũ faciles erãt *per aliam viam:* nẽpe, ma-
ris, vt Lyra dicit & Gorra, *reuersi sunt in regionem suam,* gau
dẽtes & glorificãtes deũ in oĩbus quæ audierant & vide-
rant. Dubio procul aliquãdiu in Bethleẽ mãserunt, & per
Mariã de omnibus mysteriis ad plenum edocti fuerunt.

IN FESTO TRIVM REGVM

BREVIS MORALITAS CIRCA *euangelium, Sermo tertius.*

EX QVO omnia quæ scripta sunt, pro- Rom. 15.
pter nos scripta sunt: ideo consilium putaui
& operæprecium quandam breuem mora
litatem, iuxta hoc euangelium scribere, so-
lummodo occasionem dando sapientibus,
vel potius parum doctis, & aperire fenestrã, iacere funda
mẽta ac præstruere viã. Septem autẽ notare debẽt quæ-
rẽtes Iesum: nẽpe, Qui veniunt & quærunt, quia sapiẽtes
Magi. Et hi sunt tres: Pœnitẽtes, quia cor sapiẽtis vbi tri-
stitia. Actiui, qui seminãt in lachrymis, laborãt in gemitu Psal.6.
suo, lauant per singulas noctes lectum suum, lachrymis Prou.10.

suis stratum suum rigant, iuxta illud: Qui congregat in
Esaiæ.42. messe, filius est sapiens. Contemplatiui. Cor sapiētis intrat in sapientiam, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Vnde veniunt? Ab oriente, per quod prosperitas accipi debet, & mundi huius amor, qui triplex est: nempe, concupiscentia carnis & oculorum, & superbia vitæ. Quis vocauit ab oriente? Ille qui ab hac triplici concupiscentia iustum vocauit, vt sequeretur se.
Eccle.3. Tertio, cuius ducatu veniūt? Stellæ, quæ est triplex: Docens doctor ad iustitiam plurimos. Illuminatio gratiæ;
Apoc.1. Dabo illi stellā matutinam. Exemplum vitæ, quasi stella
Phil. 2. matutina in medio nebulæ. Sic lucent iusti sicut stellæ in firmamento. Isti sunt stellæ manentes in ordine Species & pulchritudo cœli, & ecclesiæ, est gloria istarum stellarum. Lunam Mariam, & stellas istas, Deus fundauit in charitate, in fide, in iustitia, & supra firmam petram Christum. Quid inuenerūt? Herodem primùm, qui glorians in pellibus interpretatur. In quo signatur triplex gloria impeditiua veniendi ad Iesum spiritualiter: Vna
Hier. 2. de scientia, sic in pellibus scribimus. Alia in temporaliū abundantia, sic pelles & vtres implemus. Tertia de potestate præsumpta, sic pellibus tegimur & calciamur. Hæc triplex fallax gloria, prohibetur. Non glorietur sapiens in sapientia sua, nō glorietur fortis in fortitudine sua, nō glorietur diues in diuitiis suis. Sed relinquentes & recedentes ab Herode impio & scelesti, à mala societate, à malis doctoribus, consiliariis & rectoribus, inueniunt Iesum cum Maria, hoc est salutem cum auxilio Mariæ, etiam si Lutherani rumpantur: nam sine Maria Iesus nō inuenitur, sine Maria spiritussanctus non datur. Erant
Eccle.24. perseuerantes in oratione, & sine Maria nuptiæ inter Christum & animam non celebrantur, quia Maria est thalamus sponsi & nuptiarum. Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, in lectulo florido. Maria est aquæductus gratiarum. Ideo sine ea spiritus sanctus non datur. Ego ait, quasi aquæductus exiui de paradiso. Maria est dux siue lux animarum, ideo sine ea Iesus non inuenitur. Vnde ait: Transite ad me omnes qui concupiscitis me & à generationibus meis adimplebimini. Ad quid veniunt? Ad offerēdum: Vnde apertis thesauris suis obtulerunt munera. Munera inquam, Aurum iustitiæ & satisfactionis, quod offerunt pœnitentes. Thus desiderabilis,

bilis vitæ proficientis, quod offerunt actiui. Myrrham *Eccle.1.*
sapientiæ eminentis, quia qui addit scientiam, addit &
laborem, quod offerunt contemplatiui. Sexto quid offerunt?
Aurum, thus, & myrrham. Et habent omnes sua
munera quæ vnusquisque in ordine suo puero Iesu offerre
debet: Iusti & recti corde offerant puero Iesu
thus sanctitatis, & semper sint Christi bonus odor in
omni loco. Aurum iustitiæ, reddendo vnicuique quod
debent, deo, sibi & proximis. Iusti tales in perpetuum
viuent, & intrabunt in vitam æternam. Et myrrham perseuerantiæ
finalis permanendo in bonitate: sic seruiunt
iusti deo, in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis.
Vltra hęc religiosi sua munera quæ offerant habẽt: nempe,
aurum, thus & myrrhã. Aurum offerunt omnia relinquendo,
thus redolens, castitatem seruando, myrrham
obedientiæ quæ amara est, se ipsos abnegando. Habent
coniugati munera sua: fidem, proles & sacramentum,
&c. Habent peccatores munera sua quæ offerre debent:
Contritionem cordis, ecce myrrha. Confessionem oris,
ecce thus redolens. Satisfactionem operis, ecce aurum.
Habent omnes electi munera sua præciosa valde: nempe, *1.Cor.13*
thus fidei, nam fides electorum odor est suauissimus
ante deum. Habent myrrham spei, quæ præseruat eos à *Rom.1.*
putrefactione peccatorum, quia non delinquunt omnes
qui sperant in eo, sed sanctificant se, sicut & Christus est *Psal.33.*
sanctus. Habent & aurum obrisum syncerræ dilectionis *2.Ioan.3.*
Charitas ista est aurum optimum. Incipientes habent *Matt.6.*
munera sua: myrrham sobrietatis, pietatis thus, & iustitiæ
aurum, quia sobrie, pie & iuste viuũt in hoc seculo.
Habent etiam thus orationis, myrrham ieiunij, aurum
eleemosynarum. Proficientes, munera sua offerunt, dum
sancte, iuste, & sine querela viuunt, & adsunt omnibus.
Aurum offerunt viuendo iuste, myrrham sancte, thus
viuendo sine querela. Perfecti vero sua præciosa offerunt
munera, dum se per omnia sanctificant, spiritum incorruptum
custodiunt & integrum, & animam & corpus.
Corpus in sacrificium matutinum, animã in vespertinum.
Et spiritum in holocaustum, per totalem suiipsius
abnegationem in charitate, qui facit hæc non mouebitur
in æternum, hic beatus in facto suo est. Septimo quomodo *Iac.1.*
redeunt? Responso accepto à deo dissuadente
malum & præcipiente bonum. Prohibentur ad Herodẽ

redire,per quem diabolus,hæreticus,homo malus,& oc-
casionem ad peccatum præbens,intelligitur. Non est ad
Herodis dominium redeundum,quia occidit pueros.Ad
Herodis siue hæretici colloquium,quia fraudulentũ, do-
losum,mendax,proditorium , quia sicut nouacula acuta
Psal. 51. facit dolum. Linguis suis dolose agunt , venenum aspi-
dum sub labiis eorum. Ad Herodis & personæ consor-
Psal. 17. tium,occasionem ruinæ dantis,quia periculosum : Nam
cum peruerso,homo peruertitur,& qui amat periculum,
Eccle.3. perit in illo. Sed voci domini est obtemperandũ, qui vti-
lia docet,& viam dei in veritate , quia per aliam viam,
nempe per viam mandatorum & consiliorum. Christi.
Hæc enim perducit ad regnum cœlorum & in regionem
nostram & viuorum. O maledicti, qui ficte cum Herode
accedunt ad confessionem,fingunt contritionem, enar-
rant peccatorum seriem,promittunt emendationem,di-
Psal. 77. ligunt deum in ore suo,& lingua sua mentiuntur ei:Cor
eorum non est rectum cum eo,nec fideles sunt in testa-
mento eius,imo mentiuntur omnia quæ dicunt.Nam ad
Herodem postquam surgunt à sacerdote redeunt,instar
canum reuertuntur ad vomitum in peccatis suis insu-
2.Pet.2. munt & pereunt. Sed nolunt intelligere sacerdotes vt
bene agant,dulcis eis est glacies cocyti,ideo peccata eo-
rum manent,nec absoluuntur,sed fortius ligãtur,& ma-
gis funibus peccatorum suorum cõstringuntur:nec deũ,
Prou.5. sed se ipsos fallunt,Soli deo honor & gloria,Amen.

IN DIE PVRIFICATIONIS
DEIPARAE VIRGINIS
Mariæ,in Epistolam Homilia.

HÆC *dicit dominus &c.* Magna opera domi
ni , exquisita in omnes voluntates eius.
Psal.100 Hinc miserendi tẽpus suum in quo nos visi
tauit oriens ex alto,antequam cõpleretur,
& ipse venit qui erat expectatio gentium,
Mala.3. desiderium collium æternorum, & desideratus cunctis
gentibus,& saluator omnium in se credentium , longe
ante per prophetas suos prædixit,cum eo modo quo sibi
placuit nostræ salutis magnum pietatis sacramentum &
opus auspicari.Vt sic nemo ignorantiæ posset fucũ præ-
tendere & dicere, se nesciuisse quando venit , aut quo-
modo

modo in terris videri debuit & cum hominibus conuersari. Hinc diuus Petrus ait: De salute quæ per Christum facta est, exquisierunt & scrutati sunt prophetæ veri, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes supernaturali illustratione, in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, qui loquebatur in prophetis, prænuncians eas, quæ in Christo sunt & mēbris eius passiones præcedentes, & posteriores glorias. Hinc in epistola quā habemus in manibus, tam clare primus Christi aduentus, quo venit in humilitate ad saluandum omnes gentes, exprimitur, vt nemo dicere possit, iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Imo, ortus est omnibus, sed vos odistis lucem, & magis tenebras amastis quàm lucem, quia opera vestra mala erant. Ideo non venistis ad lucem, nec credidistis in lucē, neque amastis hanc veram lucem, ne opera vestra mala manifestarētur, arguerētur & relinquere cogeremini, quod erubuistis, noluistis, horruistis. Audiamus igitur quid sapientia dei loquatur per Malachiam de suo primo aduentu, in quo venit plenus gratia & veritate vt saluaretur mūdus per ipsum. *Ecce* magnum pietatis opus & sacramentum, ait pater misericordiarum, *ego* deus saluos faciēdi, qui nolo mortē peccatoris, sed volo vt conuertatur & viuat. Qui dissimulo peccata hominum propter pœnitentiā, nolens aliquē perire, sed omnes ad pœnitentiā cōuerti, quia misericors sum & præstabilis super malitia. Hinc parco omnibus quoniam mea sunt, & amo animas. Ideo ne pusillus vnus pereat, *mitto angelū meum* Ioannē Baptistam, quem Christus ore proprio dicit hūc angelum fuisse. Fuit angelus, hoc est, homo missus à deo patre, vt testimoniū perhiberet de lumine. Quod & crebrò fecit, maxime, cum dixit: hic est filius Dei. Et iterum: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccatā mundi &c. Angelus fuit Ioannes, per sanctā in timore dei conuersatione, per clarā dei cognitionē in fide, per seraphicū suum amorē, per iugē dei laudem, per mundi contemptū, vitæ rigorē, continuam voluntatis dei adimpletionem, vt ad longū possunt deduci. Ipse instar angeli legē dei docuit, peccantes corripuit, immaculatū se ab hoc seculo custodiuit, *qui præparabit viā ante faciem tuam.* Adhortando homines vt credāt in Christū, resipiscāt à diaboli laqueis, dignos faciāt fructus pœnitētiæ: Vt relicta malitia con-

1. Pet. 1. *Sap. 5.* *Ioan. 3.* *Ioan. 1.* *Eze. 18.* *Sap. 11.* *2. Pet. 3.* *Mat. 18.* *Matt. 11.* *Luc. 7.* *Ioan. 1.* *Iac. 1.* *Ioan. 6.*

uertantur ad dominum deum suum, & trahentē patrem
Apo.3. ad filium sequantur, vt filio pulsanti cordis ianuam aperiant, quatenus ad eos ingredi, & māsionem facere pos-
2.Pet.1. sit apud eos. Vt item oblatam gratiam & salutē non negligāt spiritusſanđi. Præparauit viam ante faciē Christi, quando sua angelica vita, sana doctrina & baptismate Iudæos habiles fecit ad doctrinam euangelij, regni & gra-
Titi.3. tiæ dei, & baptismum Christi, in quo regenerantur & renouantur omnes præordinati in vitam æternā. *Et statim,*
Mala.4. post ortum Ioannis, qui fuit aurora solis iustitiæ, præco iudicis viuorum & mortuorum, nuntius regis regum &
Luc. 2. principis regum terræ, *veniet*, ex æterna charitate, vt saluet populum suum. Veniet inquam *ad templum suum*, in
Psal. 47. illud offerendus iuxta legis præscriptum, sicut Dauid in spiritu vidit, cum dixit: Suscipiemus deus misericordiam tuam in medio templi tui. Primo in templo vteri virgi-
Ioan. 1. nalis, quando verbum caro factum est. In quo decem mensium diebus, sicut in paradiso deliciarum, in domo sua sancta, in throno suo eburneo, in lectulo suo mundissimo, in ferculo suo magnifico, habitauit in pace. Deinde, postquā sol qui erat in nube, clausus in thalamo vteri suæ benedictæ matris, refulsit, & natus est, in terris visus est, tunc die quadragesima ortus sui, oblatus est in
Mat. 5. templū, iuxta legitima legis. Quia non venit soluere legem, sed adimplere. *dominator* virtutis, cui subest cū vo-
Sap. 12. luerit, posse, qui regit populum Israel in pace, & tūc nihil eis deerit, *quem vos* electi & præordinati in vitā æternam, qui esuritis & sititis iustitiam, *quæritis*, in simplicitate cordis vestri, *& angelus testamenti* noui, quod est euā-
Matt. 5. gelium gratiæ Dei, ore filij Dei promulgatum, & roseo sanguine suo confirmatum, *quem vos* boni & recti corde
Mat. 26. *vultis*, desideratis, & diu noctuque petitis, vt veniat & saluet vos, dicēdo: Veni ad liberandum nos, Domine Deus
Psal. 57. virtutum. Et iterum: Rorate cœli desuper, & nubes pluāt iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Et ite-
Esai. 45. rum: Ostende nobis domine misericordiam tuam, & sa-
Esai. 64. lutare tuum da nobis. Et iterum: Vtinam cœlos dirumperes & descenderes. Et iterum: Qui regis Israel intēde,
Psal. 84. qui deducis velut ouem Ioseph. Qui sedes super cherubin, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse. Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos. Totus iste psalmus hoc deuotissime desiderat & præcatur.

Ecce

Ecce venit mansuetus & pauper, mitis & humilis corde, vt nos sua ditet inopia. Vt liberet nos de manibus inimicorum nostrorum & omnium qui oderunt nos, & saluet in regnum suum cœleste. *dicit Dominus exercituum*, qui fidelis est in omnibus verbis suis, sanctus in omnibus operibus suis. Dicitur Dominus exercituum, quia omnes angeli seruiunt ei, illi millia millium ministrant, & decies millies centena millia assistunt. Multi reges & prophetæ voluerunt, & desiderio magno desiderauerũt videre quę apostoli viderunt, et audire verba gratiæ et vitæ æternæ, quæ audierunt, et neq; viderunt desideratum cunctis gẽtibus, speciosum præ filiis hominum, in cuius vultum etiã angeli desiderant aspicere, eo quòd est plena gratiarum. Nec audierunt ex ore eius euangelium regni, et verba gratiæ eius, dulciora super mel et fauum. *Et quis poterit cogitare diem aduentus eius?* Paucis siquidem hoc reuelatum est, et forsitan quantum ad mensem, diem et horam, nulli. Quis enim hominum potest scire consilium dei? Nam difficilia æstimamus quæ in terris sunt, et quæ in prospectu sunt inuenimus cũ labore. Quæ in cœlis sunt autem, et signata in thesauris dei, quis inuestigabit? *& quis stabit ad videndum eum?* plenum gratia et veritate? Pauci certe, comparatiuè. Multi enim quando viderunt eum, à paupere matre natum, nullo regio exercitu stipatum, non seculari fastu tumidum, sed pauperem et simplicem vitam ducentem, discipulos, non sapientes secundum carnem, non potentes, non nobiles, non diuites, sed qui stulti erant mundo, infirmi, ignobiles et despecti, elegisse et secum habere, despexerunt eum vt vermem. Nã sic erat opprobrium hominum et abiectio plebis. Omnes videntes eum, deriserunt eum, loquebantur de eo mala, et ex magno despectu mouerunt capita sua. Alij reddentes ei mala pro bonis, et odium pro sua dilectione, cũ increpasset eos in misericordia, ne cum hoc mundo damnarentur, odio iniquo eum odire ceperunt; et inuidia diabolica, per quam mors introiuit in orbem terrarum eum iniuste persequi, adeóque semper profecerunt in peius quod non potuerunt ei quicquam pacifice loqui, diuina eius opera calumniabantur, grauis eis erat ad videndum, et tandem eum morte turpissima condemnauerunt. *Ipse enim quasi ignis conflans* peccata grauia, grauius puniendo. Nam sicut aurum et argentũ igne purgatur,

2.Cor.8.
Luc.1.
Psal.144
Luc.10.
Psal.44.
Luc.4.
Sap.9.
1.Cor.1.
Sap.2.
Eccl.2.

Iudic 8. purgatur, sic homines receptibiles in camino tribulationis. Multæ tribulationes iustorum, & quotquot deo placuerunt ab initio, omnes per multas tribulationes transierunt fideles. Hæc electi semper mente cogitabant, sciẽtes quod quicquid mali, aduersi, molestiæ & doloris sustinent, dominus facit. Ideo omnia in dei regerunt voluntatem, qui sic erga eos paternam suam ostendit charita-
Prou 3. tem. Nam quem diligit dominus castigat, & flagellat om-
Hebr. 12. nem filium quem recipit, aliquando per se, aliquãdo per
Iob 1. alios, vt placitum est ante eum. Sic purgauit beatum Iob per Satanam. Dauid per Saul inuidum probauit. Hinc di-
2. Reg. 16 xit, cum calumniatus fuisset à pestifero seruo: Dimitte eũ vt maledicat mihi, dominus enim præcepit ei vt maledicat Dauid. Et Iob non maledixit Satanæ, omni telorum genere eum impugnantem, ac omnem malitiæ suæ
Iob 1. virtutem in se experientem, sed dei voluntatem secum reputauit, quia per Satanam se afflixit, ideo dixit: Domi-
Deut. 3. nus dedit, dominus abstulit, cum sit quasi ignis conflans,
1. Reg. 6. sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen eius bene dictum qui occidit & viuificat, percutit & sanat, deducit
2. Cor. 7. ad inferos & reducit, humiliat & subleuat. *& quasi herba fullonum*, leuiùs leuia puniendo, & sic electos ab omni
Psal. 50. inquinamento carnis. & spiritus emundando. Sic lauat eos aqua gratiæ suæ, & sic super niuem dealbantur. Sic quorum facies denigratur super carbones, adeo quòd nõ
Esa. 1. cognoscuntur à Deo in plateis, istos cum conuertuntur, amplius ab iniquitate lauat, & à peccatis mundat, adeo quòd si fuerint sicut coccinum, quasi nix dealbantur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba fiunt: imò, facit eos cãdidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores.
Esa. 4. ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Hoc modo abluit dominus sordes filiorum Israel in spiritu iudicij, & sanguinem in spiritu ardoris. Ipse solus mundos facit de im-
1. Pet. 4. mundo conceptos semine, quia nemo potest peccata dimittere, nisi solus deus. *Et sedebit*, in quo notatur diligentia, *conflans & emundans*, igne sui amoris, qui multitudinem peccatorum operit, & ignito eloquio suo peccatorum sordes, & emundans, *argentum*, hoc est, in se credentes. *& purgabit*, singulariter, *filios* Leui, & mini-
Dan. 13. stros domus dei, quia sacerdotes & episcopi crebrò maioribus sunt peccatis obnoxij, quàm homines laici & vulgares. *& conflabit eos*, grauissimis afflictionibus & pœnis, vt resi-

vt resipiscāt à diaboli laqueis, ne cum hoc mundo damnentur. Sed vt ædificēt bonis suis exēplis, quos scādalizauerunt suis sceleribus & nequitiis. Conflabit inquā eos, *quasi aurum & argentum*, igne examinatum, purgatū terræ, & septēplici collatione & purgatione repetita. Sic dominus conuertit manum suā ad nos, & excoquit ad purū scoriā nostram. Et vtinā vexatio daret intellectum auditui, & non conuerterentur in scoriā, & non fierent peiores: Verùm, postquā nouum hominem induerunt, vetere deposito cum actibus suis, tunc *erunt domino offerentes sacrificia in iustitia*, hoc est, altaris sacramētum, per varia legis sacrificia figuratum, sicut perfectū per plura imperfecta. Offerēt etiā deo in iustitia, sacrificium laudis, et vitulos labiorum cōfitentium dominū. Tum sacrificium cōtriti et humiliati cordis, et hostiā viuentem, sanctam, deo placentē, corpus proprium per rationabile obsequium. Tum sacrificiū salutare obseruationis mādatorum Dei, et discedere ab omni iniquitate. Hæc omnia in iustitia, et à iustis fieri debēt, quia dona iniquorum nō probat altissimus. Cōtra quod nunc agitur à multis, ideo dedit deus clerum contemptibilē et humilē omnibus populis, iuxta illud: Quicunq; honorificāt dominū, illos glorificat, qui autē contemnunt eum, sunt ignobiles. *Et placebit domino sacrificium Iuda & Hierusalem*, id est, oblatio sacrificij altaris, quod per sacrificia legis fuit figuratum, et in Hierusalē primo institutum, *sicut dies seculi, & sicut anni antiqui*, id est, sicut patres veteris testamēti, boni et iusti, et sicut sacrificia eorum. Vnde in Canone Missæ dicitur: Sicut accepta habere dignatus es munera iusti pueri tui Abel, et sacrificium patris nostri Abrahæ. Illud tamē sicut, nō signat æqualitatē, sed correspondentiā rei figuratæ ad figurā. Sed nostrum sacrificium tantum excellit legis veteris sacrificia, quantum vmbram exuperat ipsa imago rerum, lux tenebras, et veritas figuram.

Esa. 1. Psal. 50. Rom. 12. Eccl. 35. Malach. 2 1. Reg. 2.

IN DIE PVRIFICATIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS, IN Euangelium, Sermo primus.

POSTQVAM *impleti sunt dies purgationis Mariæ.* Multa in isto euangelio vel tacenda, vel summis (vt aiunt) labiis tangenda sunt ratione breuitatis. Olim deus legem purificationis mu- Luc. 2.

Hebr.3. nis mulieribus, quæ suscepto semine pariebant, per fidelem famulum suum & amicum Moysen præscripsit in lege: Ad quam Maria non erat astricta, quia non conceperat suscepto semine in vterum à viro, sed aliter. Concipies, inquit Gabriel, in vtero, non in vterum, nec à viro, sed à spiritusancto, qui de purissimis sanguinis tui guttulis corpus Christi formauit, animam ei plenam gratia & veritate vniuit, & cum persona filij altissimi in momento, in ictu oculi coniunxit: Nec filius
Ezech.44 tuus de thalamo vteri tui egrediens, claustrum pudoris tui violauit vel aperuit, vt lex specificat, sed per clausam portam diuina virtute sua exiuit, & virginitati & in-
Ioan.8. tegritati tuæ nullum detrimentum fecit. Nam princeps mundi in eo nihil habuit, nec etiam ab inimicis suis in veritate de vllo peccato argui potuit: quia ingressus est
Rom.8. matris suæ vterum sine macula & peccati originalis reatu, & ex eo exiuit in mundum, plenus & gratia & veritate. Iterum reliquit mundum, & reuersus ad patrem, de peccato damnans peccatum, & redimens mundum
Heb.1. de potestate tenebrarum, & faciens purgationem peccatorum. Sic lex Moysi matrem Christi à purgationis debito exclusit. Christus vero purgatione non indi-
Ioan. 10. guit, cum Nazaræus esset & sanctusanctorum, quia pa-
Dan.9. ter eum sanctificauit & in mundum misit, & Gabriel ad Mariam dixit, quòd nascetur ex te, sanctum. Reuera, talis decebat vt esset nobis pontifex sanctus, intus om-
Luc.11. nium gratiarum & virtutum plenitudine adornatus, non ad mensuram, quod est mundus corde, innocens mani-
Psal.14. bus in omni bona operatione & sine querela, impollutus carne, per peccatum originale, quia sine omni peccato conceptus & natus, dicente angelo Ioseph: Noli
Mat.1. timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim
2.Cor.6. in ea natum est, de spiritusancto est. Segregatus à peccatoribus, quia dissimilis aliis erat vita eius, quia nulla societas lucis est ad tenebras, nec vlla participatio iustitiæ cum iniquitate, nec solummodo homines excellit & stellas, sol iustitiæ, in claritate, sed etiam cœlis, id est, angelis excellentior est, quanto differentius præ illis nomen hæ-
Psal.112 reditauit, quia excelsus super omnes gentes dominus, &
Sap.7. super cœlos, qui enarrant gloriam dei, gloria eius. Est nãque splendor paternæ gloriæ & figura substãtiæ eius. Speculũ sine macula, cãdor lucis æternæ, & imago bonitatis illius,

illius ergo nec circuncisione puer Iesus indiguit, nec mater eius benedicta vel minima purificatione. Cur ergo puerum in templo præsentauit mater agni & præscripta in purificationis lege per omnia adimpleuit, cũ exẽpta esset? Respondeo: Multas ob causas hoc fecit ad nostram doctrinam. Tum vt summe nobis in se ostenderet, opere & veritate humilitatis exemplum. O humilitas singularis, quæ in honoribus nescit insolescere, erigere ceruicẽ, extollere caput, putare se aliquid esse. Ante conceptum fuit humilis, nunc & mater dei facta, vilior fit in oculis suis quàm prius erat. Sic fecit seipsam inter mulieres, tanquam vna illarum in purificatione, sicut & filius eius, mitis & humilis corde fuit in circuncisione in medio puerorum. Sic & legem impleuit, & à deo datam facto isto astruebat, quòd Manichæus negauit, sic & prophetæ fideles inuenti sunt qui prædixerant, Emmanuel in templum offerendum. Vnde vir secundum cor dei ait: Dominus in templo sancto suo. Sic suscipimus misericordiam Dei patris in medio templi eius. Et Mala. Statim veniet in templum sanctum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis: sic nec perfidis Iudæis vlla calumniandi Christum ansa est relicta, qua eum criminari possent, cum eos scelerum suorum & transgressionis legis postea argueret, & ei exprobrare, quòd & mater eius iuxta legis præscriptum die quadragesima purificata non fuisset. Sic & factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant, à maledicto legis & onere importabili liberaret. Sic luce vera diffusa, tenebræ euanescunt, & sole iustitiæ orto vmbræ in nihilum rediguntur. Vmbram namque futurorum bonorum lex habuit, non ipsam imaginem rerum. Illa autem bona cum filio pater misericordiarum nobis donauit omnia. Sic et hoc magnum pietatis sacramentum diabolo manet occultum, nam si cognouisset, nunquam Iudæos sollicitasset quod dominum gloriæ crucifixissent. Purificauit etiã se Maria, quæ nihil labis et peccati habuit, erudiens nos, vt ipsi nos ab omni inquinamento carnis et spiritus mundemus, et sanctificationem nostram perficiamus in timore dei. Ad nostram doctrinam hæc scripta sunt, non ad suam necessitatem, nos in multis offendimus omnes. Verum si volumus templum gloriæ dei ingredi et ibi ei seruire die ac nocte, tunc debemus hîc lauare stolas

Marginalia: 2. Reg. 6. — Mat. 2. — Psal. 17. — Psal. 10. — Malac. 3. — Gal. 3. — Act. 25. — Rom. 13. — 1. Cor. 2.

1. Cor. 5. stolas nostras & dealbare in sanguine agni,nihil enim in quinatum intrat in illud:Expurgemus ergo omne vetus fermentum,& simus azymi,quia hæc est voluntas dei san
1. Pet. 3. ctificatio nostra.Vnde dicit:Sancti estote,quia ego san-
Tit. 1. ctus sum. Purificemus igitur nos intus & foris,quia inquinata est mens nostra & conscientia,corpus,anima,in
Mat. 25. tentio & operatio.Mundemus prius quod intus est,vt fi-
Lucæ 11. at & id quod de foris est mundum.Scopemus primo spi-
Psal. 76. ritum nostrum & voluntatem.iuxta illud:Purificate cor-
Iacob. 4. da vestra duplices animo ab omni malitia & duplicitate, emundemus & oculum rationis ab omni errore per lumen fidei & verbi dei. Purgemus memoriam ab omnibus peccatis commissis:Deinde purgemus omnes sensus os ab omni sermone malo,oculos auertamus ne videant vanitates, aures sepiamus spinis,ab omni via mala prohibeamus pedes nostros. Operemur manibus nostris q bonum est,et de negligentia nos purgemus cum paucis. Et sic purificati offerre debemus sacrificia nostra et seruire domino in sanctitate et iustitia.Sed textum euangelij respiciamus,in quo Lucas texit deuotam legis obseruationem,exactam iusti commendationem,et deuotam Christi magnificationem. *Postquam ergo impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi.* Et dicitur lex Moy
Gal. 3. si,eo quod ipse eam à domino accepit in dispositione an
Act. 7. gelorum in deserto,et populo proposuit et declarauit, *tulerunt eum,* die videlicet quadragesimo post suam natiuitatem de Bethlehem, *in Hierusalem,*ciuitatem dei et san-
Deut. 12. ctam , quia non licebat Iudæis sacrificare extra locum quem elegerat dominus.Hoc fecerunt parentes eius:nēpe pater eius Ioseph, et Maria virgo intemerata. Et cur hoc fecerunt? *vt sisterent eum domino,*id est, præsentarent eum deo patri in sua domo,& templo,qui eum nobis dedit in saluatorem ex sua bonitate & æterna charitate.Sic nos quæ de manu eius accipimus , per gratiarum actionem ei reddere & offerre debemus. Totum gratiæ eius acceptum referendo,quod in nobis est laude dignum.Sic
Eccl. 1. omnia flumina gratiarum de mari illo infinitæ substantiæ exeunt per affluentem dei distributionem & eroga-
Psal. 113. tionem.Non nobis domine non nobis, dixit Dauid, sed nomini tuo da gloriam.Soli deo honor & gloria in secu-
Rom. 11. la seculorum Amen.Quandoquidem, ex ipso, & per ipsum,& in ipso sunt omnia, *sicut scriptum est in lege domini,*

quia omne masculinum adaperiens vuluam. At hoc Christus non fecit, sed exiuit per clausam portam, sicut radius solis penetrat vitrum, vt late scripsi in natiuitate Christi. & hoc tam de hominum quam animalium primogenitis intelligi debet. *sanctum domino vocabitur.* id est, sanctificabitur, præsentabitur & offeretur domino, & sanctum erit, & domino mancipatum, quia erat primogenitum de tribu leui, & non habens maculam, erat domini in perpetuum. Ita quod licet reportaretur domum vt nutriretur à parentibus, tamen quando erat adultus, perpetuo seruiebat in tēplo. Si verò de alia tribu offerebatur domino, & ex ipsa oblatione domini erat, sed redimebatur quinque siclis. Si autem erant primogenita animalium, sacerdotum erat vsus eorum, quando erant munda: quando autem erant immunda, patiebantur illa redimi, hoc est, in aliud commutari, vel occidebātur. Et *vt darent hostiam sicut scriptum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Hæc pauperum erat oblatio, qui præ inopia & paupertate agnum habere non poterant, qui diuitum oblatio fuit. Verum, Maria obtulit verum agnum qui tulit peccata mundi, & coram tondente se obmutuit, & pascha nostrum seipsum fecit, quando tradidit se pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis in cruce. Vbi pater eum pro nobis peccatum fecit, & posuit in eo iniquitates omnium nostrum, quamuis agnus esset & peccatum non nouisset, vt nos efficeremur iustitia dei in ipso. Hunc ergo agnum verum, sine macula, sanum, pinguem, plenum gratia & veritate, in quo Deus erat mundum sibi reconcilians. Et in quo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitauit, & in quo omnes thesauri sapientiæ dei absconditi erant, obtulit Maria, ideo nihil ei curæ de legali agno erat, qui vmbra solummodo fuit, nec decuit ei vmbræ hic deseruire, cum offerret & haberet ipsam imaginem rerum Christum Iesum, qui est finis legis. Sic vestutatem nouitas, vmbram fugat veritas, noctem lux illuminat, perfectum profligit imperfectū. Hæc est oblatio accepta, sacrificiū iustitiæ, holocaustum medullarum, & hostia plurima, per quam Abel iustitiæ testimonium consecutus est, quam hodierna die Maria in fide patri misericordiarum obtulit, pro totius mundi salute. Obiter item notandum quod vnus turtur offerebatur in holocaustum, & alius pro peccato, qui cedebat in partem

Ezec. 44. *Exod. 34.* *Leuit. 12.* *Ioan. 1.* *Esa. 53.* *1. Cor. 5.* *Ephes. 5.* *2. Cor. 5.* *Col. 2.* *Rom. 10.*

tem sacerdotis,qui orabat pro muliere.& hoc modo mũ dabatur. An autem Maria turtures solummodo, an columbas tantummodo, an vtramque speciem obtulerit, textus non exprimit. Vtraque tamen auis magna & necessaria nos docet suo modo,salutis documenta: sic Salomon à formica sapientiam discendam docet. Et Iob ait:Interroga iumenta(quid te oporteat facere vt saluus fias,si non vis discere ab hominibus)& docebunt te, volatalia cœli,& indicabunt tibi. Loquere terræ,& respondebit tibi,& narrabunt pisces maris Cum ergo tot & tam presentes habeamus doctores iustitiæ & viæ veritatis, nullam habemus excusationem in peccatis nostris. Tur tur & columba,mundæ sunt & innocentes:ergo si volumus nos ipsos offerre deo, habere nos oportet cordis munditiam,& manuum innocẽtiam: nemini noceamus, simplicitatem diligamus,gemitibus inenarrabilibus postulemus à deo in fide nihil dubitantes quicquid nobis vtile & necessarium est ad salutem,&dabitur nobis abunde. Diligamus turturis castitatem, æmulemur eius solitudinem, habeamus simplicitatem columbæ, ornemus nos pennis eius deargentatis & deauratis,simus sine felle amaritudinis, zeli & rancoris, eligamus grana munda, hoc est sanam doctrinam, nidificemus in petra quæ Christus est,& in cauernis maceriæ, hoc est, in vulneribus eius. Fœcundi simus in bonis operibus & in eis fructificemus deo. Et tunc deo accepta erunt & sunt opera nostra. Sed percunctaris,an puerperæ Christianorum etiam xl.dies ab hominũ consuetudine,ingressu ecclesiæ, & thoro viri debeãt sequestrari? Respondeo, Ex lege Mosi,quæ abolita est,ad hæc nõ tenentur Christianæ iam euãgelio coruscãte Ipse enim nos liberauit de iugo & onere legis. Verũ,laudabile est &rationi consonũ atq; pium, vt mater cui deus prolẽ dedit quam à partus periculo liberauit,ꝙ beneficia hæc maxima, recognoscat,& deo ꝙ donauit misericorditer cũ gratiarum actione reddat & offerat in tẽplo sancto suo. In hoc exemplũ imitando Mariæ, quæ ad hanc legẽ non erat astricta. Et legẽ nihilominus seruauit,vt seipsam omnibus exẽplum omniũ bonorũ operũ præberet,&formã quam imitarentur:Bonę,honestę,deũ timẽtes matres et mulieres,meliora charismata æmulãt:quecũq; honestatis,honoris,pudoris,continẽtię sunt,amãt et faciunt. At contra filię Belial,salaces impudicę

Prou. 6. Iob 12. Psal. 12. Mat. 10. 1. Cor. 10 Gal. 5. 1. Tim. 4. 1. Cor. 4.

pudicæ,petulantes,fornicariæ,quę nec deum timent,nec homines reuerentur, ficut onagræ fylueftres fe liberas effe putant,faciunt quæ non oportet & quæ turpe eft dicere. Sed has miffas faciamus,quia nolunt intelligere vt bene agant. De thoro maritali,propter pudicas aures,tacendum potius quàm quicquam dicendum, cenfeo. Ipfa natura hoc docet,& gentes quæ ignorant Deum,hac in re honeftius,pudicitius & difcretius fe habent,quàm infiniti noftri temporis faciunt,qui fe euangelicos dicunt & non funt,fed rudibus afinis rudiores,rufticis rufticiores,opicis opiciores,fcythicis ipfis defpectiores, labes, & maculæ. Ifti reuera honorabile feruant confugium & thorum immaculatum, ifti vafa fua in fanctificatione & honore poffident,(fi diis placet)& fine paffione defiderij,ifti viri (beftias dicere debueram,quia nihil habēt iumentis amplius,quibus non eft intellectus,imo omnibus beftiis funt beftialiores,) reuera fecundum fcientiam & difcretionem mulieribus fiue vxoribus fuis cohabitant, & eis quafi infirmioribus creaturis honorem deferunt,& infirmitates earum fuftinent. Scio & noui mulieres honeftas & pudicas, quæ propter hoc immmatura morte perierunt,& virorū fuorum beftiales aufus multis lugubri voce funt conquæftæ. De oblationib. Lutherani multa nugantur, defpicabilia deblaterati funt, vt papiftis inuidiā apud mutabile vulgus cō flarent. At nunc vela vertunt,reducunt calculū,adhortantur,non ad turtures & colūbas, fed ad coronatos,ad aureos,ad daleros,ad oues & boues & vniuerfa pecora cāpi offerēdos. Sed in aëra loquūtur, & ventos pafcunt,& aranearū telas texunt. Deum immortalem,quanto faftu,quàm amara maledicētia,quàm execrabili temeritate,quàm dānabili obftinatione, fanctas,laudabiles,bonas,deuotas & pias hic ecclefiæ dei cęremonias fugillant,deridēt,calumniantur & dānant. Spirituales funt Lutherani,omnes in fpiritu deo feruiunt cū Apoft. In fpiritu & veritate deū adorant,ipfis Cherubim magis funt illuminati, & ipfis Seraphim funt in amore perfectiores. Cū deo ambulant,ore ad os cū deo loquuntur,ficut amici cū amicis. Sūt confiliarij dei,et illorū cuncta deus facit cōfilio. Vnde merito cū Lutherani loquuntur,acclamandū eft ab omnibus,Dei voces et non hominum. Iufti funt omnes fermones Lutheranorū,& nō eft in eis prauū quid,neq; peruerfum. Qui eos audit Chriftū audit,

Luca 18. *Iob 11.* *Antiphrasis.* *Rom. 1.* *Act. 13.*

audit,& qui eos ſpernit,Chriſtum ſpernit.Illis dedit deus os & ſapientiam,cui reſiſtere & contradicere nõ poſſunt omnes papiſtæ aduerſarij eorum. Et ſi angelus de cœlo deſcenderet & euangeliſaret præterquam quod euangeliſauit Lutherus cum cooperatoribus ſuis,anathema ſit maranatha.Nunquam ſic locutus eſt homo:Ideo qui ſua dogmata ſpernit,non hominem ſpernit, ſed Deum. Verba vitæ æternæ habet. Sed mentitur iniquitas ſibi.Mentiuntur in collum ſuum, ex fructibus cognoſcuntur impiis.Opera quæ faciunt teſtimonium perhibent de ipſis, quòd filij & apoſtoli diaboli ſunt. Sic quotidie exprobrauit ſpurius iſte agminibus Iſrael,& finem non habuerũt vẽtoſa verba eius.Gloriabatur aſſidue in malitia,& quod potens erat iniquitate, donec in die qua non ſperauit & hora qua neſciuit, imo quando dixit pax & ſecuritas , & multo fuit ſuffuſus Lyæo, quando commeſſationibus et ebrietatibus aſsiduis vacauit, Dominus venit & diuiſit eum,partémq; eius poſuit cum infidelibus.Vbi quantum ſe glorificauit & in delitiis fuit,tantũ datur illi tormẽtorũ & luctus:& pro menſura delictorum recipit & modum plagarum.Mariam & electos Dei,ipſe excluſit de cœlo, & neſcio quis diabolorum eum manibus ſuis portauit in cœlum,vt aſſentatores ſui nugantur,& populum faſcinãt ne obediat veritati. Sed apageſis iſta. Cæremoniæ ſanctæ,bonæ et piæ adhuc ſunt in eccleſia Dei,et Lutherus ſepultus eſt in inferno. Manebunt etiam,et omnis iniquitas opilabit os ſuum. Obſecro autẽ omnes,ſiue filij ſint
2. Tim.5. eccleſiæ Dei,ſiue ex parte ſeductoris ſint ipſius Luthe-
Matt.15. ri,ne in his malis diebus viam veritatis deſerant , vel ſi retro poſt Sathanam abierunt,& cæcos duces ſunt ſecuti,vt reuocent gradum & reſipiſcant à diaboli laqueis,
2.Mac.6. nec abhorreſcant aut puſillo animo fiant propter aduerſos caſus,ſed reputent ea quæ acciderunt,non ad interitum,ſed ad correptionem eſſe omniũ qui pie viuunt in Chriſto. Paterna correctio eſt quam filiis indulget, ſic quos amat caſtigat, ne cum hoc mundo damnentur.

Verùm cæremonias ſanctas,& pias huius diei nõ perſequor gratia breuitatis.Tum quòd Sanctus Bernardus, eas deuotiſſime proſecutus eſt in ſermone huius feſtiuitatis.Tum quòd poſt Durandum, vt alios taceam,venerandus pater Bernardinus de Buſti in Mariali ſuo , lib. vij. locupletiſſime cuncta declarauit: nempe , myſteria

cande

candelarum, processionis & oblationum. Quid enim prodest aquā in mare & ligna deferre in syluam, aut Soli lumen mutuare, aut eandem incudem semper percutere.

IN DIE PVRIFICATIONIS BEATAE MARIAE SERMO *secundus.*

IAM Euangelista Lucas exactam, & omnibus numeris absolutam, iusti Simeonis retexit commendationem, ad nostram doctrinam & consolationem. Doctrinam: Vt si volumus puerum Iesum vel in cordis nostri, vel corporis templum (Sumus enim nos templum Dei sanctum) recipere, quod studeamus nos virtutibus & gratiis quibus Simeon ornatus erat adornare. Ad consolationē nostrā hæc digesta sunt, vt certi simus quòd Deus non negabit se nobis: si eum syncere diligimus, & digne Deo euāgelio viuimus: sed veniet ad nos & mansionē faciet apud nos vt ipse in nobis & nos in eo simus. Referendo autē Simeonis encomia, primo eius virtutes & Deo digna opera in Deo facta recenset, & suis eum coloribus describit tripliciter: A famæ claritate, à sanctitate vitæ, à prærogatiua reuelationis diuinæ. Famam eius mirifice effert, dicens: *& ecce,* admiratione quid dignum & omni laude, *homo,* ratione vtens, benignus, pius, misericors, rectus, sensatus, qui in sapientia mansit vt sol. *erat*, habitans, nō huc illúcq; vt vagus discurrēs, *in Hierusalem,* quæ erat ciuitas electa ad Dei cultum, & sancta, *cui nomen Simeon,* quod exaudibilis interpretatur, vel audiens mœrorem. Exaudibilis fuit propter orationis instantiā & iustitiā. Multum namq; valet deprecatio iusti assidua. Si quis est dei cultor & facit eius voluntatē hunc deus exaudit. Sed audiens mœrorē afflictorum & necessitatē patientiū per cōpassionē & largitionē necessariorum, & sic meruit orationis suę exauditionē. Beati enim misericordes, quoniā ipsorum deus miseretur. Nomē eius exprimitur, quia nouit eū de⁹ ex nomine, & nomē eius scriptū erat in cœlis & in libro vitæ. Cōmendat eū & à vitæ sanctitate, quo ad se, quo ad Deū: & quo ad proximū. Vnde sequitur: *& homo iste,* singulariter, *iustus erat* & perfectus in oī virtute. Iustitia enim virtus generalis est omnē rectitudinē & perfectionem complectens. Iustos tales dn̄s diligit & bene-

1. Cor. 6. *Ephes. 4.* *Ioan. 3.* *Eccl. 27.* *Mat. 4.* *Iacob 5.* *Ioan. 9.* *Exod. 12.*

& benedicit. Isti hæreditabunt terram viuentium. & commendatio generalis est. In speciali laudatur quod fuit & *timoratus*, quo ad deum, siue religiosus, quia domino seruiuit in timore, & exultauit ei cum tremore. Nihil enim melius est quàm timere deum. Ad proximum laudatur.
Luca 1. quia *expectans consolationem Israel*, & liberationem de manu inimicorum, & omnium qui eos affligebant, maxime Herodis. Ad seipsum laudatur cum dicitur: *Et spiritussanctus erat in eo*, quem mundus nō potest accipere, nec nouit eum, qui etiam non intrat in maleuolam animam,
Sapien. 1. nec habitat in corpore subdito peccatis. Fugit disciplinæ fictum, & aufert se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Erat in eo spiritussanctus, non qualicunque, sed perfectissimo modo, secundum quod est in viris heroicis, qui perfecti sunt in timore & amore dei, atque conuersationē in cœlis habent, quibus dignus non est mundus.
Hebr. 11 Sequitur prærogatiua reuelationis diuinæ sibi factæ. Et ex speciali gratia dei & misericordia, qua exaudiuit clamantes ad se, & eis desiderium cordis eorum tribuit, *responsum acceperat* post longas, deuotas & assiduas preces
Ioan. 16. suas in fide factas, *à spiritusancto*, qui est spiritus veritatis, *non visurum se mortem*, & viam vniuersæ carnis nō ingres-
Luca 10. surum, *nisi prius videret*, oculis corporis & cordis, quod & multi reges & alij prophetæ videre cupierunt, & non vi-
Psal. 44. derunt, *Christum domini*, hoc est, vnctum à domino, iuxta illud: Vnxit te deus deus tuus oleo lætitię præ participi-
Esaia. 11 bus tuis. Ipse enim flos est super quem spiritussanctus
Ioan. 1. requieuit, gratia repleuit, non ad mensuram, de cuius plenitudine nos omnes, gratiam pro gratia accipimus.
Esaiæ 45. Et cum sic expectando expectaret dominum, tandem intendit illi, & exaudiuit eum & preces eius. Et quamuis forsitam ignoraret adhuc quòd cœli rorauerūt desuper, & nubes pluerant iustum, & quòd terra aperta fuit & germinauerat saluatorem ante dies xl. quamuis nesciret quòd paruulus Iesus natus esset nobis, & filius altissimi datus esset nobis. Non tamen est infirmatus in fide, nec considerauit corpus suum emortuū, & fatiscentia membra sua, cum forsitan plus centum haberet annorum, &
Rom. 4. iam vno pede mors & ipse diuiderentur. In repromissione etiam dei non hæsitauit diffidentia verus hic filius Abrahæ, sed magis confortatus est fide dans gloriam deo, plenissime sciens, quia quęcunque promisit deus,

potens

potens est & facere: æstuabat ergo & orabat sine intermissione, dicens: Deus misereatur nostri, & pater cœlestis omni benedictione cœlesti benedicat nobis, quia patris est filiis benedicere. Et filius, lux vera & lux mundi, qui omnẽ hominem illuminat, ille illuminet vultum suum super nos, vt eam videamus. Et benignitas, charitas, bonitas spiritussancti misereatur nostri, vt o Christe cognoscamus & videamus in terra viam tuam, & te videamus plenum gratia & veritate in nobis habitantem, & videamus in omnibus gentibus salutare tuum. Cum ergo sic preces multiplicaret, tunc *venit in spiritu*, hoc est, ex instinctu spiritussancti, per cuius vnctionẽ acceperat & reuelationem, iam adesse Christum domini & Emmanuel sibi promissum: eadem ergo gratia, qua venturum prænouerat, cognouit præsentem *in templum* dei, & domũ orationis. Post præclaras Simeonis virtutes enumeratas, quibus deo placuit, & ad dei visionem se præparauerat. Iam sequitur quàm deuote, humiliter & reuerenter pueũ suscepit. *Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius*, Ioseph & Maria in templum domini, *vt facerent secundum legis consuetudinem*: quia lex non cogebat, nec puerum nec matrem, vt prius est dictum, *pro eo*. Hîc multæ mulieres arguuntur impudentiæ, quæ proles suas in templum domino non offerunt, quia hoc dominus eis non præcepit. O stultæ & ingratæ matres, cur vos non facitis secundum consuetudinem ecclesiæ dei & sanctarum melierum, quando videtis quòd non ex legis mandato, sed ex sola bona consuetudine, vt nulli vllam daret offensionem, & omnibus placeret in bono, Maria filium suum in templum offert, & pro eo secundum consuetudinem legis facit. Pudefiant, erubescant, & muta fiant labia dolosa, quæ in superbia & abusione tam despicabilia loquuntur de consuetudinibus sanctis: Christus Iesus, sapientia patris, secundum consuetudinem hortum intrauit ad orandum. Quis hoc ei præcepit? Maria hic secundum consuetudinem solam, filium suum offert in templum. Apostolus doctor & magister gentium in fide & veritate, non erubescit consuetudinem allegare. In Thessaloniam etiam secundum consuetudinem in synagogam intrauit, & cætera. Quanti etiam momenti apud Sanctum Augustinum & alios sanctos bona fuerit consuetudo, diuina eorum testimo

1. Ioan. 2.
Ioan. 2.
2. Cor. 6.
1. Cor. 11
Actu. 17.

2. Tim. 3. testimonio sunt monuméta. Proh scelus, tam diu sugillauerunt, iura ecclesiæ & bonas consuetudines quòd etiam iustas dei leges transgrediuntur, & nihil euangelium Christi amplius pensi habent. Sic impij vsque profecerunt in malum, errando & in errores mittendo: sic ventum est de gramine ad aurum. Parentes Iesu secundum consuetudinem legis, puerum ecce offerunt in templum, offerunt pro eo iuxta consuetudinem, quinque siclis eum redimunt, secundum consuetudinem. Hinc consequens est, quòd sugillatores bonarum consuetudinum blasphemant Christum, male loquuntur de parentibus suis benedictis, Apostolum vas electionis & misericordiæ, calumniantur, damnant bonos & rectos corde omnes, qui sanctas consuetudines instar sanctarum constitutionum ecclesiæ dei seruauerunt, extulerunt, magnificauerũt. Hoc dubio procul, syncere est verbum dei prædicare, sine adulteratione, sine deprauatione: sic nihil additis verbo dei, nihil demitis de verbo dei, vt super vos interminatę veniant maledictiones, contra tales fulminatæ. Pergite Lutherani, instate opportune, importune, laborate instanter vt malefaciatis & ecclesiam deformetis, quia dixistis in cordibus vestris, nõ mouebimur à generatione in generationem sine malo. Dolus ecce, in manu vestra prosperatus est: Io pean dicite, Io pean cum Sacerdotibus Baal alta voce clamate: stãtuite trophæa, pyramides erigite, epinicia celebrate: lætum peana cantate. Plaudite super ecclesiam manibus vestris, sibilate & mouete capita vestra, super Hierusalem quæ sursum est, & est mater nostra. Hæccine est dicite, vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? En ista est dies quam expectabamus, inuenimus, vidimus. At, væ vobis qui ridetis, quia flebitis. Væ vobis qui gloriamini in malitia vestra, & quòd potentes estis iniquitate, exultatis in superbiis vestris. Qui lætamini in malefactis, & in rebus pessimis exultatis. Nos propter peccata nostra hæc patimur. Et si nobis propter increpationem & correptionem dominus deus noster modicũ iratus est, sed iterum reconciliabitur seruis suis. Vos autem scelestissimi & omnium hominum flagitiosissimi, nolite frustra extolli vanis spebus in seruos eius inflammati: nondum enim omnipotentis dei & omnia inspiciẽtis iudicium effugistis. Nam nos modico & leui tribulationis pondere

Margin notes: Mantuanus. — Vide in Decretis dist. 11. — Dani. 8. — 3. Reg. 18 — Thren. 2. — Luce 6. — Prou. 2. — 2. Mac. 7

pondere sustentato in humilitate, deus omnis consolutionis, consolabitur. Vos verò iudicio Dei iustas superbiæ vestræ pœnas exoluetis. Habetis potestatem inter homines, & facitis quæcunque vultis, sed patienter expectate, videbitis magnam potestatem dei super vos, indignationem, iram & furorem, qualiter vos & semen vestrum torquebit & humiliabit vsque ad terram. Plus debito, ecce parergis immoror, sed quis calamum cohibere potest defluentem? Et *ipse* Simeon, qui ex spiritussancti ductu, instinctu & reuelatione venerat in templū, vt salutare dei & desideratum cunctis gentibus videret, sicut promissum acceperat. Verùm nō solùm vidit, sed & *accepit eum*, dei filium & mariæ, verum Emmanuel, regem regum, sanctum sanctorum, deum deorum, dominū dominantium, *in vlnas suas*, & super brachia sua sicut signū, & posuit eum vt signaculum super cor suum. Ipse fratrem suum & nostrum, sugentem vbera matris suæ foris inuenit. (quia de patre exiuit, domū suam reliquit & venit in mundum) & deosculatus est eum. Quæ vox, quæ poterit iam lingua retexere, consolationes Simeonis, quibus deus lætificauit animā eius? Cor eius & caro eius exultauerūt in Deū viuū. Exultauit cor eius in salutari suo, cātabat domino qui bona hæc ineffabilia tribuit illi, psallebat nomini domini altissimi, & vt Lucas ait, *& benedixit deum*, ac magnificauit eum in laude quātuncūque potuit. Gratias deo dixit pro inenarrabili dono eius, & quia visitauit plebē suam oriens ex alto. Glorificemus & nos, & portemus deum in corpore nostro, *& dixit*, psalmum nomini eius, & laudē dedit gloriæ eius. Filius enim nomen domini est, & gloria laudis eius. Duo autem dixit: nempe, magnificentiā gloriæ Christi in hoc sancto cantico. Et miseriam, dolorem, afflictionem & excessum eius quem completurus erat in Hierusalem.

Aggea 2. *Hiere. 14* *2. Cor. 9.* *Luca 1.* *Luce. 9.*

IN DIE PVRIFICATION. B. MARIAE, EXEGESIS COMPENDIOSA cantici, Nunc dimittis, Sermo tertius.

MVLTI sancti, quorum Deus corda tetigit, & quibus magna beneficia præstitit, cantauerunt Domino cantica noua, magnificauerunt eum in laude: nec id fecerunt in spiritu solummodo, vt nunc pestilentes

lentes & desertores garriũt Lutherani, sed & bene psallebant ei in vociferatione. Benedicebant dominum in omni tempore, laus eius semper erat in ore eorum. Sic benedicebant deum in vita sua, & in nomine eius in oratione in omni loco leuabant puras manus suas, vt Apostolus censet. Et sicut adipe deuotionis internæ, & pinguedine exterioris alacritatis repleta fuit anima eorum, sic labiis exultationis, deum laudauit os illorum. Sic Moyses suum Domino canticum modulatus est, Maria soror Moysi & Aaronis, submerso Pharaone & exercitu eius in mari rubro, suum pæana domino decan-
Gala.4. tauit. Vt alios taceam, virum secundum cor dei Dauid quis dignis laudum elogiis ad plenum efferre potest,
Luca 1. qui in laudibus dei absoluendis omne vitæ suæ tempus detriuit? In statu gratiæ & cum deus misit filium suum in terris, Zacharias Ioannis Baptistæ pater cantauit domino canticum nouum, quia cum vxore sua & filio & etiam secum magnificauit deus misericordiam suam & mirabilia fecit. Deinde, theotocos virgo Maria, decachordum psalterium suum cecinit, dominum magnificans, & in deo salutari suo lætitia inenarrabili exultans. Tandem quod nunc habemus præ manibus, iustus, timoratus & plenus spiritusancto Simeon, suum domino canticum decantauit: Lutherani verò simeisantes, data opera bonis ecclesiæ dei canticis, malas cantilenas suas faciũt, plenas blasphemiis, hæresibus, erroribus, infamiis, detractionibus, diffamationibus, & in eis aconita suarũ hæresum tam vafre intexuerunt, vt vix depræhẽdi possint: sic eas fauo & melle verbi dei verbis asperserunt quod (licet sint mors ipsa & præsentissima venena mortifera quæ gustata mortem adferunt,) pro antidotis & optimis medicaminibus accipiuntur, amplectuntur & habentur ab insensatis, fascinatis & fermento erroium
Prou. 22. corruptis. Blande venena ista ingrediuntur, cum iubilo & exultatione psalluntur, sed in nouissimo mordent vt coluber, & sicut regulus venena sua diffundunt. Sed hos
1. Cor.5. dimittamus, quid nobis de his qui foris sunt, iudicare? Illos deus iudicabit. In cantico Simeonis, mira, magnificáque Christi commendatio continetur. Ante omnia tamen gratias agit patri misericordiarum, qui ex nimia charitate sua qua mundum dilexit, filium suum vnigenitum misit in similitudinẽ carnis peccati, vt mundus

dus saluaretur per eũ:sicut locutus est ad patres nostros Abrahã & semini eius vsq; in secula,& per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius. Dicit ergo : *nunc* ex quo vidi salutare Dei,puerum natum nobis & filium da tum nobis,desideratũ cunctis gentibus,redemptorẽ totius mundi,finẽ legis,cui oẽs prophetæ testimoniũ perhibẽt,Christum Iesum,primum & nouissimum. *dimittis*, liberũ de ergastulo corporis,quod hactenus meã animã grauauit,& inuitũ depræssit ad terrena.Infelix ego,dicit tuba euãgelij,quis me liberabit de corpore mortis hui'? Et respõdet : Gratia dei per Iesum Christũ dñm nostrũ. Hoc vatũ maximus præcabatur dicens:Educ de custodia animã meã,quia tædet animã vitæ meæ,ad cõfitendum & psallẽdum nomini tuo. Me expectãt iusti donec retribuas mihi. Sic Helias calamitates impiæ Iezabelis pertæsus & impietates , petiuit animæ suæ vt moreretur, dicens:Sufficit mihi,tolle animam meã. *seruum tuum*,me Simeonẽ,qui in sanctitate & iustitia die ac nocte à progenitorib' meis tibi soli seruiui,& nõ seruiui vẽtri meo, nõ diabolo,mẽbra mea exhibendo arma immunditiis & iniquitatibus ad iniquitatẽ:Nõ peccatis vllis à concupiscentia mea abstractus & illectus,nec vlli seruiui creaturæ,instar gentiliũ qui te ignorãt, sed tibi Domine in spiritu & veritate seruiui,& ambulaui corã te in veritate & in corde magno & animo volenti,semper feci.Non tamẽ ego , sed gratia tua in me & mecum. Hoc obsecro fac ô *domine* propter bonitatem tuã & nomen sanctum tuum, quia tu es dominus omnium,potens in cœlo & in terra. Tibi subest cum volueris posse.Nec est impossibile apud te omne verbum.Dimitte ergo me, *in pace* , hoc est,in sinum Abrahæ,vbi ante mortẽ Christi fuit requies & consolatio electorum.Nam ibi Lazarus consolabatur,quando diues epulo cruciabatur,sic finem electorum suorum deus pacem æternam posuit. Vnde alibi ait : In pace in idipsum , dormiam & requiescam. Vnde Abrahæ dominus promisit : Tu ibis ad patres tuos in pace. & regi Iosiæ dominus dixit : Colligam te ad patres tuos,& inferreris in sepulchrum tuum in pace. Hinc filios & amicos dei Esaias compellans ait : Vos in lætitia egredimini de carcere corporis vestri , & loco horroris & vastæ solitudinis huius mundi , de lacu miseriæ & luto fœcis, & in pace dei & Christi , quæ omnem sensum exuperat

Rom. 8. Esa. 9. Iob 10. 2. Tim. 1. Esa. 38. Psal. 4. Gen. 15. Esa. 55. Philip. 4

deducemini de exilio ad patriam cœlestem : Montes, id est, superiores, & colles, id est, inferiores angeli, qui nos portabunt in regnum patris vestri, quod vobis paratum est ab origine mundi, cantabunt coram vobis laudẽ. Ibi sedebitis in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fidu-
Hebr. 12. ciæ, & requie opulenta. Quapropter charissimi hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati inueniri in pace. Et pacem sequimini & sanctimoniam, sine quibus nemo deum videbit. Et hoc fac *secundum verbum tuum*, & oraculum spiritussancti quod accepi: nempe, me non visurum mortẽ, nisi Christum siue Messiam vidissem prius. Sed tu domine iuxta bonitatem tuam, desiderium cordis mei tribuisti mihi, & voluntate labiorum meorum
Psal. 20. (qua oraui prius sine intermisione, vt Christum videre possem priusquam viam vniuersæ carnis ingrederer) non
3. Reg. 2. fraudasti me. Quicquid enim in fide petij, accepi: Igitur
Philip. 1. nunc cupio dissolui. Vnam à te domine petitionem peto, & hanc fac mecum secundum misericordiam & voluntatem tuam. Præcipe in pace recipi spiritum meum, expedit enim nunc mihi magis mori, quàm viuere, vt sic in domo tua in qua est laus iugis, gratiarum actio & vox laudis, inhabitem in seculum seculi. Et hoc vnicè precor.
2. Cor. 5. *Quia viderunt oculi mei* externi & interni. Oculi carnis hominem, oculi cordis deum in homine latentem, nam omnis plenitudo diuinitatis corporaliter in homine Christo habitauit. Vere ait ille, tu es deus absconditus: Ab-
Isa. 45. sconditus filiis sceleratis, & manifestus filiis lucis. Vnde
Mala. 4. spiritussanctus in loco alio dicit, solem iustitiæ, qui deum timentibus orietur, & gloriam diuinitatis eius, nube carnis tegam, ne impij videãt gloriam dei. Vidit creaturam, credidit creatorem: vidit paruum, credidit magnum: vidit modo genitum vbera matris sugentẽ, credidit antiquum dierum: vidit temporalẽ, credidit æternum: vidit infantẽ,
1. Cor. 1. credidit saluatorẽ: vidit infirmum, & credidit dei sapientiã & virtutem, omnia gubernantẽ & conseruantẽ potentia sua. Iã credo quòd redemptor meus viuit, & isti oculi mei viderunt *salutare tuum*. Laudibus iã Christum prosequitur magnificis, & epithetis effert super mel & fauũ dulcioribus bonis & rectis corde, maxime tribus: Vocat nãq; eum salutare, & hoc respectu omnium. Deinde lumen, respectu gentium. Postremo gloriam, respectu Iudæorum. Hoc salutare dei Iacob expectans expectauit: hoc

hoc multi reges et prophetæ videre desiderauerunt. Et *Luc.10.*
vocat Christum salutare dei,quia per eum deus qui erat
in Christo,mundum sibi reconciliauit,non reputans con *2.Cor.5.*
uersis et credentibus in eum peccata ipsorum. Ipse sal-
uum fecit populum suum à peccatis eorum. Misit olim
deus Iudæis cum in tribulationibus ad eum clamaue-
runt,saluatores,sed nihil erant collati ad Christum. Illi
paucos,hic totum mundum saluat:illi de manibus homi *Iudith 3.*
num et tyrãnorum Iudæos liberauerunt:hic liberat nos *4.Reg.13*
à peccatis nostris,de potestate tenebrarum,et omnium
qui odio iniquo odiunt nos. Hunc saluatorem terra bo-
na et optima virgo Maria germinauit. Et absq; eo nõ est
saluator nec salus. In isto salutari Esaias cum omnibus *Esa.43.*
electis exultauit et lætatus fuit lætitia inenarrabili. Hoc
salutare dei,omnis caro vidit,et omnes fines terræ vide- *Luc.3.*
runt.Hoc salutare Dei gentibus missum est,et nihil aliud
est salutare Dei, quàm adiutorium Dei, hoc est Deus *Prou.67.*
ipse,quia est Deus saluos faciendi. Vnde Esaias dicit:Ec- *Esa.12.*
ce deus saluator meus, fiducialiter agam,et non time-
bo. *Quod parasti*, in dulcedine tua et in bona voluntate
tua,eo quòd amas animas, et neminem vis perire, sed *1.Tim.2.*
omnes saluos fieri,et ad agnitionem tui nominis perue- *2.Cor.1.*
nire.Parasti inquã, ô pater misericordiarum et deus to-
tius consolationis,pauperi homini. Ipse enim pauperem
hominem liberauit à potente diabolo,et pauperem, cui
alius non erat adiutor,neq; in cœlo,neq; in terra,neque
subtus terram. Non enim ex operibus iustitiæ quæ nos
fecissemus,sed secundum magnam misericordiam suam
et multitudinem miserationum suarum,saluos nos fecit
in regnum suum per gratiam suam, *ante faciem omnium
populorum*. Ergo non solis Iudæis, sed et gentibus salua- *Rom.3.*
tor est Christus. Sic est salus dei vsq; ad extremum ter- *& 15.*
ræ, ideo apostoli in omnẽ terram sunt missi,et euange-
lium omni creaturæ prædicauerunt:ergo omnes qui fide
piorum et viua credunt in eum, et in mãdatorum ipsius
obseruatione obtemperãt ei,habebunt vitã æternã. Om *Heb.9.*
nia salutem,benignitatẽ, bonitatem,charitatem dei spi-
rant et misericordiam.Parauit vtile,quia salutare:para-
uit euidens, quia viderunt oculi mei.Parauit commune
bonum,quia ante faciẽ omnium populorũ,sed et parasti
propter teipsum,propter nomẽ tuũ, et propter bonitatẽ
tuam dñe,*lumen* magnũ et inextinguibile, *ad reuelationẽ.*

id eſt, illuminationem *gentium*. Symbolis non immoror, quæ multa Benardinus de Buſti adducit, de lumine & candelis, & cur accēſas in manibus candelas portamus, eáſq; offerimus ad altare, Chriſtus eſt verum lumen, in tenebris exortum rectis corde. Iuxta illud: Lux orta eſt iuſto, rectis corde lætitia. Hāc magnam lucem gentes viderunt, hoc verum lumen iam lucet, hoc eſt, lux vera & lux mundi, quod non ſolum nobis oſtendit & docet nos quid fugiendum, ſed etiam quid credendum, ſperandum, diligendum & faciēdum vt ſaluemur. Paraſti inſuper hoc lumen, *ad gloriam plebis tuæ Iſrael.* Magna gloria Iudæis eſt, ſi credunt in dominum Ieſum Chriſtum, quòd ſalus eſt ex Iudæis, quòd ex ſemine Dauid & Abraham & de radice Ieſſe eſt ortus. In ciuitate eorum natus, in Iudæa educatus. ſi autem in perfidia ſua manent, extrema eſt confuſio eorum, ſicut & noſtra, ſi poſt fidem acceptam, deo odibilia opera facimus, & peccata peccatis addimus.
Rom. 11. tunc enim poſteriora noſtra prioribus peiora fiunt. Præponit autem gentes Iudæis, quia cùm plenitudo gentium intrauit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet. Fiat, fiat.

IN DIE MATHIAE APOSTOLI EPISTOLAE LOCO, LEctio, ex actis Apoſtolicis, capite primo.

Ioan. 6. IN *diebus.* Voluntas domini manet in æternum. Ipſe autem voluit xij. Apoſtolos habere, quos elegit ex hoc mundo, vt eſſent principes ſuper omnem terram, & teſtes omnium quæglorioſe egit dum habitauit
Act. 1. in nobis, & cum hominibus conuerſabatur. Verum dum Iudas filius perditionis mercedem iniquitatis plus dilexit quam deum, & retro poſt Satanam abiit, eius cupiditas quæ ipſum in interitū merſit & perditionē, voluntatē dei et fidē non euacuauit, ſed mox poſt aſcenſionē dñi in cœlum, ſacer apoſtolorū ſenatus per ſpiritumſan-
Ioan. 20. ctum edoctus, quē Chriſtus eis dederat cū ad eos ianuis clauſis in die glorioſæ reſurrectionis ſuæ à mortuis venerat, Mathiā in locū eius elegerūt, vt lectio præſens teſta-
Mat. 5. tur. Igitur cū lumina mundi, ſal terræ amici Chriſti, filij altiſsimi,

altiſſimi in vnum eſſent congregati,& orationi cum Maria matre Ieſu & mulieribus inſtarēt, ſine intermiſſione, tunc Petrus Chriſti vicarius, paſtor ouium, vertex apoſtolorum, *exurgens in medio fratrum*,id eſt,eorum, qui viā Chriſti amplexi,per baptiſmum regenerati,atq; per eandem regenerationem vere fratres,non tam carne quàm ſpiritu effecti erant. Numerus autem credentium exprimitur cum dicitur: *Erat autem turba hominum ſimul* loco, voluntate & fide, quia habebāt cor vnum & animam vnam.Et hoc modo fratres habitare in vnum bonum eſt & iucundum,*fere centum viginti*.ſecundum cōſuetudinem numerantium hoc ponit,non quia ſpirituſſanctus de numero dubitauerit, *dixit* Petrus, imo deus ſpirituſſanctus per eum.Viri virtutis,*fratres* in fide,Quia nos omnes fratres ſumus, qui patrem inuocamus,qui eſt in cœlis,*oportet impleri ſcripturam*, quia cœlum & terra tranſibunt, verbum domini manet in æternum, *quam prædixit ſpiritus ſanctus*, qui per os ſanctorum prophetarum locutus eſt qui fuerunt à ſeculo, *per os Dauid*, qui vir electus à deo,ſecundum cor dei, adimplens omnes voluntates eius,cui Deus incerta & occulta ſapientiæ ſuæ manifeſtauit. *de Iuda* proditore, *qui* ſuapte malitia, & non ex conſtillatione cœli aut fato, aut mandato dei, quia non volens iniquitatem Deus noſter eſt, *fuit* ad hoc Satana cum adhortante, non compellente, *dux* ad hortum, *eorum qui comprahenderunt Ieſum,qui connumeratus erat in nobis.* merito ſimilis nobis. Ex nobis prodiit, ſed non erat ex nobis,prædeſtinatione & electione domini. Nam ſi fuiſſet ex ouibus Chriſti, permanſiſſet vtique cum apoſtolis, quia oues Chriſti nemo rapere poteſt de manibus eius. & *ſortitus eſt ſortem miniſterij huius*, hoc eſt, dignitatem apoſtolicam, per electionem Chriſti. Et abyſſali ſua miſericordia Chriſtus eum dignum fecit in partem ſortis ſanctorum,in lumine fidei & gratiæ,Quanuis poſtea abiecit gratiam Dei. *Et hic* tam ingratus & immemor multitudinis miſericordiæ ſibi exhibitæ, *quidem poſſedit*,id eſt, poſſidere fecit,ab aliis,*agrum* emptum à figulo *de mercede iniquitatis*,& iniuſto mammona, *& ſuſpenſus crepuit medius,& diffuſa ſunt omnia viſcera eius*,vt late dictum eſt in Chriſti paſſione: Sic pœna correſpondebat, culpæ. Iuſtum enim erat,vt viſcera quæ tantam perditionem

Margin notes: Act. 1. — Mat. 23. — Act. 4. — Pſal. 129. — Mat. 23. — 1. Pet. 1. — 1. Reg. 3. — Act. 13. — Pſal 5. — 2. Ioan. 2. — Ioan. 10. — Col. 1.

perditionem conceperant, enormiter caderent. Ecce quo
Eccl. 5. modo qui diuitias iniuftas amant, fructum & vtilitatem
non capiunt ex ipfis. O quàm breue iniuftæ mercedis
gaudium, & dignum auari proditoris fupplicium. *Et notum factum eft omnibus habitantibus Hierufalem*, enorme hoc
factum Iudę, *ita vt appellaretur ager ille*, emptus de precio
fanguinis, *lingua eorum*, Lyranus dicit, id eft, principum fa
cerdotum, qui emerũt agrum illum, *Hacheldemach, hoc eft, ager fanguinis*, quia precio fanguinis Chrifti eft emptus.
Allegat deinde fcripturam in generali, dicens: *Scriptum eft enim in libro pfalmorum*, per Dauid eximium propheta-
Pfal. 108 rum: *Fiat commoratio eius deferta*, id eft, fecundum gloffam
interlinealem, Deleatur nomen eius de numero xij. Apoft. tam in præfenti, quàm in futuro, *& non fit*, ille Iudas,
qui habitet in ea, fed alius electus pro eo, de quo fubditur:
Et epifcopatum eius accipiat alter ex difcipulis multis: Nempe Mathias. His de Iudæ cafu & reprobatione præmiffis
& interpofitis, nunc fuum, imo fpiritus fancti explicat
confilium. *Oportet ergo* ad reintegrandum duodenarium
numerum apoftolorum, *ex his viris*, non fœminis, quarum
ad propagandum fexus infirmior eft, ad prędicandũ perfona verecundior, ad teftandum authoritas inferior eft,
qui nobifcum funt congregati omni tempore quo intrauit incipiens à baptifmo Ioannis, *& exiuit* in die qua affumptus
eft, *inter nos dominus Iefus*, & habitauit in nobis, qui per vifum & experientiam nouerunt conuerfationem inculpatam Iefu Chrifti, & eius diuina opera, quæ ex patre fuo
Ioan. 10. fecit, *à baptifmate Ioannis*. Nõ enim legitur Iefum docuiffe
Ioan. 1. publicè, & miracula feciffe, nifi poftquã baptizatus fuit
à Ioanne *vfque in diem qua affumptus eft à nobis* in cœlum,
vt ibi appareat vultui dei pro nobis, & interpellat patrẽ
pro nobis *teftem refurrectionis eius*, & etiam aliorum ad fidem Chrifti pertinentium: refurrectio tamen exprimitur, quia conuerfatio Chrifti, & miracula quę fuerunt coram omnibus facta non indigebant tanto teftimonio, ficut refurrectio, quæ folummodo apoftolis, & aliis difcipulis manifeftata fuit. *nobifcum fieri ex ipfis.* Ex hoc perfpicuum eft, Mathiam cum primis relictis omnib. domino
adhæfiffe, quod multum illi laudis adfert & honoris.
Et ftatuerunt duos, quos fanctiores in vita, perfectiores in
charitate, paratiores ad omnia fuftinenda pro nomine
Iefu, magis illuminatos in fcientia falutis, et magis
expertos

expertos sciebant de operibus Christi. Isti fuerunt ex lxxij.discipulis,vt Clemens testis est.*Ioseph qui vocabatur Barsabas.*Iste est ille,qui infra vocatur Barnabas, vt glossa ordinaria & interlinealis dicunt,cum venerabili Beda,*qui cognominatus est iustus,* ex euidentia sanctitatis,quæ rationabiliter hic exprimitur,& ne repulsus ab apostolatu tanquam indignus videretur,vnde cum Paulo postea ad apostolatum assumptus est. Lyranus tamen arbitratur, quòd alius fuerit, vt hic tangit & Actorum iiij. declarat ac rationem reddit, & *Mathiam,* qui donatus, vel donum dei interpretatur.Et *orantes dixerunt,*vtilissimo videlicet exemplo,hominum instruentes vitam.vt in omnibus,maxime grauibus rebus,discamus precibus voluntatem nobis diuinam reuelari.Quod quia hodie non fit aut frigide & non ex aimo & vero corde, idcirco tanta est rerum confusio & status ecclesiastici pertubatio. *Tu domine* cœli & terræ,ex quo pendemus omnes,& nihil quærimus,nisi quod placitum est coram te.Nos ea videmus quæ foris sunt,& secundum faciem iudicamus,& sic crebrò erramus.Sed tu domine,*qui corda nosti omnium,* & cognoscis omnia nouissima & antiqua,propter bonitatem tuam.& gloriã nominis tui, *ostende* aliquo signo visibili,*quem elegeris ex his duobus,*quos nos idoneos putamus sed quem illorum tu magis probes,& ante mundi constitutionem ad hoc munus elegeris. incerti sumus. Itaque precamur humiliter,vt beneplacitam voluntatem tuam nobis manifestes,Nos non nosmetipsos,neque quæ nostra sunt,sed quæ tibi placita sunt quærimus.Ostende ergo seruis tuis quem elegeris ex his duobus,*vnum accipere locum ministerij huius,*quia ministri Christi sunt apostoli,*& apostolatus de quo prauaricatus est,*& suapte malitia deiecit se *Iudas,*scelestus,diligens pecuniam.Nihil proinde scelestius est,quàm pecuniam amare,vt auari cum Iuda faciunt.Hi enim animas suas venales habent,vt in Iuda cernimus, *vt abiret in locum suum,* æterne damnationis, qui diabolo & angelis eius paratus est, & omnibus operariis iniquitatis. Vnde ait Apostolus:Hoc scitote intelligentes,quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus quod est idolorum seruitus,non habet hæreditatem in regno Christi & dei. Et iterum:Qui volunt diuites fieri &c. merguntur in interitum & perditionem. Et *dederunt sortes eis.*Hoc hodie imitari non licet. Sed nec apostoli

Act.13. *1.Reg.16* *Psal.138* *1.Cor.4.* *Eccl.10.* *Matt.25.* *Ephes.5.* *1.Tim.6.*

apostoli post spiritus sancti aduentum, sortibus vsi leguntur. De hoc vide Lyranum in loco isto. Et *cecidit sors super Mathiam*, sortes nanque mittuntur in sinum, sed à domino temperantur. *& annumeratus est cum vndecim apostolis*, per domini voluntatem. Et quamuis de angelica vita Mathiæ apostoli, nihil hic dictum sit in litera, hoc tamen, abunde ad laudem eius satis est, quòd Ioseph iusto, qui Christi fuit consanguineus prælatus est, & in apostolorum ordinē, ordinatione diuina relatus. Vt xij. apostolorum perfecto numero, perfectus daretur spiritus. Duodecim esse debere apostolos, multis figuris olim ostensum est in literis arcanis. Videlicet in duodecim patriarchis, in xij. fontibus in Helym repertis, in xij. panib. propositionis, in xij. lapidibus rationalis, in xij. lapidibus altaris, in xij. lapidibus de Iordane leuatis, & in aliis xij. in Iordane positis, In xij. exploratoribus terræ promissionis, in xij. bobus mare æneum sustentantibus, in xij. prophetis. In nouo testamento, in xij. sportis ex fragmentis panum, quibus populum saciauit dominus, repletis. In xij. horis diei gratiæ, in xij. lapidibus sponsæ, in xij. portis et xij. fundamentis ciuitatis Hierusalem nouæ, et in xij. fructibus ligni vitæ. Istis diebus in electionibus episcoporum non respiciuntur merita personarum, nec eruditio, nec eloquentia, nec zelus animarum, sed amicitia, sed nobilitas, sed pompa, sed vtilitas propria. Nec petitur signum à deo vt ostendat quem ipse elegit vt gregem suū pascat, sed alia signa iam electoribus fiunt, quæ excecāt corda sapientum, et peruertunt verba iustorum, munera videlicet magna et preciosa. Nam vni canonico datur castrum, alteri equus validus et pernix, freno argenteo et phaleris præciosissimis adornatus. Alii crater magnus aureus gemmis et lapidibus preciosis adornatus. Alteri datur vestis vndulata, alteri vestis serica, alteri vestis holoserica. Alteri datur decima, alteri allodium, alii datur pagus, alteri annulus aureus in quo sapphirus magnus est inclusus et c. Hæc signa deus huius seculi et princeps mundi operatur in episcoporum et magnatorum electionibus, ideo confusa sunt omnia. Et ex quo impii potestate præditi sunt, gemit populus, luget et defluit terra, defluit orbis et infirmatur altitudo populi terræ, et terra inficitur ab habitatoribus suis. Nam leges impie transgrediuntur, mutatur ius, dissipatur fœdus sempiternum.

Prou. 16.

Exod. 23.

Deut. 16.

Esa. 24.

num. A planta pedis vſque ad verticem capitis, non eſt in corpore eccleſiæ ſanitas. Euangelium in die Mathiæ *Eſa.1.*
apoſtoli, require in die S. Franciſci. Nempe illud: In illo tempore, reſpondens Ieſus dixit: Confiteor tibi pater domine cœli & terræ &c.

IN DIE ANNVNCIATIONIS

B. MARIAE VIRGINIS, in Epiſtolam Sermo.

IN *diebus illis*, quando ira dei in miſericor- *2.Mac.8.*
diam conuerſa eſt: & deus non potuit amplius in ira ſua cōtinere miſericordias ſuas.
Quando venit temporis plenitudo, & tem *Pſal. 76.*
pus miſerendi, quod ipſe elegerat, tunc deus pater miſericordiarum, & deus omnis conſolationis, miſit filium ſuum vnigenitum in terram, factum ex muliere, factum ſub lege, & cum illo omnia nobis donauit, maxima & precioſa, per quæ non ſolum redempti *2.Cor.1.*
ſumus ab omnibus iniquitatibus, & omnibus bonis re- *Gal.4.*
pleti & ditati, & in partem ſortis ſanctorum in lumine *Rom.8.*
digni effecti, ſed etiam conſortes diuinę naturæ efficimur. Ecce quod nemo ſperare aut petere auſus fuit à deo quem peccando exacerbauit Adam, ipſe ex abyſſali miſericordia, quia bonus, benignus & ſuauis eſt, promiſit mox poſt lapſum dicens ad ſerpentem, qui aſtutia ſua *2.Cor.11*
Euam ſeduxit: Ponam inter te & mulierem, & ſemen *Gen.3.*
tuum & ſemen illius inimicitias. Ipſa, vel vt alij legunt, Ipſum conteret caput tuum, quod teſte Paulo, eſt Chriſtus. Hoc modo deus pater oſtendit abundantes diuitias *Gal.3.*
gratiæ ſuæ, in ſeculis ſuperuenientibus ſuper nos in bo- *Epheſ.2.*
nitate in Chriſto Ieſu, quem propoſuit deus propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius. Verum hodie exor- *Rom.3.*
dium miſerationis antiquæ recolimus quomodo filius dei nos viſitauit oriens ex alto. Illud autem magnum *Luca 1.*
pietatis opus & ſacramentum, Iudęorum euangeliſta Eſaias, longe ante prædixerat, quādo *locutus eſt dominus ad Achaz* peſſimum, venditum ſub peccato, impiiſſimum *3.Reg.21*
regem, idolorum cultorem perditiſſimum, ipſa vita indignum qui nec deo credidit, nec ſeruis eius prophetis, fidem dedit. Qui tunc temporis anguſtiis

&

& tribulationibus circundatus erat vndique, & quò se
verteret, ignorabat. Nam sua virtute inimicis resistere
non potuit,& se cum populo suo illis in seruitutem tradere,intolerabile fuit.Insuper effugium periit ab eo. Nã
Iob 11. deum qui Iudæos de manibus inimicorum liberare cõsueuit,deseruit & multipliciter offendit. Respexit ad ad-
Ecclesi. 51 iutorium hominum,& non erat. Tunc deus benignus &
Psal. 68. suauis in misericordia, qui solem suum oriri facit super
Luca 6. bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, cuius
bonitatem non vincit malitia, locutus est ad Achaz,filium perditionis, & hominem peccati, cum angustiæ
ei essent vndique, verba consolationis plena. Prædixe-
Rom. 1. rat Esaias regi apostatæ Achaz,regna Syriæ & Samariæ
breui finem habitura,sed is minime credidit, quia in reprobum sensum datus fuit,& in arcum prauum conuersus.Iubetur ergo à domino,cuius misericordia est super
Psal. 144 omnia opera eius:petere signum liberationis suæ,& populi sui de potestate duorum regum Syriç, videlicet &
Samariæ,quæ rursus signum & figura esse deberent libe
Matt. 12. rationis Christi,qui genus humanum liberaturus erat de
Luca 11. potestate tenebrarum,& fortis armati,qui in pace damnabili atrium suum custodiuit,dicit ergo: *Pete tibi* ad tuã
tuorũmque consolationem & liberationẽ, *signum*,in bonum, *à Domino*,qui potestatem habet in cœlo & in terra,
deo,qui bonus est, *tuo*, per creationem, gubernationem
& multorum beneficiorum largitionem, quem tu despicis,derelinquis,exasperas,& cui malum pro bono reddis,
Psal. 34. & odium pro sua dilectione.A domino deo tuo pete hoc
Psal. 113 non ab idolis tuis, quæ non sunt dij,sed dæmonia, *siue in excelsum supra*, sicut Iosue habuit, quando sol vno die
Iosue 10. immobilis in cœlo stetit, *siue in profundum inferni*, vt quod
aliquis à mortuis resurgat. Sed quid rex impius respon-
1. *Reg.* 24 dit? Quod vulpem dolosam oportebat. Ab impiis egreditur impietas,& non potest arbor mala fructus bonos facere, vnde sequitur: *Et dixit*, ex malo thesauro cordis
sui,lingua dolosa in verba malitiæ cor declinans,ad excusationes in peccatis concinnandas, *Achaz* impius. *Non petam*, timuit enim ne ex tali signo deus verus agnosceretur,gloria eius clarescceret & coleretur. Timuit etiam
ne per hoc idolorum falsitas quæ ipse coluit innotesceret,& ipsa idola relinquerentur, & vilificarentur. Vnde
pro velamine suæ malitiæ et dolosi cordis,ait: *& non tentabo*

tabo dominum. Alia translatio habet,& non exaltabo dominum, per hoc quod signum peterem. Tentare dominum,erat lege prohibitum. Sed nunquid dolosus iste fefellit dominum,qui corda scrutatur & renes? Qui discretor cogitationum & intentionum cordis est? Minime. Mentiebatur iniquitas sibi. Petere signum deo præcipiente ad suam gloriam,non erat dominum tentare,sed eius mandato humiliter obedire. Eodem modo hæretici etiã torquent,deprauant & trahunt repugnantem scripturam ad sua mendacia quæ fabricant,& peruersa dogmata quę colunt stabilienda. Sic didicerunt à patre suo mendace diabolo,qui simili modo Christum per scripturas ad suũ institutum detortas est adorsus. Sed deus non irridetur. *Et dixit* Esaias. quia malitia hominum nõ vincit dei abyssalem bonitatem, nec impiorum incredulitas fidem dei euacuat, qua misert urum se generi humano promisit & missurum redemptorem. *Audite ergo domus Dauid*, quia rex scelestus & profanus instar aspidis surdæ,obdurat aures suas,resistit spirituisancto,magis vult perire in peccatis suis,quã deo obedire. Vel sic: Tu rex Achaz,& qui ex Dauidis stirpe & radice Iesse ducitis stemma vestrum,& domestici tui: *Nunquid parum vobis est*,& pro nihilo habetis, *molestos esse hominibus*, bonis & rectis corde, qui iuste viuunt,deum timent,& ambulant coram deo in veritate,& in corde perfecto. Qui sic viuunt,homines sunt, qui secus,bestię sunt, & nihil iumentis amplius habent. Molesti erant prophetis domini. Quem prophetarum nõ sunt persecuti patres vestri?dixit Stephanus filiis sceleratis. Vos occidistis eos qui prænuntiauerunt vobis de aduentu iusti. Eorum dicta & facta contemnitis, impugnatis, deridetis. Sed in tam altum profundum malorum venistis, quòd hæc contemnitis,imo, gloriamini in malitiis vestris, exultatis in rebus pessimis, & per risum scelera contra homines designatis. Ideo proficitis in peius, *quia molesti estis Deo meo*, cui angeli seruiunt, sub quo curuantur qui portant orbem, cuius gloriæ maiestatis pleni sunt cœli & terra. Illi estis molesti, iubenti non obtemperando, & oblatum ab eo signum ob eius gloriam & vestram salutem recusando. Estis illi molesti, dum duras vestras portat iniquitates, dum eum configitis, dicendo quòd odit bonum; & diligit iniquos & iniquitates. Dum eum exarcerbatis & ad iracundiam

Deut.6. Mat.4. Psal. 26. Iob 13. Mat.4. Luc.4. Gal.6. Rom.3. Eccl.3. Act.7. Prou. 18. Iob 9.

peccatis vestris prouocatis, quando eum spernitis, & eo deserto, idola adoratis, & viciis quæ ipse odit, dediti estis. *Propter hoc* quia vestra malitia ei onerosi estis, inuidentes eius signis & gloriæ, *dabit* ex abundantia pietatis suæ & bonitatis, *vobis* ingratissimis & rebellibus lumini, *signum* salutis æternæ, & liberationis de diabolica potestate.

Esai. 11. *Ecce virgo*, & virga de radice Iesse, virga Aaron, quæ flo-
Num. 16. ruit, porta Ezechielis quæ clausa mansit, Rubus Moysi
Eze. 44. igne plenus, & nullum adustionis vestigium habuit Vel-
Exod. 3. lus Gedeonis plenum rore, & arbor siue lignum vitæ
Iudic. 6. quod sine sua læsione fructum vitæ dedit, *concipiet*, non
Gen. 2. de virili semine, sed sine tactu pudoris, de spiritu sancti virtute, *& pariet* nouem decursis mensibus, sine dolore & erumna, imo cum maximo gaudio in domino & cum maxima exultatione in deo Iesu suo, *filium* non cuiuslibet merito hominem, sed totius mundi expectationem, gaudium, mediatorem, & saluatorem. Et *vocabis nomen*
Coloss. 2. *eius Emmanuel*, id est, nobiscum Deus, quia Deus erat in illo. Imo, omnis plenitudo diuinitatis in eo corporaliter inhabitauit. Hoc nomen nulli, nisi Christo Iesu conuenire potest, qui verus Deus est per naturam, & homo verus per omnia fratribus similis absque peccato. *Bu-*
Hebræ. 2. *tyrum & mel comedet*, ad probandum, quòd veram assumpsit naturam humanam, *vt sciat reprobare malum, & eligere*
Esai. 53. *bonum*. Sic infantium cibo vsus est, quamuis tunc repro-
1. Pet. 2. bare nouerit & eligere bonum. Quia ab instanti suæ
Ioan. 14. cõceptionis anima eius omni sapientia plena fuit. Nam
Ioan. 8. ab instanti conceptionis, omnes thesauri sapientiæ & scientia Dei, in anima illius beatissima fuerunt absconditi. Christi infantia, non minuit eius sapientiam, non enim plus sapiens fuit adultus quàm paruulus, sed plus ostendit sapientiam suam adultus quàm paruulus. Sic paruulus reprobauit malum, quia peccatum non fecit, nec dolus in ore eius inuentus fuit. Ipse est, in quo princeps mundi nihil mali inuenit, quẽ in ecclesia malignantium, de nullo peccato arguere in veritate potuit.

Elegit autem bonum, quia quæ placita patri suo erant, semper fecit. Reprobauit malos Pharisæos & superbos scribas, & elegit humiles piscatores,

IN DIE ANNVNCIATIONIS VIRGINIS, MARIAE in Euan. Sermo I.

MISSVS est angelus Gabriel. Exordium redemptionis humanæ nunc recolimus, quando deus vidit de cœlo afflictionem *Psalm. 11*
sui populi, & gemitum compeditorum & clamorem oppressorum, propter duritiam eorum quos Pharao diabolus præposuit operibus. Tunc deus in ira sua amplius non potuit continere misericor- *Ephes. 1.*
dias suas, sed misit angelum suum ad virginem Mariam, quam elegit & præelegit ante mundi constitutionem, non solum vt sancta & immaculata esset in conspectu eius in charitate, sed vt etiam, esset sponsa dei patris dilectissima, mater Christi dignissima, animatum spiritussancti templum purissimum & magnificentissimum. Verùm, quid in euãgelium hodiernum scribere, quid dicere possum, olim millies à sanctis doctoribus nónne exaratum? Quid prodest, vsque in eadem oberrare chorda? Reuera nihil hic iucundius homiliis sancti Bernardi, nihil hic locupletius lucubrationibus Alberti Magni dici posse arbitror & scribi. Vt quicquid his additur ab aliis, crambæ bis positæ merito debeat censeri. Ne tamen nihil in sacrum euangelium dixisse arguamur, quo breuius potero, illud transcurram. In eo ponitur angeli ad virgi- *Psal. 101*
nem missio. Deinde mandati iniuncti executio. Postre- *2. Cor. 6.*
mo virginis assensus. Dicit ergo. Cum venit plenitudo temporis, tempus miserendi eius, & tempus acceptabile, & dies salutis, quando deus pater filium suum mittere voluit in terram, & mundum sibi per eum reconciliare. *Missus est*, immediate *angelus*, quod est nuncius, vt legatione fungeretur in terra. Facit nanque Deus spiritus *Heb. 1.*
suos, nuncios. *Gabriel*, nomine, & fortitudo Dei, vel con- *Luca 11.*
fortauit me Dominus, interpretatur, quia eum annunciauit, qui fortis & potens est in prælio. Qui & fortem diabolum vicit, principatus expoliauit, potestates traduxit confidenter, & palam illos triumphauit in semetipso in cruce. Insuper, arma eius diripuit in quibus fiduciam habuit, spolia eius distribuit, & ipsum in inferno mille annos ligauit. Ecce agnus Dei, leonem rugientem & fortissimũ bestiarum, vicit. Recte & Gabriel dictus est

nuncius, quia virginem ex ſermone ſuo turbatam, ſtupore & admiratione repletam, confortauit, *in ciuitatem.* In ciuitatem miſſus eſt, vt ex hoc clareſceret quòd peccatores vocare & ſaluare venit. Eò quòd peccata in ciuitatibus magis quàm in villis crebreſcunt. Et cùm ciuitas ſit ciuium vnitas, ideo in ciuitate concipi voluit, quod ex hoc diſceremus, quod eorum ſaluator eſt, qui in bono cor vnum habent & animam vnam. Quod inter pacem habentes eſt, & eos qui vnius moris habitant in domo, qui idipſum dicunt omnes, idipſum ſapiũt

Rom. 15. in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, & vnanimes,

Philip. 2.4 vno ore honorificant Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui digne Deo ambulant vocatione qua vocati ſunt, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, & ſolliciti ſunt ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: Quia in pace factus eſt locus eius. Sed & omens homines ad vni

Eſai. 9. tatem & beatitudinem Hieruſalem cœleſtis vocare venit. *Galilea,* non Iudææ. In ſignum quod Iudæos & Gentes vocare venit, qui mixti habitauerũt in Galilæa. Vnde & Galilæa gentium vocatur ab Eſa. Galilæa etiã reuelatio & traſmigratio interpretatur. Recte ergo in Ga-

Rom. 8. lilæa concipitur, quia hic dominus iuſtitiam ſuam reuelauit. Hic gloria domini reuelata eſt, hic eſt maxima tranſmigratio facta, de ignorantia in ſcientiam, de culpa in gratiam, de vmbra in veritatem, de ſeruitute in libertatem filiorũ dei, de maledicto legis in benedictionem euangelij pacis, & quod maximum eſt, de cœlo in terram, & de humanitate in deitatem, & de terra in cœlum, *cui nomen Nazareth.* Omnia cœleſti dulcedine referta ſunt, & redundant eis ex hoc in illud, qui nouerunt mel ſugere de petra, & oleũ de duriſſimo ſaxo. Et pro conſuetudine exercitatos ſenſus habent ad diſcretionẽ boni & mali. Sic nánque prophetia impleta eſt quæ dicit:

Matt. 2. Et Nazaræus vocabitur, ſecundum lxx Nazareus de radice eius naſcetur. Nazareth etiam munda interpretatur, florida & ſancta. Nam virgo puriſſima fuit & ea pu-

Anſel. ritate nituit, qua maior ſub Deo intelligi nequit, ſine omni etiam immunditia conceptio hæc de ſpiritu ſancto facta fuit, floruit ſicut lilium, & eum in quo princeps mundi nihil habuit, concepit. Qui eſt ſanctuſſanctorum, *ad virginem,* mente & carne, de qua Eſaias dixit: Ecce virgo

conci

concipiet & pariet filium. Hæc est virga de radice Iesse & Aaronis, quæ floruit absque germine, & hæc virgo fœcundata est, absque virili semine. Nec virge virorem læsit floris emissio, nec virginis pudorem, sacri partus editio, *desponsatam*, Et hoc necessarium fuit propter prolem, propter matrem, propter genus humanum. Ex parte prolis conueniens fuit Mariam fuisse desponsatam. Tum ne Christus à perfidis Iudæis, tanquam illegitimus respueretur. Tunc vt diabolo sacramentum hoc magnum celaretur: Demum vt paruulus Iesus à Ioseph nutriretur, & Mariæ consolationi esset eundo in Ægyptum & redeundo. Ex parte matris itidem bonum fuit & necessarium. Sic nanque ab infamia est præseruata. Ne item à Iudæis exasperatoribus, vt rea adulterij lapidibus obruit posset. Tum vt mater dei, nullo bono expers esset, sed haberet bonum matrimonij virginitatis & tandem viduitatis. Ex parte generis humani etiam bonum fuit & vtile matrem Domini esse desponsatam, Sic enim testimonio Ioseph viri sanctissimi, magis certificamur de fidei nostræ veritate, maxime de inuiolata virginitate virginis Mariæ. Significatio etiam hoc exposcebat. Nam sicut virgo erat desponsata viro, & virgo manens protulit fructum salutis, sic animæ piæ in Christo viuentium, vni viro Christo per fidem desponsantur. Et dum virginem castam Christo se exhibent, per spiritussanti gratiā concipiunt spiritum salutis & fructificant deo in omnibus operibus bonis, & quotiens in fide vera & charitate syncera bonum opus ad honorem Dei faciunt, totiens pariunt fructum salutis patri qui in cœlis est, & spiritualiter, matres Christi fiunt, & fratres & sorores. Sic etiam in Maria & Ioseph, & virginitas acceptabilis & matrimonium commendabile ostenditur coram deo. Fuit ergo desponsata, veruntamen, nō scurræ, non scelesto, non iniusto, non infideli, non infami, sed *viro* virtutis, sed viro bono, iusto, sancto, & deo dilecto. Viro qui timuit dominum & in mandatis eius voluit nimis. Viro qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentium nō sedit. Viro, qui euacuauerat omnia quæ paruulorum sunt, viriliter egit, confortauit cor suum & dominum sustinuit. Viro simplici & recto ac timenti Deum & recedenti à malo. Viro qui preciosior erat auro: fuit vir ex omni plebe ele-

Num. 7.

1.Cor.11

Luc.8.

1.Cor. 13

ctus, sapiens & timens deum, veritatis amans, odiens munera & auaritiam, qualem de mille, vel potius ex toto mundo, vnum reperit deus, quem huic virgini daret in consortem & seruum bonum, prudentem ac fidelem, & filij & matris. Viruit iste & floruit in omni gratia & virtute, & sicut lignum secus decursus aquarum plantatum dedit fructus salutis in tempore suo, qui permanserunt ei in vitam æternam quasi vitis fructificauit suauitatem odoris bonæ famæ, & flores eius fructus honoris & honestatis. Hic vir est qui vxorem suam dilexit, sicut Christus ecclesiam & sicut corpus suum. Hic vir est, qui secundum scientiam & discretionem habitauit cum vxore sua, & ei honorem omnem detulit, & vas suum possedit in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut gentes faciunt quæ ignorant deum, *cui nomen erat Ioseph.* Nomen reuera bonum, quod melius est quàm diuitiæ multæ. Nomen honorabile corã deo. Congruit certe nomen officio: nam hic Ioseph noster, sicut ille alius in Ægypto, cuius memoria in benedictione est, & nomen eius non deletur à generatione in generationem, fidelis & castus fuit erga vxorem domini sui. Ille Herodianam inuidiam cum matre & puero fugiens, descendit in Ægyptum: iste ex inuidia fraterna in Ægyptũ est delatus. Huic data est intelligẽtia somniorũ: illi datum est conscium esse cœlestiũ sacramentorũ. Hic seruauit frumenta, & sibi & omni populo: ille panẽ viuum & cœlestem custodiendũ accepit & sibi & toti mundo: nõ ergo dubiũ, quin fidelis, bonus & prudens fuerit S. Ioseph, cuius & laus est in euangelio, cui mater saluatoris extitit desponsata, sed & nominis interpretatio idipsum præ se fert. Nã Ioseph augmentũ siue incrementũ interpretatur. Sic iustus iste iuit de virtute in virtutẽ, & quasi lux splẽdens, sic via eius fuit, processit & creuit vsq; ad perfectũ sanctitatis diẽ in omni gratia & virtute, adeò profectus eius omnibus notus fuit. Cum puerulo Iesu, & ipse proficiebat sapiẽtia & ætate & gratia apud deũ & homines semp. Et ille Ioseph erat *de domo Dauid*, nõ tam carnis origine, quã sanctitatis imitatione: Nam sicut Dauid erat vir secundũ cor Dei, & omnes dei volũtates fecit, *&* *nomẽ virginis, Maria.* De hoc benedicto nomine grãdi mihi sermo esset, sed prolixus explicatu: ideo alteri & loco & tẽpori, hæc sũt reseruãda. Et recte hic sponsus nominatur

Eccle. 1.
Ephe. 4.
1. Pet. 3.
Gen. 39.
Matt. 2.
Luc. 8.

tur ex nomine cum ſpōſa, quia nomina eorum erant ſcripta in cœlo, & in libro vitæ. Et ſicut eos Deus coniunxerat in matrimonio, ſic nec hic ſeparandi erant ab euangeliſta. Tum quòd ambo ſancta de radice Ieſſe et de Dauid deſcenderunt. Et Ioſeph ponit hic ante Mariā, quia vir caput eſt mulieris. Sic et Maria honorē poſtea detulit ipſi Ioſeph, dicens ad Chriſtū: Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. et iterum: Et erant pater eius et mater eius mirantes de his quæ de puero dicebantur. ſic & Sara virum ſuum dominum vocauit. Humilitas in loco vltimo recumbit, omnes honore præuenit, alios ſe ſuperiores, ſanctiores, deo acceptiores arbitratur. Pulchre etiam euangeliſta ſponſum hic ponit cum ſponſa, cum originis expreſſione, ſic enim dignitas ſaluatoris manifeſtatur, eo quòd de Dauid rege & tribu Iuda eſt ortus: ſic & promiſſionum Dei impletio & veritas oſtenditur, qua dixit & iurauit Dauid, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedē tuam. Tertio hoc fecit, ne parentum Chriſti paupertas deſpiceretur. quāuis enim pauperes eſſent, tamen nobiles erant. At apud filios huius ſeculi, quantumlibet nobilis quis fuerit, ſi paupertate premitur, etiam proximis ſuis odioſus eſt, imo etiā fratres ſui odiunt eum. Neceſſaria & inuoluntaria paupertas probro datur, deſpicitur ab inſenſatis & maioribus huius ſeculi. At contra, voluntaria paupertas propter Chriſtū aſſumpta, amatur ab omnibus, promiſſionē etiam habet beatitudinis in vita quæ nunc eſt & futura. At hic claudendus eſt ſermo. Soli deo honor & gloria.

Ephes. 5.

Rom. 13.

Matt 19.

IN DIE ANNVNCIATIONIS BEATAE MARIAE, SERMO *ſecundus.*

ANGELVS legationis ſuæ hic munus exequitur & virginē ſalutat inuentā in cubiculo, eā cōfortat de audito verbo, ac certificauit edocuitq; de cōceptionis modo. Dicit ergo: *Et ingreſſus angelus ad eā,* in cubiculū, vbi clauſo ſuper ſe oſtio patrē orabat in abſcōdito, dicens ad patrē. Mitte domine quē miſſurus es, & qui mittendus eſt. Et iterū: Oſtende nobis domine miſericordiā tuā, & ſalutare tuum da nobis. Ad filium autem: Veni ad

Pſal. 79.

liberandum nos, domine deus virtutum. & rursum: Qui regis Israel intende, qui deducis velut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubim, manifestare corã Ephraim, Beniamin & Manasse. Excita potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos deus, conuerte nos & ostende faciem tuã, & salui erimus. Et addidit: Ecce, sceptrum de Iuda ablatum est, & dux de femore eius. Hebdomadæ Danielis *Dan.9.* impletæ sunt; Veni ergo domine & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel. Exurge igitur domine & miserere Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Vtinam deus hanc mecum gratiam faceret, & misericordiam, quòd virginem illam quæ concipiet & pariet filium dei, oculis meis videre possem, & paruulum natũ & filium datum videre in gremio eius, & sugentem vbera matris suæ. Vtinam genua mea curuare ante matrem Emmanuel & procidendo adorare eum possem. Vtinam his meis manibus aquam haurire & parare possem, in qua omnium beatissima virgo, filium suum & saluatorẽ omnium est balneatura. Exaudi domine, placare domine, attende & fac. Ne moreris propter temetipsum deus meus, misericordia mea, spes mea à iuuentute mea, & vsque nunc & in æternũ. Cúmq; adhuc loqueretur & oraret in spiritu & veritate, & prosterneret preces suas in conspectu dei sui, pro salute totius mundi. Adhuc ea lõquẽte in oratione, ecce angelus Gabriel in humano corpore, in virili specie, in iuuenili ætate, in iucunda facie, in habitus claritate, ingressus ad eam, *dixit* cum maxima reuerentia, & humilitate atq; decentissimo gestu, sacratissimam virginem, dei sui genetricem mox futurã salutans, imò & dignitatem eius admirans, honorans & glorificãs. *Aue*, ecce effert eam ab vniuersalis culpæ, pœnæ & miseriæ carentia. Aue, sine væ, cõmuni omnibus hominibus, sine væ speciali mulieribus, sine væ singulari matribus. *Hier.15.* Nos dicere possumus illud Hieremiæ ad omnium nostrũ matrem Euam: Væ mihi mater mea, quare genuisti me *Rom.7.* virum rixæ, virũ discordiæ, in vniuersa terra. Omnes maledicunt mihi, nec id mirum, quia nascimur filij iræ omnes, dãnati antequam nati, venditi sub peccato vt faciamus mala. At virgo beata facta est nobis mater pulchræ dilectionis, cõtra væ malitiæ & dilectionẽ mundi, mater timoris, contra væ discordiæ, mater agnitionis, contra væ ignorantiæ, mater sanctæ spei, contra væ miseriæ & dãna-

tionis

tionis æternę, *gratia plena*. Vnde ipsa ait: In me omnis gratia, vitæ et veritatis. Et vere gratia plena, quia eius intellectus plenus fuit omni veritate, quā eam docuit spiritussanctus et spiritus veritatis. Eius affectus plenus fuit omni gratia et charitate. Vnde ipse ait: Nunciate dilecto, quia amore langueo. Eius memoria plena fuit continua operum dei recordatione. Conseruauit nanq; omnia verba, et quæ circa puerum acciderūt, et ea conferebat, ruminabat et scrutabatur in corde suo. Totum corpus suum plenum fuit morum honestate, et membra sua omnia arma exhibuit seruire iustitiæ in sanctificationem. Placuit omnibus in bono ad ædificationem. Sancte, iuste, et sine querela omnibus adfuit. In omni bono opere semper fructificauit, nunquam gratiæ dei defuit, cum gratia dei plus omnibus laborauit. Multi namq; electi, thesauros sibi in cœlo thesaurizauerūt, diuitias in cœlo sibi congregauerunt: At Maria supergressa est vniuersos. Fuit Maria plena gratia habituali, gratum faciente, spiritussancti donis septem et charismatibus, et virtutibus gratiæ annexis superplena. Fuit virtutibus theologicis et moralibus ac cardinalibus excellenter ornata, omnibus deniq; donis gratis datis mirabiliter redimita, et cumulatius per superuentionē spiritussancti his omnibus ditanda. *dominus tecum.* Superbenedicta trinitas domini hic nomine censetur. Dominus vniuersorum, solus potēs in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis. Qui dixit et facta sunt, mandauit et creata sunt: Ille est tecum tanto singularius quāto gratiosius. Præmiserat dominus Gabrielem, sed præuenit ipse ad virginē, quod secum reputans Gabriel, nō dixit: Dominus deus omnipotens veniet ad te, para ei hospitium, adorna cordis tui thalamū, munda corporis tui domum et templum: sed designans hæc omnia præparata, et dominum se præuenisse, dixit: Dominus tecum. De aliis sanctis dicitur, quod cum deo sunt, qui eius voluntati obediunt, et quæ placita sunt coram eo, faciunt. Sic Enoch cum deo ambulauit. sed Mariæ dicitur, Dominus tecum, quia Maria super omnes obediuit eius voluntati. Dominus tecum, suam tibi gratiam omnem communicans et diuinitatem, vt tu ei communices tuam carnem, vt induas eum formam serui-lem, in qua nobis ministret. Arma, cum quibus nos a diabolo vindicet. *benedicta tu in mulieribus.* Benedictio

Luc. 2.

Rom. 6.

1. Cor. 10

1. Tim. 6.

Psal. 144

Gen. 5.

Dei,munerum eius collatio, & multiplicatio est donorum illius. Tanto ergo super omnes magis benedicta est Maria, quanto maiora, singulariora & magis admiranda dona accepit gratiarum. Et salutatur tam magnifice ab angelo, non solum ob id quod tunc fuit, sed potius propter id quod mox erat futura, & iam erat in prædestinatione æterna. Sunt mulieres aliquæ benedictæ, quia virgines, sed sine prolibus. Aliæ fœcundæ instar vitium in lateribus domorum suarum, sed expertes sunt virginitatis. Sed tu beata & super omnes mulieres benedicta, quia virgo & fœcunda. Hæc est salutatio singularis & salutaris, in qua cum Maria nulla participauit altera. In omni salutatione ante illam fiebat, aut vitæ imprecatio: Vt rex in æternum viue, & viuat rex Salomon:
Ruth.2. Aut salutis, vt salue rex: Aut benedictionis, vt messores
Gen.27. ad Booz: Benedicat tibi dominus: Aut fiebat im-
Iudic.6. precatio diuinæ præsentiæ, vt Gedeoni, dixit Angelus: Dominus tecum virorum fortissime: aut lętitię, vt gaudium tibi sit semper. Hęc autem salutatio Marię et benedictio ex omnibus conflata est, & omnes benedictiones in se includit, quia Aue, hoc est sine vę et
Tob.5. omni malo. Ecce salutatio Tobiæ. Gaudium tibi sit semper. Gratia plena, ecce salutatio apostolica. Sic enim
Rom.1. vas electionis suos salutat: Gratia vobis et pax etc. Do-
Iudic.6. minus tecum, ecce salutatio angeli ad Gedeonem et Booz ad messores. Benedicta tu in mulieribus, ecce sa-
Ruth 2. lutatio Booz ad Ruth mulierem virtutis. Ergo salutatio ista omnibus numeris erat absoluta. Iam sequitur quomodo virgo Maria ad salutantem angelum se habuerit. Quę verba super mel et fauum dulciora. Et triplex hic virtus notatur in virgine: Modestia, verecundia, et prudentia. Modestia, quia audiuit. Verecundia quia turbata fuit. Prudentia, in hoc quod cogitauit. dicit ergo: *Quæ* verba salutis, gratię et admirationis plena, prius non audita, à seculis desiderata et expectata. Vox ista erat exultationis et salutis in tabernaculis iustorum, de quibus
Psal 84. Dauid olim dixit: Audiam quid loquatur in me dominus
Gal.4. deus, cum venerit temporis plenitudo, in quo deus filium suum mittet in terram, vt salutē operetur in medio terrę, quoniam loquetur per angelum suum pacem
Philip.4. in plebem suam. Pacem inquam dei, quę exuperat omnem sensum, *cum audisset,* cum modestia et tacēdo, iuxta illud:

illud: Audi tacens, & pro reuerẽtia, accedet tibi bona gratia: Non interrumpit angeli sermonem, quia qui respondet antequam audiat, stultum se demonstrat esse, & confusione dignum, *turbata est*, exterrita. Ecce verecundia & humilitas. Verus enim humilis, nihil audit mirabilius sua laude. Posuerat virgo benedicta se in infimo loco iuxta Christi doctrinam. Omnes meliores, sanctiores, deóque acceptiores se arbitrabatur. Nec dignam se æstimauerat vt matris Christi corrigiam calcimentorum solueret. Et ideo turbata, exterritáque fuit, audiendo se electam in seruatoris matrem: Et secum reputauit illud, amabilis domini dictum, quod dixit cum domum Dei ædificare deberet, Quæ sum ego, vt ædificem & parem ei domum dignã in vteri mei thalamo? Si cœlum, & cœli cœlorum *2. Par. 2.*
eum capere non possunt, quanta sum ego vt in me ponat tabernaculũ suum? Ergo ne credibile est, vt habitet deus cum hominibus super terram? Et si voluerit ex misericordiá domum suam cœlestem relinquere, & exire à patre, *Luca 1.*
& nos visitare oriendo ex alto, & cum hominibus conuersari, & habitare in nobis plenus gratia & veritate, di- *Psal. 72.*
gnam ad hoc virginem eliget, non me abiectam & vilem & ancillam inutilem. Sic quãto se amplius deiecit in pro fundum, & in nihilum se redegit, & plus se depressit, tantomagis ad matrem dei dignam & idoneam se fecit. Iuxta illud: Qui se humiliat, exaltabitur. Et quanto plus se *Luca 14.*
humiliat, tanto magis exaltatur. Aqua enim gratiarum, *Psal. 103*
de montibus ad humilitatis vallem confluit, & inter medium montium pertransit. Turbata ergo fuit, *in sermone eius*, sed non pertubata. Quod turbata fuit, erat verecundiæ virginalis & veræ humilitatis. Quod non fuit perturbata, fortitudinis insigne fuit. Turbata ergo fuit cum propheta, & non fuit locuta, sed prudentissima virgo, cum ardente lampade pleno oleo *cogitabat*, prudenter non cito credẽdo omni spiritui, sed eos probando, vtrũ ex deo essent. Cogitabat, quam esset ipsa, & qualis erat salutatio *Ioan. 4.*
audita. Cogitabat & cõferebat in corde suo qũo salutatio ista erat omniũ promissionum dei impletiua, & omniũ figurarũ legis, & omnia legis & prophetarũ oracula mira celeritate & intellectus acriminonia percurrit, vt lõgum prosequi foret. Cogitabat ergo, *qualis esset ista salutatio*, q̃ noua, quàm antiqua, quàm mirabilis, q̃ à seculis expectata, & nunquã audita, quàm gratiosa, quã amabilis, quã

iocu n-

iocunda, quàm plena salutis & omnis boni ennunciatiua, & omnis mali expulsiua. Verum cum modum impletionis eius adhuc nesciret, ideo prudens virgo & humilis tacens cogitabat. Sequitur ergo qualiter angelus virginem de salutatione turbatam confortat, instruit & docet de omnibus. Et eam tripliciter confortat: Ex diuinæ gloriæ collatione, ex nouæ prolis conceptione, ex concipiendæ prolis multiplici commendatione. dicit ergo: *Et ait angelus ei: Ne timeas Maria.* Turbatam ex salutatione, quasi familiarius notam vocat ex nomine, & non dicit: ne verecunderis, quia singulare ornamentum virginitatis verecundia, iuxta illud: Gratia super gratiam mulier facta & pudorata. Sed dicit: Ne timeas: nempe aut voti tui transgressionē, diuinam offensionem, virginitatis amissionem, legis dei trangressionem, sponsi tui irritationem. nec Iudeorum lapidationem. Neque timeas in verbis meis vllam fraudem esse vel deceptionem. Ne timeas, quia nihil suspitionis est inter virginem & angelum dei bonum. Non porto rhonpheam ad claudendum paradisum, sed clauem ad cœlum aperiendum. Non veni ad peccatores perdendum, sed saluandum, nec legem oneris & mortis dare veni. sed euangelium gratiæ, regni & pacis. Non sum tibi durus nuncius missus, sed salutis totius mundi legatus. Ergo ne timeas, sed gaude & lætare, iubila & gratias age *inuenisti enim gratiam apud deum*, non
3. Reg. 14 apud mundum, cuius fallax est gratia. Non apud homines, quia mutabilis est instar auræ. Non apud Holofernem i. diabolum, quia illicita suadet. Hæc est singularis Mariæ dignitas, honorificentia & excellentia, quod gra-
Iudith. 12 tiam apud deum prima inuenit. Non quod ante eam nullus gratiam dei habuit, quia angeli prius ea gratia repleti sunt. Sed quod ipsa prima omnium rem gratiæ perditam pro toto humano genere recuperauit. Hoc Adā non fecit, qui quamuis per pœnitentiam perditam gratiam recuperauit, hoc fuit tantum pro sua persona, & non pro toto genere humano, sed nec omnem gratiam perditam etiam sibi recuperauit, quia mansit mortalis, exul, miser, ignarus, ad mala quæque propensior, & difficilis ad bo-
1. Pet. 1. num: sed Maria omnem gratiam inuenit pro se & omnibus virtualiter per humilitatē, quam inflata Eua perdidit per superbiam et ambitionem. Et hāc nobis per filiū offert, vt cum ea nostram operemur salutem. Inuenist,
inquam

inquam, non creasti, quod est solius dei, qui gratiã & gloriam largitur. Inuenisti, non à teipsa habuisti, quod est solius Christi qui natura lux est sine vllis tenebris, plenus gratia & veritate. Inuenisti non rapuisti, vt Lucifer angelorum dei excellentissimus. Inuenisti nõ perdidisti vt protoparentes, non emisti vt Simon Magus. Inuenisti, quia diligentissime quæsiuisti, & per humilitatem ad eam te præparasti. Omnis autem qui eã sic quærit, inuenit eã, quia sicut deus eam superbis negat, sic humilibus eam dat affluenter, & vt mater misericordissima & dispensatrix fidelissima eam à te petentibus distribuis sine personarũ acceptione, quia æqualis est tibi cura de omnibus, quia amas animas, nec pusillum aliquem vis perire. O Maria, viuat obsecro anima mea ob gratiam tui. Sed hoc obiter hic alta mente pertractemus, quod Maria gratiam apud Deum inuenit, quam nos perdimus. At iustitia hoc præcipit & ratio iudicat. quod illam non potest Maria sibi retinere, sed nobis qui eam perdidimus gratiam inuẽtam tenetur restituere, ad quod & ipsa propensissima est. Ergo quæramus gratiam apud Mariam, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ dei Mariam, & ibi inueniemus & accipiemus gratiam Dei multiformem, in auxilio opportuno. Quod dũ Lutherani facere recusant, in suis sordibus vsque sordescunt. & sicut irrationabilia animalia, quibus non est intellectus natura in perniciem & capturam genita, in his quæ ignorant blasphemantes, in sua malitia, obstinatione & perfidia pereunt, & mortem peccatorum, accipiunt in stipendium suæ iniustitiæ & infidelitatis. Currant (repetens dico) ad Mariam gratiæ inuentricem, qui gratiam amiserũt, superbe peccando, & gratiam inuenient apud eam, ipsam salutando. Nec poterit negare eam inuenisse, quia fidelis est ipsa, & testimonium habemus angeli, dicentis ei: Inuenisti gratiam apud deum. Deinde virginem angelus confortat, ex nouę prolis cõceptione. ecce. quasi diceret: Attende. Audi filia & vide & inclina autem tuam, nam te excito ad audiendum nouum & antiquum, æternum quid et temporale, admirabile in vniuersa terra, et desideratũ cunctis gentibus: Nẽpe virtutem in infirmitate, maiestatem in humilitate, vitam in morte, diuinitatem in carne, in matre virginitatẽ, in virgine fœcunditatem, tenebras in lumine, in sapientia stultitiam, infantiam in verbo, viã in inuio, in opulentia extremam

Psal. 83. *Esa. 14.* *1. pet. 5.* *Sap. 6.* *Psal. 44.*

extremam paupertatem. Ecce, ergo *concipies in vtero*, non in vterum, quia sine viri semine & consortio, de spiritu sancto. Instar enim arboris vitæ semen habuisti in temet ipsa, quia de purissimis sanguinis tui benedicti guttulis operatione spiritus sancti corpus Christi est formatũ. De
Hier. 31. hoc Hiere. ait: Nouum faciet dominus super terram: Fœmina circundabit virum plenum gratia & veritate. Sine vlla integritatis læsione. & *paries* sine dolore, porta vteri tui clausa manente, sicut fructus nascitur de arbore, odor de flore, & flos de virga pullulat cœlesti virtute. Sic & sol vitrum pertrãsit, & verbum auris sine vllo detrimẽto accipit. *filium*, non solum tuum, sed & dei: & ideo non addit tuum, sed dicit sinpliciter filium. Filium inquam, tuum creatorem, & omnium filiorum hominem redemptorem
Ezec. 44. *& vocabis nomen eius Iesum*. i. saluatorem, quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Iã virginem laudat à filij sui excellentia, & dicit: *hic erit magnus*, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non erit finis. Magnus erit, non mole, sed perfectione, potestate, sanctitate & dignitate: non solum coram domino. vt Ioannes Bapt. sed magnus dominus in semetipso. *& filius*, naturalis, vnigenitus, primogenitus, dilectus in quo pater sibi bene conplacuit, *altissimi*, patris, *vocabitur*. Et hoc à personali proprietate, A regali dignitate eum effert, dicens: Et *dabit*
Psal. 71. *illi* secundum humanam naturã. Vnde ait: Deus iudiciũ tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Et Anna ma-
1. Reg. 2. ter Samuelis: Dominus dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. *dominus deus* pater *sedem patris eius*. i. regiam dignitatem, & primogenitum ponet eum,
Psal. 88. excelsum præ omnibus regibus terræ, quia data est ei om
Mat. 28. nis potestas in cœlo & in terra, & omnia pater subiecit sub pedibus eius, sic deus posuit de fructu ventris Dauid super sedẽ eius, & suscitauit Dauid germẽ iustum, & sapiens fuit & fecit iudiciũ & iustitiã in terra. Dedit illi pater spirituale sedẽ Dauid, per temporale eius regnũ designatum, qua regnat per gratiã & gloriã in electis, sic su-
Esa. 9. per soliũ Dauid & super regnũ eius sedet, vt confirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia in sempiternũ. Lau-
Gen. 11. dat & illũ à populi subiecti nobilitate, & dicit *& regnabit*
Rom. 9. *in domo Iacob in æternum*, hoc est, in eis, qui virtutes & fidẽ
Mal. 1. Iacob imitantur Nõ in domo Abrahæ, qui licet amicus
Heb. 2. dei appellatus sit, tamẽ de domo eius Ismael est reprobatus

tus. Nec in domo Isaac, quia Iacob deus dilexit, et Esau reprobauit, sed in domo Iacob .i. in electorũ et iustorũ cõgregatione, quorũ ecclesia intelligitur per domum Iacob deus regnat hic per gratiam, et in futuro per gloriã in æternum. Tota namque familia Iacob gratiam et gloriã est cõsecuta. Hinc in die Palmarum clamabant: O sanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine domini. Et Marcus: Osanna benedictus qui venit in nomine domini. Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid, o sanna in excelsis. Extollit eũ postremo à regni sui æternitate dicens: *& regni eius non erit finis.* Regnabit dominus in secula deus tuus Sion. Potestas eius potestas æterna, et regnum eius quod nõ corrumpetur. Sequitur iã quomodo angelus Mariã de modo concipiendi filiũ dei instruxit. *Dixit autẽ Maria ad angelum* angelica allocutione edocta: et confortata, de audita promissione sibi facta, *Quomodo fiet istud?* videlicet quod promittis me pariturã. Nõ dubitat quod fieri possit vt zacharias, sed de modo impletionis, humiliter quærit. Legerat quod virgo erat cõceptura, et credidit futurũ, sed quomodo fieret non legerat. Maxime quero de modo incarnationis, *quoniam ego virũ non cognosco,* hoc est me non cogniturã iuraui et statui. Nouerat quomodo primus homo de terra formatus fuit sine viro et muliere, nouit quomodo Eua de viro formata fuit sine muliere, nouit denique quomodo alii omnes nascũtur de viro & muliere. Sed modũ istum quo homo nasci deberet de virgine sine viro ignorabat, & nouus erat & à seculis nõ auditus: ideo prudenter & humiliter quærit, quo modo fiet istud? q.d. Opus credo, sed modũ quo benignitas dei hoc faciat ignoro. ideo quero. Ergo nũc angelus concipiendi modũ docet Mariam, & exẽplum adducit, & tãdem totũ confirmat per posse diuinũ. *Et respondens dixit ei, Spiritus sanctus,* spiritus scientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus timoris domini, spiritus sanctificationis & veritatis, *superueniet in te,* id est desuper veniet in te, & super omnes veniet in te, & eius virtute concipies. Superueniet inquam, ad purificandam carnem, filio dei vniendam. Superueniet, id est, super illud quod in te per illum est, veniet, quia qui prior erat in tua mente, iam erit etiam in tua carne. Ideo quæ prius fuisti gratia plenã, modò eris superplena. Item, superueniet, id est, super

Matt. 21.
Mar. 11.
Luca. 1.
Esa. 7.
Ge. 1. 2. 4
Luca 1.

super illud quod omnes alij habent, in te veniet, vt non tantum dicaris templum domini sicut alij, sed etiam sacrarium spiritussancti, vas admirabile, opus excelsi, arca testamenti. Item. Superueniet, id est, super omne meritũ & super omnia opera iustitiæ, quæ fecit genus humanũ, et super omnem intellectum, veniet: non tantum mentẽ, sed et ventrem tuum fœcundaturus. Sic spiritus vbi vult

Ioan. 11. spirat, quo ad exclusionem meriti. et nescis vnde veniat, quo ad exclusionem cognitionis aduentus sui. Aut quò vadat, hoc est, cuius cor tangat, et quantam alijs gratiam largiatur, cum det omnibus affluẽter, et oleum eius manare et se effundere non desinit, interim quòd nos vasa vacua ab omni malitia et nequitia offerimus. *& virtus altissimi*, id est, spiritussanctus, ab altissimo patre et filio

Actu. 1. procedens. Qui virtus est, qua apostoli induendi erant ex alto, & fortes faciendi ad labores, & quæque pro nomine Iesu pericula & tormenta sustinenda: non solùm patienter, sed & cum exultatione, gaudio & gloriatione, quòd digni habebantur pro nomine Iesu contumelias pati, angi vinculis, carceribus mancipari, ignibus proba-

Matt. 20 ri, exquisitis, horrendisque tormentis Christo conformari, & bibere calicem quem ipse pro omnibus bibit, *obumbrabit tibi*, carnem tuam sanctificatam, verbo personaliter vniẽdo. Et hic actus dicitur obumbratio, quæ circa corpus opacum, lumen verum, quod omne in hominem illuminat applicuit. Item obumbrabit, id est, refri-

Ioan. 1. gerabit, fomitem in te totaliter extinguendo. Item obumbrabit tibi, in suo ingressu te non lædendo, sicut vmbra nec lædit, nec grauat, sed refrigerium præ stat, po

1. Cor. 1. test & aliter exponi, vt multiplex in verbis Dei est intelligentia. Virtus altissimi, hoc est, filius patris altissimi, qui eius virtus est & sapientia, obũbrabit tibi, id est, de te corpus quasi vmbraculum assumet, in quo Deus se abs-

Esaia 45. condet, quasi hamus sub cibo tegitur, iuxta illud: Tu vere es Deus absconditus. Item obumbrabit tibi, hoc est,

Esaia 4. corpus sumptum de te, in vmbraculum ecclesiæ præparabit, dicente Propheta: Et erit vmbraculum dei, in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. De hoc sponsa ait: Sub vmbra

Cant. 2. illius quem desideraueram, sedi. Et in vmbra illius viuimus. Sic ergo, vt tota superbenedicta trinitas ostendatur incarnationis magnum pietatis opus & sacramentum operata

perata, omnes personas hic euangelista exprimit. Spiritui sancto tribuit incarnationis operationem, quia est spiritus sanctificationis & amoris largitor, dicens: Spiritussanctus superueniet in te. Filio dat carnis assumptionem, quia ipse formam serui assumpsit, & habitu inuentus est vt homo. Ipse mutauit habitum & ingressus est bellum, & vicit fortissimum. Ipse rex surrexit de solio gloriæ suæ, et lumen suum quo sicut vestimento erat amictus abiecit, sub vmbra carnis qua sicut sacco indutus fuit, sedit in cinere, et cum clamore valido et lachrymis clamauit ad Deum patrem interpellando pro nobis, et exauditus est pro sua reuerentia. Vnde sequitur: Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Patri vero authoritatem tribuit, cum dicit: Altissimi. *Ideóque & quod nascetur ex te.* Hic filij virginis dignitatem exprimit. Primò naturæ humanæ veritatem, dicens: Ideóq; ex quo concipies de spiritusancto, quod nascetur ex te, et ex tua natura, et de tuis purissimis sanguinibus, *sanctum*, per omnem modũ, et plus sanctum quàm calamus scribere, aut lingua effari, aut vlla posit capere intellectualis creatura, aut in cuiusq; hominis cor posit ascendere, quia non ad mensuram dat pater filio spiritum. Sanctum inquam, quia de spiritusancto non potest nisi sanctum nasci, et optimum de optimo. Ideo vocatur sanctussanctorum, plenus gratia et veritate. Sic pater eum sanctificauit et in mundum misit, vt de plenitudine eius omnes nos accipiamus, gratiam pro gratia: et in illo in omni gratia diuites simus. Et vera appelatione *vocabitur*, à patre deo, à Petro, et ab omnibus orthodoxis, imo etiam à spiritibus reprobis, *filius dei*, naturalis, vnicus, consubstantialis, coæternus, dilectus. Nunc exemplo incipit astruere quòd virgo posit parere, cum deus seni et sterili prolem dederit. Vnde ait magna opera dei eructando et confitendo: *Et ecce* aliud dei opus mirabile, in quo et deus misericordiam suam mirificauit, *Elizabeth* sancta, quæ in lege domini ambulauit à pueritia, et quod bonum est in conspectu dei fecit corde magno et animo volente, *cognata tua*, secundum carnem, *& ipsa concepit* supra cursum naturæ, *filium*, quo maior non surrexit inter natos mulierum, qui et angelus dei et Helias dicitur, propter sanctitatis suæ culmen, *in senectute sua. Et hic mensis*, Martius, *sextus est illi, quæ vocatur* passim ab omnibus, *sterilis.* Et illa sterilis sic iam

Rom.5. *Philip 2.* *Ioan.3.* *Heb.5.* *Rom.8.* *Dan.9.* *Ioan.18.* *Mat.6.*

concepit,& tu de spiritusancto concipies, *quia non est im-*
Matt.9. *possibile apud deum omne verbum:* nam sterilē senem & vir-
ginem parere apud homines impossibilia sunt. Subest
ei cum voluerit posse,quia facit omnia quęcunque vult,
Sapiē.12. in cœlo & in terra,in mari & in omnibus abyssis.Hacte-
nus virgo prudens incarnationis opus audiuit & modū,
hic suum addit consensum. Vbi quatuor exprimuntur,
quæ in bona ancilla & seruo bono sunt omni laude di-
gnissima:nempe,promptitudo in volūtate,vnde ait:Ecce
humilitas in sermone,quia ancilla domini. Obediētia in
opere,quia fiat mihi. Prudentia in discretione,quia se-
cundum verbum tuum.Et hæc Euangelista edisserit,cum
ait:*Dixit autem Maria* cum summa modestia & humili-
tate cognita dei voluntate, cum fiducia pietate coniun-
cta. *Ecce*, quasi dicat. Paratum cor meum deus para-
tum cor meum. Parata sum & non sum turbata vt cu-
1. Reg.3. stodiam mandata tua.Sic Samuel dixit, Ecce ego , quia
vocasti me , non dixit quia compulisti me, aut mortem
mihi minatus es , in quo reprehenditur malorum tar-
ditas & difficultas ad bonum,*ancilla domini.* Ecce humili-
tas in honore , quæ rara virtus est. Vide Sanctum Ber-
nardum,quasi dicat,Si sic placuit altissimo, me puellam
omnium infimam ad huius mysterij ministerium deli-
gere,nihil est quod hinc mihi vendicē vel gratię vel me-
riti.Totum est misericordiæ eius & bonitatis, totū eius
bonitati ac pietati acceptum refero , me tantùm offero
ancillam domino,cui me semel dicaui,paratam ad omne
obsequium & omne voluntatis eius beneplacitum.O in
Apo.19. quanta humilitatis se arce fundauerat, & perstitit virgo
felix. Fuit enim responsum fidei , sed humilitatis & obe-
dientiæ plenum.Non dixit:Ecce mater regis regum,do-
mini dominantium,sancti sanctorum,redemptoris homi
num,filij altissimi , iudicis viuorum & mortuorum, ego
electa sum mox futura,sed ancilla domini.*Fiat mihi*,ecce
obedientia in opere.Assentientis vox est, & toto animo
sanctóque voto Domino suo gratulantis, *secundū verbum
tuum*,non iuxta desiderium meum, sensum & iudicium,
sed iuxta verbum tuum , simul cum verbo isto,per spiri-
tumsanctum peractus est insensibiliter filij dei conce-
ptus. O quàm lætus fuit angelus virginalis pudicitiæ
tam lætum audiens responsum , & nihilominus tam hu-
milę veræ fidei desiderium.Fiat mihi verbum, quod non
tran-

transeat,sicut prolatum & ex aëre formatum, sed quod maneat in æternum, caro factum. Simul cum dicto angelus ad eum qui eum miserat reuersus est, totam ciuitatem Hierusalem cœlestem lætitia inenarrabili lætificaturus. O quanta in carne & mente virginis immutatio tunc virtute spiritussancti facta est, cum creatorem omnium intra virginea viscera clauderet. Non minus mente,imo felicius quàm carne concipiens & suscipiens dei verbum.Precemur & nos vt fiat nobis secundũ verbum Christi,salus æterna,Amen.Venit enim quærere & saluum facere quod perierat. *Esai. 40.*

IN FESTO PHILIPPI ET IACOBI, VEL ALICVIVS, VEL ALIquorum Martyrum,iuxta Pascha & Pentecosten, in Epistolam Sermo.

STABVNT iusti in magna constantia Adeò Deus amat animas,& neminè vult perire, *Sapien.5.*
quòd manè consurgit,foris prædicat, & in *Sapie.11.*
plateis dat vocem suam, vt qui recesserunt
à Deo salutari suo,& adhæserunt diabolo, *Prouer.1*
reuertãtur ad eũ,vt viuant,& tunc ipse vult eos reficere, *Mat. 11.*
cõsolari,donare peccata,& suæ participes gloriæ facere.
Sed multi qui per latam viam ambulant,seipsos & mundum amant,dum in mundo prosperantur,omnia ex animi sententia habent,gloria & honore exaltãtur, diuitiis abundant,delitiis carnis exuberant,seipsos seducunt, & beatos se esse putant,cum interim miseri sint & miserabiles,pauperes,nudi & cæci,sicut scriptũ est: Prosperitas stultorũ,perdet eos.Cõtra quod,mala quæ nos hic præmunt,ad deum redire compellunt. Cùm occideret eos, ait Dauid,quærebãt eum,& reuertebantur ad eum diluculo. Et Apostolus : Dum iudicamur temporali correctione à patre misericordiarum corripimur & ad bonum erudimur, ne cum hoc mundo in maligno posito, damnemur. Beatus proinde homo, qui corripitur à domino. Quia multo tẽpore non sinere peccatoribus ex sententia agere,sed statim vltiones adhibere,magni beneficij inditium est, Quia quem diligit deus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Insuper, dum vident bonos & rectos corde, qui ambulant in innocentia cordis sui,affligi,persequi, derideri, opprobrium *Mat.7.* *Apoc.3.* *Prouer. 1* *Psa.77.* *1.Cor.11* *Iob. 5.* *2.Mac.6.* *Prou.3.* *Hebra.12* *Psal. 12.*

hominum esse & abiectionem plebis, persecutionem
pati, confundi, humiliari, deiici, aporiari, & odio omnibus
hominibus esse, tunc magis sibi in malis suis complacēt,
& magis appropinquant ad portas mortis, ac innocen-
tes tanto censent infeliciores, quanto maioribus tribu-
lationibus affligūtur, seipsos verò tanto beatiores quan-
Iob. 12. to amplius leuatos se vident & confortatos diuitiis. Se-
men ecce eorum permanet coram eis, propinquorum
turba multa est & nepotum in conspectu eorum. Do-
mus eorum securæ sunt & paratæ, & nō est virga dei su-
per eos, sed dimittuntur iuxta desideria suorū cordium,
Psalm. 80 eunt in adinuētionib. suis. Hinc tenet eos superbia, ope-
Psal. 72. riuntur iniquitate & impietate sua. Prodit quasi ex adi-
pe iniquitas eorum, transeunt in affectum cordis. Cogi-
tant & loquuntur nequitiam, iniquitatem in excelso lo-
Luca. 16. quuntur. Ponunt in cœlum os suum, & lingua eorum
transit in terra, affluunt delitiis, induuntur purpura &
& bysso, quotidie epulantur splendide, ducunt in bonis
dies suos, & in puncto descendunt ad inferna. Et tunc fit
Eccle. 12. alternatio magna. Nam Lazarus tunc redit ad deum,
Psal. 16. pro cuius nomine custodiuit vias duras, mortificatus
fuit tota die, æstimatus sicut ouis occisionis, tanquam
purgamentum mundi huius factus, & omnium peripse-
Luca 16. ma. Diues autem sepelitur in inferno, cruciatur in flam-
ma, in miseriis non subsistit, mori desiderat, & mors fugit
ab eo. Imo in lingua in qua delectationes in gustu ha-
Psal. 149 buit, hanc commanducat præ dolore. Tunc pauper &
Ioan. 6. inops consolatur, exultat in gloria, lætatur in cubili suo,
& gaudium eius nemo potest auferre ab eo. At contra,
amatores huius mundi, tunc cruciantur, bibunt calicem
Apoc. 24 iræ dei, cruciantur igne & sulphure in conspectu ange-
lorum sanctorum & ante conspectum agni, & fumus tor-
mentorum eorum ascendit in secula seculorum, nec ha-
Esai. 74. bent requiē die ac nocte. Sic inclinat deus ex hoc in hoc.
Humiliat mundi amatores, & exaltat in gloria cœlesti,
se amantes. Et hanc alternationem vicissitudinis bono-
rum & malorum, ob oculos nobis ponit ecclesia in epi-
Psal. 24. stola hodierna. Dicit ergo. Cum filius hominis, dominus
Actu. 10 virtutum & rex gloriæ, qui constitutus est à deo patre
iudex viuorum ac mortuorum, venerit in maiestate sua
& gloria, & omnes angeli eius cūeo, & in sanctis milib.
uis, facere iudiciū contra omnes, & arguere omnes im-
pios

pios de omnibus impietatibus eorum, quibus impie egerunt. Et sederit in sede maiestatis suæ. Tunc congregabuntur ante eum omnes gentes, pusilli & magni, boni & mali, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Sed oues rapientur ab angelis bonis obuiam Christo in aëra in corporibus gloriosis, & fulgebūt sicut sol. Quia reformabit corpora sanctorū & configurabit ea corpori claritatis suæ, & similes ei erunt. Et audierint iudicē electis dicentem: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnū à constitutione mūdi. Et cum viderint damnatos plenos cruciatibus iacere in terra, expelli foras, omni spe destitui, audire quòd nunquam nouit eos, & illam terribilem sententiam: Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Tūc *stabunt iusti*, qui hic oppressi, afflicti, incarcerati, humiliati & occisi fuerunt propter verbum dei, & testimonium Iesu Christi, *in magna constantia*, de sua gloria immortali & beatitudine securi, *aduersus eos qui se angustiauerunt*, pœnis afflixerunt, carceribus cruciauerunt, mendaciis maculauerunt, suis bonis spoliauerunt, ludibriis, scommatibus, sannis, conuiciis, improperiis grauauerunt, laboribus fatigauerunt, & ad amaritudinem vitam illorum redegerūt, exactionibus & iniustis legibus depauperauerunt, amaritudinibus tam variis repleuerūt, quòd tæduit eos viuere, *& abstulerunt labores eorum*, Iuxta illud: Iniusti & oppressores pauperū, terminos transferunt, dirigiunt greges inopū & pascunt eos. Asinos pupillorū abigunt, & auferunt pro pignore bouem viduæ. Subuertunt pauperum viam, vim faciunt causæ humiliū, iustificant impios pro muneribus, & iustitiam iustorum egenorū auferunt ab eis. Condunt leges iniquas, scribūt iniustitias, vt opprimant in iudicio pauperes, vt vim faciant causæ humilium, & viduæ sint præda eorum, & pupillos diripiant, opprimunt pariter mansuetos terræ. Alij præda præparant panem liberis suis. Agrum, non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt, vindemiāt &c. In his omnibus fortitudo manus eorū, est lex iniustitiæ eorū. Sed tunc iusti cum Christo apparebunt in gloria tanta maiori, quanto visi sunt et habiti cōtemptibiliores, viliores, et peiores criminati ab eis qui mentiendo omnia mala dixerunt de eis. *Videntes* hæc, qui eos iniuste sunt persecuti, non poterunt

Mat. 25. *1. Thes. 7.* *Phi. 3.* *Iob. 24.* *Esaia 5.* *Esa. 10.* *Ioan. 24.* *Sapien. 2.* *Mat. 5.*

eis quicquã pacifice loqui, qui mortificauerũt eos ꝓpter
Psal. 43. Iesum tota die, & æstimauerunt vt oues occisionis, onus
Rom. 8. terræ, & vita ipsa indignos. Vidẽtes inquã Christũ in ma
iestate sua & gloria, & cum eo iustos tanta gloria & ho-
Apo. 1. nore coronatos. Videbũt eum omnes oculi, & etiam illi
qui eum pupugerunt. Vnde alibi etiam scriptũ est: Deus
noster manifeste veniet, cum angelis virtutis, quãdo ve-
nerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in om-
2. Thes. 1. nibus qui crediderunt in eum. Videntes impij qui hic
erant in gloria, honore, potentia & delitiis, se de gloria
ad confusionem, de honore ad ignominiã, de potẽtia ad
infirmitatem, de delitiis ad inopiam & æterna tormenta
perductos, electos autẽ de pœnis ad coronas translatos,
turbabuntur timore horribili, imo & incompræhẽsibili, tan-
tóque horribiliori, quãto hic magis se glorificauerũt, ca-
put extulerunt, cornua exaltauerũt, ac amicos dei, filios
regni, vasa electionis crudelius persecuti sunt, afflixerũt,
Hier. 2. magis abominati sunt & despexerũt. Turbabuntur &
Ioan. 8. confundentur, sicut confunditur fur quãdo in opere cõ-
prehenditur, vel mulier illa in adulterio depræhensa, vel
sicut turbatur exercitus quãdo hostes ex improuiso su-
Prou. 1. per eos irruunt & eos occidũt. Nam tũc irruet super eos
repẽtina calamitas, & interitus quasi tẽpestas eos occu-
Iosue. 7. pabit. Tunc tribulatio & angustia veniet super impios, &
turbabuntur, sic Achan turbatus fuit, quando sorte fuit
Iudi. 14. depræhẽsus de furto. Vel sicut exercitus Holofernis tur-
batus fuit, & intolerabilis timor & tremor super suos mi-
lites venit, quãdo ducis caput abscisum viderũt, & hostes
Hest. 6. Iudæos super se irruisse. Sic turbatus fuit superbus Amã,
quãdo iussu regis Mardochæum quẽ odio iniquo odiuit,
vestibus regiis induit, diademate coronauit, super equũ
regis regio cultu adornatum posuit, ac præcedens cla-
mauit, sic debere honorari & honore dignẽ esse, quem-
cunque rex vellet honorare. Taceo quomodo prodito-
Dan. 6. res innocẽtes Danielis turbati sunt, quãdo viderũt eũ à
leonũ morsibus & laniatione custoditũ, & se in malitia
depræhensos cõuerti dolum eorum in caput proprium.
Iustũ de angustia liberari, & se impios pro eo leonibus
tradi, & in verticẽ proprium iniquitatẽ suam descẽdere,
Psal. 7. cadere in foueam quã fecerũt pedibus iusti. Eodẽ modo
Dan. 13. castæ & pudicæ Susannæ calumniatores turbati sunt,
quando conuicti sunt de falsitate, & Susannam cumulari
gloria,

gloria,quam infamia maculauerunt,seléq; trahi ad mortem. Sic deus pios de tribulatione eripit, & iniquos in diem iudicij seruat cruciandos. *& mirabuntur in subitatione insperata salutis*, quæ præter spem, expectationem & opinionem ipsorum iustis obtinget. Quando videbunt Abraham, Isaac & Iacob & omnes iustos cum Christo apparere in gloria,benedici & adduci in regnum ipsis ab origine mundi paratum,se autem expelli,foras manere, & in ignem æternum, qui diabolo & angelis eius paratus est,proici.Sic mirati sunt fratres Ioseph, quando eũ viderunt dominari in toto Ægypto, quem gratis oderunt,vendiderunt,& putabant extinctum & opprobrium hominum,& plebis abiectionem. Sic diues epulo mirabatur pauperis Lazari exaltationem ad sinum Abrahæ, & suam humiliationem in profundum infernum. Et hæc subitatio insperatæ salutis fuit. Quia quando pax fuit & securitas,dixit:Dominus adhuc diu non veniet,comede, bibe,lude,epulare,quando tenebat tympanum & cytharam, & gaudebat ad sonum organi, duxit in bonis dies suos,tunc in puncto ad infernum descendit.Pauperis vero Lazari animam,mox vt probatus fuit, bonum certamen certauit,cursum consummauit,fidem seruauit,coronam iustitiæ & gloriæ accepit,& ad solium gloriæ exaltatus in gloria exultat, & in cubili suo sine fine lætatur, *gementes* erunt filij huius seculi,amatores mundi,operarij iniquitatis,præuaricatores legis,pauperum oppressores,iustorum persecutores,pacis turbatores,omnes Dei contemptores, *& præ angustia spiritus*, quia angustiæ eis erunt vndiq;. Suprà erit iudex iratus, infrà internus ad deuorandum apertus,foris mundus ardens, intus conscientia pungens,à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicia trahentia, antè iudicium sine misericordia,retrò exclusio omnis spei, consolationis & misericordiæ.Tunc terrebit omnes iniquos tribulatio æterna eis parata,& angustia vallabit eos sicut vallauit Sedechiam, quando occulte ciuitatem per viam subterraneam exiuit,fuit compræhensus & ad regem ductus.Qui locutus est cum eo iudicium,& filios eius corã eo occidit,oculos eius effodit,ac vinctum catenis in Babylonem duxit,& posuit in carcerem,in quo & mortuus est. Tunc omnes inimici dæmones iniquos appræhendent inter angustias, sicut ministri regis Assueri Aman tribulatio-

[Margin: 2.Pet.2. · Luc.13. · Mat.25. · Gen.45. · Luc.16. · Iob 21. · Iaco.1. · 2.Tim.4. · Dan.13. · 4.Reg.25. · 2.Pa.36. · Hiere.52. · Thren.1.]

tribulationibus & anguſtiis circundatum,rapuerunt,faciem eius operuerunt, & in patibulo quod Mardochæo
Heſt.4. paraverat,ſuſpenderunt. Sic homo dei Dauid, liberatus
2. Reg.1. fuit: & tabeſcens Saul præ anguſtia ſpiritus in gladium proprium corruit,& iuuenē vt ſe occideret,rogauit. Hoc
Pſal.9. modo inuidus Saul, in laqueo quem abſcondit Dauid compræhenſus eſt pes eius. *dicentes intra ſe*, quia arguit
Hiere.2. eos malitia eorum,& auerſio increpat eos. Sic impij vident finem iuſti,& non intelligunt, quid cogitauerit de
Sap.4. illo deus.Nempe, quòd ille erit merces eius magna nimis.Nec vident quare minuerit eum Dominus,vitā eius abbreuiando.Vident iuſtos morientes,& contemnunt il
Eccl.4. los,eo quòd pro iuſtitia & veritate morti tradunt. Illos autem dominus irridebit & ſubſannabit,quando id quod timebant illis eueniet.Et erunt poſt hæc,videlicet, deli-
Prou.1. tias carnis,honores vanos,& falſas diuitias,decedētes ſine honore, & in coutumelia inter mortuos in peccatis, in perpetuum.Quoniam dirumpet illos dominus ſine voce,animam ſeparando à corpore,& commouebit illos à fundamentis,hoc eſt,ab inimicis carnalibus & bonis ter
Pſal.111. renis,vſq; ad ſupremum deſolabuntur. Et erunt gemētes in pœnis,& memoria eorum periet in æternū:ſed in memoria æterna erit iuſtus.Venient in cogitatione peccato
Mat.26. rum ſuorum timidi,accuſante eos cōſcientia eorum. Sic
2.Mac.9. Iudas dixit:Peccaui tradens ſanguinem iuſtum. Sic An-
1.Reg 24 tiochus peccaſſe ſe fatebatur. Sic liuidus Saul dixit ad
1. Reg.25 Dauid:Iuſtior me es.Et iterum dixit: Peccaui,ſtulte egi
Act.9. te perſequendo ad mortem. Sic Simon magus nequiter ſe humiliauit,dicens:Peccaui &c. Sic traducunt illos à fœlicitate temporali, ad æterna tormenta, ex aduerſo eos accuſantes iniquitates eorum. Alia litera habet, *inter ſe.* Quia ibi pater accuſabit filium,maritus vxorem,amicus amicum,quòd propter amorem eius temporalem & car-
Mat.6. nalem,eſt damnatus.Pater vt filium ditaret,ſeruiuit iniquo mammonæ,& vndecunque etiam ex malo acquiſi-
Sap.15. uit. Filius maledicet patrem, quòd iniuſtas ei reliquit diuitias,propter quas eſt damnatus. Item quòd eum nō
Ephes.6. educauit in diſciplina,non erudiuit eum ad iuſtitiam,nō corripuit eum, quando iniquitates deſignauit. Sic vxor virum, amicus amicum arguet, qui ſuæ cauſa eſt perditionis. *pœnitentiam agentes* infructuoſam, vt dictum eſt ex parte. Tunc quia extra tempus meriti eſt, & ianua

miſericor-

misericordiæ, gratiæ & gloriæ clausa est. Tum quia non est propter offensam, & ex amore Dei, sed propter damnum & horrorem supplicij. Sic profanus Esau non inuenit locum pœnitentiæ, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. Sic Saul non ex cordē dixit se peccasse, ideo peccatum eius mansit, *& præ angustia spiritus gementes*, quia vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur, nec pœna finitur, nec mors quam desiderant eis datur. Nam cupiunt mori, & mors fugit ab eis. In tali angustia & gemitu dicunt: Hi filij Dei & lucis, vasa electionis, fratres Christi, viua templa spiritussancti, ciues sanctorum & domestici Dei. Hi qui nobis graues erant ad videndum, *sunt quos aliquando habuimus in derisum*, in vita præsenti, in quos psallebamus dum vina bibimus, quos obloquebamur dum sedebamus in porta. Hi sunt quibus maledximus, quos persecuti sumus, de quibus omne malum mentiendo diximus, quibus non potuimus verbum pacifice loqui. Hi sunt quorum conuersationem sanctam calumniauimus, quorum bona opera in Deo facta damnauimus, quorum simplicitatem columbinam & synceritatem despeximus, quorum bonitatem, iustitiam & veritatem abominabamur, quorum pietatem, humilitatem, innocentiam, rigorem vitæ, vigilias longas, ieiunia multa, instantiam orationum, mundi contemptum & inculpatam vitam, hypocrisim diximus, eo quòd vita eorum nobis erat contraria, & nobiscum non currebant in eandem luxuriæ confusionem. Imo abstinuerunt se à viis nostris tanquam ab immunditiis, et bona expectata in terra viuentium, quæ per patientiam expectabant, & nunc possident omnes, qui pie in Christo vixerunt, præferebant omnibus vanitatibus, quæ transierunt tanquam vmbra, quæ nos partem nostram esse putauimus. Insuper habuimus eos *in similitudinem improperij*, sic quòd dum alicui mala imprecari volebant, dixerunt, fiat tibi sicut illi vano & insano Christiano, aut apostolo aut martyri. Item, exprobrabant sanctis in faciem eorũ insaniã, quòd iustificabant semetipsos, salutẽ suã cum metu & tremore operabãtur. Deũ bonis operibus demereri satagebãt, & thesaurũ sibi thesaurisauerunt in cœlis, cùm gratia Dei sit vita æterna. Hæc & alia facta eorũ, etiã tanquã vana, stolida, et impia, nõ remunerãda in cœlo, sed puniẽda in

Heb. 12. 1. Reg. 15 Esa. 66. Marc. 9. Apoc. 9. Ephes. 3. Sap. 2. Psal. 68. Mat. 5. Sap. 2. 1. Pet. 4. Rom. 8. 1. Cor. 1. 1. Cor. 4.

1.Cor.3. inferno obiiciebant & exprobrabant. Sed stulta hæc mũ
Philip.3. di huius qui Deum non nouit,& iustos gratis persequitur,elegit Deus,vt confundat sapientes. Hinc Apostolus
1.Cor.1. ait:Nos stulti propter Christum,& quicunq; vere vult sapiens esse coram Deo in hoc mundo, stultus fiat necesse est.Quæ mundus in maligno positus lucra ducit,hæc ipse arbitretur detrimenta, & despiciat tanquam stercora. Et quæ mũdus horret & fugit,vt est verbũ crucis, quod pereuntibus stultitia est,in his ipse cum Apostolo gloriari debet,& sic fit sapiens. Talis stultus fuit propheta, qui
4. Reg.9. iussu Elisei Iehu in regem super Israel vnxit. Qui cum iniunctum sibi munus expleuisset, & mox recessisset, alij duces exercitus dixerunt ad Iehu: Quid venit insanus iste ad te,falsum est quod dixit,vnde sequitur. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.* Ecce, qui olim in prosperitate & vitæ huius delitiis sapientes erant in oculis suis,& solos se esse sapientes gloriabantur,omnes ve
Iob 12. ro alios desipuisse,stupidos,fungos,truncos & sine intellectu fuisse.Hinc cum inflato illo,inflante sapientia pleno,omnes doctos,quantumlibet sancti,eruditi & sapientia quæ à patre luminum descendit,pleni fuerunt,despiciunt, calumniantur & damnant. Sua autem mendacia quæ fabricant,& peruersa dogmata,impia & insaniis plena,pro oraculis haberi volunt & venerari. Hinc stultitiã suam ebullientes,stentora voce clamant:Non sunt longæui,& qui nobiscum non dicunt idipsum,sapientes, sed stulti. Nec senes qui ante nos alios erudierunt ad iustitiam,& viam dei docuerunt in veritate, verbum dei faciendo & docendo. Quantumlibet item dum pascebant gregem domini,attẽderint lectioni,exhortationi,doctrinæ,& profunda fluuiorum scrutati sint,& eius abscondita,editis libris produxerint in lucem,tamen non intellexerunt scripturas,nec habuerunt iudiciũ. Nos soli sumus sapientes, nos sapientiam primi in mundum attulimus, & nobiscum morietur. Sed dum dixerunt & putauerunt se esse sapientes,stulti facti sunt, & obscuratum est insi-
Rom.1. piens cor eorũ. Et hæc cordis eorũ insipientia,per pœnã eis ingesta est & manifestata. Nã oculos quos culpa clauserat & malitia eruerat, pœna aperit & restituit dãnatio
Sap.2. æterna. Sic diues epulo in prosperitate adeo cæcus fuit, quòd Lazarũ pauperem ante ianuã domus suæ, intrans
Luc.16. & exiens non vidit,sed flãma eos ei tam acutos & claros

fecit,

fecit, quod Lazarum, per longissima spacia in sinu Abrahæ vidit. Sic & hic mundi huius amatores, qui sapientes erant in oculis suis & coram semetipsis prudentes, errasse se vident à via veritatis, & insipientiam suam disertis verbis profitentur, dicentes: Nos insensati, quia nolebamus intelligere vt bene ageremus. Imo deo diximus (quod iam videmus extremæ fuisse insipientiæ) recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Insuper, vitam piorum qua lucebant per bona opera coram hominibus ad gloriam Dei, æstimabamus insaniam. *Esa.1.* *& finem eorum sine honore.* Nesciebamus sacramenta Dei, & bona illa quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor vllius hominis ascenderunt, quæ his præparauit, qui diligunt eum. Nec sperauimus mercedem iustitiæ, & bonorum operum, sed Deum diximus solam fidem respicere, neque iudicauimus honorem animarum sanctarum, quo collocabit eas dominus cum principibus populi sui, vt solium gloriæ teneant. Sic olim pharisæi, Christi doctrinam deridebant, qua eorum auaritiam, luxum & superbiam arguebat. Dixerunt namque, dæmonium habet, insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Seducit turbas. Et iterum: Commouit populum ad rebellionem & seditionem, docens per vniuersam Galilæam vsque huc. Et apostoli iudicabantur vt seductores, cùm tamen essent veraces, &c. Sed cum in iudicio eos viderint in aëre cum Christo in gloria apparere, & se ab eis iudicari, dicent: *Sed quomodo computati sunt inter filios Dei?* angelos sanctos videlicet, quia ab hominibus ruinæ angelorum implebuntur, & Hierusalem cœlestis quæ est mater nostra instaurabitur & reædificabitur. Ecce quomodo sunt hæredes Dei, & cohæredes Christi *&* dicturi sunt, *ecce inter sanctos sors illorum est.* Nos verò cum diabolo & angelis eius in ignem æternum proiicimur, excludimur è cœlo cum stultis virginibus. Pereant dies in quibus nati sumus, & noctes in quibus dictum est, concepti sunt homines. Dies illi vertantur in densas tenebras. Quare non in vulua mortui sumus? Væ nobis quod nati sumus. Tunc commanducabunt linguas suas præ dolore, & blasphemabunt Deum cœli præ doloribus.

Iob 21. *Mat. 5.* *Esa. 64.* *1. Cor. 2.* *Sap. 2.* *Luca 23.* *Psal. 109.* *Rom. 8.* *Iob 3.* *Apoc. 16.*

IN DIE

IN DIE APOSTOLORVM PHILIPPI ET IACOBI,

Sermo in Euangelium.

Ephe.2. APostolus & doctor gentium in fide & veritate volens abundātes diuitias gratiæ & charitatis diuinæ erga eos exprimere qui pro nomine eius in omni pressura sunt, in hæc verba ad consolationem nostram
1.Cor.10 prorumpit: Fidelis deus qui nō patietur vos tentari supra id quod non potestis sustinere. Quod vtique diabolus po
Iob 41. sset, si permitteretur, quia non est potestas super terram, quæ ei comparetur. Sed facit cum tentatione istum prouentum, hoc est, gratiæ suæ, charitatis & virtutum augmentum. Dans lassis virtutem, & his qui nō sunt aliquid
Esa.40. in reputatione hominum & propria, fortitudinem & robur multiplicat, quod in deo omnia possunt sustinere, qui eos confortat: & hoc non solum patienter, sed etiam gloriantes & gaudenter, adeò vt sibi in contumeliis, in infirmitatibus, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo complaceant, & omne gaudium existiment, cum in varias incidunt tentationes. Nā pater mi-
Psal.90. sericordiarum, & deus omnis consolationis, cum electis suis est in tribulatione, descendit cū eis in foueas & carceres, imo in caminum ignis ardentis, & sub vmbra alarum suarum, tam sollicite eos protegit à facie impiorum qui eos affligunt, quod non relinquit hominem nocere eis, & quicquid mali eis infertur à filiis diaboli, deus ver-
Psal.88. tit in bonum, & cooperari eis facit ad salutem. Sed & manus sua adeò eis auxiliatur, & brachium illius sic eos confirmat in omni opere & sermone bono vsque in finem, quòd etiam inimicus homo & aduersarius noster diabolus, quantumlibet rugiat seuiátque, nihil in eis proficit, nec apponere audet vt noceat illis. Sic ergo deus bonos & rectos corde, in omni tribulatione eorum consolatur abunde, quòd & illi eos qui in omni pressura sunt, consolari possunt per exhortationem, quia & ipsi à deo spiritu sancto exhortantur, qui huius rei gratia paracletus, id est hortator, consolator, patronus siue aduocatus dicitur. Vi
Ioan.16. dens igitur Iesus discipulorum suorum corda tristitia repleta, eo quòd se iamiam moriturum prædixit, tū quòd ab vno ex eis tradendus foret, tum quod Petrus eum ter

tio

tio negaturus erat,tum quod omnes in eadē nocte scandalizandi forent:Hinc turbabantur vehementissime.& timor & tremor venerant super eos, & angustiæ eis erant vndique,& quò se verterent ignorabant.Erant sicut mulier parturiens,& effugium periit ab eis.Tunc pius pater verbis dulcissimis afflictos roborauit,mœrētes deliniuit, tristes consolatus est,& vacillantes confirmauit.Hortatur ergo discipulos suos vt propter recessum suum non fluctuent in fide,sed in ea stabiles maneant & immobiles. Et retexit eis sui recessus modum,viam,terminum & fructum,vt ista secum reputantes,bono animo sint.Dicit ergo,recessus sui modum referens:*Non turbetur cor vestrum.* Suprà dixerat:Nunc anima mea turbata est. & in cœna turbatus est spiritu,& in suscitatione Lazari,turbauit seipsum.Mirum ergo videtur,quod hoc loco discipulis dicit Non turbetur cor vestrum, cum discipulo sufficiat,quòd sit sicut magister suus. Sed duplex est turbatio in homine.Vna vituperabilis,alia tolerabilis,tertia laudabilis.Vituperabilis illa censetur, quæ rationis iudiciū subuertit, et deiicit hominem à virtute et iustitia in nefarios ausus.Sic Herodes Christi ortu audito turbatus fuit et dolos moliri cœpit,turbantur omnes insipientes corde, sic reprobi videntes electos cum Christo à dextris stantes et cum gloria,turbabuntur timore horribili, &c. At iustum non contristat hoc modo quicquid ei acciderit, sed quasi leo confidens, absque terrore est.Impij autem replentur malo, et fugiunt nemine persequente, pessima eos redarguente conscientia.Sic sonitus terroris semper est in auribus eorum, et cum pax sit,illi suspicātur insidias.Sic homo sensatus,in sapientia manet vt sol,et stultus vt luna mutatur.Sic bibunt filij desertores de calice furoris domini, et turbantur et insaniunt à facie gladii, &c. Sic in imagine pertransit homo,et frustra conturbatur.Timet timore vbi non est timor,amat odienda,cupit noxia,negligit salutaria,facit prohibita,gloriatur in malitia et in confusione sua. Alia est turbatio tolerabilis, quando videlicet homo turbatur de aliquo nociuo vel morte,sed sub imperio rationis:sic discipuli vidētes Christum supra mare ambulantem,turbati sunt. At hoc modo frustra et vane conturbatur omnis homo. Turbatio quidem, timor et commotio etiam in virum sapientem, virtuosum et cōnstantem cadunt.Vnde Dauid ait:Irascimini,

Matt.26.
Ioan. 11.
Mat.10.
Mat. 14.
Psal.4.

mini,id est,si irascimini,turbamini & commouemini,tũc sensualitatem & motus primos sub rationis iudicio & moderatione tenete,& nolite peccare. Ne in verba dura irrumpatis,maledictum pro maledicto,malũ pro malo refundatis,siue reddatis,sed vincite in bono malum. Tertia est turbatio laudabilis, cum videlicet homo turbatur de
Psal.6. peccatis suis,sicut David:Miserere mei domine quoniam infirmus sum,sana me domine,quoniam cõturbata sunt ossa mea,& anima mea turbata est valde. Ista turbatio, tristitia secundum deum est, quæ pœnitentiam stabilem operatur in salutem. Sacrificium deo acceptum spiritus contribulatus est,cor contritum & humiliatum deus non despicit. In tali spiritu turbato, Magdalena pedes domini vnxit & lauit. Sed turbatio pro peccatis aliorum, deum demeretur. Vnde Iesus pro peccato Iudę turbatus est spi
Rom.9. ritu. Sic Apostolus propter Iudęos,Esdras propter Iudęo
1. Esdr.9. rum transgressionem,Hieremias propter Iudæorum ca-
Hier.9. ptiuitatē turbatus est & fleuit fletu magno:sic agnus dei mitis & humilis corde,circunspexit in synagoga in ira,cõ
Exod.32. tristatus super cæcitate cordis eorum. Sic omnium homi nũ mitissimus mot⁹ est & valde iratus,viso vitulo,ipsũmque
Num.25. que confregit &c. Taceo zelum Phinees,quomodo vi-
1.Mac.2. rum & mulierem vno ictu simul transfodit. Taceo Mata thiam, qui videns Iudæum idolis sacrificante, doluit, & contremuerunt renes eius. & accensus est furor eius secundum iudicium legis,& insiliens trucidauit eum super
1.Cor.5. altare. Taceo quomodo vas electionis propter fornicationis piaculum,ex parte contristatus fuit,& sceleris au-
2. Cor.7. thorem Satanæ tradidit in interitum carnis. Hæc est tristitia secundum deum,& pœnitentiam stabilem in salutem operatur. Vnde scriptum est Beati qui lugent sua & aliena peccata,quoniã ipsi consolabuntur. De prima turbatione, hic loquitur Christus,nam sic scandalizati sunt in eo,& ipso relicto,omnes fugę præsidium arripuerunt.
Rom.8. Sed & casus iste,eis cooperaturus erat in bonum,nam sic imperfectum suum & figmentum cognouerunt, & aliorum onera portare, & aliorum infirmitatibus compati, & condolere eis qui ignorant & errant, didicerunt in seipsis, Nam qui non est tentatus,quid scit;Sed ne post casum suum abundatiori tristitia absorbeantur,ideo tristes delinit blanditiis, consolatur pusillanimes, vacillantes,
Psal.65. confirmat, trementes confortat. Et quomodo mater, dilecto

dilecto vteri sui blanditur,& super vbera sua eum portat ita iam eos consolatur.Insuper & singulos eorum armat non clypei aut hastæ munitione,sed sermonibus optimis & exhortationibus,dicens:*Creditis in deum* verum & viuũ omnium creatorem.Forte discipuli nondum habuerunt explicitam resolutámq; fidem sanctæ trinitatis,sicut nec de diuinitate Christi,quamuis vtrumque frequenter insinuauerit eis(ait Dionysius). Rudes quippe erant, non capientes quæ illis loquebatur. *& in me credite,* qui cum patre vnus deus verus sum:Consequens enim est,vt qui in deum credunt,credant & in me.imo qui non credunt in filium,non habent fidem veram,sed inter infideles cẽsentur. Et his verbis eos consolatur: nam cum sit deus, sic occidetur, vt tamen permaneat viuus. Nec omnino ab eis recedit,quia cœlum & terram implet,sed præcedit eos,nec recessus suus eis damni aliquid, sed emolumenti plurimum erat allaturus.*In domo patris mei,*& vestri, cœlesti,in qua qui habitant,in secula seculorum deum laudant.Quæ est domus nostra non manufacta, æterna in cœlis in quam si vestiti virtutibus & induti Christum fuerimus, intrabimus, & videbimus claritatem eius, sicuti est, & regem Christum in decore suo. Hæc est patria & ciuitas nostra cœlestis,cuius artifex & conditor est Deus. Quam omnes electi expectauerunt,in quam ascendens captiuam captiuitatem secum introduxit. In illa domo cœlesti,*mansiones multæ sunt.*Iam paratæ ab origine mundi electis ab æterno.Paratæ inquam sunt in cœlo diuersæ mansiones, diuersis virtutibus,quas personæ non accipiunt,sed opera.Vnde dixit ad Iacobum & Ioãnem:sedere ad dexteram meam & sinistram,non est meum dare vobis,quia non est dantis, sed accipientis, quibus paratum est à patre meo: nempe eis, qui in me credunt, qui deum proximúmque syncere diligunt, qui legitime certant, qui carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigunt, qui in omnibus bonis operibus fructificant. Et qui immaculatum se custodit ab hoc seculo, qui seipsum abnegat,arctam viam ambulat, crucem suam quotidie accipit & Christum sequitur, ac nullum locum dat diabolo. Et quanto grauiores persecutiones sustinet pro iustitia, quanto est ardentior in amore, feruentior in prece, rigidior in carnis maceratione, patientior in aduersis,humilior in corde,fructuosior in bonis operibus sollicitior

Ioan. 10. *Hier. 33.* *Ephes.4* *Matt.20*

sollicitior in lucrandis animabus, excellentior in bonis exemplis, ditior in gratia, similior mihi in vita, tanto ma
Psal.9. ior erit in gloria. Quia ego laborem vniuscuiusque considero, & dolorem, quem me imitando habet, & vnicuiq; secundùm iustitiam suam retribuo, & hoc secundùm operum suorum substantiam, qualitatem & quantitatem. Et ideo in domo patris mei mansiones multæ sunt, vbi dabitur vnicuique secundum opera sua. Quodcunque igitur potest manus vestra, instanter operamini, thesaurizate vobis thesaurum non deficientem in cœlis, seminare
Eccl.9. in spiritu, et tunc de spiritu metetis vitam æternam. Si *quo minus*, id est, si ita non esset, sicut vobis dixi, videlicet, Si mansiones multæ in domo patris mei paratæ iam nõ essent ab æterno, *dixissem vtique vobis*, quod sequitur, quia
Mat.22. id est, quòd *vado parare vobis locum*. Sed hoc dicendum non erat, quia omnia parata sunt. Hoc vnum reliquum est, vt nos relicta malitia veniamus ad nuptias. Paratæ igitur sunt mansiones per prædestinationem et electionem ab æterno. Nihilominus adhuc sunt paranda per fidem, per gratiã & bona opera et merita, quo ad eos qui prædestinati sunt, vt digni fiant sedes istas possidere. Vnde ait: *& si abiero*, per mortem & ascensionem meam, *& præparauero vobis locum*, vt dixi, locus paratus erat ex
Psal.112 parte dei, sed qui eas possidere debebant, à Christo indigebant præparari, vt digni essent in eis collocari cũ prin-
Coloss.2. cipibus populi sui. Et hoc factum est per passionem et ascensionem. Nam in passione eius fides firmata est, spes erecta, charitas inflãmata. Ibi gratiam nobis promeruit,
Roma.8. virtutes docuit, quas imitari oportet. Ibi mortem perdidit, chyrographum decreti deleuit, diabolũ vicit, delicta donauit, patrem recõciliauit, cœlum aperuit. Insuper spiritumsanctum misit in nos, qui nos agit et ducit in semitas consiliorum dei, et testimoniũ reddit spiritui nostro, q̃ filij dei sumus, et est pignus hæreditatis nostræ. Sic ergo locum præparat, dum dat spiritũsanctũ, et mittit in nos, per cuius virtutem et gratiam præparamur ad ingressum ciuitatis Hierusalem cœlestis, quæ est mater
Hebr.9. nostra. Vel præparat Christus locum et ad hoc abiit, quia in cœlum introiuit, et in dextera Dei sedet, vt ibi appareat nunc vultui dei patris interpellat pro nobis,
Roma. 8. *iterum venio*, in morte cuiuslibet vestrum, salutem inuisibiliter et per effectum, et per angelos quos mittam ad ani

ad animas vestras ad meum adducēdas tribunal & dein- *Rom.8.*
de in æterna tabernacula iustorum. *& accipiam vos* ami-
cos meos, qui mecum permansistis in tribulationibus
meis. *ad meipsum*, tranferendo vos in æternum regnum
meum, de exilio in patriam, de loco miseriæ & luto fœ-
cis in cœlū, locum omnium bonorū aggregatione per-
fectum. *vt vbi sum ego*, scilicet in æterna beatitudine, vbi
Christus iam erat secundum diuinitatem: vel qualē ani-
ma mea iam habet videndo Deum per speciem. *& vos
sitis*, quantum ad animam ante diem iudicij, & stola vna
gloriæ vos donabo, sed in magni iudicij die iterum ve-
niam cum omnibus angelis & electis inuisibiliter, & in
corpore glorificato & anima, vos ad paratum beatitudi-
nis æternæ locum transferam *Et quo ego vado.* Ecce viæ *Mat.15.*
recessus, sui cognitio & terminus. Nam dixit quòd ibat
ad patrem per viam passionis. *scitis & viam scitis.* Opta-
bilis viæ terminus, sed dura erat via & lapidibus asperis
consita Hoc discipuli nescire non poterant, quia crebro
eis multa & horrenda filium hominis passurum prædixe
rat. Dixerat & sæpius se patrem habere Deum in cœlis,
& quòd vnum cum patre esset: sed quòd Deus æternus
(ait Dionysius) esset pater Christi paternitate naturali, *Ioan. 14.*
ita quòd Iesus esset filius Dei naturalis & vnicus, ex vte
ro eius ante luciferum genitus, verus Deus & patri con-
substantialis, nondum complete cognouerunt. Vel co-
gnouerunt confuse & incomplete. Nesciebant autem
determinate & proprie. Sciebant, sed nesciebant se scire.
Hæc Dionysius. *Dicit ei Thomas*, dicens in persona om-
nium: *Domine nescimus quò vadis*, scilicet vitæ tuæ termi-
num. *& quomodo possumus viam scire?* Distincte ista igno-
rabant. Nempe quòd Christus via, & pater terminus viæ
esset. Quòd autem Thomas & apostoli hæc ignorabāt,
dubio procul ad nostrum profectum diuina sapientia fa-
ctum est. Quia sicut negatio Petri ad nostram præsum-
ptionem tollendam, sic ignorantia ista ad fidei nostræ ro
bur facit & instructionem. Ideo Christus qui in medio
eorum sicut nutrix & mater filios fouens fuit, in spiri-
tu humilitatis & lenitatis eos instruit, dicens: *Ego sum
via*, per exemplum, *veritatis*, per doctrinam euange-
lij siue documentum, *& via* per præmium. Ego sum via *Mat.7.*
non errans, via regia & arcta, quæ ducit ad vitam. Ego sum
veritas neminem fallens, vtilia & viam Dei in veritate

docẽs,ego ſum vita indeficiẽs, ideo qui credit in me ha-
Ioan.8. bet vitam æternam, & tranſiet à morte in vitam. Ego
ſum via ducens per exemplum, ideo qui me ſequitur,in
tenebris non ambulat,nec opera tenebrarum facit, ſed
abiicit. Sum veritas lucens, & lux mundi per euāngelij
doctrinam. Vnde mandatum lucerna,& lex, lux aſtrui-
Sap. 2. tur.Sic verbum Chriſti lucerna pedibus,& lumen ſemi-
Ioan. 10. tis noſtris eſſe debet. Lux iſta iuſtis & deum timentibus
oritur & lucet,cæteri in ea excæcantur per malitiã.Sum
vita paſcens,ergo ſi quis per me introierit, ſaluabitur,&
egredietur & ingredietur, & paſcua inueniet. Et vt ad
Thomæ quæſtionem reſpondeatur: Chriſtus via eſt ſe-
cundum humanitatem, veritas & vita ſiue terminus ſe-
cũdum diuinitatem.Et quòd ipſe via ſit,clarius explicat,
Matt.11 dicens:*nemo venit ad patrem*,in præſenti per gratiam,nec
in futuro per gloriam, *niſi per me*, ſaluatorem mundi,in
me credendo,diligendo & imitando me. Vel,nemo ve-
nit ad patris cognitionem: quia nemo nouit patrem niſi
filius,& cui voluerit filius reuelare.Proinde ſcitis vtrun-
que & quò vadã,& quà ſit iter,niſi forte me prorſus igno
Hebre.11 ratis.At ſine fide mediatoris nulli fuit, eſt aut erit ſalus.
Ipſe eſt oſtium ouium & paſtor,ſalus & ſaluator, dux &
lux,medius & reconciliator,benedictus & maledictũ,iu-
ſtitia & peccatũ,merces magna nimis & corona iuſtitiæ
& vitæ.Nam per eius incarnationẽ deificamur, per eius
Rom. 8. doctrinam erudimur,per eius gratiam iuſtificamur, per
2.Cor. 1. eius exemplũ regulamur,per eius ſpiritum certificamur
quòd filij dei ſumus & hæredes regni,cùm ſit pignus ſa-
lutis noſtræ,ſiue arrabo,per eius paſſionẽ de manu ini-
micorũ noſtrorum & omnium qui oderunt nos,libera-
Heb. 5. mur & viuificamur.Per eius meritũ & preces reconcilia-
Rom.6. mur,per eius gratiã ſaluamur in regnum eius cœleſte.*Si
cognouiſſetis me*, perfecte quo ad diuinitatem, *& patrem
meum vtique cognouiſſetis*,quia ego & pater vnũ ſumus.In
quo innuit, quòd nec patrẽ nec filiũ perfecte cognoue-
Rom.14. runt. Nihilominus imperfectiones & tarditates eorũ ad
credendũ,ſiue infirmitates eorum patienter ſuſtinuit,&
ſpem patrẽ dat cognoſcendi, dicens: *& amodo cognoſcetis
eum*,nam poſt reſurrectionẽ ſenſum illis aperuit, vt ſcri-
pturarum profunda ſcrutari poſſent, & abſcondita illius
producere in lucẽ. Et ſpiritusſanctus per vnctionẽ ſuam
eos docuit de omnibus.Sed & quòd iam aliquã eius ha-
beant

beant notitiam, addit, *& vidistis eum.* Quia audistis solui peccata, iustificari peccatores, expelli dæmones, & omnem languorem curari, quod magnæ potentiæ dei solius est. Audistis doctrinam meam, quæ non est mea, sed patris mei. Et hæc est vera sapientia à patre luminum descendens, qua cum homini omnia bona veniunt & dantur: qua qui vtuntur, participes fiunt amicitiæ dei, &c. Vidistis iterũ abundantes diuitias charitatis & gratiæ spiritus sancti, quas obtuli omnibus, vocando auersos, trahendo negligentes, recipiendo reuertentes, expectando procrastinantes, gratis donando peccata omnia, diuites faciendo in gratia & meritis, promittendo gloriam, ex charitate pro inimicis sustinendo mortem turpissimam. At vna est potentia, sapientia & bonitas in tribus personis. Audierunt item tres apostoli vocem patris in transfiguratione, & postea omnes in templo, dicẽtem: Et clarificaui, & iterum, & clarificabo. *Dicit ei Philippus*, hic terminus recessus Christi ponitur, qui est aperta visio dei, facie ad faciem. Philippus namque audiens se patrẽ vidisse, rebatur quòd pater oculis corporalibus instar filij posset videri, quamuis nec filius sic cognosceretur. Auidius ergo discendæ & audiendæ veritatis, dicit: *Domine*, rex omnipotens, in cuius ditione cuncta sunt posita, cui subest cum volueris, posse, *ostende nobis*, amicis, discipulis & imitatoribus tuis, qui propter te reliquimus omnia & secuti sumus te. Exaudi nos, propter bonitatẽ tuam, quia tu domine suauis es & mitis, & multæ misericordiæ, omnibus inuocantibus te. Ergo, si non vis mundo, vel nobis quos elegisti de mũdo, quos propter te odit mũdus, ostẽde nobis *patrẽ*, tuum cœlestẽ, qui nos amat, sed quoniam dixisti & tuũ & nostrũ patrẽ esse, ergo ostẽde nobis patrẽ nostrũ, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Nec enim naturalius, desiderabilius & iocũdius quicquã filiis esse potest, quã cognitio, visio, & præsentia dulcis & amatissimi patris sui. Ergo nobis tristitia plenis, quos tu iam deseris, ostẽde patrẽ nostrũ, qui pater misericordiarũ, & deus omnis cõsolationis est, vt inter has angustias, luctus & fletus cõsoletur nostra corda, & cũ hoc feceris, *sufficit nobis*, q̃a ipse omnia est in oĩbus. Et in illo omnia quę desiderari possunt, habebimus. *Dicit ei Iesus*, benigne: *Tanto tẽpore vobiscum sum*, intrans & exiẽs inter vos, & quæ turbis in parabolis dixi, vobis seorsum declaraui,

1. Ioan. 2. / Ioan. 7. / Ephe. 2. / Mat. 17. / Ioan. 12. / Hest. 13. / Matt. 19. / Matt. 13.

& tam multa vobis de patre meo prædicaui & de regno
Ioan. 13. cœlorũ, *& nõ cognouistis me*? q.d. Cum de patre quæris, de me quæris, quẽ nosse debueras. Ex doctrina quã audiuistis, & ex miraculis quæ nemo alius fecit, quæ vidistis, me nosse debuistis. Non enim ideo me nostis quia faciẽ
Hebræ. 1. meam vidistis, sed quia virtutẽ meam & veritatẽ meam intelligitis. Hæc non oculo corporis, sed mentis cernũtur. *Philippe, qui videt me*, oculo fidei, sicut Abraham vidit diem Christi, & gauisus est, *videt & patrem meum*, cũ sim imago patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. Candor lucis æternæ, & speculum sine macula dei ma-
Sapien. 7. iestatis. Porro nouisse, vidisse est. *Quomodo tu dicis*, in persona omnium discipulorum? *Ostende nobis patrem*? ostẽdis te nõ credere idem nos esse, sed putas patrẽ me meliorem, qui cùm sit spiritus, oculis corporalibus videri non potest. Arguitur ergo Philippus, non quòd petiuit, sed
3. Ioan. 5. quia nõ sicut oportet petiuit, & male petiuit. Quæcunque enim secũdum voluntatem eius petimus, audit nos. *Non credis* simpliciter ex fide, sine persuasione, sicut fides electorum credit, *quia ego in patre & pater in me est*? per vnitatem naturæ, substantiæ & essentiæ, *verba quæ ego loquor*, in natura humana, *à me ipso non loquor*, secũdum naturam humanam, ex sensu vel inuentione humana, quia nunquam sic homo locutus est, ergo deus qui erat in eo,
Ioan. 7. hæc locutus est. Nam *pater meus* æternus *in me manens*,
Ioan. 5. *ipse facit opera*, quæ miratur mundus. Quæcunque pater facit, hæc similiter & filius operatur. Et iterum ait: Ego à me ipso facio nihil. *Non creditis quia ego in patre, & pater in me est*? per substantiæ naturæ & essentiæ identitatẽ. Hoc mihi toties inculcanti, credere debueratis: & si dictis meis parum haberetis fidei, quamuis ipsissima veritas sint, *alioquin propter opera ipsa credite*, quæ ego in nomine patris mei facio, digna deo, & maiora homine. Hæc
Col. 5. 10 enim testimonium dant de me. Nemo enim potest illa facere, nisi deus fuerit cum illo, aut in illo tota plenitudo diuinitatis corporaliter habitauerit. *Amen amen dico vobis*. Hic substituit recessus sui fructum in discipulis & credentibus in eum. Nam opera quæ ipse fecit per se virtute propria, etiam per alios & ipsos apostolos facere voluit & fecit. Vnde ait: Nihil vobis detrimenti adferet huius corporis mei subductus aspectus. Oculo siquidem fidei melius cernetis absentem, et quod nunc patrem

videtis

videtis per me agere, cum quo vnum sum. Idem agam Rom.15.
per vos, si in me per fidem & charitatem manseritis, sicut palmites in vite, arbores bonæ, in sancta, benedicta & pingui radice, sicut membra viua in suo capite, imò clarius etiam exeram per vos vim meæ diuinitatis, postquàm hanc vobis infirmitatis speciem subduxero, quoties gloria dei & electorũ id exposcit vtilitas. Et vt maior habeatur fides verbis eius, duplici id firmat iuramento, quibus impossibile est mentiri deum, dicens: *Amen* Heb. 7.
amen dico vobis, amicis meis, quibus omnia quæ audiui à patre meo, nota feci, *qui credit in me*, fide viua electorum, *opera*, id est, miracula stupenda, virtutem omnem creatam excedentia, *quæ ego facio*, in nomine patris mei, id est, similia eis, *& ipse faciet* in nomine meo & mea virtute. Vnde scriptum est: In nomine meo dæmonia eiiciet, Mar. 16.
linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferi quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus impo Actu.3.4
nent & bene habebunt. Et apostolus Petrus ad claudum ex vtero matris suæ dixit: In nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula: & appræhensa manu eius dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius &c. Et iterum: In fide nominis Iesu, deus dedit huic perfectam sanitatem in conspectu omnium vestrûm. Nos Actu.9.
nostra virtute aut pietate, non fecimus eum ambulare. Sic idem Petrus Æneam ab annis octo in grabato ia- Actu. 19
centẽ sanans, dixit: Ænea, sanet te dominus Iesus Christus, surge & sterne tibi. Et alibi: Virtutes non modicas quasl bet, faciebat Deus per manus Pauli &c. Sic apo- Mar. 16.
stoli prædicabant (accepto spiritusancto de cœlo) vbique, domino cooperante, sine quo nihil possumus, & sermonem eorum confirmante, sequentibus signis. Contesta- Heb. 2.
ta est à deo euangelij doctrina, signis & portentis & variis virtutibus & spiritussancti distributionibus, secũdum suam voluntatem &c. *& maiora horum faciet*. Hoc in apostolis completum est, nam sua prædicatione plures conuerterunt quàm Christus. Ipsi etiam eos conuerterunt, Rom.2.
qui legem scriptã non acceperant, & qui sine deo erant in hoc mundo, & promissionis spem nõ habebant. Rursus: Christus in vna gente & in vno idiomate, videlicet Iudæis prædicauit. Apostoli prædicauerunt omni crea- Rom.10
turæ, & sonus eorum in fines orbis terrarum exiuit, & variis linguis loquebantur magnalia dei. Ad tactum

Mat.9. fimbriæ vestimenti Christi quo erat indutus, sanabantur infirmi. Sed ab vmbra apostoli Petri sanati sunt infirmi,
Actu.5. imò ad tactum sudariorum & semicinctiorum, quæ Paulus tetigerat, & super corpora infirmorũ posita, ad quos
Actu.21. delata fuerãt, sanabantur infirmi, & obsessi liberabãtur. Hæc tamen maioritas, non quo ad opus operarum, sed quo ad modum agendi intelligenda est. Causa autẽ cur credentes in Christum maiora facturi erant quã Christus, à Christo iam exprimitur, *quia ad patrem vado*, ad mittendum spiritum sanctum in vos, ad roborandum vos
Psal.8. & docendum, ac miracula faciendum. Nam cum ascendero ad patrem, & sedero à dextris eius, tunc plenarie glorificabor, & honore coronabor, omnémque potestatem accipiam in cœlo & in terra, & nomen quod est su-
Phili.2. per omne nomen. Et tunc in omnibus gentibus ad quas vos mittam, tam magna & stupenda per vos miracula faciam, per quæ testimonia vestra credibilia nimis reddam. Et si hæc signa his malis diebus à fidelibus nõ fiãt, eo quòd fides iam satis est radicata & firmata, spiritualiter tamen nunc, semper per eos crebescunt. Et illa spiritualia, tanto sunt corporalibus potiora, quanto spiritus excedit corpus. Sed ne quisquam ex hoc quod dictũ est, maiora faciet, crederet fideles Christo posse æquari, vel esse maiores, vel eos propria virtute ista operari, addit Christus: *Et quodcunque petieritis patrem*, in fide nihil hæsitando, pie, pro vobis, & perseueranter, & secundum voluntatem eius, *in nomine meo*, id est, per me, siue per virtutem eorum & merita, quæ pro salute humana assumpsi,
Matt. 1. feci & pertuli. Nomen Christi, Iesus est, quod interpretatur saluator. Vnde patrẽ in nomine meo Iesu petere, est illa precari, quæ necessaria & saluti vtilia sunt postulanti. Quodcunque ergo sic petieritis, *hoc faciam*, & preces vestras in excelso solio gloriæ meæ exaudiam. Hoc addit, ne apostoli suspicarentur aut timerent, quòd in-
Gene.40. star pincernæ Pharaonis dum illi bene esset, & prosperis succedentibus, eorum vellet obliuisci. Vel dum esset in summo honore & gloria exaltatus (vt filij hominum & huius seculi facere assolent, dum ad culmẽ honoris assumuntur) eos vt pauperes, indoctos, ignobiles & stultos, tanquã mũdi purgamẽta & omniũ reiectamẽta, asperna ri vellet, erubescre, nescire, negare & nõ exaudire. Vnde ait: Hoc faciã, ꝙ me rogatis. Ergo abitus meus nõ cõtri-
stet,

ſtet,nec corda veſtra cõturbet. Tum maxime ſum vobis *Mat.28.*
affuturus etiam vſque ad finem ſeculi, & pia vota veſtra
exauditurus,cum hoc corpuſculum vobis ſubduxero. Sic
ergo perrexit ad patrem,& magnam ſpem ſe orantibus
promiſit,vt non relinquat egentes,ſed exaudiat petẽtes.
Et ſi ſtatim quod inſtanter,pie, pro nobis,& eius præce-
pta cuſtodiendo petimus,nonnunquã non accipimus,ta
men illud in tẽpore ſuo,cum nobis vtilius eſt dat. Sic pe
timus vt adueniat regnũ eius.Nõ tamen non facit quod *Mat.6.*
petimus, eo q̃d nõ ſtatim nos ad ſeipſum accipit in cœlũ
& in regnum ſuum,quod Apoſtolus cõcupiuit. Differtur
quidẽ,ſed non ad inſipientiam noſtrã aut damnum. Dif-
fert,vt interim in ſpiritu ſeminemus,& Chriſto ac virtu-
tum eius nos ornatu ornemus. Vt theſaurũ nobis in cœ
lo,talentum noſtrum ponendo ad vſurã,theſaurizemus.
Vt ſalutẽ noſtram cum metu & tremore operemur. Vt
deponamus omne pondus & circunſtans nos peccatum,
& veterẽ hominẽ cum actibus ſuis,& nouum induamus,
qui ſecundum Deum creatur in iuſtitia & ſanctitate veri
tatis.Vt interim dignis pœnitentiæ fructibus piacula cõ-
miſſa expiemus,lumbos præcingamus, lãpades noſtras
adornemus,& igne diuini amoris,accendamus. Vt inte-
rim in omni opere bono fructificemus. Quatenus cũ do *Coloſ.1.*
minus venerit, vigilantes & paratos nos inueniat. Ergo
orantes non deficiamus à prece,& ſeminemus in bene-
dictionibus,tempore enim ſuo in benedictionibus de ſpi *Gal.6.*
ritu metemus vitam æternam.

EXALTATIONIS ET INVEN- TIONIS SANCTAE CRVCIS, in Epiſtolam exegeſis.

HOC *enim ſentite in vobis.* Magiſter & doctor *Philip.2.*
gẽtiũ in fide & veritate,quæ ædificationis
& ſalutis ſunt,docuit ſtudioſiſſime. In hac
autẽ epiſtola,docet filios imitari patrẽ,di-
ſcipulos ſequi magiſtrũ,oues paſtorẽ,ſtel-
las iuſtitiæ ſolẽ,nempe Chriſtũ Ieſum,quẽ qui ſequun- *Ioan.8.*
tur,in tenebris nõ ambulant,ſed in lumine recta via,ar-
cta & regia ad cœlum tẽdunt.Docet ergo in iſta epiſtola
quis imitãdus,quia filius ſummi patris. In quo imitãdus,
quia in via humilitatis & paſſionis,ibiq; cũ in forma dei.

 Quare

Quare imitandus, quia propter præmium claritatis, ibi: propter quod. Imitatores ergo dei estote sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo, in odorem suauitatis. Vt autem hoc præstare possitis, tunc hoc sentite in vobis, in corde & non solummodo sic foris apparetis, sicut Pharisæi & hypocritę. In vobis qui estis membra capitis & corporis Christi. Membra enim estis corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Membra enim capitis passiones sentire debent. Nam si cætera membra compatiuntur cum vnum membrum dolet, multo magis compati & sentire debēt alia membra, dum caput patitur. Hoc dum facitis, tunc opere & veritate ostenditis, quòd Christus est in vobis, per fidem & dilectionem. Audite igitur eius clamorē, & facite omnia quæ dixit & docuit vos. Videte eius rubrum vestimentum, et vos eadem cogitatione armate, vt sequamini vestigia eius. Olfacite quàm suauis est dominus, et currite in odorem vngentorum eius. Gustate etiam dona cœlestia, et sentite de domino in bonitate. Tangite item dolores eius minimos, et videte quòd nō est dolor similis sicut dolor eius. Hæc enim faciendo, hoc sentitis in vobis, *quod & in Christo Iesu.* Sentiat auditus credendo per fidem, quia fides est ex auditu. Visus, intuēdo per meditationem, recordando paupertatis, transgressionis eius, absinthij et fellis. Olfactus, attrahēdo per deuotionem. Sic onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attrahit ventum amoris sui. Gustus, condolendo per charitatem. Tactus, imitando per patientiā. Iam docet quòd in humilitate Christum imitari debemus. *Qui cum in forma dei esset,* vnus deus in vna natura, essentia et substantia, cum patre et spiritusancto. Ex patris vtero ante luciferum genitus, deus de deo, lumē de lumine, deus verus de deo vero, quia deus erat verbum. Et sicut Petrus confitebatur, filius naturalis dei viui, splēdor gloriæ et figura substātiæ eius, imago dei inuisibilis. Sunt igitur pater et filius cōsubstantiales, et coæquales. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem deo.* Hoc est, quāuis vnum esset cum patre, non voluit tamen gloriā patris sibi rapere, quā in omnibus semper quæsiuit, dum super terram videbatur, et cum hominibus conuersabatur, plenus gratia et veritate, propriā gloriā contemnendo. Nec

Ephes.5. Mat.23. Ephes.5. 1.Cor.12. Sap.1. Thren.1. Rom.10. Hiere.1. Psal.109 Mat.16. Col.1.

mundanis honoribus,tanquã patri æqualis honorari petiit super terram, cum tamen gloriam omnem et omnẽ honorem iure optimo et merito vtiq; accipere potuisset, vt pote filius patri consubstantialis et coæqualis per omnia. Potest etiam de Christo intelligi secundum humanitatem, secundum quam proprie esset facere rapinam, id est,nõ solùm vsurpare si arbitratus fuisset se esse æqualem deo.Christus enim, secundum quod homo,est minor deo,ipso testante:Pater maior me est,et etiã minor angelis,secundum humanæ naturæ passibilitatem, iuxta illud:Minuisti eum paulominus ab angelis. Et secundum vtranq; expositionem,commendatur humilitas Christi, per comparationem ad superbiam Luciferi,qui licet nõ esset in forma dei,scilicet assumptus à Deo, in vnitate personæ,voluit tamen se esse æqualem deo,et assimilari altissimo, vt dicit de eo Esaias. In eadem damnatione etiam protoplastus fuit.Vnde dicit Augustinus: Voluerunt rapere diuinitatem,et amiserunt fœlicitatem. Taceo hîc ambitionẽ frustra inflati Nabuchodonosor, qui eò deuenit insaniæ,quòd præcepit omnes deos terræ exterminari, vt ipse solus diceretur et adoraretur vt deus, ab his qui suo erant imperio subiecti. Rex Tyri nimium cornua sua erexit, cum se deum diceret, et in cathedra dei sederet. Taceo Simonem magum, qui sese dixit aliquem magnum esse, cùm nihil esset. Sustinuit etiam se virtutem dei,quæ magna vocatur,vocari. Taceo Herodem Agrippam,qui cùm esset putredo & vermis,diuinos honores ab adulatoribus sibi oblatos acceptauit. Nam cũ populus blandiendo et adulãdo ei acclamaret, quòd sua eloquentia non hominis puri esset,sed deitatem habentis.Et cum insipiens ille impietatem illicitę adulationis nõ exhorreret,sed in ea sibi cõplaceret,diuinitatem rapere voluit. Sed mox percussit eum angelus domini, eo quòd non dedisset honorẽ deo,et consumptus à vermibus,qui fuerunt pediculi,expirauit.Sic etiam superbia repletus fuit Antiochus crudelis,sed graui corporis collisione humiliatus,mox ad agnitionem sui diuina plaga admonitus peruenit, et vexatione ei dante intellectum, dixit: Iustum est esse subditum deo, et mortalem non paria deo sentire. Frustra hîc hominem peccati, et filium perditionis Antichristum adduxero, qui in tam altum profundum omniũ malorum veniet,quòd aduersabitur

Ioan.1.
Ioan. 14.
Psal.8.
Esa.14.
Dan.3.
Ezech.28
Act.8.
Act.12.
2.Mac.9.
Mat. 24.

bitur & extolletur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur,ita vt in tẽplo dei ſedeat,oſtendens ſe tanquam ſit deus.Sed hunc Deus ſpiritu oris ſui interficiet,
Gal.4. & tunc videbit ipſe & quos faſcinauit, ne veritati obedirent, cognoſcent, quòd ſemetipſum & alios qui cæcum ducem ſecuti ſunt, fefellit. Hic in memoriam mihi venit,quod hanc lectionem in die palmarum iam poſtillatus ſum. Et ideo quæ hîc reſtant dicenda, requirantur ibidem,à lectoribus ſtudioſis & piis.

¶ Sermonem in die Inuentionis S. Crucis,in Euangelium,quære in die S. Trinitatis.

DE IVSTITIA DEI, SERMO.

IN omni gente qui timet deum & operatur iuſtitiã,acceptus eſt illi,dixit apoſtolus Petrus.Iuſtitia autem quandoq; accipitur pro virtute cardinali,& tunc duas partes habet: nempe,diſtributiuam & commutatiuam,de quibus nihil in præſentiarũ, gratia vitandæ prolixitatis. Alia eſt iuſtitia generalis,& bonitas eſt & rectitudo voluntatis.At rectitudo hoc exigit,vt homo declinet à malo & faciat bonum,diligat iuſtitiã & odiat iniquitatẽ,deo ſeruiat in ſanctitate & iuſtitia omnibus dieb⁹ ſuis,colat deum,& faciat eius voluntatẽ,corde magno & animo volenti.Hoc eſt regnũ dei & iuſtitia eius,quod primùm eſt quærẽdum.Regnum nãq; dei quod intra nos eſt,non eſt eſca et potus,ſed iuſtitia et pax et gaudium in ſpiritu ſancto.Iuſti tales ſicut ſol fulgebunt in regno patris eorum, quia hîc Adæ cœleſtis,qui ſol eſt iuſtitiæ, imaginẽ portãt,ambulãdo ſicut ipſe ambulauit, omnibus placẽdo in bono,et in futuro,cõfigurabuntur corpori claritatis eius, et ſimiles ei erunt. Verùm vt penitius ipſam veritatem iuſtitiæ intueamur,ſciendum quòd iuſtitia à iuxta trahit originẽ. Illud ergo iuſtum dicitur,quod fit iuxta aliquod principiũ regulatiuũ,rectificatiuũ et menſuratiuũ. Vnde ſicut opus cuiuſq; artis,rectum,bonũ et laude dignũ eſt, quãdo fit iuxta regulã menſuratiuã, cum qua periti doctiq; artifices illius artis menſurãt opera ſua.Ita per omnem modum, operationes humanæ redduntur iuſtæ et bonæ,

bonæ, quando fiunt iuxta aliquam legem & regulam, & conformantur illi regulæ & legi regulatiuæ. Sed in confesso est quatuor esse principia regulatiua actuum humanorum, à prima lege æterna diuinæ voluntatis (quæ non potest non optima & iustissima esse) deriuata. Ideo possunt quatuor iustitiæ in rebus & actibus humanis assignari. Vnum principium est lex naturalis, scripta in cordibus nostris, etiam illorum qui deum ignorant & legem eius scriptam. Lex illa, lumen est super nos signatum, & in lumine isto vultus dei, etiam gentiles & mali quique, ambulãtes in tenebris infidelitatis, & vmbra mortis, detestabilis damnabilisque vitæ, lumen veritatis & iustitiæ vident & cognoscunt: nempè, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et quæcunque vis vt faciãt tibi homines, hæc & illis fac. Item omne malũ est fugiendum, & omne bonum est faciendum. Item nullum malum erit impunitum, & nullum bonum irremuneratum. Hæc enim lex est & prophetæ. Ad hanc legem Deus Cain cum fratri mortem moliretur iniustã inferre remisit, dicens: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nónne si bene egeris, recipies secundum iustitiam tuam à domino? Si autem male egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit, & te arguet condemnabítque cõscientia tua rea, quæ mille testes est. Veniunt namq; peccatores in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducunt eos ex aduerso iniquitates ipsorum, & ideo, qui iuxta illud naturale principium rationis, & legem naturalem operatur & viuit, iustus naturalis est & dici potest. Aliud principiũ regulatiuum est morale, & hoc modo prudẽtia moralis, quæ in actibus humanis debitum medium inuenit et dirigit in finem, principium, regulatiuum est actionũ moraliũ humanorum. Et homo sic iuxta prudentiæ diffinitionẽ viuens et agens, moraliter est iustus. Hoc modo philosophi virtutes docuerunt. Tertium principium est lex ciuilis, quæ humanam coërcens audaciam, et nocendi refrenãs facultatem, regulat hominẽ ad viuendum cum aliis socialiter et ciuiliter, nulli nocendo et commune bonum pro virili sua promouendo. Et hoc modo viuens, iustus ciuiliter dicitur. Quartum principium actuum humanorum est lex diuina, bona, iusta et sancta eis qui ea legitime vtuntur. Hæc regulat ordinátq; hominem in deum. Et operans secundum hanc legem iustus et diuinus dicitur, imò deus

Rom.2. *Psal.4.* *Esa.9.* *Tob.4.* *Mat.7.* *Gen.4.* *Hier.2.* *Sap.17.* *Sap.4.* *Psal.81.* *Ioan.10.*

deus & filius excelsi. Sic in lucem deductum est quadru plicem esse iustitiam, videlicet, naturalem, moralem, ciuilem & diuinam, ex quadruplici principio regulatiuo ortam & regulatam. Quæ quidem leges & iustitiæ, ita se per ordinem habent, quod sequens priorem proficit, & data est in supplementum defectus prioris, ad iustificandum hominem & perficiendum in operationibus suis.
Mat. 22. Hinc est, quod lex naturalis inserta fuit mentibus hominum, vt innocue viuerent & pacifice, deum diligerent, & proximos sicut semetipsos, iustitiam diligerent & facerent, atque omnem viam iniquam odio haberent. Sed heu per casum Adæ & inobedientiam corrupti, & abominabiles facti sumus, comparati iumentis & similes illis
Psal. 13. facti. Cor & voluntas nostra conturbata & peruersa facta
Rom. 3. est. diligens malum, & odio habens bonum. Dereliquit
Mich. 3. item nos virtus nostra & fortitudo: ideo difficiles & infirmi sumus ad bonum, & cuncta cogitatio cordis nostri ab
Gen. 6. infantia ad malum prona est, & lumen oculorum nostrorum & rationis, non est nobiscum, imo excæcati sumus per malitiam, ambulamus vt cæci, impingimus in meridie, & in clarissima veritatis luce, & lumen cœli non vide
Sap. 2. mus. Et hæc corruptio in posteros Adæ translata est, &
Esa. 59. ideo omnes sumus in eadem damnatione, Corrupti & abominabiles in studiis nostris, simul omnes inutiles fa-
Rom. 3. cti. Non est intelligens aut requirens deum, non est qui bonam hanc legem faciat, ne vnus quidem. Ideo philo-
Rom. 1. sophi, ex lumine naturæ, manifestante illis deo, morales virtutes conscripserunt & docuerunt, quæ nihil aliud sunt quam legis naturalis abolitæ quodammodo & neglectę
Rom. 8. vel potius abiectæ ex malitia hominum, qui quæ carnis sunt sapiebant, amabant & faciebant sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, instauratio & redintegratio. Vt sic homines per virtutum modicam moralium doctrinam iuste viuerent & secundum rationem. Verùm cũ pauci forent qui virtutibus operam darent, propter earũ difficultatem & laborẽ contra malas inclinationes & cõcupiscẽtias carnis, ideo reges terræ & principes populi & iudices finiũ terrę, qui potestatẽ desuper datã habuerunt
Rom. 13. à deo, & regebãt per deũ, similiter & cõditores legũ, le-
Prou. 8. ges ciuiles iustas decreuerũt: vt vel earũ metu, humana compesceretur audacia, tutáque esset inter improbos innocentia. Et leges istæ, nihil aliud erant nisi legis naturæ renouatio

renouatio,declaratióque,cũ pœna transgressoribus insli gendæ additione. Verũ cũ deus vellet omnes homines saluos fieri,& ad agnitionẽ sui nominis peruenire in prę senti,& saluare in regnũ suum cœleste Et non sit voluntas eius vt vel vnus pereat de pusillis,ideo oportet homi nem & oportuit meliori,perfectiori & diuiniori iustitia & regula regulari quã fuit aliqua priorum,quia nulla priorum potuit hominẽ iustificare coram deo,& vita æterna dignum facere,per omnẽ modũ.Ideo necesse fuit vt deus legem fidei euangelicæ traderet,in qua staremus in fide & saluaremur per charitatẽ,quæ finis & summa est legis, & legum aliarum supplet defectum,ac recta via hominẽ ducit ad beatitudinem que est finis noster. Nam vt ho mo vere & simpliciter sit iustus corã deo,& dignus ęter na vita,quatuor ei sunt necessaria:nempe,vt mundus sit ab omnibus inquinamentis mentis & corporis comissis. Deinde,vt sancte,iuste & sine quærela in hoc mũdo possit viuere & si ceciderit, sicut & iustus septies in die cadit,quod rursus resurgere,& à malitia cor suũ lauare possit.Tertiò quod bonũ operari possit erga deum & proximum.Quartò quod placeat &probatus sit hominibus: & opera sua meritoria sint vitæ æternæ. Alioqui beatitudinis fidem non posset assequi, Nam hæc impossibilia erant legibus tribus supradictis,imo & lege Moysi,in his namque infirmabantur, ergo solũmodo moraliter & ciuiliter iustificabant,et lex Moysi secundũ carnem,et gloriam quidem habuerunt secundum leges istas viuentes, sed non apud deum,apud quem iustitia fidei iustorum solummodo accepta est,qui sunt in fide vera,et opera sua faciunt in charitate,quę est de corde puro,conscientia bona, et fide non ficta. Et si Abel iustus fuit, et alij multi, iustitia fidei,vt Aposto.de eis ad Hebræos inquit.Hoc tamen non fuit, quantum ad deletionem omnis pœnæ et ingressum cœli,qua libertate solus Christus nos liberauit,et saluos fecit.Ideo Christus legem fidei, regalem, perfectę libertatis et spiritus , euangelicam videlicet, dedit, quæ aliarum defectus supplet , et omnia diuinæ, virtutis charismata,quæ ad vitam Deo et euangelio dignam, nec nón ad pietatem nobis necessaria sunt, donat affluenter, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur,et fugimus eam quæ in mundo est,concupiscentiæ corruptionem. Neque hæc alia est ab ea quæ mentibus nostris

1.Tim.2. 2.Tim.4. Matt.18. 1.Cor.13 1.Tim.2. 1.Pet.2. 2.Cor.7. Heb.11. Rom.3. 2.Pet.1. Ioan.1.

Prou.4. nostris impressa est, aut à morali & ciuili, sed eadem prorsus. Sed per legem Moysi magis est illustrata & renouata, vt intuenti perspicuum est, per præcepta moralia, cæremonialia, & iudicialia. Et demum per Christum doctorem iustitiæ, sapientiam patris, qui omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, est per euangelium consummata. Sic lux veritatis & naturalis, creuit in legibus, maxime Mosi, & profecit vsque ad perfectum diem euangelicæ consummationis. Quæ est sapientia sapientiæ, verbum verbi, veritas veritatis, lumen luminis, & solis iustitię lux consummata, non tam illuminans per fidē quam calefaciens, inflammans & ardere faciens per amo-

Matt.5. rem Dei syncerum. Hinc est, quòd veri legis euangelicæ æmulatores, lux sunt in Domino, lucent sicut luminaria in mundo, ambulant in lumine dei, lucis fructus (qui sunt in omni bonitate cordis, in omni veritate oris, & in

Psal.103 omni iustitia, sanctæ, inculpatę & deo dignæ conuersationis, quos deus requirit) proferunt. Sunt lucernæ lu-

Heb.1. centes & ardentes igne diuini amoris. Iuxta illud: Facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem ardēterem. Vel vt Apost. legit, flammam ignis. Illo igne quem Christus in terram misit, & voluit vehementer accendi, arde-

2.Cor.5. debat Apost. cū dixit: Charitas Christi vrget nos ad omne bonum faciendum, & omne malum fugiendum. Vnde certus sum quod nemo potest me separare à charitatę

Rom.8. Christi. Soli ergo vere, plene & consummate iusti sunt, qui hāc legem regalem & euangelicam, quam dedit rex regum, dominus dominātium, dominus virtutum, rex gloriæ, implēt opere & veritate. Hæc est omnis consumma-

Act.10. tionis finis. In omni ergo gente, siue pusillus sit siue magnus, qui timet deum, & hanc iustitiam operatur, acceptus est illi: Iustus talis ex fide viuit. Viuit in illo Christus

Rom.8 & viuit in fide filij dei. Qui hāc iustitiam facit iustus est, & nō peccat. Recte enim sunt viæ domini, & iusti ambu-

1.Ioan.3. lant in eis. Præuaricatores verò, corruunt in eis. Beati

Psal. 10. qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam euangeli-

Heb.12. cam in omni tempore. Sancti per fidem hanc Christi Iesu vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones et iustitię coronas, quas deus se diligentibus repromisit, quia iusti intrabūt in vitā æternam. Beati qui esuriunt et sitiunt hanc iustitiā, quia satiabuntur, maxime cū apparuerit gloria Christi, et eū in decore suo

videbunt

videbunt. Ad hanc iustitiam (quæ nihil aliud est, quàm imitatio Christi, siue ambulatio in dilectione) Apostolus filium gratiæ suæ Timotheum, adhortatus ait: Tu homo dei fuge cupiditatem et iuuenilia desideria, sectare verò iustitiam, fidem, spem charitatem, pietatem, mansuetudinem, patientiam et pacem cũ his qui inuocant Deũ de corde puro, Quid est iustitia? Iustitia varias habet diffinitiones. Verum teste Anselmo: rectitudo voluntatis est propter se seruata. Iustitia teste Ambrosio, magis aliis quàm sibi prodest, et vtilitates suas negligit, ac communia emolumenta præponit. Augustinus verò de moribus ecclesiæ dicit, Iustitia est amor, soli amato seruiens et propterea recte dominãs eis qui sibi subiecti sunt. Iustitia item virtus est, quod suum est vnicuique tribuens: nẽpe, Deo, sibiipsi et proximo. Est etiam constans et perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. Iustitia nihil vtilius est in vita hominibus, ergo beati qui esuriũt et sitiunt iustitiam. Vnde et beatos eos Christus dicit qui persecutionem propter iustitiam patiuntur. Nam iusti diliguntur à domino, quia iustus dominus et iustitias diligit. Accepta etiã sacrificia iustitię et holocausta. proinde, qui diligit iustitiam, diligitur à Domino. Et iterũ: Initium vitæ bonæ est facere iustitiam, et accepta magis est apud deum quã immolare victimas. Iustitia vera homini vtilis est et necessaria, in ista vita, in morte, et post mortem in vita futura. Iustitia in vita quę nunc est à morte præseruat. Sic Dominus ora leonum conclusit ne nocerent iusto Danieli, quia coram deo iustitia inuenta fuit in eo Sic iustum Loth à pereuntibus liberauit in Sodomis, Noe à diluuio, Ioseph à fratrum inuidia, Susannam à falsis senum calumniis. Iunior fui etenim senui, et non vidi iustũ derelictũ, considerat peccator iustum et quærit mortificare eum: dominus autẽ non derelinquit eum in manibus eius, nec damnabit eum cũ iudicabitur illi, sed saluat eum in regnũ suum cœleste. Iustitia temporalia bona tribuit. Primum quærite regnũ dei et iustitiã eius et hæc adiiciẽtur vobis Nouit dominus dies immaculatorũ, et in diebus famis saturabũtur. Nõ affliget dominus fame animã iusti, sic Heliam pauit per coruũ et viduam. Viduæ oleũ multiplicauit, de quo debitorib. reddidit, et cũ filiis suis vixit. At cõtra: mali ꝓpter iniustitias suas humiliãtur. In fame, gladio et peste cõsumũtur. Sic & regnũ de

[Margin: 1. Tim. 6. — 2. Tim. 2. — Sap. 8. — Mat. 5. — Psal. 10. — Psal. 50. — Dan. 6. — Gen. 16. — Psal. 36. — Mat. 6. — Eccl. 10. — Psal. 36.]

de gente in gentem transfertur, propter iniustitias: sed iustos confirmat dominus in omni bono opere et sermone vsque in finem. In morte necessaria est iustitia, quia in memoria æterna erit iustus, et ab auditione mala et terribili, illa videlicet, Ite maledicti in ignem æternum, non timebit. Virum autem iniustum, mala capient in interitu, ergo iustus si morte præoccupatus fuerit, in
Sap. 3. refrigerio erit. Tunc respondet iustis, iustitia eorum. Nihil ibi proderunt thesauri impietatis, iustitia vero libe-
Psal. 16. rabit à morte æterna. Vnde Dauid dixit: Ego in iustitia apparebo in conspectu tuo (quando iudicabis orbē terrarum in iustitia, et populos in æquitate, quia non permanebunt iniusti ante oculos tuos) et satiabor dum apparuerit gloria tua. In vita futura denique vtilis est, quia sicut iustitia si videri posset oculis corporeis, super omnem dispositionem stellarum esset purior, et delectabilior super solem ad videndum: sic facit iustos, amabiles, claros incredibilis puchritudinis, et omnium oculis
Psal. 33. gratiosos, etiam dei, quia oculi domini super iustos, et aures eius in præces eorum. Vnde iustitia propinquior est mercedi, saluti et coronæ. Retribuet mihi Dominus
Psal. 17. secundum iustitiam meam. Et iterum: Tu benedices iu-
Psal. 5. sto. Et rursus: Benedictio Domini super caput iusti. Et se-
Prou 11. minanti iustitiam merces fidelis. Item in semita iustitiæ,
Prou. 12. vita. Iustitia, perpetua et immortalis, iniustitia autem
Rom. 6. mortis est acquisitio. Ideo Apostolus: Iustus ex fide qui et membra sua seruire iustitiæ exhibuit in sanctificationem, dicit: Reposita est mihi corona iustitiæ, quia iusti ibunt in vitam æternam, quam omnibus iustis, qui ingre
2. Tim. 4. diuntur sine macula et operantur iustitiam, reddet iustus iudex, cui laus est et honor, in secula seculorum, Amen. De iustitiæ partibus, late patens campus est ad prædicandum, sed hic non prosequor.

DE IVSTITIA RETRIBVTIONIS IVSTI IVDICIS, IPSIS INIUSTIS, *Sermo.*

DE iustitia quam operari debemus, rancidulum quiddam balba de nare ructaui sermone priore, nūc de iniustorum retributione breue quid est adiiciendum. Quatenus hæc iusti attendētes

tes fiant iustiores, & iniusti ex hoc territi, mox relicta malitia ad dominum deum reuertantur, & ambulare satagant in viis iustitiæ sine defectione. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, & ibi referet vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Statutum quippe est omnibus hominibus semel mori, & post hoc erit iudiciũ. In quo si iustus vix saluabitur, impius & peccator, iniustus, sine vllo timore peccãs, audacter deũ prouocãs, in malitia sua gloriãs, in rebus pessimis exultãs, vbi apparebũt? Terribilis modo est deus in cõsiliis super filios hominum, sed in iudicio terribilissimus erit, propter scelera iniustorũ, quia cum tempus illud acceperit, tunc etiam iustitias iudicabit, quanto magis iniustitias arguet, & iniquos iniqua superuacue agentes dãnabit? Tunc reuera effugium peribit à malis. 2.Cor.5. Heb.9. Iob 21.

Quod ira iusta dei contra peccatores in iudicio tam particulari quã vniuersali ex aliis eius operibus æstimanda sit, Deus qui pater misericordiarum est, & Deus omnis consolationis, in hac vita trahit ad filium vsq; ad vltimũ vitæ exitum. Filius nunquam non pulsat ad cordis ostiũ. Spiritussanctus semper offert gratiam, expectat ad pœnitentiam, promittit omnium peccatorum veniam, pollicetur vitæ æternæ coronam. Verum si diuitias bonitatis, viscera misericordiæ, pietatis & charitatis tantæ abyssum, contẽnimus, & relicta malitia nolumus reuerti, tũc iuste iustam dei iram sustinere cogimur. Profecto, si deus peccantibus angelis non pepercit, nec Adæ & Euæ inobedientiam dissimulauit, quamuis angeli vna cogitatione offenderint, & protoparentes vnius fructus gustu: nihilominus, non tam parua & breuis est vindicta quã momentanea fuit dei offensa: nam illi sine vlla spe misericordiæ & salutis rudentibus inferni, in tartarum cruciandi traditi sunt: & hi maledictionis mortisq; duram sententiã acceperunt, propter quam omnes eorum posteri, nisi vt virgo Maria per singularem gratiam fuerint præseruati, nascuntur filij iræ. Si Cain propter vnum peccatũ maledicto astrinxit, qd nobis fiet qui iniq; agimus vsque quaq;? Si originalẽ mundum, octo hominibus exceptis perdidit vniuersum, per aquã, & pẽtapolim, per ignem, iusto prius de medio eius educto, reuera nec nobis parcet. Et qui crudelitatem Pharaonis, decem plagis horrendis, & suipsius totiúsque exercitus eius submersione, adeo quod nec 2.Tim.1. Ioan.6. Apoc.13. 1.Pet.1. Rom.2. 2.Pet.2. Gen.3. 2.Pet.2. Rom.5. Gen.4.& 7.

vnus supermansit,puniuit,vtiq; & nos,nisi cōuersi fuerīmus,iusto iudicio suo æternę dānationi adiudicabit.Oc-
Exodi.14 cidit ecce duos filios Aaron pro eo ꝙ ignē alienū obtulerūt,occidit xxiij. milia hominū pro adoratione vituli. Iniustos Dathā Chore & Abiron cū suis cōplicibus,dehiscēs terra viuos absorbuit.Vorax flāma murmuratorū
Exod.32. xiiij.milia & cvij.combussit. Quid amplius?Omnes qui
Num.16. egressi fuerunt ex Ægypeo à xx.annis & supra, propter
Sapiē.18. eorū ingratitudinē, Iosue & Chaleb exceptis, prostrati sunt in solitudine,nec terrā promissam sunt ingressi.Electus hic populus fuit, magnalia Dei in Ægypto vidit,in
1.Co..10. mari baptisati fuerūt.Omnes eandē escā spiritualē mādúcauerūt,& omnes eundē potū spiritualē biberūt. Bibebant enim de spiritali consequēte eos petra, qui erat Christus.Sed & crediderūt.Verū,opera fidei nō habuerunt,ideo perierūt propter iniquitates suas. Et vt receptui canā,Dauid electus fuit à deo,& vir erat secundum cor dei,nō tamē ei pepercit, cum in adulteriū cecidit,&
1.Reg.33 iustū Vriam occidi fecit: vel quādo populū inflatus fru-
2.Reg.11 stra numerari iussit,nam qua mensura mensus erat, remensum est ei,& additū, quia ipse vnā alterius vxorem polluit,sed Absalon filius suus, vniuersas cōcubinas patris sui fœdauit.Additū est ipsi Dauid,quia ipse peccauit occulte cum Bethsabeæ,sed filius suus Absalon, thorū patris violauit in oculis Solis,ac cernente omni populo, vt textus dicit.Ipse vnū & nulla carnis amicitia sibi colligatū occidit,sed vltor iniquitatū gladius iustitiæ, quatuor ex filiis suis peremit. Numeratio verò populi,lxx.
Rom.21. milia virorū morte expiata est. Hæc ex parte viarum,id est,animaduersionū dei dicta sunt.Vnde nemo nō colligere potest,quod si deus amicis suis nō pepercit,& ramis naturalibus,ex quibus natus est secundū carnem, dubio procul,nec inimicis,nec oleastris parcet,si prouocāt eius
Mat.1. irā.In hora igitur mortis omnes generaliter, sine expectatione,nos personaliter sine excusatione,oportet simpliciter sine euitatione, manifestari sine occultatione vel tergiuersatione, ante tribunal Christi sine retardatione,vt recipiat vnusquisque propria corporis sine personæ delatione,siue bonū siue malum,pro iusta retribu-
Matt.25. tione.Tunc exclusum erit pœnitentiæ tempus,defensio-
Ioan.9. nis locus,nec resistendi virtus erit, nec fugiēdi facultas, nec latendi possibilitas, nec securitas compatiendi, sed

vndique erit terror & horror, adeo quòd dicent omnes male sibi conscij, montibus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira agni. Tunc arguet impios de omnibus operibus impietatis eorum, & de omnibus duris quæ locuti sunt cõtra dominum peccatores impij. Tunc in furore suo arguet, & in ira sua corripiet iniustos, dicens vnicuique: Tu odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Astitisti omni viæ non bonæ, malitiam dilexisti, iniquitatem meditatus es in cubili tuo. Dolose egisti in cõspectu meo, ideo iniquitas tua inuenta est mihi ad odium. Verba oris tui iniquitas & dolus, noluisti intelligere vt bene ageres. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas Os tuum abũdauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrẽ tuum loquebaris, & aduersus filiũ matris tuæ ponebas scandalũ, hæc fecisti & tacui. Existimasti inique quòd ero tui similis, iniustus & non vlciscens in omnes adinuentiones tuas. At non sic impie, non sic: arguam te & statuã impietates tuas contra faciem tuam. Tunc deficient præuaricatores in ira dei, & in furore eius turbabuntur. Ponet iniquitates eorum in conspectu eorum, seculum eorum in illuminatione vultus sui, quia ibi illuminabit abscõdita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Quid tunc dicã, me excusando, cum arguẽt me malitia mea, & auersio mea me increpabit, imo cõscientia mea me accusante, & traducentibus me ex aduerso iniquitatibus meis? Aut quid respondebit mihi, testes contra me instaurando? Si voluero ei respondere (quod tamen est impossibile) non potero ei respondere vnum pro mille. Quid respondebunt virgines stultæ? quid immisericordes? quid seruus malus & piger? quid edones & bibones, qui verbũ eius audierũt, atque corã eo manducauerũt & biberũt? quid respondit, qui fratri suõ misereri noluit, vocatus et repræhẽsus à dño? quid tandẽ respondit, qui ad nuptias intrauit, veste nuptiali nõ indutus? Obmutuit. Sic omnis iniquitas opilabit os suũ. Sic cõfunditur falsitas qñ locũ habere cœperit veritas. Sed & iniquorũ iniquitates manifestabit omnibus, iuxta illud: Ecce ego cõgregabo omnes quos dilexeras, & vniuersos quos oderas, & nudabo ignominiã tuã corã eis; Cõfundẽtur in iudicio, tũ particulari, tũ vniuersali, oẽs

Apoc. 6.
1. Cor. 4.
Hier. 2.
Rom. 2.
Matt. 25
Ezec. 17.

iniqua agentes superuacue, sicut confunditur fur aut adultera, quando depræhenditur in facto, vel proditor in opere cum literis compræhensus, vel leprosus cum de hominum consortio eiicitur, aut homicida, aut omnis
Psal. 118 reus. Vnde ait ille: A iudiciis tuis timui, & hoc meritò, quia qui nunc tacet, peccata dissimulat, expectat, reuocat & silet, patiens est, tunc quasi parturiens loquetur,
Esaia. 42. Et sicut in vita omnia misericordiam, benignitatem, pietatem, bonitatem & patientiam dei nobis ingerunt, sic tunc omnia iram agni & inflexibilem iustitiam dei attestabuntur. Timor & tremor venient tunc super operantes iniquitatem, & non poterunt vt videant effugij locum. Supra erit iudex iustus & iratus, infra patens & apertum inferni cahos. Antè iudicium sine misericordia, retrò vita detestabilis. Intus conscientia vrgens, foris mundus ardens. A dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicia trahentia. De angustia illa, vide quis sit iudex tuus futurus in hora mortis. Et in iudicio generali, quo loco fiet iudicium generale, vide iudicandorum qualitatem, vide testium multitudi-
Hebr. 4. nem, & de quibus ratio exigetur varietatem. Iudex erit sapiens, ergo non potest falli, quia omnia nuda & aperta
Psal. 7. sunt oculis eius, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Est penetrabilior omni glaudio ancipiti &c. & discretor cogitationum & intentionum cordis. Est iustus; vnde nihil nisi iustum facere & iudicare potest. Iudicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in æquitate. Ergo nullius veretur potentiam, nullius accipit personam, nullius gratia præuenitur, nec misericordia flectitur, nec donis corrumpitur, nec pœnitentia mitigatur. Vnde tunc non proderit auri & argenti copia, non iuua-
Iob 9. bunt verba composita, sed bona opera. Tertiò, iudicis potentia erit insuperabilis, nam si fortitudo quæritur, robustissimus est. Potestas eius, potestas æterna est. Vnde eius iræ nemo potest resistere, corā quo pauent columnæ cœli. Quartum est, quòd erit iratus, implacabiliter: ergo qui modo est agnus mansuetissimus, tunc erit (vt
Osea 13. Oseæ dicit) sicut leæna, sicut pardus in via Assyriorum, Occurram eis ait, quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum. Zelus & furor eius tunc nemini parcet, nec acquiescet cuiusquam precibus nec accipiet pro redemptione, dona plurima, Coram quibus fiet iu-

dicium,

dicium. Iudicium vniuersale fiet coram omnibus, quia dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi & principibus eius. Cum omnibus angelis suis, in maiestate veniet, in gloria, terribilis vt castrorũ acies ordinata. Et gladij ancipites erunt in manibus angelorum, ad faciendam vindictam in nationibus. Quorum apparitio, terribilis erit impiis, sicut custodes sepulchri, viso angelo facti sunt velut mortui. Sed & iusti tunc stabunt in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt &c. Quales erunt iudicandi? Respondetur, Erunt fragiles, vanitati similes, impotentes, nudi, miseri & miserabiles, immũdi, abominabiles, sicut ea quæ fecerunt, infirmi, lepra pleni & sordibus, fœtidi & horribiles. Deinde, in multis sibi sunt conscij, in quibus offenderunt & errauerunt, vnusquisque in viam suã declinando. Sed & nescit, odio an amore dignus sit, etiamsi in nullo sibi conscius sit, & fecerit omnia quæ ei præcepta erant, quia quod altũ est coram hominibus, sæpe abominatio est apud Deum. Vnde Propheta orauit, ne cum eo in iudicium intraret sine misericordia. Pauci nanque sunt electi. Insuper, si colũnæ cœli pauent & contremiscunt ad nutum eius, quid tunc faciet homo, putredo & vermis? Deinde videndum est de testium multitudine & veritate. Accusabunt ergo fontes, condita, scripta, mens, facta, bonus, reprobúsque, arma, sancta, sancti, sed angelus ac deus ipse. Accusabunt peccatores, omnes creaturæ, quorum obsequio & vsu sunt abusi. Reuelabunt cæli iniquitatem impij, & terra consurget aduersus eum. Inuocabo contra vos cœlum et terram ait moyses contra obstinatos. Lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter iuncturas ædificiorũ est, respondebit. Armabit omnem creaturam ad vltionẽ inimicorum suorum Deus. Secundo, iniustos accusabit tota sacra scriptura quã audiuimus, legimus, docuimus. Sic Christus Iudæis dixit: Moses accusabit vos, hoc est, lex et prophetæ. Sic malus seruus qui sciuit Domini sui voluntatẽ, et nõ fecit eam, ex ore proprio cõdemnatus est. Christus in iudicio proponet mãdatorũ cõclusiones, diabolus allegabit trãsgressiones, concludet iustus iudex dãnationes. Tertiò accusabũt iniustos conscientiæ suæ, teste Paulo. Tũc libri conscentiarũ aperientur secundũ Danielem, et iudicabuntur mortui ex his quæ in libris proprijs sunt scripta, teste Ioanne. Quartò contra iniu-

Mat. 25
Psal. 142
Deu. 31.
Rom. 2.
Danie. 7.
Apoc. 10

illos testimoniū dabūt opera eorū,quę fecerūt,& arguēt, increpabūt & traducēt eos.In fine hominis erit denudatio operū eius,quia opera eorū sequuntur bonos & ma-
Hie. 2. los,sed malos etiā persequuntur. Tūc iniquitates suæ capient impios,& funibus peccatorum suorum iniusti constringentur. Iuste ergo peccator timet in die mala,quia iniquitates calcanei sui tunc circundabūt eum. Quintò
Prou. 5. homines tum boni,tum mali peccatores accusabūt. Boni quos cōtempserunt turpiter, vel oppresserūt violēter, vel occiderunt corporaliter, vel spoliauerunt crudeliter, vel à bono impediuerunt spiritualiter, vel scandalisaue-
Matt. 10. runt in via dei impudēter.Ibi filij insurgent in parētes &
Esa. 13. parentes in filios. Ibi viri Niniuitæ condemnabunt impœnitentes, similiter & regina austri, &c. Ibi erubesce
Mat. 24. Sydon,dicet mare.Scuta,arma Christi ibi impios accusabunt secundùm doctores,& stigmata eius,&c. Tunc ap-
Apoc. 12. parebit signū filij hominis in cœlo. Septimus accusator erit diabolus, qui dicitur fratrum accusator dię ac nocte, ante cōspectū Dei.Hic accusauit B. Iob vna & altera vice.Octauus est sanctorum multitudo,sic Moyses Iudęos
Apoc. 7. accusabat.Hinc vindictam clamant sancti in Apocalypsi. Hoc in multis exēplis patet. Nonò accusabunt nos angeli sancti dicēdo:Curauimus Babylonē & non est cura-
Hie. 29. ta.Vltimo accusabit nos deus ipse.Hinc ipse ait:Ego sum
Psal. 49. iudex & testis.Et alibi:Arguā te & statuā contra faciem
Mala. 3. tuam.Et iterum:Ero testis velox omnibus maleficis.Ac-
Ioan. 5. cusabit etiam malos Iesus Christus, cui pater omne iu-
1. *Pet.* 4. dicium dedit, & iudicem constituit viuorum & mortuorum.De multis ratio exigetur in iudicio,videlicet:Mente, bonis, carne,naturæ, temporis et Fortunæ, factis & omissis dote vel arte. Est reddenda ratio de anima nostra,quomodo eam custodiuimus in timore dei. De bonis naturæ & gratiæ multiplicis, si eas in vacuum acce-
2. *Cor.* 6. pimus. De corpore nostro quomodo glorificauimus & portauimus deum in eo. Quartò de bonis naturæ corporalibus:nempe,de pulchritudine,fortitudine, iuuētute,sanitate,agilitate,&c. Quintò ratio exigetur de tem-
Ephe. 5. pore,quomodo illud redemimus bonis operibus. Alioquin vocabit aduersum nos tēpus. Sexto exigetur ratio de bonis fortunæ & tēporalibus.Septimò de factis pro-
Sapien. 1. priis.Cuncta enim adducet in iudiciū,quia omnes semitas nostras considerat,& vestigia pedum nostrorū.Vnde

& de

& de cogitationibus impij erit interrogatio. Octauò, de bonis omiſsis. Nonò de Dei beneficiis acceptis. Vltimò de artibus & operibus manuum noſtrarum. Itē de officiis noſtris, gradibus, regiminibus, poteſtatibus. Item de proximis noſtris de quibus nobis mādauit deus. Hæc alibi latius ſum proſecutus in ſermonibus de tēpore in parte æſtiuali, ideo hæc in præſentiarū ſufficiant. Ergo operemur omne bonum ad omnes quod poſſumus dum tēpus habemus, colamus iuſtitiam, & tunc beati in facto noſtro ſumus, & bene nobis erit in iudicio noſtro. Soli deo laus & honor in ſecula ſit. Amen. *Pſal.* 127.

DE SANCTIS IN EVANGELIVM POST PASCHA, SERMO.

EGO *ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt.* Ieſus Chriſtus in hunc mundum venit peccatores ſaluos facere, non damnare. Vocare ad pœnitentiā operantes iniquitatē, nō eos dimittere in errore viæ ſuæ, ideo patienter egit, peccata diſsimulauit, vocauit auerſos, inuitauit alienos, errātes reduxit, ſaucios ſanauit, docuit viā dei in veritate, opportune, importune inſtitit, arguebat, obſecrabat, increpauit in omni patiētia & doctrina. Verū, cum eſſet Samaritanus & medicus verus animarū, ideo pro auditorum qualitate pharmaca ſiue malagmata doctrinæ ſuæ tēperauit & confecit. Sermo enim eius omnia animarū vulnera ſanat, omnibus animarū lāguoribus medetur. Sic elatis humilitatē præcepit, largitatem auaris, iracundis māſuetudinē, inuidis charitatē, guloſis abſtinentiā, luxurioſis continentiā, acedioſis ſalutis proprię cū metu & tremore operationē. Sic iudiciū ſuū terribile cōminatur operātibus iniquitatē, cōſolatur puſillanimes, corrigit inquietos, ſuſcipit infirmos, reuertētibus veniā, digne deo & euangelio cōuerſantibus gloriā pollicetur, patiens eſt ad oēs, dignos ſe circuit quærēs, & in viis ſuis oſtēdit ſe illis hilariter, & in omni prouidentia illis occurrit, omniū voluntati deſeruit, ad quod quiſq; vult ei ſe exhibet, vt tota euāgelij ſeries atteſtatur: Eſt nanq; benigna & ſuauis eius miſericordia. Sic in cœna cū relicturus eſſet mundum & rediturus ad patrem, per crucis ignominioſæ ſupplicium & mortis guſtum, videns ex hoc diſcipulorum corda turbari & timore ſollicitari, nec non triſtitia

Luc. 9. *2.Pet.* 3. *Luc.* 10. *Sap.* 16. *Philip.* 2. *Ioan.* 14.

repleri,pro suo transitu,eos consolatus est, & inter alia, quòd in fide stabiles,in spe firmi,in charitate insuperabiles,& in bonis operibus diuites & abundātes esse deberent,monet & exhortatur.Tum quod hæc propter eos & alios electos facturus est & passurus,vt sic à potestate te
Psal.18. nebrarum eos vindicet & trāsferat in regnum suum,necnon vt sic de manu inimicorum suorum liberatos,& ex omnibus iniquitatibus redemptos,saluet eos in regnum suum cœleste. Inter alia, quæ in cœna illis dixit quibus eos consolatus est,etiam euangelij huius verba retexuit,
Ioan.13. super mel & fauum dulciora. In quibus eos ad constantiam & perseuerantiam in bonitate adhortatur, dicens: *Ego* magister vester & Dominus *sum*, in humana natura & forma serui,in qua minoratus paulo minus sum ab angelis,& per omnia fratribus assimilatus,tamen absq; pec
Heb.3.& 4. cato.Et misericors factus sum & vobis fidelis pōtifex ad deum,sciens cōpati infirmitatibus vestris,tētatus per omnia pro similitudine absq; peccato:hinc cōdolere possum his qui ignorant & errant. *vitis vera.* Ex superabundantia cordis sui boni hæc humilitatis verba Christus eructauit,verā vitem se vocat ad distinctionem alienæ,degenerātis & infructuosæ,quæ dū expectatur vt faciat vuas, facit spinas. Ecce quomodo filius & vnigenitus dei patris cum in forma dei esset seipsum humiliat,vitem se vo
Mat.11. cat,& patrem suum agricolam: vt & nos discamus ab eo humiles corde esse & mites. Maledictus perinde omnis homo, qui apponit adhuc se magnificare super terram, qui non vilior sit Christi exemplo quàm fuit, & non est
Ioan.10. humilis in oculis suis.Sic vocat se alibi pastorem,procuratorem,filium hominis, seruum & ministrum, formam
Mat.20. serui accepit,pauper & mendicus fuit,filius Ioseph putabatur,peccatum & maledictum seipsum fecit coloni instar & viatoris, insuper & viri vagi in terra fuit,in specie peregrini cū discipulis ambulauit.Ecce potuit Christus, quod & fuit in veritate,magnum se dicere,cum esset magnus dominus & laudabilis nimis, ac magnitudinis eius non esset finis,Rex item magnus super omnes deos.Tacet,ecce,excelsa sua,& humiliter sentit & loquitur de seipso,& de patre suo,qui est rex regū,dominus dominorū, deus deorū,solus potēs.Et hunc vocat agricolā,vt vanita
Heb.1. tē ostendat stēma suum extollentium,& in parentū ma-
2.Cor.1. gnificētia gloriantiū.Potuit et seipsum,quod erat in veritate

ritate dicere, quòd erat splendor paternæ gloriæ, et figura substantiæ eius, sapientia et virtus patris, omnium rerum creator et gubernator, omnia portans verbo virtutis suæ. Item quòd esset vapor virtutis dei, et emanatio quædam claritatis omnipotentis dei syncera. Candor lucis æternæ, et speculũ sine macula dei maiestatis, et imago bonitatis illius inuisibilis etc. Sed hæc tacuit, vt nos humiliter sentire discamus de nobis, recumbere in nouissimo loco. Nam humilitatem humilium respicit, et de se et de sua virtute gloriantes humiliat. Apposite autem viti se filius dei assimilat, et magnam cum vite conuenientiam habet. Vitis nanq; radix in terra abscondita latet: sic radix Christi in diuinitate in terra viuentium abscondita est ab oculis nostris. Cum deum patrem nemo viderit vnquã, sed et mysterium incarnationis eius, in terra benedicta vteri virginalis occulte operatus est deus spiritus sanctus, quando dedit benignitatem et terra nostra dedit fructum suum. Vitis ista vera de terra orta est in sua lætissima natiuitate. Creuit, extendit ramos et profecit sapientia et ætate et gratia puer Iesus vera vitis apud deum et homines. Putabatur in circuncisione, Succi plena fuit, quia plenus gratia et veritate, et spiritum accepit non ad mensuram. Emisit palmites in discipulorum vocatione et missione in omnem locum quò erat ipse venturus. Quicquid habuit vitis, palmitibus cõicauit, quia de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Flores honoris et honestatis habuit sanctæ et inculpatæ conuersationis. Flores isti apparuerunt in terra nostra quando in terris visus est et cum hominibus conuersatus est. Tunc vinea hæc et vitis florens, odorem suum dedit bonæ famę et opinionis, sicut ager plenus, cui dominus benedixit. Iste odor vitis, serpentes fugauit, dum dæmones expulit. Folia verborum sanę doctrinę plurima habuit, propagata fuit et impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, et arbusta eius cedros Dei. Extendit palmites suos (per fidei prædicationem in omnem terram) vsq; ad mare, et vsq; ad flumina ꝓpagines suas. Breuiter, vitis hæc in habitu inculta et despecta est, dum vidimus eum et non erat ei species neq; decor. Fuit stercorata, in blasphemiis multis, plicata in captione, et humiliatione turpissimę mortis, pax illata in crucifixione, fossata in manuũ et pedũ affixione, in lateris apertione, in flagellatione, in

Iudith 6. *Vitis est Christus.* *Luc. 2.* *Ioan. 1.* *Esa. 53.*

ne, in coronæ spineæ in caput impressione, irrigata in
Luc.10. sanguinis effusione. Aquã emittẽs, dũ fleuit supra ciuita
Ioan.11. tẽ Hierusalẽ, dum Lazarũ suscitauit, dum præces suppli-
Heb.5. cationésq; cũ clamore valido & lachrymis deo patri ob-
Ioan.19. tulit, necnõ quãdo latere eius aperto cum lancea, sanguis & aqua de eo exiuit. Recondita est sub terra in sepultura
Esa.53. sua gloriosa, refloruit in sua resurrectione triũphali. Fructum salutiferũ, bonum, vberrimũ & dulcẽ, qui deum lætificat & homines, in quo deus glorificetur, gratificetur ac promereatur, semper attulit, maxime tamẽ in sua benedicta passione. Istũ fructum preciosum expectãdo expectauit oĩs ecclesia iustorũ ab origine mundi. Hunc fructũ vite ista cõmunicamus, hic est fructus benedict⁹ vte
Ephes.1. ri virginalis per quẽ à maledictionibus omnibus liberati, ac oĩ benedictione cœlesti oĩbúsq; bonis sumus repleti. Fructũ vitis huius in sacramẽto accipimus. Vitis hæc rursus putata fuit, quãdo discipuli relicto eo oẽs fugerunt, & eũ solum reliquerunt. Emisit propagines in manuũ extẽsione. Palo fuit alligatus quando tribus clauibus cruci fuit affixus. Põdus diei portauit & æstus, baiulando sibi crucẽ, & quæ nõ rapuerat exoluẽdo pro nobis in cruce, ibi eum seruire fecimus in peccatis nostris, ibi ei laborẽ præbuimus in iniquitatibus nostris, ibi vmbræ refrigeriũ nobis præstat, cõtra calorem concupiscẽtiæ, & sub vmbra manuũ suarũ ibi nos protegit, & in vmbra eius viuimus deo, in fide filij dei. In resurrectione refloruit, decorẽ induit, & visus est in maiestate sua gloria & honore coronatus. Ex tũc famelicos cibat, sitiẽtes potat in sacramẽto altaris. Expressum vinũ in torculari quod solus calcauit, ex tunc vulneribus omnibus animarum medetur & sanat in sacramẽtis, quæ ex vitis huius fructu vino & oleo virtutẽ
Philip.4. suã habent. Vinum hoc corda hominum lætificat, & sem
Zach.9. per in domino gaudere facit. Hoc bibẽtes, germinãt virgi
Prou.31. nes, obliuiscuntur egestatis, & dolorum in via dei nõ recordãtur amplius. Vini huius precio vestiuntur nudi, redimuntur captiui, egentes in omni gratia ditantur &c. curãtur infirmi, labores sustentãtur, tristitia depellitur, lassi recreãtur omnes deniq; cõuertit in securitatẽ & iucũditatẽ. Apposite igitur Christus se vitem verã vocat. Iã pal
Palmites qui sint. mitum qui nos sumus, summis labiis cõditiones ad ædificationem nostram tangemus, solummodo sapientibus & deuotis occasionem dando, sugendi mel de petra, &

oleum

oleum de durissimo saxo. Ait autem Christus hic paulò inferius, quod hic attexere consiliũ, & è re fore puto, propter materiæ clariorem intellectum, & vt simplices & indocti ea melius capiant, dum hæc post illa immediate tractantur. Dicit ergo infra, seipsum expendens: Ego sum vitis vera, fructuosa, vtilis & electa, *& vos* quos elegi de mũdo vocaui per gratiam, iustificaui à peccatis, redemi de manu & potestate diaboli, adoptaui in filios, fratres & sorores, sanctificaui in baptismo, confirmaui in bono, reges feci & sacerdotes, necnon cohæredes regni patris mei, quib. arrabonem siue pignus spiritus qui à me procedit, misi, *estis* meo munere, gratia, benignitate, dignatione, bonitate & charitate mea, qua vos prior dilexi, cum adhuc inimici mei essetis & filij iræ, *palmites*. O stupor & gaudium, o benignitatis viscera, o misericordia gratuita. o bonitatis abyssus & torrens voluntatis pietatisque diuinæ. Expendat qui potest, enarret cui datum est, quid est: Ego sum vitis vera, & vos palmites mei estis. Et quid est palmes ad vitem? nisi parua vitis ad magnam, ramus ad arborem, membrum ad corpus, pars ad totum, omnia tamen vnum. Ex illo verbo discimus, quod bonum nobis est domino adhærere per charitatẽ, quæ est vinculũ perfectionis, quoniã qui deo adhæret, vnus spiritus fit cum eo, cor vnũ & anima vna. Ex ista vnione deificamur, dij efficimur & filij excelsi oẽs. Ex ista vite accepimus quod sumus ipsius genus, Christi membra, spiritus sancti viua tẽpla, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ciues sanctorum & domestici dei. Sic in vitæ ista viuimus per fidem, mouemur per charitatem, & sumus per spem, quæ non confundit. Ex ista vite omnia dei dona maxima & præciosa nobis promissa quæ ad vitam euangelio & deo dignam, nec non ad pietatem nobis necessaria sunt, accipimus, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur, & fugimus eam quæ in mundo est (qui totus in maligno positus est) concupiscentiæ corruptionem. Inter vitem & palmitem nulla distantia est, ambo ex vno deo patre, hoc excepto, quòd vitis Christus radici, id est, patri proximior est, quia deus est de deo, lumen de lumine, bonitas à bonitate, veritas à veritate, nec vitis ex se, sed ex radice, hoc est, ex patre habet quicquid habet & operatur. Vnde doctrina eius nõ fuit Christi, sed patris sui, & pater in eo manens opera fecit, quæ ipse

Rom. 8. *Rom. 5.* *Ephes. 2.* *Col. 3.* *1. Pet. 2.* *Act. 17.* *Phil. 1.* *1. Thes. 2.* *1. Ioan. 5.* *Ioan. 7.* *Ioan. 19.*

ipse Iudæis ostendit. Pater in me manens, ipse facit opera &c. Ei acceptum retulit, quicquid fecit & docuit, nec nos palmites eius quicquam sine influxu & gratia vitis
Osee 13. huius facere possumus. Ex nobis perditio nostra est, ex Christo solummodo auxilium nostrum, salus nostra, & quicquid boni habemus quod ex illa vite nō accepimus si accepimus, neutiquam gloriari aliter quam in domino valemus, qui in nobis & cogitare, & velle & perficere o-
Philip. 1. peratur pro bona sua voluntate. Et sicut Christus vitē se nominando, humiliter sensit de seipso, sic nos vocando palmites suos, ad despectum nostrum nos inducit. Quid abiectius palmite, & quid despicabilius mundi amatoribus, vero Christi imitatore cui mundus crucifixus est & ipse mundo. Ille maledicitur & benedicit, persecutionem patitur & sustinet. Tanquam purgamentum mundi est & omnium peripsema & reiectamentum, vt seductores censentur filij lucis, à filiis huius seculi, & ad nihil vtiles ac ipsa vita indigni, cum tamen interim quòd manent in vite, dilecti sint deo & hominibus, & quibus dignus non est
Rom. 9. mundus. Vasa electionis & misericordie, vasa in honorē,
2. Tim. 1. quo ad bonam famam sanctificata, id est, munda quo ad cōscientiam, vtilia domino; quod ad alios lucrandos per sanam doctrinam fidei, & ad omnia opera bona preparata, quod ad vitam deo & euangelio dignam, in qua nemini dant vllam offensionem, ab omni specie mala se abstinent, & omnibus placent in bono ad ædificationem. In vite Christo, in omnibus diuites sumus, adeo vt nihil nobis in vlla gratia desit. Omnia habeo, dixit verus palmes viuus & abundo. Omnes huius mūdi illecebras diuitiásque despexit quasi lutum, nihilominus omnia habuit & abundauit, quia in deo diues fuit & in Christo. Quicquid vitis habet palmitibus suis communicat, & de plenitudine vitis accipiunt omnes fideles, & fructus multos adferunt in patientia, in quibus pater cœlestis glorifica-
Col. 1. tur, & qui permanent in vitam æternam. Ad hos fructus Apostolus hortatur dicens: Oramus & postulamus, vt digne deo ambuletis, per omnia ei placentes, & in omni opere bono fructificantes. Iam tecum reputa, quòd si omnis arbor iuxta genus suum fructificat, & iuxta radicis naturam fructus oriuntur & arbores rami tales fructus faciunt qualis radix est & arbor, quia si radix sancta & arbor bona, & rami & fructus sancti sunt,

&

& boni. Radix autem nostra, vitis & arbor bona Christus est. Iam tecum reputa obsecro, quales nos esse oportet in conuersationibus & pietatibus, sanctos vtique secundum eum qui nos vocauit sanctum. Sic oportet nos ex nobis nihil facere, sicut nec filius potest à se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem. Et sicut quæcunque pater facit, hæc & filius facit: sic & nos palmites, quæcunque vitis nostra facit semper faciamus. Vitis autem opera, sunt bona valde. Sequitur: *& pater meus* cælestis, deus deorum, & dominus dominantium. Pater meus & vester, Meus per naturam et æternam generationem, vester per adoptionis gratiam, *agricola est.* Ecce in vnum diues et pauper, summus deus et imus status, quia agricola est. Pater agricola est, et nos agricultura dei. Bene agricola est, quia terram cordis nostri per timorem arat et fodit, diuidit per contritionem, lapides offensionum et scandalorum ex eo colligit, vrticas luxuriæ, spinas diuitiarum, et vitiorum infelix lolium eradicat. Semine bono eam seminat, semē operit (ne volucres cœli illud rapiāt) per intentionis rectitudinem dat pluuiam temporaneam et serotinam. Tandem preciosum expectat fructum terræ cordis nostri, patienter ferens, donec accipiat temporaneum et serotinum. Expectat enim, quamuis bonorū nostrorum non egeat, salutem nostram. Vt serui iustitiæ et Dei facti, habeamus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero, vitam æternam. Hæc patris agricultura, non circa vitem est, quia Christus ab instanti conceptionis gratia plenus fuit et veritatis. Et ex tunc omnis plenitudo diuinitatis in eo corporaliter habitauit. Sed circa palmites totus est labor et occupatio agricolæ patris. Hos erudit et docet quæ vtilia sunt, hos ardentes in amore suo facit, hos detestari facit omnem iniustitiam, operari bonitatem, ire de virtute in virtutem, crescere in gratia, laborare sicut bonos milites Christi, hos custodit sicut pupillam oculi sui, et non relinquit hominem nocere eis. Sequitur: *Omnem palmitem*, quem elegi ante mundi constitutionem, vocaui in tempore, iustificaui per baptismum, mihi incorporaui per gratiam in me existentem, vel vere per charitatis vinculum, vel apparenter per fidei confessionem, et sacramentorum communionem, *non ferentem fructum*, bonorum operum, non viuentem et ambulantem sicut ego ambulaui,

Ioan. 10.

Agricola est pater.

Mat. 13.

laul, non facientem omnia quę ego præcepi vobis, non ambulantem in dilectione, non negotiantem in talento quod ei ad erogandum dedi, salutem suam cum metu & tremore non operantem, ociose in foro stantem, in vacuum gratiam meam recipientem, vel abiicientem, ad nuptias meas venire, relicta malitia nolentem, salutem suam negligentem, *tollet*, abscindet diuidet, separabit *eum*, à corpore meo, sic securis iam ad radicem arboris infructuosæ posita est, vt omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidatur & in ignem mittatur, Vt quid enim arbor infructuosa terram occupat? Sic à seruo malo, inutili & pigro talentum tollitur, & alteri datur. Sic Apostolus fornicatorem illum insignem, de medio tulit, ne contagione sua cæteri macularentur. Et *omnem* palmitem electum, iustum, sanctum & bonum, *qui fert*, in me & ex me, *fructum bonum*, & operatur iustitiam, facit bonitatem & opera dei, sobrie, iuste, & pie viuit in hoc seculo, quodcunque bonum potest manus sua, instãter operatur *purgabit eum*, ab omni inquinamento carnis & spiritus. Sic sedet conflans & emundans argentum, & purgans filios Leui. Et colat eos quasi aurum, & quasi argentũm erunt. Aspergit eos hissopo sanctæ crucis, & mundantur, lauat eos in sanguine agni, & super niuem fiunt albiores. Purgat pater palmites fructiferos modis multis. Vno modo purgat electos flagello linguæ oblocutoris & criminatoris, sic purgatur triticum à paleis ventilabro linguæ conuiciatoris. Vnde dixerunt de Hieremia: Venite & percutiamus eum lingua. Purgat eos in camino tribulationis, in fornace valenter accensa persecutionis, in oppressione duræ seruitutis, in sustinentia infirmitatis, in sufferentia multiplicis calamitatis. Purgat eos per fidem, per veram dilectionem, emundat eos per septem sacramentorum debitum, sanctum & deuotum vsum. At latiora sunt hæc quàm vt hic sinus eius omnes excuti possint, sic pater palmites fructuosos, nonnunquam per se sine medio vllo, ac crebrius per malos homines purgat, mundat, probat, putat: sic, vt paucis perstringam, palmites mundos purgauit per alios, & tanto efficiebantur fructuosiores, quanto euaserunt mundiores. Abraham mitti permisit in Hur Caldæorum, Ioseph vas electionis fratres sui iniqua æmulatione lacescebant, ex inuidia vendebant. Sed & mulier salax maculã posuit

(Margin: *Hier.* 18. — *Dan.* 3. — Gen. 12.)

in gloriam eius. Tobias probatus fuit cæcitate, vxoris suæ lingua maledica irritatus. Purgauit pater B. Iob, manu satanę sicut aurum in fornace. Purgauit electum Dauid per regem reprobum, Susannam per senes obstinatos, Danielem per principes Darij. Tres pueros per regem superbum, Ioannem baptistam per Herodem, Paulum apostolum per totum ferme mundum, maxime per colaphizationem angeli satanæ. Sic deus electos in paucis vexat, & in multis bene disponit, tentat eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probat eos, & septemplici iteratione purgat eos, *vt fructum* iustitiæ, spiritus & lucis, qui est in omni bonitate, iustitia & veritate *plus adferant*, tãtoq; sint iustiores, sanctiores, ad bona opera propẽtiores, in gratia & meritis corã deo ditiores, patiẽtiores in aduersis, firmiores in fide, immobiliores in spe, ardẽtiores in charitate, in omni virtute, eo magis cõspicui, quanto sunt puriores & sine macula ante oculos dei. Tob. 2. Iob 1. Dan. 3.

SERMO SECVNDVS DE EADEM LECTIONE.

IAM vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Lex nanque domini immaculata, conuertens ab errore viæ suæ, animas eorum qui eam deuote audiunt: obedienter faciunt & custodiunt. Nam qui ex Deo est, verba dei audit. Quòd sermo Christi mũdet auditores, Dauid attestatur dicens: In æternum non obliuiscar iustificationes sine sermones tuos, quia in ipsis viuificasti me, iustificasti me, emũdasti me. Hoc est verbũ fidei, quod operatur in sacramentis, dignè ea recipientibus emundationẽ animarũ, & multiformen gratiam dei, neq; enim aqua mũdat in baptismo, sed verbũ dei. Detrahe verbũ, & qd est aqua nisi aqua? Accedit verbũ ad elementum, & fit sacramẽtum, sic est & in aliis sacramentis, vt longum foret enumerare. Sed obiter aduerte, quòd non dicit absolute, mundi sunt qui audiunt verbum dei, vel quibus prædicaui, sed vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Vos mundi estis, vos amici mei, qui me diligitis, qui mandata mea seruatis, qui facitis quæ dico vobis, qui mecum in tentationibus meis permansistis, qui relictis omnibus me quocunque iui secuti estis, qui ad vomitum non estis conuersi. Iam Psal. 18. Mat. 19.

enim quando hæc verba illis dixit, Iudas proditor exierat ab eis: ideo vos xj. mundi estis, non Iudas proditor, quamuis omnia verba quæ locutus sum vobis, & audierit ipse. Sic nec Annas, nec Caiphas, cæteriq; Pharisæi, Sadducæi & filij Belial, venditi sub peccato, vt facerent malum, & dati in reprobum sensum, mundi sunt, sed inquinata est et manet eorum et mens et conscientia, et ex verbis Christi facti sunt obstinatiores quàm erant et duriores et immundiores. Auditores nanq; verbi dei, duo
Mat. 13. bus modis se habent ad sermonem auditum. Aliqui suscipiunt illud cum gaudio, cum desiderio illud legunt, disseminant et docent, sed non custodiunt illud. Aut enim cor eorum via est cogitationibus prauis, malisq; desideriis trita, per carnalium delectationum continuam rememorationem. De illorum cordibus, dæmones auditum verbum tollunt, fructum salutis nullum faciunt. Audiunt illud obstinati & indurati superbi supra petram & adamantem, audiunt illud & auari, & nihil eis prodest, quia à sollicitudinibus, diuitiis & voluptatibus vitæ suffocantur, & fructum bonum nullum referunt. Isti non mundãtur, sed polluuntur, non iustificantur, sed reprobantur, nõ sal-
Roma. 2. uantur, sed damnantur ex sermone Christi: quia nõ auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Seruus autem sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulat multis. Sic nihil profuit illis,
Luc. 13. quòd in plateis eorum Christus docuit, nec mundi erant
Mat. 25. propter auditum sermonem, sed damnati, eo quòd operabantur iniquitatem. Sic & virgines stultæ, sic misericordia opera facere recusantes, seruus item malus et piger, reprobati sunt, non quod sermonem domini non audierunt, sed eo quod eum non fecerunt. Qui facit voluntatem patris mei, ait Christus, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Hic beatus in facto suo est. Alij autem verbum dei audiunt et custodiunt illud: ideo beati sunt. Isti in corde bono, per dona naturæ, quia dona naturæ optant homines ad virtutes et gratiam; Et optimo corde, per dona gratiæ, verbum dei retinent, nec permittunt illud dęmones tollere de memoria per obliuionem, sed retinent illud ruminando et conseruando cum Ma-
Luc. 2. ria in corde suo: nec non conferendo affectus, verba, opera et mores suos cum eo. Et per dilectionem fiunt facto-
Iac. 1. res operis, et non auditores obliuiosi tantum, fallendo

semetipsos,

ſemetipſos, & fructum boni operis faciunt in patientia. *Iac.1.*
Quia nulla ſunt bona quæ agimus, ſi non æquanimiter
proximorum mala toleramus. Hæc eſt terra optima, la-
cte munditiæ et melle gratiæ fluēs atq; exuberans, hæc
eſt terra illa quā Iſaac ſeminās, ipſo anno centuplum in-
uenit et metit cum exultatione, cum prius in lachrymis
et patiētiæ mœrore ſeminauit. Iſti ſignati ſunt per illos,
qui in die Pentecoſtes audito ſermone Petri, compuncti
ſunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos apoſtolos: *Act.2.*
Quid faciemus vt vitā habeamus æternā? Sic fecerūt et
gētes auditis verbis Pauli, nā gauiſi ſunt et glorificaue- *Act.13.*
runt verbum dei, et crediderunt fide per dilectionē ope-
rāte, quotquot præordinati erāt ad vitā æternā. Sic ex au
dito ſermone Chriſti mundati ſunt omnes, qui in Chri-
ſtum crediderunt, et auditum ſermonē opere impleue-
runt. Cæteri vero, qui ſcādalizati ſunt in eo, qui volebant
eum in ſermone capere, qui deriſerunt conſilia eius, qui *Luc.16.*
detraxerunt vniuerſæ correctioni eius, qui viā veritatis
blaſphemabāt, ſermones eius retrorſum proiecerūt, qui-
bus ſermo eius factus fuit in opprobrium et illum non
ſuſceperunt, illos non mundauit, ſed immunditiā eorum
cumulauit et auxit. Nihil prodeſt aſſidue verbum dei au-
dire, legere aut prædicare, portare in veſtimētis, inſcribe-
re parietibus, ſculpere in annulis, ſi deeſt opus et obſer-
uatio verbi. Mater mea ait Chriſt⁹, et fratres mei hi ſunt *Luc.8.*
qui verbum dei audiunt et faciunt. Et apud Matth.iij.et
Marc.xij. Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis
eſt, et voluntatem dei, hic frater meus, et ſoror mea, et
mater mea eſt. Et ſi in bonitate perſeuerauerit vſq; in fi
nē, hæres dei et cohæres me⁹ erit. *Manete ergo in me*, ma
nete in bonitate, manete in radice et in me, bona oliua *Rom.8.*
in quā inſerti eſtis, tenete quod habetis, manete in voca
tione veſtra, in qua vocati eſtis: hoc ſi feceritis, tunc *&* *1.Co.7.*
ego manebo *in vobis*, ficut in loco meo ſancto, in templo
meo magnifico, in domo mea fideli, in throno meo ebur
neo, in arca mea deaurata, in ciuitate mea munita, in po
pulo meo electo, in exercitu meo ordinato, in lectulo *Prou.8.*
meo florido, in voluptatis meæ horto et paradiſo, quia
deliciæ meę ſunt eſſe cū filiis hoīm. Per quatuor aūt vir
tutes et opera, nos manem⁹ in deo, et de⁹ in nobis: nēpe,
per fidē electorū verā et viuā, iuxta illud Ioānis: Quiſqs *1.Ioan.4*
corde crediderit, et ore confeſſus fuerit ad ſalutē, quoniā

Iesus est filius dei, deus in eo manet,& ipse in deo. Sic
per fidem Christus habitat in cordibus nostris. Et iterũ:
Vosmetipsos igitur tentate, si estis in fide dei & electo-
Ephe.3. rum,ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos
2.Cor.13 quia per fidẽ Christus Iesus in vobis est? Nisi forte re-
probi sitis,& factis negatis deum quem ore confitemini.
Tit. 1. Per charitatẽ etiam deus manet in vobis,& nos in deo,
Ioan. 4. Ioanne teste,qui ait: Deus charitas est, & qui manet in
charitate,in deo manet,& deus in eo.Hæc est dilectio de
1.Tim.1. corde puro,conscentia bona, & fide non ficta. Similiter
hanc gratiam habent,qui præcepta dei custodiunt. Iux-
1.Ioan.3. ta illud:Qui seruat mandata dei,ait Ioannes,in illo ma-
net,& ipse in eo,Et alibi: Si præcepta mea seruaueritis,
Ioan. 15. manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta pa-
tris mei seruaui,& maneo in eius dilectione. Denique
Ioan.6. qui digne sacramentum altaris accipiunt, hanc benedi-
ctionem assequuntur: Qui manducat carnẽ meam & bi-
bit sanguinem meum,in me manet & ego in eo. Digne
1.Cor.11 dixi: Nam qui indigne panem istum manducat & bibit
calicem iustum,reus est corporis & sanguinis domini,&
iudicium sibi manducat & bibit damnationis æternæ.
Ibidem. Sic sathanas post buccellam in Iudam intrauit.Sic inter
Corinthios ex indigna communione, multi infirmi erãt
& imbecilles,sed & multi dormierunt, vltricem mortem
ex hoc reportantes. Istis ergo quatuor modis, manete
in me, & ego manebo in vobis. Quod si non feceritis,
mala vos manent,quorum non est numerus,& nihil ha-
bebitis prosperi. Maxime vnum quod hic necesse est vt
referam:Nam *sicut palmes non potest facere fructum*,bonum
à semetipso,nisi manserit in vite,non abscisus,sed vnicus, sed
omnem humorem, profectum & fructificationem tra-
hit & accipit à vite,*sic nec vos*, apostoli,nec aliquis alius,
quantumuis magnus fuerit,potestis in bonis operibus &
meritoriis deo acceptis fructificare, *nisi* per fidem ele-
ctorum,per veram dilectionem,per mandatorum dei ob-
seruantiam, per dignam corporis mei & sanguinis sum-
ptionem,*in me manseritis*,tanquam palmites in vite, rami
in arbore,membra in capite,riui & fluuij in fonte. Sicut
radix in terra sitiẽte.ipse enim vitis vera est,arbor vitæ,
& lignum viride secus decursus aquarum plantata, ple-
nus spiritusancto, gratia & veritate. Est caput ecclesiæ,
fons viuus, fons signatus, puteus aquarum viuentium

quæ fluunt cum impetu de Libano. Est radix Iesse & sancta, omnes in se credentes portans, ac in eis omnẽ gratiam abundare faciens, vt in omnibus super omnem sufficientiam habeant, & abundent in omne opus bonum. Augens insuper incrementa frugum iustitiæ eorum, vt in omnibus locupletati & diuites in eo facti, abũdent in omnẽ simplicitatẽ, cordis videlicet, oris & operis. Vt in corde sit simplex oculus intentionis. In ore omnis sermo bonus, semper sale conditus sit, qui ædificationem fidei & gratiam auditoribus præstet. In opere fructus iustitiæ & lucis splendor, quo omnibus placet in bono, quæ ædificationis sunt vbique sectatur, sancte, iuste & sine repræhensione omnibus adest. Nisi enim nos palmites in ista vite, & qui rami sumus in ista radice & arbore, membra in isto capite manserimus, arescimus, fructum bonũ nullum adferre possumus. Si ab isto capite per gladiũ malignum peccati mortalis abscindimur & separamur, putrescimus, abominabiles reddimur in iniquitatibus. Fœtorem magnum, & tanto maiorem facimus, quanto maiora corporis Christi membra, vtiliora & magis necessaria dum in eo eramus fuimus, de quo totus exercitus militiæ Christi, grauatur. Si in fonte illo nos riuuli non manemus, siccamur, & quicquid prius in nobis quando fluxum ex fonte viuo accepimus viuebat, moritur. Si in radice illa iustorum nõ manemus, fructũ nullum salutis facere possumus. Bene ergo dicit: Manete in me & ego in vobis. Manete & mecum, sicut discipuli cum suo magistro, & docebo vos vtilia: nempe, facere voluntatem meam. Manete mecũ, vt paruuli cum matre, & dabo vobis vbera mea lacte turgentia doctrinæ suauissimæ, vt in in ea crescatis in salutem. Vt orphani, cum protectore, & defendam vos ab omnibus persequentibus vos vt pupillam oculi mei. Manete mecũ vt esurientes & fame pereuntes, & dabo vobis panem cœli, cibabo vos angelorum esca, omne delectamentum in se habente, & omnis saporis suauitatem. Dabo vobis & aquam sapientiæ salutaris, aquam viuam quæ saliet in vitam æternã. Dabo vobis poculũ de vino cõdito. Si mecũ mãseritis, sicut infirmi cum medico, sanabo omnes infirmitates vestras, & alligabo oẽs cõtritiones vestras. Si apud me mãseritis, & mihi adhæseritis, vt pauperes apud diuitẽ, vt milites apud suũ ducẽ, vt oues apud pastorẽ suũ, tũc oĩa debita gratis

Mat. 6. Ephe. 6. Prou. 12. Psal. 7. Sap. 16. 1 Cor. 1

dimittã vobis,diuites vos in omni gratia faciã,omnibus bonis per me replebimini.Nihil proficiet in vobis inimicus,nec quicquã nocebit vobis , sed semper de hostibus triumphũ regeretis, & legitime certantibus paratã vitæ coronã,ornatã omni lapide præcioso dabo vobis. In pascuis vberrimis vos pascam & montibus.Hæc cogitate,& reputate quã bonũ est & quã iocundũ, mecum in tentationibus meis manere,mihi adhærere.Et è regione, quã malũ & amarũ est,vide & cognosce,relinquere te dominum deum tuũ. Relinquere fontẽ aquæ viuæ,& fodere
Hie. 2. num deum tuũ. Relinquere fontẽ aquæ viuæ,& fodere
Psal. 4. cisternas dissipatas,quæ cõtinere non valẽt aquas.Diligere vanitatẽ & quærere mendaciũ.Manete ergo in me,
Esai. 9. & de plenitudine mea omnes accipite,gratiã pro gratia: & qui in me nõ estis,sed recessistis in profundũ , abistis in regionẽ longinquã,fornicati estis cũ amatoribus multis, seruistis diabolo & desideriis , reuertimini ad me, & ego suscipiã vos, omniũ iniquitatũ vestrarũ amplius nõ recordabor, nec vobis exprobrabo,quia sine hoc deo fru
Ezec. 18. ctificare,& salutẽ vestrã operari non potestis. Quia *Ego sum vitis*,vera,fructuosa,electa,*& vos*, amici mei & discipuli estis *palmites*: non per essentiã,sed per proprietatem & similitudinẽ.Vnde cõsequẽs est,ꝙ *qui manet in me*,per
Apoc. 3. fidẽ,dilectionẽ,&c.*& ego in eo*, cum patre meo & spiritusancto,& mansionẽ apud eum faciẽdo, & ad eum intrãdo & cœnam cum eo faciẽdo,*hic*,mea ope adiutus, mea gratia fœcũdatus,mea doctrina instructus , meo exẽplo
1. Cor. 15 prouocatus,fert *fructũ multum*,fructificat in omnibus operibus bonis,seminat in spiritu,tempus redimit,talentum suũ ad vsurã ponit,& domino fœneratur.In vacuũ gratiã
Ephe. 5. non recipit , plus omnibus cum Aposto. laborat,& ideo manete in me perinde ac in fructuũ bonorum origine, radice & fonte:*quia sine me*,hoc est sine adiutorio meo & gratia faciẽte , *nihil* boni & meritorij quod deo placeat & vobis profit,& dignũ sit vita æterna,*potestis facere*.Ideo
Ibidem. Apost.ait:Gratia dei sum id quod sum, & omnia possum in eo qui me confortat.Et Hier.ait:Scio domine,quia nõ est hominis via eius, nec viri est vt ambulet in lege tua, & dirigat gressus secundum eloquium tuum in viã pacis.
Rom. 9. Non est volentis,quia misericordia eius præuenit velle. Pater trahit ad filiũ,filius clamat in plateis , ad cor lo-
Prou. 1. quitur,pulsat ad ianuam. Spiritussanctus gratiam offert. Et hoc modo à deo bonas cogitationes accipit homo, ad quas

ad quas habendas est insufficiens ex seipso. Sic & velle & bonā voluntatem in nobis operatur deus. Illud sine nobis,ne quis glorietur:hoc nobiscum, dum non abiicimus nec in vacuum gratiam dei recipimus. Sed neque currentis viam mandatorū dei,est opus bonum, sed dei miserētis.Ipse dat nobis virtutē & fortitudinē. Eius misericordia, & cooperans gratia nos subsequitur, ne frustra bonum velimus, omnibus diebus vitæ nostræ. Hic cooperatores dei sumus: sic opera bona deus operatur per nos.Omnia opera nostra, ait ille, in nobis operatus es domine:nihil ergo boni palmites habemus, quod ex vite Christo nō accepimus,si autē accepimus,quid extollimur,quid gloriamur,quā si nō acceperimus illud?Iuste igitur & necessariò etiā cum omnia quæ nobis præcepta sunt fecimus, seruos inutiles nos sentire & dicere debemus.Humiliemur quapropter sub potēti manu Dei, cum non solum nihil boni sine eo facere possumus, sed nec in bonitate permanere valemus, & hoc ipsum quod habemus ne puncto quidē temporis seruare possumus, nisi cōseruetur à Christo.Sic Hierem.vidit suam paupertatem,sic Apostolus dixit: Ecce non est auxilium mihi in me.Hinc Sapiens ait: Circundederūt me inimici mei vndique,& non erat qui adiuuaret. Neminem consolatorem reperi, cum eorum violentiæ resistere non possem, cunctorum auxilio destitutus. Respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat.Et tunc memoratus sum misericordiæ tuæ domine,& cooperationis tuæ quæ à seculo sunt,quoniā eruis sustinentes te, & liberas eos de affligentibus eos iniuste, & non permittis hominem nocere eis: ideo etiam si ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu mecum es.Manete ergo in me, & tunc beati estis & bene vobis erit. *Si quis in me non manserit*, me dereliquerit, à me recesserit, retro post Sathanam abierit, ad vomitum ingratus redierit,iugum meum suaue excusserit, onus meum leue deposuerit,reprobus circa fidem factus fuerit, charitatē primā reliquerit,leges meas transgressus fuerit,ius mutauerit,fœdus sempiternū dissipauerit:Istū iiij.mala inter cætera manēt,*mitteretur foras*,id est,separabitur à vite per gladiū malignum culpa.Sed quis tollit palmitem infructuosum à vite?Pater agricola.Cōtra,deo autore nemo fit malus,aut si tollit,quomodo tollit? Dicēdū,quòd

Ephe. 2. Rom. 9. Psal. 22. Esai. 26. Thren. 3. Iob 6. Eccle. 4.

palmites à Christo non accipiunt vitam naturæ, sed vitam gratiæ & gloriæ. Dicitur autẽ palmes à vite ista tolli, non per mortẽ corporis, sed per mortẽ culpæ vel damnationis æternæ. Vnde palmites qui gratiã dei inuacuum recipiunt vel abiiciunt, à vite separantur, merito vel gladio bicipiti sui peccati, & iudicio suæ iustitiæ. Dereliquerunt deum factorẽ suum, & recesserunt operãdo iniquitatem cum filio prodigo, à deo salutari suo. Hinc Dauid ad Salomonem dixit: Si quæsieris deum inuenies: si autẽ dereliqueris eum, proiiciet te in æternũ. Et alibi: Si quæsieritis dominũ, inuenietis: si autẽ dereliqueritis eũ, derelinquet & vos: sic cum populus deum non audiuit, & Israel deo non intẽdit: tunc dimisit eos secundũ desideria cordis eorum, & iuerunt in adinuentionibus suis. Hinc dominus ait: Quia tepidus es, incipiã te emouere de ore meo. Iusto namque dei iudicio, deus gratiã suam nõ apponit eis, & propterea iudicio damnationis æternę tollentur, & in ignẽ mittentur, quia cum nox venit & ianua clausa fuerit, nemo salutem suam operari potest, omnis spes salutis exclusa est. Qui cordis sui fenestras claudit, vtique lucẽ excludit. Qui se à Domino auertit, eius à speculo facies in nihilum redigitur. Tollitur ergo palmes, abscinditur à vite framea peccati, mittitur foras extra vineam & ecclesiam iustorum, per separationẽ ab ecclesiæ vnitate. Nũc voto & merito, postea loco & præmio. Foras enim canes & impudici, &c. Sic sal insulsus, foras mittitur, sicut & princeps huius mundi missus est foras: sic omnis plantatio quã pater cœlestis nõ plantat, eradicatur. Alia pœna est: *& arescet*, ab humore gratiæ sic dominus ficulneæ dixit expertæ fructibus: nũquam ex te fructus nascatur in sempiternũ, & continuo aruit. Deinde sequitur: *& colligent eum*, angeli messores, qui de regno dei colligent omnia scandala, & separabũt malos de medio iustorum, & colligabunt eos in fasciculos, superbos superbis alligando, inuidos cum inuidis, luxuriosos cum luxuriosis. Demum *in ignem*, inextinguibilẽ, *eum mittent*, & æternum. Iuxta illud: Ite maledicti in ignem æternum. Sic lignum vitis aridum nulli vsui aptum, igni datur in escam. Istud quoque particulariter impletur in morte singulorũ: quia paleas cõburet igne inextinguibili, *& ardet*, Cur non dicit ardebit? Quod si dixisset, verum dixisset: sed verbo præsentis tẽporis vsus est, quia id

1. Cor. 6. — Luc. 15. — Psal. 80. — Apoc. 3. — Mat. 25. — Matt. 5. — Matt. 15 — Matt. 21. — Matt. 13 — Matt. 3.

quod fiet, Deo præsentialiter adest, & in eius præscientia iam fit, quod in executione futurum est. Ardebit ergo & non consumetur, optabit mortem, & mors fugiet ab eo. Hic finis eorum qui impie agunt. Et contra: *Si manseritis in me*, & in tempore tentationis & tribulationis non recesseritis à me, sicut temporales faciunt & socij mensæ. *& verba mea in vobis manserint*, per iugem memoriam & continuam verborum meorum adimpletionem. In nullo malo peccatore, mortaliter peccante, verba dei manent, quia non manet in bonitate, quandiu ita in hoc mundo perseuerat. Hinc Iudæis exprobrauit, dicens: Scio quòd verbum patris mei nō habetis in vobis manens, per obedientiam & impletionem. *quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis* à patre meo. Sic facitis voluntatem meam, faciam & vestram. Iuxta illud: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationē eorum exaudiet, & saluos faciet eos. De palmitibus fructuosis & infructuosis omnia dicta sunt, sed hanc in fine coronidem addere, operæpretium duxi. Summo studio impedimenta fructificationis te præcauere oportet. Quod vt fiat, sepem tibi construe, & teipsum sollicite custodi. Deinde super omnia frigus malitiæ deuita, nam hoc & gemmas perdit, & vinum cū maturum factum fuerit. Exclude vulpes paruulas, hypocriticæ falsitatis & dolosos hæreticos. Isti enim dolose agunt in conspectu dei, ideo iniquitas eorum inuenitur ad odium. Grando crudelitatis & tonitrus maledictionis & iracundiæ, fulgur furoris, & spiritus procellarum indignationis & concitati animi, procul sint à te. Brucus edacitatis & ebrietatis, per quam ventri tuo seruias, ne puncto in palmite tuo sustineatur. Alioqui totum depascit. Volucres cœli omni cū sollicitudine abigantur, qui sunt spirit' superbi. Aper de sylua iracūdiæ, & singularis fera, quæ non est sicut cæteri hominum, inobedientes & singulares eam exterminant. Immundæ etiam sues luxuriæ, radices eius cum fructibus annihilant. Da deniq; operā, vt doctum habeas cultorem, qui infructuosos solos resecet, & fructuosos debito modo colat & putet, nam fructuosos tollere & dimittere infructuosos, extremæ dementiæ est, & maximum vbertatis impedimentum, quia ars artium est regimen animarum.

Psal. 35.

IN DIE CORPORIS CHRISTI, IN EPISTOLAM, Sermo.

1.Cor.11 EGO *Paulus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum,* Dei virtutē & sapientiā ad apostolatus munus vocatus, *accepi* & didici euāgelium meum, *à domino Iesu Christo, quod* sicut fidelis & bonus dispēsator mysteriorum dei, *tradidi vobis*, & nō abscōdi pecu
Luc.19. niā domini mei, nec fodi in terrā, quia sapiētia abscōdita & thesaurus iniustus, quæ vtilitas in vtrisq;? Sed quid tradidisti & docuisti Corinthios, quos multum dilexisti, sed minus diligebaris ab eis? *Quoniam dominus Iesus,* qui dilexit suos qui erāt in hoc mundo, ideo etiā in finē eos dilexit. Hinc oīa propter electos fecit & sustinuit, vt salutē cōsequerētur, cum gloria cœlesti, ideo *in qua nocte tradebatur*, à deo patre ex charitate perpetua pro nobis oībus, sicut scriptū est: Deus proprio & vnigenito filio suo, non pepercit, sed pro nobis, ingratis & malis, tradidit illum. Tradidit semetipsum filius ex obediētia, patri obediens vsq; ad mortē crucis. Tradebat se iudicāti iniuste pro no-
Ephes.5. bis oblationē & hostiā deo, in odorem suauitatis, ad multorum exhauriēda peccata. A Iuda diabolo ex auaritia,
Luc.22. qui osculo filium hominis tradidit. Sic diabolus misit in cor Iudæ, vt traderet Iesum Iudæis. Iudæi autem tra-
Mat. 27. diderunt illum pontio Pilato, ex inuidia. Pilatus vero Iesum flagellis cæsum tradidit voluntati Iudæorum, ex timore mundano. Iesus Christus ergo, propter nimiā charitatem qua dilexit mundum, & sitiebat salutem omniū, in ea nocte qua tradebatur à Iuda osculo Iudęis. Fuit enim dux eorum qui cōpræhēderunt Iesum. *accepit panem* azimum, *& gratias agens*, omnipotenti deo patri suo, pro veteribus terminatis & nouis inchoandis, *fregit*. Fractio illa nō fuit in corpore Christi, sed in specie panis, & fuit vera, nō phātastica, vt quidā garriunt. *& dixit*, discipulis suis, qui in magno illo regis Assueri cōuiuio fue-
Hest.1. re præsentes, sicut scriptum est: Fecit Assuerus grādē cōuiuium cunctis principibus & populis suis, vt ostēderet diuitias bonitatis, gratiæ, misericordiæ & gloriæ suæ. *Accipite & comedite*, corde & ore, fide & deuotione. *Hoc.i.*existēs sub hac specie panis verbis cōpletis, *est*, vere, realiter, sublun-

ſubſtantialiter & eſſentialiter non ſignificatiue,vel appa renter, vt impij Zuynglius & Oecolampadius, mentiti ſunt iis diebus, & multorum fidē ſubuerterunt circa hoc auguſtiſſimum ſacramentum. *Corpus meum*, quod conce ptum eſt de ſpiritu ſancto,natum ex Maria virgine,matre mea beata,quæ me portauit in ventre ſuo, decem menſium tempore,lactauit vberibus ſuis, *quod pro vobis tradetur*, in mortem,vt non moriamini in æternum.Nā Chriſtus mortem deſtruxit, & illuminauit vitam & incorruptionem per euangelium. Deſtruxit per mortē eum qui mortis habuit imperium,id eſt diabolum.Sic dedit ſemet ipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate. *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt,in memoriam meæ paſſionis amariſsimæ, quam vltro pro vobis & inimicis meis ſuſtinui. In memoriam meæ dilectionis & mei amoris æterni, quem in hoc ſacramento, opere & veritate teſtatus ſum & oſtendi.In memoriam etiā mercedis magnæ in cœlo vobis dandæ,ſi digne hoc ſacramētum frequentaueritis in terris.Eſt nanq; eucharistia,magnum pietatis ſacramentū,& rememoratio mortis Chriſti,quā pertulit.Dilectionis Chriſti, quā ad nos habuit. Gloriæ cœleſtis & vitæ æternæ,quā nobis promiſit. *Similiter*, pro noſtra ſalute & redemptione,pro ſua charitate accendēda in cordibus noſtris, *& calicem* accepit,in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, *poſtquam cœnauit*, iā finito veteri Paſchate.Ex quo patet,quòd diſcipuli iam corpus ſumpſerant.Ex quo rurſus in aprico eſt, quòd tranſſubſtantiationes ſe non expectant,ſicut quidam dixerunt & errauerunt ſicut oues quæ perierunt. *dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Hoc eſt (ſecundum intellectum omnium ſanctorum doctorum,& fidem omnium catholicorū,qui deo placuerunt ab initio) ſanguis meus,contentus in hoc calice,confirmatiuus eſt noui teſtamenti,eo quòd teſtamentum in mortuis confirmatur. De hoc multis egi in Epiſtolā dominicæ Lætare,ad quæ lectorem remitto. Pudefiant Lutherani,qui mentiuntur ſanguinem Chriſti eſſe nouum teſtamentum.At mentitur iniquitas ſibi.Euangelium gloriæ beati dei, eſt nouū teſtamentum,vt Apoſtolus docet ad Galatas,& ſanguis roſeus & benedictus Ieſu Chriſti, eſt iſtius noui teſtamenti confirmatiuus,ſtabilitiuus,obſignatiuus & roboratiuus,vt docet in epiſtola ad Hebræos. Contentū ergo

Heb. 2.

Heb. 9.

in hoc calice siue eratera,est meus sanguis,cuius effusio ne nouum confirmatur testamentum, & conscientiæ ab operibus mortuis emundantur, ad seruiendum deo viuenti. *Hoc facite*, scilicet,accipite & bibite. Sic Ecclesiæ vsus huius sacramenti est demandatus, *quotiescunque bibetis*, videlicet sanguinem in specie vini, *in meam commemorationem*, id est,in memoriã meæ passionis,dilectionis & promissionis vitę ęternę.Ideo memoria passiõis Chri
Heb.12. sti ante missam recogitanda est, & rememorandum etiã sub officio missę,qualem ipse sustinuit à peccatoribus ad uersum semetipsum contradictionem, ne nos fatigemur animis nostris deficientes. Sed eius sanguinem aspicientes per fidem,instar elephantorum animari debemus,&
Ephes.6. currere ad propositum nobis fidei certamẽ. Induere nos armaturã dei, & diabolo fortiter in fide resistere in die malo,& in omnibus perfecti stare,ac nullum ei locũ dare.Nec solummodo sub missa paupertatis & transgresio nis,absinthij & fellis Iesu Christi recordari debemus,sed eius passio fasciculus myrrhę nobis esse debet,& per recordationem,iugiter inter vbera cordis nostri demorari. Deinde Apostolus verba Christi exponit,dicens: *Quo-*
Ioan.6. *tienscunque enim manducabitis panem hunc*, Hoc est corpus Christi, sub specie panis realiter velatum, qui est panis cœli & vitę,& dat vitam mundo, Angelorum item esca,
Psal.77. omne delectamentum in se habens,omne bonum & omnis saporis suauitatem. *&* *calicem* benedictionis et salutis,benedictum & consecratum, *bibetis,mortem domini annunciabitis*, repręsentabis & rememorabitis, *donec veniat* dominus Iesus ad iudicium. Ideo huius sacramenti vsus manebit in ecclesia vsq; ad finem mundi. Nihil ergo hoc sacramento est dignius,maius,honorificentius, diuinius & vtilius,si eo debito modo vsi fuerimus. Nam mors est malis, vita bonis. Ideo nunc docet verum modum sumendi hoc sacramentum dicens: *Itaque quicunque manducauerit panem* hunc angelorum, & vitę, *vel biberit calicem domini*, pręclarum & inebriantem spiritum, qui lętificat cor hominis,& germinat virgines. *indigne*. Indignus est, qui aliter celebrat hoc mysterium, quàm à Christo est institutum.Aut qui non deuota mente accedit,& sine passionis Christi commemoratione. Aut est peccatis mortalibus obnoxius,& voluntatem peccãdi habet. Qui
Mat.19. oculum scandalizantem non eruit, nec manum & pedẽ

scandali-

scandalizantem non abscindit, & à se non proiicit. *reus erit corporis & sanguinis domini.* Ac si Christum occideret, punietur. At Luthero doctore, illi soli digni sunt, qui tristes, afflictas, turbatas, oneratas peccatis habent conscientias. Nam innocentes manibus & mundi corde, nihil sibi conscij, indigni sunt, eo quòd sacramenti operationem (quæ ipso docente, & populum instabilem seducente, est remissio peccatorum) non assequuntur. Vnde scribunt, docent & cantant: *Bistu gesundt*, Hoc est, sine peccatis, *so bleib dar von*, & noli accipere sacramentum, *Das du mit entfanges einen buesen lon.* Hoc est, si es sine peccatis mortalibus, noli mensæ domini participare, alioqui malam mercedem accipies. Sic cæcos ducit, & vnà in foueam æternæ damnationis cadunt. Ne autem rursus filium dei crucifigamus & ostentui habeamus, conculcemus item, & spiritui gratiæ contumeliam faciamus, aut sanguinem testamenti noui confirmatorem, pollutum ducamus ad vomitum ingrati reuertẽdo, vel cum peccatis & fermento malitiæ & nequitię pascha nostrũ epulando, tunc audiamus quid nos facere oportet: *Probet autem seipsum homo* ante communionem, scrutetur vias suas, quærat dominum in simplicitate cordis, & relicta malitia reuertatur ad dominum. Expurget vetus fermentum, lauet à malitia cor suum, mundet se ab omni inquinamento carnis & spiritus. Confiteatur aduersum se iniustitias suas domino & sacerdoti, & faciat se ab omnibus peccatis suis absolui. Et tunc purgatus per cordis contritionem et humiliationem, per oris veram confessionem, et satisfactionem, de abyssali misericordia Dei confidens et præsumens. *& sic de pane illo*, qui de cœlo descendit et dat vitam mundo, *edat, & de calice bibat*, ad salutem. Quòd si indignus, in fermento veteri, aut in fermento malitiæ et nequitiæ quis accesserit, ille scire debet, quòd *qui manducat & bibit indigne*, irreuerenter, indeuote, peccatis mortalibus obnoxius, vel vllo errore hęreticę prauitatis corruptus, maxime circa hoc sacramentum augustissimum. *iudicium*, et æternam damnationem, *sibi manducat & bibit*, sicut Iudas proditor, in quem quia malæ voluntatis erat tradendi Dominum, post buccellam Satanas intrauit. Sic et inter Corinthios eo quòd multi inter eos indigne sacramentum hoc sumebant, multi infirmi variis et horrendis infirmitatibus grauati erant, et imbecilles

I. Cor.

Tren. 3.

I. Cor. 5.

Ioan. 6.

I. Cor. 5.

Ioan. 13.

longa

longa valetudine laborantes.Et dormierunt multi,somno mortis corporalis à domino puniti &occisi.Et hoc eis cōtigit,quia *non diiudicant corpus Domini* ab aliis cibis:sed magis indeuote, irreuerenter,& in peccatis accipiūt, sicut alios cibos,nobis & infidelibus communes.Vide hęc latius in epistolam in die Paschæ.Hic vnumquęque necesse est vt super custodiā suam stet.Nam qui polluta cōsciētia,ad agnū sine macula accedunt,eis fit mensa Do-
Psal.68. mini coram eis,quia iniquitatē cognoscunt & non vitā,
Rom. 11. in laqueum,vt eos à bono impediat,& in captionē,quia eos in malo detineat,& in scandalū, quia eos de peccato in pecatum ruere facit,& in retributionem ipsis,quia
Rom.1. eos in damnationem mittit.Ex hoc obscuratur insipiens cor eorum,& oculi eorum interiores,ne videant lumen veritatis & fidei,quia errant à fide,& in errores horren-
Mat. 11. dos alios mittunt.Et dorsum eorū siue voluntas, in quo iugum Domini suaue & onus eius leue dilectionis Dei & proximi portare deberēt,semper incuruatur,ac magis magísque de die in diē,peccatis grauatur,vt adiicere non
Psal.37. possint nec velint vt resurgant à mortuis. Sed peccata
1.Tim.6. hæc sicut onus graue grauātur super eos,& mergunt eos in interitum & perditionē. Sic mulier illa infelix incur-
Luca.13. uata erat ex longa infirmitate sua,quòd omnino nō potuit ad cœlum respicere.Nam cū peccata veniunt in cō-
Luca 18. suetudinem, tunc indigne mensæ Domini participantes veniunt in profundum:vnde nec Dominū amplius timēt nec homines reuerentur.Peccant sine omni timore,gloriantur in malitia,lętātur cum malefaciunt,in rebus pessimis exultāt,peccata sua quasi Sodoma prædicāt, & nō abscondūt.Hinc videmus his malis diebus & tēpore periculoso,quod Deus multas & inauditas plagas super nos mittit, eo quòd tā horribiliter circa hoc augustissimum peccatur sacramentū.Hinc bella & seditiones in quibus occidūtur homines,spoliātur pauperes,ciuitates exurū-
Hier.2. tur & villæ.Et quod peius est,nemo à diaboli laqueis resipiscit,nemo vias suas iniquas derelinquit,nemo peccatū suū agnoscit.Imo,nitimur bonas ostendere vias nostras, & linguā nostram declinamus in verba malitiæ, & concinnamus excusationes in peccatis:Ideo peccatū nostrū manet,& manus Domini adhuc extēta,quia populus nō conuertitur ad percutientem se & corripientem nos in misericordia,ne cum hoc mundo damnemur.

IN

IN DIE CORPORIS CHRISTI
HOMILIA IN EVANGELIVM.

CARO mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Memoriam fecit deus mirabilium suorum in vltima cœna, quando seipsum escam dedit timentibus se. In paradiso dedit deus homini omnes fructus eius delectissimos, vnius arboris fructibus exceptis. Non quòd fructus ligni prohibiti mali essent, sed optimi: sed malum erat homini, diuinum mandatum præuaricari. Sic exitus probauit, quam meritorium est, iustum & vtile Dei parere mandatis. Et contra, quàm est damnabile iustas dei leges præuaricari. Melior nanque est obedientia quàm victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nō acquiescere. Postea dedit homini volucres cœli & pisces maris, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi (paucis exceptis) in escam. Tandem cum signis, portentis stupendis, ac virtute magna & brachio extento, populum peculiarem eduxisset de Aegypto, per annos quadraginta pane cœli & angelorum esca eum nutriuit in deserto. Qui quamuis fuisset suauissimus & omne delectamentum in se haberet, ac omnis saporis suauitatē. Insuper, ad quod quisque vellet ei conuerteretur, non tamen exuberantem erga se Dei charitatem & abyssalem pietatem vel diuitias bonitatis eius sic ęstimauerunt. Neque magnificentiam deo dederunt, nec gratias egerunt infideles filij, generatio praua & exasperans, populus stultus & insipiens: Nam dixerunt praui & peruersi, quorum anima arida fuit, ingrata & absq; vlla gratiæ Dei pluuia & omnis adipis & pinguedinis internæ expers: Anima nostra, dixerunt, nauseat super cibo isto leuissimo. Sic, pro eo quod Deum diligerent (nempe quòd animas eorum inanes saciauit, & animas esurientes saciauit bonis) detrahebant ei, et omnem escam, manna (quod bonis præstitit omnis saporis suauitatem et ad quod vnusquisque voluit et conuertebatur) abominata est anima eorum, flagrauerunt desiderio carnium. Hinc male loquentes de Deo, dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam carnibus exuberantem in deserto? Et iratus, pluit, super

Ioan.6. Psal.100 Gen.2. 1.Reg.15 Gen.9. Psal.8. Psal.77. Exod.16. Sap.16. Ioan.6. Deut.32. Psal.6. Psal.106 Psal.108 Num.11.

super eos sicut puluerem carnes, et sicut arenam maris
Psal. 76. volatilia pennata. Et manducauerunt & saturati sunt nimis. & desiderium eorum attulit eis. Verum adhuc escę
Deut. 31. eorum erant in ore ipsorum, & ira dei descendit super eos & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. Sic contentiose semper egerunt contra dominum, etiam uiuente adhuc Moyse: ingrati, increduli, & subuersores. Hęc
1. Cor. 10 autē in figura nostri descripta sunt, ne similes eis simus
Rom. 1. in malis. Alioqui nullam habemus, in peccatis nostris excusationem. Imo quanto excellentiorem, diuiniorem, et augustiorem Christus nobis panem dedit, tanto grauior erit & iustior damnatio nostra, si ingrati fuerimus, & in-
Mat. 7. digne eum manducauerimus. Vel si sanctum canibus de-
Ioan. 6. derimus, & has cœlestes diuináſque margaritas proiece-
Psal. 100 rimus ante porcos. In hoc nāque pane cœli & vitæ quod
Hier. 31. ipse est Christus Iesus, memoriam fecit omnium mirabilium suorum, quando ex charitate sua æterna, ex bonitate sua abyssali, ex misericordia sua benigna, ex pietate sua viscerosa, ex dulcedine sua incomprehensibili, in
Mat. 26. cœna nouissima, quando per mortis supplicium ex hoc
Mar. 14. mundo transiuit ad patrem, seipsum escam dedit timentibus se, ad salutem. Sed ad euangelium gratiæ & regni,
Esa. 53. mentis nostræ oculos conuertamus. *Caro mea*, de spiritusancto concepta, de virgine nata, quę nullo vnquā peccato fuit maculata, in qua salutem mundi totius in me-
Luca 24. dio terræ sum operatus, quam tradidi in mortem, in qua
2. Cor. 1. omnia quę in lege & in psalmis & in ꝓphetis de me scri-
Ephes. 1. pta erant, consummaui, quam rediuiuam eduxi de sepulchro, luce deinde quaterna exaltaui super omnia, & in dexteram maiestatis paternæ gloriæ collocaui. Hęc ca-
Heb. 1. ro mea, omnibus bonis, naturæ, gratiæ & gloria plena *vere est cibus*, quem qui digne edunt, adhuc esuriunt: Esu-
Mat. 6. riunt & sitiunt iustitiam, & ideo bonis omnibus implentur in eo, & omne desiderium cordis eorum tribuit eis, & non fraudantur à desiderio cordis sui. Sitiunt & esuriunt, ad Deum fortem, viuum, cupientes dissolui, & esse cum Christo, & satiari plene per faciei eius visionē apertam & gloriam apparentem. De isto rursus scriptum est: Cibauit deus populū suū pane vitæ & intellectus. Hic est cibus regius, & pinguis, qui delitias regibus præbet, qui
Mat. 7. sequitur Vriam, qui lux dei mei interpretatur, quem rex
Ioan. 1. regum regibus eis qui se regunt iuxta voluntatem suam suppeditat

ſuppeditat abunde. Hic eſt panis filiorū Dei, qui ex Deo nati ſunt. Non ex ſemine corruptibili renati, regenerati & renouati, ſed incorruptibili ex ſemine: nempe per ſpiritum ſanctum, aquam & verbum dei viui & permanentis in ęternum. Vnde rurſus ait Chriſtus: Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo verum. Vmbra fuit, non ipſa imago rerum panis quem patres comederunt in deſerto. Sed pater meus cœleſtis dat vobis panem de cœlo verū, quem iuſtus comedit & implet animam ſuam. Nam digne hūc panem manducantes, diuites fiunt in deo, & nihil eis in vlla gratia deeſt. Sed deus omnem gratiam in eis abundare facit, adeo quòd in omnibus bonis corporis & animę exuberant, & ſemper omnis boni ex hoc pane habent ſufficientiam, quod fructificant in omnibus operibus bonis, & ſemper fructificant Deo. Omnis ergo ſufficientia noſtra ex deo eſt, quem accipimus in hoc auguſtiſſimo ſacramento. Deus amico ſuo Moyſi promiſit, quòd vellet ei oſtendere omne bonum. At nobis (quod multum per omnem modum plus eſt) in hoc ſacramento auguſtiſſimo dedit omne bonum. Quomodo enim cū filio ſuo dilecto, pater miſericordiarum, non omnia donauit nobis? Omnia ergo bona veniunt nobis pariter cum illo, & innumerabilis honeſtas & gratia per manus illius. De quo & Apoſtolus ait: Pater proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Omnia verba ponderanda: quia conſolationis & amoris ſunt plena. Pater deus, non homo: Tradidit, non vendidit: filium, non ſeruum: Suum, non alienum: Proprium non adoptiuum. Non parcendo, ſed ad ſupplicia & patibulum: Pro nobis, non pro angelis: Pro omnibus, non pro vno. Nec ſolum filium, ſed omnia cum illo. Sic ex parte & breuiter dictum eſt, quòd Moyſes non dedit patribus panem verum de cœlo, ſed pater cœleſtis, & Chriſtus Ieſus, cum ſe in ſacramento dedit timentibus, amantibus, honorantibus ſe: Non irritantibus, prouocantib. ſe, nec ſuis contēporibus, blaſphematoribus & illuſoribus. Nā illi iudicium ſibi mā ducant & bibunt, & rei fiunt corporis & ſanguinis domini. Vere itaque, o bone Ieſu, caro tua eſt cibus tantū excedens manna Moyſi, quantū cœlū diſtat à terra, & ortus ſolis ab occaſu. Imo quantum finitum ab infinito. Nam in ſacramento altaris, eſt fons, radix, origo omnis gratiæ, boni & vitæ, quod nunquam fuit in Manna. Illud,

Ioan. 6. Prou. 13. 2. Cor. 1. Rom. 7. Exod. 33. Rom. 8. 1. Cor. 11. Ioan. 6.

est cibus mentis, hoc corporis. Illud digne manducantes viuunt in æternum: hoc edentes, mortui et prostrati sunt in deserto. Istud sub cœlo, illud super cœlum: istud erat panis cœli, illud est deus super omnia benedictus in
Psal. 15. secula. Nam qui de cœlo venit, super omnes est, deus
Act. 2. maiestatis et gloriæ. Istud scaturiebat vermibus in diem alterum seruatum, illud nunquam vidit corruptionem, et est assumptum in gloriam. Deinde, hoc post transitum maris solis dabatur Iudæis, illud solummodo fonte baptismatis ablutis et renatis, illud duxit Iudæos per deser
Ephes. 2. tum: istud ciues sanctorum, domesticos dei, genus ele-
2. Pet. 2. ctum, gentem sanctam, populum quem suo sanguine acquisiuit et in sanguine suo redemit, et lauit à peccatis suis, filios regni et hęredes dei, euehit in cœlum, collocat cum principibus, super omnia bona domini constituit, et replet in omnibus bonis domus dei non manufactę, sed ęternę et cœlesti, et omnium bonorum affluentia per-
1. Pet. 1. frui facit. *Et sanguis meus* preciosus et roseus, qui pro vo-
2. Cor. 6. bis effundetur in remissionem peccatorum, in quo emi vos de vana conuersatione paternę traditionis, in quo
Apoc. 1. laui vos à peccatis vestris, et ab operibus mortuis emundaui conscientias vestras ad seruiendum deo viuenti: in
Heb. 12. quo educam vinctos de lacu in quo non est aqua: Qui
Gen. 7. melius loquetur quam sanguis Abel: Quia meus misericordiam, hic vltionem clamat et vindictam. *Vere est potus,*
Ioan. 4. quia qui digne eum bibit, non sitit in æternum. Sed hic ante omnia hoc notandum, quòd Christus duplex cor-
Ioan. 1. pus habet: Vnum quod accepit in incarnatione, quando verbum caro factum est & habitauit in nobis. Hoc corpus dedit percutientibus. Hoc vnxit Magdalena. Hoc dedit eis in cibum. Hoc suffixerunt Iudæi in crucem. Hoc petiit Ioseph sibi dari ad sepeliendum. Et hoc corpus Christi, viuum & perfectum consecratur in altari, & datur hominibus sub specie panis & vini: verum & integrum, sicut natum est ex virgine, ideo sub specie panis est Christi caro & sanguis, realiter, vere & essentialiter. Est ibi deus & homo, corpus & anima. Omnia insepara-
Ioan. 6. biliter, indiuisibiliter & concomitanter. Quia Christus
Rom. 6. semel mortuus est pro peccatis nostris, & amplius non
Leui. 15. moritur, mors illi vltra non dominatur. Sed ex quo vita hominis est in sanguine, ideo si corpus Christi sub specie hostiæ esset sine sanguine, necessariò sequeretur quòd

toties

toties moreretur, quoties hostia consecratur: Quia in consecratione sanguis à corpore diuideretur. Sed & tunc communicantes, corpus Christi mortuum acciperent. quod aures piæ expauescunt,& fides electorum damnat. Ergo consequens est quòd vnam speciem accipiens, totum Christum accipit:deum & hominem,carnem & sanguinem,corpus & animam:boni ad vitam,mali ad damnationem. Nihil ergo minus accipit qui vnam speciem accipit,quàm qui vtramq;:& qui vtramq;,nihil plus, quàm qui vnam: sola specie excepta. Aliud corpus Christi mysticum est,quod vnitas fidelium est,in fide vera & syncera charitate.De quo ait Apostolus:Vnus panis & vnũ corpus multi sumus, omnes qui de vno pane et de vno calice participamus. Et alibi: Multi vnum corpus sumus in Christo,singuli autem alter alterius membra. Et iterum:In vno spiritu,omnes nos in vnum corpus baptizati sumus,et omnes in spiritu potati sumus.Et iterum:Pater Christum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius:hoc corpus ædificatur per ministerium doctorum et pastorum.Et Apostolus adimpleuit ea quæ deerant passionũ Christi in carne sua,pro corpore eius, quod est ecclesia videlicet,fundanda,erigenda, riganda, et amplianda, et illud corpus totum ex capite Christo, per nexus et cõiunctiones subministratur et construitur in augmentum Dei. Pro isto corpore suo mystico redimendo,mundando,iustificando,et saluando, corpus suũ naturale natum de Maria virgine dedit in mortem,quia ipse est caput ecclesiæ, et saluator corporis sui.Hanc ecclesiam,quæ est corpus eius, ipse dilexit,et seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, etc.Et rursus:Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in vno corpore, et grati estote.De hoc corpore vere et proprie intelliguntur multa dicta: Nempe, Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. Istum sanguinem bibit, qui vere, recte et catholice in Christum credit. Carnem eius manducat, qui syncere Deum et proximum diligit. vel breuius: Hic corpus Christi manducat,iste vere sanguinem Christi bibit, qui in fide vera et syncera charitate dei, et proximi est, et manet. Vnde ait: Manete in dilectione mea, quia qui manet in charitate, in deo manet, et

1.Cor.10. Rom. 14. 1.Cor.12. Ephes.1. Ephes.4. Colos.1. Ephes.5. Ioan.6. Ioan. 15. Ioan.6.

deus in eo. Qui sic manducat eius carnem, & bibit eius sanguinem, habet vitam æternam. Et nullus vnquam potuit, potest, vel poterit saluari, nisi filij hominis carnem manducauerit, et biberit eius sanguinem, hoc est: Nisi per fidem veram, et dilectionem corporis ecclesiæ
1. Cor. 10 suæ membrum fuerit. Sic omnes eandem escam spiritualem commederunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt: biberunt autem de spirituali consequente eos petra: petra autem erat Christus. Meræ igitur imposturæ, nugæ, et fascinationes sunt, quicquid Lutherani de communione sub vtraque specie blaterant et garriunt, quibus mutabile vulgus et leues homines conturbant, ne obediant veritati. Sufficiant hæc in præsentiarum, latiora enim, quàm vt hic plene tractari possint. Sequitur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem.* De corpore eius et sanguine vero hoc accipi potest, prout in sacramento accipitur digne in vera fide
1. Cor. 5. et charitate: Vel, vt Apostoli verbis vtar, in azymis syncceritatis, quo ad affectus puritatem et veritatem, quantum ad intellectus luminositatem. Oportet enim accedentis voluntatem sine fermento malitiæ & nequitiæ esse, & omni iniquinamento carnis & spiritus, & à veteri fermento prorsus expurgatum, & intellectum sine omni errore, dubitatione & hæretica excæcatione esse, & lumine veritatis & fidei illuminatum, prout in epistola in die Paschæ plenius inuenies declaratum. At Lutherus, Satanæ apostolus, aliter suis cæcis canit: Nempe, quòd hi soli digne communicant, qui oneratas, afflictas, perturbatas, inquinatas & erroneas conscientias habent. Possunt etiam verba hæc accipi de spirituali manducatione carnis, & potatione sanguinis Christi, per fidem & dilectionem: & de vtraque sequitur fructus, quem operatur, quia, *In me manet & ego in eo.* Secunda expositio magis appropinquat ad scopum, & propius accedit ad veritatem. Hic est principalis & maximus fructus, quem pie viuentes in Christo, & imitatores dei in dilectione ambulãtes, & digne deo & euangelio gratiæ eius viuentes, ex hoc sacramento sperant, desiderant, & assequuntur, dum mensa domini participant, & digne hæc augustissima mysteria frequentant: nempe, vt deus in eis, &
Actu. 17 ipsi maneant in deo. Non solum vt deus in eis sit per generalem modum, quo cœlum, & terram implet. Hoc
enim

enim modo, non longe est ab vnoquoque nostrum, sic omnia in ipso constant, sic attingit à fine vsque in finem fortiter: & disponit omnia suauiter: sed alio fine introimus ad altare dei, & sumimus hoc magnũ pietatis sacramentum: nempe, vt maneat in nobis per inhabitantem gratiam, & nos in eo per voluntatis nostræ, cum voluntate ipsius concordiam, per voluntatis eius & iustitiæ operationem indefectibilem, vt ex ipso patre tanquã ex principio, radice & fonte, procedãt, pullulent & fluãt, omnia quæ cogitamus, loquimur, & facimus. Et per ipsum filium, qui est sapientia & forma, siue exemplar placendi Deo, & faciendi bonitatem & voluntatem patris, omnia nostra desideria, verba & opera regantur & operentur secundum suum exemplar. Sic enim secundũ exemplar illius in monte nobis monstratum, omnia facere debemus. Et in ipso spiritusancto, qui finis, requies & conseruator est, fiant ad gloriam dei, & salutem nostrã & aliorum promouendam. Sic mansit in Maria, cui Angelus dixit, dominus tecum. Sic discipulis suis promisit quòd spiritussanctus cum eis manere deberet in æternũ, & in ipsis esse: sic omnibus mandata sua facientibus pollicitus est: dicens: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui sic eum diligunt, in eis deus est, & illi in deo. Isti in veritate dicere possunt, cum hoc sacramentum digne accipiunt: In ipso viuimus, mouemur & sumus. Sumus propter patrem qui substantia diuinitatis est: mouemur imagine filij, qui nascitur ex patre diuino & æterno, velut motu, motus: viuimus in spiritu & secundum spiritum, in quo pater & filius quiescunt, & velut viuunt. Vel sic: Qui hoc sacramentum accipit, viuit in Christo, qui est vita: mouetur in ipso, quia vita est in illo, quia est veritas. Felices qui ex hoc sacramento hanc gratiam assequuntur quòd viuunt, ambulant, sunt & manent in Christo. Qui in illo viuunt quo ad ingressum & auspicationem boni. Mouentur ex virtute huius sacramenti ad profectum in bono, in gratia, in sapientia, & eunt de virtute in virtutem, & sunt stabiles & immobiles in bonitate, quo ad consummationem boni vsque ad perfectum diem, donec deus deorum in Sion videtur. Fructum istum, mali & charitatis expertes non accipiunt, quia longe à peccatoribus salus, & saluator

Luca 1. *Ioan. 14.* *Actu. 17.*

Christus. Peccata eorum diuidunt inter eos & deum, recedunt à deo salutari suo, abeunt in regionem longinquam, ibi adhærent diabolo, cuius opera & desideria faciunt: nolunt eum regnare super se. Sed væ vobis, cum
Luca 9. ille recesserit à nobis. Sunt qui nolunt eum recipere in ciuitatem vel domum suam. Sunt qui eum recipiũt, sed mox extra ciuitatem suam eiiciunt, & perderent eum, nisi per medium illorum iret. Alij lapidibus obstinationis eum fugant de cordis & corporis sui templo. Alij indigne hoc accipiunt ad iudicium & damnationem. Obiter nihilominus nota, quòd quatuor genera hominum in deo manent, & deus in eis, nempe, qui fidem veram confitentur, & Christum. Nam quisquis confessus fuerit,
1. Ioan. 4. quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo: per fidem nanque Christus habitat in cordibus fidelium. Qui charitatem custodiunt, quia deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. Qui præcepta dei custodiunt: qui seruat mãdata dei,
1. Ioan. 3. ait Ioannes, in illo manet, & ipse in eo. Qui Christo cõ-
1. Ioan. 2. formiter viuunt. Vnde Ioan. ait: Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Postremo, qui digne hoc sacramentum accipit, vt hîc dicit Christus. Sed hoc sacramentum ille solus digne accipit, qui veram electorum dei fidem habet, qui habet dilectionem synceram dei & proximi: qui præcepta dei custodit & ambulat sicut ipse ambulauit. Horum Lutherani nullum habent, ideo semper iudicium sibi manducant & bibunt. Et sic finis sit sermonis huius.

SERMO SECVNDVS.

Ioan. 3. SICVT *misit me viuens pater*, propter nimiã charitatem qua dilexit mundum, non vt iudicem mundum, sed vt saluetur mundus per me. *Et ego viuo propter patrem*, glorificãdum per mea opera: propter patrem manifestandum & cognoscendum per mea verba, vt pater
Ioan. 8. glorificetur in filio. Vnde dixit: Honorifico patrem meũ. Ideo quicquid egit, quicquid dixit, acceptum patri suo
Ioan. 14. retulit. Ergo dixit: Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor: pater autem in me manens, ipse facit opera. Et
Ioan. 10. iterum: Multa opera bona ostendi vobis ex patre meo.
Ioan. 7. Et alibi: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me

patris. Et alibi: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Et rursus: Pater, manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, & verba quæ dedisti mihi, dedi eis. *Et qui manducat me*, digne in sacramento, *& ipse viuet*, per gratiam & charitatem, *propter me*, hoc est, ad honorem & gloriam nominis mei ordinabit opera sua. Siue ergo manducet siue bibat, siue aliud quid fecerit, omnia in gloriam dei faciet & meam: sic Christo confixus est cruci, viuit quidem, sed non ipse, viuit verò in eo Christus. Et quod in carne viuit, in fide viuit filij dei, mortuus est mundo, & vita eius abscondita est cum Christo in deo. Et hoc modo Christus magnificatur in corpore suo, siue per vitam, siue per mortem: semper item mortificationem Iesu Christi in corpore suo circunfert, & sic vita Iesu in corpore suo & in carne sua mortali manifestatur. Viuit vtique propter Christum, & dicit: Mihi viuere, siue mea vita, Christus est, & mori pro gloria eius, lucrum reputa. Vnde nota, quòd Christus digne hoc sacramentum accipientibus, multis modis vita est: propterea ipse hunc panem vocat panem vitæ. Nam isti in Christo viuunt, sicut tutor dicitur vita pueri. In vmbra tua viuemus. Et Apostolus: In fide viuo filij Dei, quod nunc viuo. Secundò, quia Christo viuunt, vt hic dicit Euangelium. Sic redemptor dicitur vita damnati quem redemit, quia redemptus vitam suam ei debet. Hoc Apostolus astruit, dicens: Christus pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Et alibi: Nemo nostrum sibi viuit vita gratiæ & virtuosa, & nemo sibi moritur, vitiis & huic mundo: sed potius ad honorem Christi. Siue ergo viuimus, in fide & gratia, domino viuimus: hoc est ad laudem Christi & Dei. Siue morimur, mundo & vitiis, quæ est mors iustorum, domino morimur. Ergo siue viuimus in Christo, siue morimur in Christo, vel huic mundo, domini sumus. Tertiò, quia de Christo viuunt, sicut panis dicitur vita hominis, & vitis palmitum vita, & radix arboris totius & fructuum. Ego sum panis viuus, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet propter me. Quartò, quia per Christum viuunt, sicut causa dicitur vitæ effectus, quia effectus per causam viuit. Sic & caput est vita membrorum, & parentes vita prolium suarum. Ipse est via, veritas,

Ioan. 12.
1. Cor. 10
2. Cor. 4.
Phi. 1.
Galat 2.
2. Cor. 5.
Rom. 14.
Ioan. 6.

Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi, ſic mutantur in viros alios, nempe in viros Dei & virtutis. Et fiunt viri precioſiores auro obrizo. Iſte de cœlo deſcendit, humiliando ſemetipſum, vt nullus homo ſe apponat vltra magnificare ſuper teram, aut ſe putare aliquid eſſe, cum nihil ſit, & ſine eo nihil facere poſſit, imo, nec quicquam boni cogitare ex ſe, quaſi ex ſeipſo ſit ſufficiens. Deſcendit ipſe de cœlo, vt nos, poſtquam nos humiliauerimus ſub potenti manu Dei, eleuet in cœlum, & collocet cũ principibus populi ſui, in manſionibus quæ in domo patris ſui ſunt, iuxta merita operum vniuſcuiuſq;. Ibi retribuit vnicuiq; ſecundum iuſtitiam ſuam, & ſecundum puritatem manuum ſuarum retribuit illis. Sed & permanentior eſt panis iſte vitæ, quàm erat manna Iudæorum: nam iſtorum manna defecit, & ſe manducantes ad breue tempus conſeruabat in vita temporali: noſter autem paſcit ad vitam æternam. Vnde dicit: *Non ſicut patres veſtri*, ex quibus deſcendiſtis ſecundum carnem, *manducauerunt* annis quadraginta *manna* in deſerto, *& mortui ſunt* ibidẽ omnes, qui ex Ægypto exierunt: Ioſue & Caleph exceptis, & hoc propter eorum incredulitatem, ingratitudinẽ & execrabiles variáſq; murmurationes. At, paſcha & manna noſtrum, digne ſumptum, à morte æterna præſeruat, vnde ait: *Qui manducat* digne *huius panem* vitæ & cœli, *viuet in æternum*, cum Chriſto in gloria. Nã in pane noſtro Chriſtus, qui eſt vita noſtra, vere, realiter & eſſentialiter continetur, quod non erat in Iudæorum Manna. Item hic eſt ſpiritus viuificans, vnde dixit Capernaïtis: Verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: ſpiritus autem viuificat. Nam ſicut ſpiritus noſter vitalis corpus noſtrum viuificat, ſic ſpiritus in hoc ſacramento datus & ſumptus, animam viuificat. Ille corpus noſtrum, hic animam noſtram ne videat corruptionem, & moriatur in æternum, viuificat. Vere hic panis fons aquæ viuæ eſt, quæ ſalit in vitam æternam, Amen.

2.Reg.10 · 1.Pet.5. · Ioan. 14. · Pſal. 17. · Num.14. · Ioan.6. · Ioan. 10.

¶ Sermonem tertium de præparatione digna ad hoc ſacramentum, vide in die Paſchæ ſuper illius diei Epiſtolam, nempe:

¶ *Expurgate vetus fermentum &c.* Nec puto neceſſe eſſe eundem ſermonem hic repetere, & in eodem vſque oberrare corda. De communione ſub vna ſpecie, quod ſancta, catholica, pia & ſacris literis conſona eſt,

& salutem sufficiens, item, quòd communio laicorū sub vtraq; specie, nusquam sit præcepta, non est hic necesse longum texere sermonē, quia hoc à multis doctissimis & syncerissimis tam est multifariè multísq; modis declaratum & roboratum, quòd nihil amplius in hac parte potest desiderari: nisi aliquis noluerit intelligere vt bene
Rom.2. agat, & malitiam magis amet quàm veritatem, & de in-
2.Thes.2. dustria credere noluerit veritati, sed magis credere voluerit mendatiis & consentire iniquitati, & resistere veritati, sicut Iannes & Mambres.

SERMO TERTIVS, QVO'D SVB SPECIEBVS PANIS ET vini vere & realiter continetur Christus, & ibi est adorandus interim quòd species sacramentales durant.

Mat.26. ACCIPITE & manducate, Hoc est corpus
Marc 14. meū, Accipite & bibite, hic est enim calix san-
Luc.22. guinis mei &c. Lutherus impius, cū dolum
1.Cor.11 prosperari vidit in manu sua, & videns cum Herode quòd sic impie agēdo placeret Iudæis, hoc est, eis qui se dicunt euāgelicos & non sunt, sed sunt synagoga satanæ, tūc semper profecit in peius, no-
Act.12. cēdo adhuc nocuit, & in sordibus vsq; sorduit. Manū suā
Gen.16. cū profano Ismaële ferus & sæuus cōtra omnes mouit, nā cum indulgentias dānasset (nō solùm quia manifeste illis multi abutebantur, quod & nos confitemur) propter odiū Romani pōtificis, & purgatoriū sustulisset, exufflasset liberū arbitriū, turbasset Hierarchiā ecclesiasticā, negasset merita, exibilasset aquā benedictā cum sale, tandē os suū posuit in cœlū, & negauit sanctos cū Christo esse in cœlo, negauit eorū merita & intercessiones. Sed & in sandis blasphemiis matrē agni lacessiuit, (commmatibus maculauit, iniuriis affecit; quas longū foret prosequi. Et cū peccator ipse in istis desideriis suis & ausibus nefariis laudaretur adhuc à filiis Belial, tunc omnē pudorem posuit, faciē perfricuit, nec Deū amplius timuit, nec hoīes
Luc.18. reuerebatur. Venerat enim in profundum, & contempsit Dei districtū iudicium, irā & furorē iudicis, despexit ge-

hennæ

hennæ ignem æternum. Pro nihilo habuit regnũ à constitutione mundi iustis præparatum: tunc abstulit iuge sacrificium, contaminauit sacrosancta septẽ ecclesiæ Dei sacramenta, dãnauit & reiecit quinq; ex eis, vt peripsema & stercus terræ. Fecit iuxta voluntatem suã, & eleuabatur & magnificabatur aduersus omnes Deos siue sanctos: quoniã sancti Dij vocantur in literis sacris. Nec sic contentus fuit, sed & aduersus Deum Deorum, Dominum nostrum Iesum Christum locutus est magnifica, nempe, quòd desperauit in cruce, etc. Tandem, vt omnem dei cultum externum exploderet, omnes laudes Dei abrogaret, omnem piorum deuotionem extingueret, dixit et scripsit, quod festum corporis Christi, satanæ inuentum esset, et festum omnium sanctorum festiuitas esset omnium diabolorum: et hæc duo festa, cane et angue semper peius odisset. Missas votiuas deduxit in despectum, priuatas damnauit, tandem et solẽnes abominabiles fecit, et laudabatur adhuc in malitia sua. Postremo, eo impietatis profecit, quòd negauit Christũ in hostia adorãdum, cum eleuatur in altari: nec adorandũ in ciborio, vbi consecratæ hostiæ reseruantur, et honorifice reponuntur in ecclesia: imo, si ibi viderint hostias reseruatas, dicunt: Hîc papistæ diabolum suum habent inclusum, hîc diabolum adorant. Et si viderint sacerdotem in processione, vel ad infirmum sacramentum portantẽ, dicunt: Isti portant satanam, isti adorant diabolum. Eo impietatis dissimulata et impunita nequitia et malitia desertoris huius profecit. Qui reuera, vt Apostolus ad Elimam, dixit: Plenus omni dolo et omni fallacia fuit, filius diaboli, inimicus omnis iustitiæ, et nunquam cessauit subuertere vias domini bonas et rectas. Verùm contra hanc execrandam impietatem, prius duos iustos libros scripsi, ideo hîc breuissime, scopum istorum tangã, vt qui diligunt veritatem, qua se et alios in fide consolari possint, et confirmare, breuem doctrinam habeant. *Act. 13.*

¶ *Axioma, scopus & conclusio, peruersum dogma fabricatorum mendaciorum Lutheri, & assentatorũ eius, detegens, damnans, & traducens.* Corpus et sanguis Christi sub pane et vino, non sunt (aiunt filij desertores) priusquam verba consecrationis super panem et vinum proferantur, et à cõmunicante sumantur. Si verò cum prolatione verborum, nemo sacramentum accipit, vel panem et vinum,

vt ipſi dicunt, quantumlibet rite conſecratio facta ſit, mox corpus & ſanguis Chriſti ſub eis eſſe deſinunt: & nihil amplius eſt & manet, quàm panis & vinum:& qui ea adorat, idololatria eſt, & honorem deo debitum, tribuit creaturæ: quod eſt impietas maxima. Hinc venit, quòd ſi quæ hoſtiæ remanent populo communicato, eas canibus deuorandas in altari dimittunt, vel muribus rodendas, vel rapidis ventis diſpergendas. Et ſi quid vini remanet, hoc effundunt in terram, & pedibus conculcant, aut morionibus, aut ſcurris, aut mēte captis tradunt epotandum. Sic canes iſti impudentiſsimi, panem filiorum
Heb. 10. Dei contemnunt, & ſanguinem pretioſum, in quo nouū teſtamentum confirmatum eſt, pollutum ducunt, & tam execrabiliter inhonorant: & cum hæc fecerunt, manus
Mat. 27. ſuas lauant vt Pilatus, & tam ſunt innocētes, quàm fuit Pilatus, qui eum adiudicauit morti: & Iudas, qui ſanguinem iuſtum tradidit Iudæis: Imo Iuda ſunt & Pilato peiores, quia illi hoc ſemel fecerunt, Lutherani autem faciunt crebrò. Pilatus hoc fecit inuitus, vos ex profeſſo: Iudas doluit & peccatum ſuum confitebatur, vos lætamini in tantis malefactis, et in rebus peſsimis exultatis. Scripturis id aſtruere contendunt, et in verba malitiæ cor et linguam ſuam declinant ad excuſationes concinnendas in tam horrendis peccatis. Nam velamen malitiæ tam execrabilis, ex ſacræ ſcripturæ foliis ſibi conſuunt: ſed adulteratis et deprauatis, & per capillos ad hoc, atque inuitis et renitentibus, tractis. Nam ſicut Iudæi Chriſtum ſecundum legem ſuam occiderunt, quia contra legem Dei ipſe ſe filium Dei fecit. Sic et noſtri deſertores contra Chriſtum calcaneum ſuum leuant, eum conculcant, atque tota die impugnantes tribulant, et bellant aduerſus eum. Sic peccant ei, noſtri Eygenvuillij, generatio praua atque peruerſa. Hæc reddit domino, pro omnibus quæ illis retribuit, populus ſtultus et inſipiens. Fulciunt ſe inficiatores iſti, iſto verbo Chriſti: Accipite et comedite, Accipite et bibite. Sic eum ceperunt in ſermone proprio, ex ore ſuo eum iudicant, Reus eſt mortis. Crucifigatur. Etſi iam mori amplius non poteſt, nec rurſus crucifigi in corpore per vulnerationem et ſuffixionem in crucem, tunc contumeliis et conculcationibus, afficiamus eum in ſacramento, vt ſciamus re-
Sap 2. uerentiam eius, et probemus patiētiam eius. Ignominia
deſpectiſsi

despectissima inhonoremus eum. Et si vides hostias conculcari, vinum effundi & pedibus conculcari, & dicis ad Christum, Quid sunt plagæ istæ in toto corpore & immunditiæ? Nunquid non respondebit tibi, His plagatus sum, maculatus & conculcatus in domo eorum, qui diligebant me, nempe Lutheranorum, qui se amicos dicunt, & sunt inimici: Euangelicos & sunt satanæ synagoga. Sed audite. Comedite & bibite. Est hoc, Conculcate? effundite? date morionibus? derelinquite & proiicite canibus & muribus? Et nos dicimus & fatemur ingenue, quòd sacramentum propter vsum hominum conseruatur: vos additis canum & murium, & effusionem & conculcationem. Quod verò sub speciebus consecratis si cum prolatione verborum non accipiuntur in momento, in ictu oculi, dicitis desinere esse corpus & sanguinem Christi: impudens est & diabolicum mendacium, quòd à patre vestro qui nunquam stetit in veritate, didicistis. Nulla hoc scriptura dicit, nullus sanctus pius aut iustus hoc vnquam credidit vel scripsit Imò tota scriptura, tota dei ecclesia, columna & firmamentum veritatis, & omnes qui placueruut deo ab initio, hoc reclamant, abhorrent, execrantur et damnant. Imò nullus diabolus, nullúsque hæreticus ante Lutherum hoc ausus fuit scribere aut prædicare. Verùm, cùm in duobus iustis libris iam ostenderim huius peruersi et diabolici dogmatis falsitatem, et multis ac manifestissimis scripturis, veritatem catholicam roborauerim, hîc summis labiis paucos locos adducam, ne lectori sim tædio, et sermonis metas excedat in immensum labor assumptus.

Catholicum dogma de isto articulo, hoc est,

In sacramento altaris, rite facta consecratione, est et manet verum corpus Christi, sanguine plenũ, anima coniunctum et diuinitati vnitum, per se substantialiter, integrum et realiter quandiu visibiles species panis et vini, quantumuis paruæ videri possunt. Hæc conclusio, diuinum est oraculum et Folium Sibyllæ, quã qui corde non credit ad iustitiam, et ore non confitetur ad salutẽ infidelis est et infideli deterior. Christus igitur Iesus sapiẽtia patris et veritas ipsa, ait: Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc verba sunt Matthæi, Marci, Lucę et Pauli, à quibus

Rom. 10. *Mat. 26.* *Mar. 14.* *Luca 22.* *1. Cor. 11*

à quibus ne latum digitum discedere volumus. Quamprimum igitur verba hæc à sacerdote catholico, rite ordinato ab Episcopo catholico, super materiam debitam proferuntur, cum vera intentione, tunc vere, realiter & essentialiter est ibi corpus & sanguis Christi deus & homo, anima & caro, siue vsus sumendi adsit siue non adsit: permanet tamen perpetuò verbo dei, diuina & omnipotens virtus, quę transmutauit panis substantiam in corpus, & vinum in sanguinem Christi: et hęc sine vsu hominis alicuius ibi substãtialiter et realiter per se, virtute verborum Christi subsistunt, manéntque, donec visibiles species panis et vini manent. Neque apud vllum legimus Euãgelistam vel Apostolum, quod Christus dixerit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, si cum prolatione verborum accipitur, etc. Alioqui si non mox accipiuntur, in momento, in ictu oculi, corpus et sanguis in nihilum rediguntur. Amplius. si diuina virtus et substantia huius sacramenti penderet ab eo qui hoc vel accipit vel negligit, ita quòd si sumeret, vere ibi esset corpus et sanguis Christi, et hæc desinerent esse, si homo non acciperet cum verborum prolatione, tunc profecto consequeretur, quòd stultitia hominis Deo esset sapientior, et imbecillitas hominis accipientis sacramentum, fortior esset omnipotentia verbi dei, et verbum vitæ æternæ, virtutem mutuaret ab homine mortali, et summa maiestas verbi, subiaceret fragili atque vili homũtioni, qui vermis est et putredo, et vanitas ipsa, et nihil prorsus absque ope Dei, et Iesu Christi. Quod certe vt fieri nequit, ita impium est nedum dicere, sed et cogitare. nempe, quòd cessante vsu sacramenti, cesset et veritas illius, Sic enim remanentes hostias post vsum, semel et rite consecratas, rursus oporteret consecrari, quod abhorret omnis ecclesia sanctorum, et omnes qui pie viuunt in Christo detestantur. Proinde quid tam absurdum, et tam horrendum auditu, quàm immensam verbi Dei virtutem ex pręsentia vel absentia, ex pietate vel malitia hominis metiri? Quid magis impium, quàm inuictam verbi virtutem à fragili homine posse superari? Absit procul blasphemia tam execrabilis à victoriosissima verbi dei virtute quę omnia vincit, prosternit, conterit. Dat Deus in hoc augustissimo sacramento voci suæ vocem virtutis, quam nemo mortalium impedire vel labefactare potest. Hæc virtus mortuum,

panem

panem mutat in viuum corpus, ſangine plenum, cum ſacerdos catholicus ſuper panem profert hæc verba: Hoc eſt corpus meum. Ita fit & de vino. Nec dixit ſapientia patris: Vſu ſumentis fit, aut eſt corpus meum. Vſus tranſit & ſumptio, virtus & operatio verbi omnipotentis & eſſentia non tranſit. Præterea, non ab vſu & acceptione, ſed à conſecratione & virtute verborum Chriſti, veritatẽ & ſubſtantiam realem habet hoc ſacramentum. Ex philoſophia autem naturali & quotidiana experientia ſcimus ſubſtantiam poſſe per ſe ſubſiſtere, ſine vſu vllius hominis vtentis. Subſtantia autem huius ſuperbenedicti ſacramenti, eſt verum corpus & verus ſanguis Ieſu Chriſti: Neceſſe igitur eſt, vt ſub ſpeciebus panis & vini per ſe realiter ſubſiſtat, ſine vllo vſu vtentis, vel non vtentis: Aut ſcripturam claram, neceſſe eſt inimici veritatis adducant (Id autẽ ad calẽdas grecas, & cum mula pepererit, certus ſum facient) quæ dicat, quòd vſu ſaramenti ceſſante, ſiue nullo ſacramentum cum verborum prolatione accipiente, in momento, in ictu oculi deſinat ibi corpus Chriſti eſſe, & ſanguis precioſus in quo redempti ſumus, & loti à peccatis noſtris: ſic omnis iniquitas opilat os ſuũ. Duo autem verba hæc, nempe: Accipite & comedite: Accipite & bibite, non ſunt de ſubſtantia ſacramenti, ſed nec de ſubſtantia verborum coſecrationis, vt nemo non videt, niſi quem ſua malitia excæcauit, & tenebras magis diligat quàm lucem: ſed ſolummodo pertinent ad vſum. Itaque ſicut corpus Chriſti ſub ſpecie panis vere eſt ante vſum, ita certe ibi manet poſt vſum, ſi quæ hoſtiæ ibi remanent, quæ non ſumuntur. Non eſt igitur vſus de ſubſtantia ſacramenti, quod realiter per ſe ſubſiſtit. Quod & alio oſtenditur argumento manifeſtiſſimo, quod ne momus quidem carpere, nec zoilus ipſe ſuggillare poteſt. Nam ſi ante vſum ſacramenti ſacerdotis celebrantis & populi communicantis, vere & realiter ibi non eſſet corpus & ſanguis Chriſti, falſa & vana eſſent verba eius quibus dixit: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt calix ſanguinis mei, quod profecto vt eſt impoſſibile, ita nefas & impium eſt nedum aſtruere, ſed & cogitare. Inſuper ſi vſus eſt de eſſentia ſacramenti, tunc conſecrantẽ dicere oportet: Hoc erit corpus Chriſti, nempe quando ſumitur: nec conſecrantem oporteret prius verba proferre niſi quando actu in os communicantis panis & vini ſpecies ponit:

&

& toties eum oporteret verba consecrationis proferre, quot accipiunt sacramentum. Quod sicut ipsi non faciunt, sic etiam peruersum suum dogma, quod ore obganniunt, stentoria voce, operibus & factis propris destruunt, damnant & seipsos confundunt, & ore proprio
Mat. 26. traducunt. Sed & Christus Iesus, Matthæo, Marco, Luca & Paulo testibus, semel verba consecrationis, tum, panis tum vini protulit, & postea dixit: Accipite & come-
Luca 22. dite ex eo omnes. Et de calice: Accipite & diuidite inter vos. At inter diuisionem calicis reuerentem & deuotam quia vnius calicis fit mentio, quem accepit Christus in manus suas, non multorum, certe vel quartæ partis vnius horę, vel saltem octauæ partis tempus transiuit, ex quo sequitur, quòd super singulas hostias singillatim cum accipiuntur à communicante, non est necesse verba consecrationis proferre. Sequitur & secundo, quòd secta negat mendaciter, quòd aliquādiu post verborum consecrationis prolationem corpus & sanguis Christi, vere & realiter sub speciebus consecratis manent, vt ex Apostolorum communione patet: Et si plures ibi fuissent, qui cum Apostolis communicassent, diutius veritas corporis & sanguinis Christi mansisset. Breuiter: Dicant nunc sycophantæ Lutherani, si corpus & sanguis Christi sub speciebus manent ad quartale vnius horæ, quare non possent ibi manere & esse ad integram horam, vel ad vnam diem, vel donec species esse suum habent? Falsum proinde, impium & diabolicum est dogma, quo astruunt cum verborum consecrationis prolatione esse ibi quidem corpus Christi, sed nisi cum prolatione verborum accipiatur redigi in nihilum et euanescere, sicut et verba transeunt per quæ consecratio est facta. Muta proinde fiant labia dolosa, quæ in superbia et abusione aduersus deum et synceram ecclesię dei et sanctorum fidem, loquuntur iniquitatem, et impia dogmata tradunt. Aliis eadem veritas scripturis fulcitur, ad abundantiam propter peruicaciam inimicorum veritatis. Verum, licet ex professo et de industria obstinatum et datum in reprobum sensum nemo possit corrigere, et quanto clarioribus scripturis et plurioribus viam domini edocemur et veritatis, tanto obstinatior semper euadat et magis induretur cum Pharaone: nihilominus, propter seductos innocentes et simplices, per dulces sermones eorum et benedictio-

benedictiones, oportet prædicare verbũ, instare opportune & importune, arguere, obsecrare, increpare, & scribere in omni patientia & doctrina, vt cõuertantur ab errorib. suis, & saluentur, sed alteri sermoni hæc reseruemus.

SERMO QVARTVS IN QVO OSTENDITVR, QVOD CORpus & sanguis Christi in sacramento manent, interim quòd species retinent esse suum.

ADORATE dominum in atrio sancto eius. In templo sancto in Hierusalem Iudæi adorant deum, Samaritani, in monte Garisim. At nunc venit tempus & hora, quando veri adoratores, adorant deum in spiritu & veritate, in atrio sancto suo, hoc est, in superbenedicto altaris sacramento, quia medium quid est inter nos & domum dei, non manufactam, æternam & cœlestem, in qua facie ad faciem videtur, & ciues Hierusalem cœlestis in gaudio lætificat cum vultu suo. Hic autem per speciem huius sacramẽti, & quasi in ænigmate, solem iustitiæ, nube specierum tectum, fide videmus & adoramus: nam interim quòd species retinent esse suum, vere & realiter est & manet sub eis Christus, Neque enim in hoc maximo pietatis sacramento, verbum dei minus efficax est, quàm in cęteris rebus à deo per verbum suum factis & creatis. Imo, tanto maior & efficacior est verbi dei virtus & potentia in hoc augustissimo sacramento, quanto hoc alia Dei opera excedit. Verbum dei literis deformatum in papyro, calamo scribæ velociter scribentis, vel exaratum stylo ferreo, vel plumbi lamina, vel celte sculptorum in silice, manet quamdiu materia in qua scriptum est semel, esse suum retinet. Et verum corpus Christi ac preciosus eius sanguis, verbo dei viui & permanentis in æternum consecratus, non manet in sacramento interim quod species durant? Apagesis ista. Mansit vinum optimum quod ex aqua pura fecit Christus in nuptiis, donec fuit epotatum, quod certe ad horas aliquot fuit prolongatum, quia sex hidriæ plenæ fuerunt vino, si aliquid de eo reseruatum fuisset propter Christi reuerentiam & nouitatem miraculi, & vini bonitatem (vt multum probabile est) in multos

Ioan. 10.
2.Cor.5.
1.Cor.13
Simile vnum.
Iob 19.
Aliud. Ioan.2.

vel

nescit?instar bullæ in aqua,& imaginis in speculo apparentis redigitur in nihilum?solūmodo propter hanc causam(quæ nulla est)quia nullus in vsum hoc accipit?Quis deuorauit manna in arca reseruatum?nunquid non propter vsum Iudæorum fuit datum manna ? Vtiq;. Et fru- *Aliud.*
ctus omnes paradisi,atq; ligni vitæ,specialiter dati fue- *Gen.2.*
runt Adæ & Euæ in vsu : verùm, Adam & Eua istis non sunt vsi,ergo ne in nihilum redacti sunt fructus isti electi?Minime gentium.Nam & de ligno vitæ scriptum est,
& de fructibus eius , postquā protoparentes expulsi fue- *Gen.2.*
runt de paradiso,ne forte Adam mittat manum suam & sumat de ligno vitæ & commedat & viuat in æternum, viam paradisi illi præclusit , &c. Ecce fructus paradisi ad esum hominis facti,non amiserūnt virtutem & esse suū quando homo eis non vtebatur,sed retinuerunt virtutē suam quam illis contulit deus. Quare ergo hostiæ hoc non retinerent consecratæ?Tædet me toties impostorū mendacia & blasphemias repetere , quæ non pudet eos tota die obgannire. Verum,hanc impietatē sic cordibus multorum inseruerunt , vt ferme incredibile iudicetur, etiā ipsis seductis asserentibus , eum de cordibus eorum posse radicitus euelli.Ideo breuiter adhuc est ei immorandum.Dixit deus : De omni ligno paradisi cōmedite, excepto ligno vno,scientiæ videlicet boni & mali. Sic &
hic dixit:Accipite & cōmedite,& bibite.Verùm sicut fru- *Gen.2.*
ctus ligni vitæ & aliarum arborum in vsu esse suum specificum amisisset,& virtus illius in cōmendente mansisset,sic fructus ventris Mariæ benedictus , dum accipitur digne , esse suū sacramentale quod per verbū consecrationis accepit,speciebus corruptis amittit.Manet tamen in accipiente,et accipiēs in eo per gratiā et charitatē, et dat ei vitā æternam. Accipite et cōmedite:Accipite et bibite.At quis dæmoniorū vos docuit,quòd illud in barba vestra immunda suspēditis saliua et immūditiis plena? Quis item sanctorum vos docuit,quòd nihil piaculi est, nihil periculi est,nihil reuerētiæ Christo irrogatur in sacramento,si inter calicis potationē,dum de manu vnius in alterius calix porrigitur , bona pars vna effunditur in terrā,pedibus cōculcatur,aut super vestes vestras aut manus ? Sed qualia sunt sacramēta vestra dānabilia et profana,ex operibus vestris et verbis,affatim ostēditis. Reuera,homines frugi , morigerati et vrbani , sed et Iudæi

& gentes,honestius, diligẽtius & mundius panem suum materialem & quotidianum tractant, & potũ quo venter pascitur,quamuis deus & hunc & illũ destruet, quàm vos sacramentum altaris, si tamen sacramentum est, & non multo amplius illusio horrenda ac abominatio maledicta diuinæ bonitatis, charitatis & pietatis. Omnia vobis licent,etiam sanctum dare canibus, & margaritas spargere ante porcos. Sed rursus obstreperas, quod effunditur in terram, vel hæret in barba immunda,aut super manus effunditur & vestes, hoc non est mihi sacramentum.Idipsum & ego dico,dicit & hoc omnis ecclesia sanctorum.Fatemur ingemiscentes & dolentes, quòd illud quod sic perit de consecratione, non est vobis sacramentum.Sed nunquid illa vestra irreuerentia, negligentia, vel magis malitia vestra & perfidia ideo non est peccatum?vobis cedet impune?nõ vlciscetur à deo?Peccatum est,& peccatum ad mortem, dum non agnoscitis reatum,excusatis delictum,facinus ridetis,gloriamini in malitia tam execranda, & peccatum istud instar Sodomæ prædicatis,& non absconditis, & in rebus istis pessimis exultatis.Quid ergo?Nec Iudæis perfidis, nec gentibus idololatris,corpus eius quod crucifixerunt & sanguis roseus, quem effuderunt, ipsis fuit sacramentum, neque ablutio neque sanctificatio, neque iustificatio, neque magnificatio, neque glorificatio, sed mors, sed damnatio æterna. Ergo non peccauerunt Iudæi & gentes,morte turpissima condemnando eum, & sanguinem eius effundendo? At vos ipsis Iudæis & gentibus estis peiores,& magis peccatum habetis: quia illi semel sanguinem eius fuderunt, vos crebrò id facitis: illi hoc fecerunt, dum habitauit nobiscum in terra, in forma seruili,& quodammodo adhuc paruulus erat, & sub tuto-
Galat. 4. ribus,& nihil differebat à seruo: Vos tali eum contumelia afficitis,sic inhonoratis,postquam gloria & hono-
Psal. 8. re est coronatus, & super omnia opera manuum domini constitutus, iudex viuorum & mortuorum ordina-
Act. 10. tus. Illi ignorantes hoc fecerunt,vos ex professo & deliberata malitia:illi erant inimici:vos(si diis placet) amici estis:illi eum vulnerauerunt, vos additis super dolorem vulnerum eius, ergo estis supra modum peccantes
Hie. 3. peccatum.Nihilominus dicitis absque peccatis & innocentes nos sumus; quia frons mulieris meretricis facta est vo-

est vobis, non vultis erubescere. Imo, in his magnum obsequium dicitis vos facere deo, & deum sic promereri. *Ioan. 16.*
Sed frustra nitimini bonas vestras ostendere vias, qui ad damnationis vestræ cumulum, etiam alios vias vestras pessimas docetis. Sic inique agendo vsquequaque & audacter deum prouocando, diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnitis, & non vultis intelligere, quod benignitas dei, qua peccata vestra dissimulat, ad pœnitentiam vos adducit. At heu illo tempore abutimini in superbia vestra, & non vultis pœnitere, & quod horrendum est auditu & dictu mirabile verbum, dicitis, Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, in secta perditionis manebimus, & vnusquisque cordis sui mali prauitatem faciemus, in stercore nostro computrescemus. Vxores duximus, venire non possumus. Nolumus intelligere vt bene faciamus: Quia fecimus fœdus cum inferno, & pactũ cum morte. Posuimus mendacium spem nostram, & mendatiis rem nostram incepimus, promouimus, dilatauimus, & hactenus protecti sumus. Flagellum inundans cum pertransierit, nõ veniet super nos. Sed fallitis vosmetipsos. Subuertet enim dominus spem mendatij & protectionẽ. Tribulatio & angustia & indignatio & repentina calamitas irruet super vos, & interitus quasi tempestas ingruet. Atque id cum dixeritis pax & securitas & moram faciet Dominus. Sed veniet cito hora qua non putatis, & die qua non speratis, & partem vestram ponet cum infidelibus. Tunc delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Volui cantare receptui & hîc finem fecisse sermonis, sed cohærens materia, adhuc calamum effluere compellit. Dicitis, quòd effusus sanguis (quod habetis pro nihilo) & hostiæ remanentes à canibus siue muribus depastæ, non sunt vobis sacramentum. Idipsum & nos cum dolore, vicem vestram dolentes & perditionem, fatemur. Et adiicimus, Nec euangelium gratiæ & regni Dei est vobis euangelium, eo quòd illud pessime transgredimini, & opere non impletis, sed est vobis testimonium & condemnatio ad æternam damnationẽ, Sed & Christus non est vobis salus, vita, iustificatio, redemptio & resurrectio, sed magis lapis offensionis & petra scandali, dum verbis & factis ex professo, offenditis in eum. Solis enim obtemperantibus sibi factus est causa

Rom. 2. *Iob 24.* *Hier. 2.* *Ioel. 2.* *Mat. 22.* *Psal. 35.* *Esai. 28.* *1. Pet. 2.* *Esai. 28.* *Heb. 5.*

salutis æternæ. Et sicut fidem electorum, communem, viuam, sanam & probatam habētibus est Christus resurrectio: ita vobis qui fidem dæmoniorum, fictam, mortuā & oris tantummodo habetis, est positus in ruinam, & in signum cui corde, ore & vita contradicitis. Nam mandata Dei impossibilia dicitis obseruatu, solam fidem, impudentissime mentimini, sufficere ad salutem. Vbi nunc est gloriatio vestra de verbo dei? De euāgelio quod de sub scamno extraxistis? de Christo? de sacramento? Exclusa est per incredulitatem vestram, per ausus vestros detesta-
Tit. 1. biles, per defectionem vestram ab ecclesia dei, Christus nihil prodest vobis, atque nullis qui operantur iniquitatem, & lingua & ore solummodo eum confitentur, & fa-
1.Cor.11. ctis negant. Imo euacuati estis à Christo, à gratia excidistis, & iudicium vobis mādu catis & bibitis, quoties more vestro in fermento malitiæ & nequitiæ, mensæ Domini (vt vos dicitis) participatis. Amplius, lex Dei & euāgelium pacis, data sunt hominibus, vt opere obseruentur
Leuit. 20 & impleantur ab hominibus, vnde crebrò dicitur: Custo-
Deut. 4. dite leges meas, in viis meis ambulate. Seruate præce-
Matt. 19. pta mea. Hoc fac & viues. Si vis ad vitam ingredi serua
Ioan. 14. mandata. Qui diligit me sermones meos seruat. Docete
Ioan. 5. eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Hæc est charitas, vt mandata eius custodiamus. Tempus deficeret antequam omnes locos huius scopi in fascem colligerem. Si ergo sacramentum non manet sacramentum quando mox non accipitur, commeditur & bibitur, quia ad hunc finem consecratur, consequens est quòd lex dei & viuificum Christi euangelium, nec lex dei, nec euangelium Christi maneant, si non obseruantur, si opere nō implentur, si pessime transgrediūtur. Quia sicut sacramentum, gratiam, benedictionem, virtutem & naturam suam ex vsu suo habet (vt vos dicitis) quia ad hoc est da-
Gala. 3. tum: sic lex Dei, sic euangelium gloriæ beati dei, esse
Actu. 1. suum, virtutem, gratiam & veritatem perdit, quādo ope-
Heb. 1. re à vobis non impletur, quia ad hoc & lex in dispositio-
Esai. 3. ne angelorum data est, & euangelium regni à Christo
Psal. 49. ore proprio promulgatū: Iudæi vero citò & deum & le-
Ioan. 7. gem eius dereliquerunt, abiecerunt namque legem domini exercituum, & eloquiū sancti Israel blasphemauerunt, fiebat illis in opprobriū, et proiecerunt omnes sermones domini retrorsum. Imo nemo vestrū seruat legē

dixit

dixit Christus ad Iudæos. De euangelio quid dicam? Portatur in vestimentis, habetur in libris, prædicatur pro rostris in ecclesiis, disputatur in symposiis à fullonibus, laniis, cæmentariis, balneatoribus, & hoc maxime cum cœperint inebriari. Tunc sunt in qualibet arte magistri, & sapientiæ eorum non est numerus. Si quæris, quis seruat euangelium? Quis digne deo & euangelio conuersatur? Quis est imitator Christi, & ambulat sicut ille ambulauit in dilectione? Omnes ait Apostolus quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Omnes declinauerũt, ait Apostolus, à via veritatis euangelicæ, simul omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Omnes inuitati ad nuptias regales cœperunt se excusare & declinare corda sua & linguas in viam malitiæ, ad excusationes in peccatis concinnendas. Et quid est se excusare, nisi verbis & factis dicere, non possum Christũm imitari, luxum carnis, falsas diuitias, vanos honores relinquere, meipsum abnegare, crucem meam quotidie tollere & ipsum sequi, & sicut lex dei & euangelium Christi ex malitia & negligentia hominum nihil mutatur, nihil detrimenti, commodi vel incommodi accipit, atque nec deus ipse legis dator, ex obseruantia vel transgressione legis & euangelij aliquid vtilitatis aut nocumenti: sic etiam est cum sacramento. Multas hic theses et illationes transeo, gratia breuitatis, sufficit sapientibus, vel potius minus doctis dedisse occasionem. Ad hæc, sequeretur ex verbis istis, quòd Christus Iesus nõ esset finis legis, Messias Iudæis promissus, semẽ Abrahæ, in quo benedicẽdæ erant omnes gentes, radix Iesse et fructus Dauid: Non esset deus et homo, plenus gratia et veritate: quia sui eum non receperunt, eum negauerunt, noluerunt eum super se regnare, non est hic homo à deo dixerunt, sed Beelzebub, peccatorem, dœmoniacum eum blasphemauerunt. Sed nunquid idem ipse mansit sine vlla sua mutatione & vicissitudinis obumbratione? agnus dei & saluator mundi? quamuis sui eum non receperunt, sed indigne sicut vos iam sacramentum facitis, tractauerunt? Sequitur irrefragabiliter ad insanias vestras falsas. Hæc sufficiant in præsentiarum, qui hæc latius legere voluerit, legat lucubrationes nostras.

Ephe. 5. Rom. 3. Luc. 14. Rom. 10. Ioan. 1. Luc. 19.

SERMO QVINTVS, QVOD IN CIBORIO ET LOCO HONESTO *vel vt nostro more loquar, in monstrantia, hoc venerabile sacramentum potest & debet reponi.*

Psal. 41. ABYSSVS abyssum inuocat,dixit vir secundum cor dei,tum in bonis, tum in malis.In bonis euidens est,nam qui semel vere illuminantur per fidem, & perceperunt gustum gratiæ cœlestis, & charitatis quæ
Heb. 6. diffunditur in corda pie viuentiū in Christo, & spiritum
Rom. 5. sanctum acceperunt,gustauerunt etiam quàm bonus & suauis est dominus his qui sperant in eo, & recto sunt corde, gustauerunt insuper verbum dei quod est dulce super mel & fauū, & virtutes expertæ sunt futuri seculi: isti comedentes adhuc esuriunt,& bibentes adhuc sitiūt, eunt de virtute in virtutem, semper proficiunt in gratia, in sapientia in meritis, in virtutibus, adeò quòd profectus eorū manifestus est omnibus hominibus, donec viderint deum deorum in Sion facie ad faciem, & satiati fuerint per apparentiam gloriæ eius,& lætificati in gaudio cum vultu eius. Sic contrà, qui semel mutatur in arcum prauum,datur in reprobū sensum, desperat semeti-
Prou. 20. psum,venit in profundū malorum. Ille sicut leo & vrsus
Prou. 4. ruptis vinculis occidit & perdit,non dormit,nisi malefecerit,nec rapitur somnus ab eo, nisi seduxerit: laqueos mortis circa viam extenderit, verbum dei adulterauerit & deprauauerit,seduxerit gentes per dulces sermones & benedictiones, vias domini bonas & rectas subuerterit, nisi fascinauerit bene currentes, ne obediant veritati,
Gala. 3. nisi in medio pacem habentium immiserit discordias, nisi bonum & malum,& malum bonum persuaserit: lu-
Esai 5. cem tenebras,& tenebras lucem posuerit, nisi amarum in dulce,& dulce in amarum verterit.Et cum hoc fecerit, postea in ore suo sibi complacet,gloriatur in malitia, &
Psal. 48. quòd potens est iniquitate. Tandem lætatur cum mala fecit,& in rebus pessimis exultat:hoc est iniquitas maxima,& peccatū ad mortē,et in spiritūsanctum,quod non
Mat. 12. remittitur in hoc seculo,neque in futuro. Talis, quanto maiora dei dona accipit,tāto plus nocet in ecclesia, et plura mala fecit.Tales fuerunt omnes hæretici,maxime

Lutherus,qui ingenij sui acrimonia, scripturarũ intelligentia,gratia seminãdi verbum dei,tã misere,tã nocenter,tam deniq; dãnabiliter abusus est ad propriã & aliorum damnationẽ,vt nemo magis.Et vt innumera peruersa eius dogmata taceã,hũc in præsentiarũ articulũ eius solũmodo tangã,& expugnabo cũ dei adiutorio,quo impie docuit Christũ in sacramẽto,quod seruatur in ecclesia,nõ esse adorandũ,nec ibi esse Christũ, sed panẽ solũ.Ideo sacramentũ de ecclesia expulerunt, aurũ & argentũ in quo repositum erat magnũ pietatis sacramentũ,sibi diripuerunt.Criminantur nos adorare diabolum repositum & inclusum in monstrãtia,arguunt nos idololatriæ,quod seruimus creaturæ potius quam creatori,& honorẽ deo soli debitũ,damus pani. Similibus mendaciis & fraudiũ technis sacrosanctũ Missæ officiũ horrori suis cæcis fecit Lutherus, vt omnẽ verum dei cultum molitione hac pessima abrogaret,pietatẽ eliminaret,omnẽ deuotionẽ de cordibus die ac nocte deo in tẽplo sancto suo seruientium in sanctitate & iustitia,extingueret: & heu prosperatus est.Verùm in præsentiarum solũmodo hunc tuebor articulũ,quòd sacramentum altaris sub specie panis reponere in ciborio,adorare & honorare licitũ est,catholicum,sanctũ,piũ & in sacris scripturis fundatũ.Hunc articulũ etiã declaraui in duobus libris meis de permanentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, interim quod species esse suum retinent,ideo lectorẽ pro pleniori intellectu ad libros istos remitto.Ex hoc profluxit impio dogmate,ex hac radice mala pullulauit quòd sacramentum nullum seruatur in ecclesia,non portatur in processionibus solennibus,non defertur ad infirmos. Hanc pro sua impietate rancidam, futilem & indignam, cuius mentio fiat, adferunt rationem (quia scripturas nullas habent) indignum prorsus & impium est, Christum in monstrantia (vt sic loquar) & in cancellis ferreis, ac lapideis perinde ac in carcere includi & detineri. Tædet me blasphemias eorum comminisci, quæ eos non pudet effutire. Sic mali de malo thesauro cordis sui mali, eructant mala. Atque impossibile est, arborem malam ferre fructus bonos:& nescio certe,an in istis Apostolorum satanæ,magistrorum mendacij, cæcorum ducum, magis admirari debeam affectatam malitiam,an populi damnabilem

Rom.1. *Mat.12.* *Mat.7.*

inconstātiæ leuitatem. Sed istis insaniis falsis responsione vera est obuiādum, veneno huic aspidum insanabili,
Sap. 16. verbi dei malagmate (quod sanat omnia) est medicandū. Falsitatis istæ tenebræ horribiles & palpabiles, in quibus fascinati tenētur inclusi, veritatis lumine sunt fugādæ. Mera enim præstigia sunt quibus insanis illudunt, & fascināt leues & inconstantes in fide. Qui dum in dilectione vera non perseuerant, & in fide electorum, mittit illis deus operationem erroris, & credunt mendaciis & falsitati, atq; sic iuste condemnantur & pereunt omnes qui maluerunt iniquitati credere, quàm veritati, quā illibatā docet, docuit & docebit vsq; in finem ecclesia Dei,
Ioan. 16. per spiritum sanctum omnē veritatem edocta. Parergis omnibus ergo abdicatis ab ipsa causa auspicari volo, &
Axioma catholicū. dico, Pium, sanctum, deo acceptum, nobis per omnem modum vtile & necessarium, honorificū & catholicum est, sacramentum altaris sub specie hostiæ, in ecclesia, in vase mundo & loco tuto reseruare. Nec id indignū deo esse, nec probrosum Christo aut iniuriosum, ex scripturis & aliis eius operibus ostenditur multipliciter & manifeste. Quamuis enim cœlum, & cœli cœlorum eum capere non possint, cum sit magnus super omnes deos,
Psal. 114. & 146. & magnitudinis eius non sit finis, ideo nemo præualere potest, vt indignā ei domum ædificet. Et cùm cœli & ter
Act. 17. ræ sit dominus, non in manufactis tēplis habitat, tanquā indigēs aliquo, cùm ipse det omnibus vitā & inspirationē & omnia. Nihilominus sanctuarium & templum sibi
Exod. 25.
1. Par. 22. in Hierusalē ædificari iussit, vt in eo cum filiis Israel habitaret. Et quanuis iam cœlum & terram impleret, & nō longe ab vnoquoq; eorum esset (nam ante templi ædifi-
Hiere. 33. cationem et Iudæi & omnes populi, in ipso viuebāt, mouebantur et erant) tamen singulari modo cum ipsis voluit ex charitate habitare in templo. Eadem ex charitate tabernaculum iussit sibi fieri per Moysen in deserto,
Exod. 25. vt in illo habitaret in medio eorum. Et cum Deus spiritus sit, et illo in tempore carnem et ossa non haberet, in figura habitauit inter eos, et in arca, quæ vmbra futurorum bonorum fuit, quomodo Iesus Christus, imago
Heb. 9. ipsa rerum, nobiscum et in medio nostrum, postquam verbum caro factū est, habitare noluit, et esse nobiscum in sacramento, vsque ad seculi consummationem? Om-
1. Cor. 10. nia nanque illis contingebant in figura nostri, in quos

fines

fines seculorũ peruenerũt. Gratia hęc et veritas per Iesum Christum facta est nobis. Gratias proinde deo super inenarrabili dono eius. Ille ergo idem Deus qui tabernaculum et templum sibi fieri iussit, et sine sui iniuria in eo in medio populi, die noctúq; habitauit, ille idẽ Deus in plenitudine temporis homo factus, triginta tribus annis habitauit in nobis in terra, et cum hominibus conuersabatur, et viderunt gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratiæ et veritatis, et qui eum dilexerunt, et qui gratis eum odio habuerunt. Verùm, cùm hanc visibilẽ formam super astra cœli ad dexteram paternæ gloriæ voluit exaltare, tunc dixit: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad seculi consummationem, vt per hoc in seculis superuenientibus ostendat abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos, in tanto pietatis argumento. Ad hoc nihil eum nisi sua bona voluntas, et æterna charitas erga nos inclinauit, atq; exuberans bonitatis suæ abyssus et torrens. Nec possunt Christi verba de diuinitatis suæ præsentia intelligi, secundum quam omnia in illo cõstant, et omnia verbo virtutis suæ portat, et qua cœlum et terram implet, et tribus digitis molem terræ appẽdit: sic enim in illo omnia viuunt, mouẽtur et sunt, et hoc modo non est longe ab vnoquoq; nostrum, alioquin nihil in verbis istis specialis cõsolationis, gratiæ et dignationis nobis pollicitus fuisset Christus: quod nefas est etiã cogitare: ideo de pręsentia eius in magno pietatis sacramẽto isto, accipi verba ista necesse est, et eo modo quo honorifice seruatur in vase mundo et loco tuto. Nec effugij loc⁹ tibi est, si velis dicere, hęc verba de pręsentia eius in Missa accipiẽda esse. Quia reuera breue tẽpus est in quo sacramentũ tractatur in Missa. Nec horis pomeridianis, neq; nocturnis Missa celebratur in ecclesia dei: sed et vos nõ solùm priuatas, sed et solemnes Missas abrogastis. Insuper, iuxta insanias vestras falsas, corpus et sanguis Christi, sunt in speciebus, interim quod super eas verba proferuntur, et esse suum amittunt cũ verbis. Ad hęc cum vix dominicis diebus et in feriis magnis caninas Missas vestras faciatis et abominationes, ergo nõ est vobiscum sub visibili forma Christus omnibus, sed paucissimis diebus. Et in istis paucis diebus, tẽpore breuissimo. Quia interim q̃d verba consecrationis ab apostatis vestris et desertoribus, vitulorum sacerdotibus

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Mat. 28.

Ephes. 8.

proferuntur,imo, nunquam sic nobiscum est Christus, quia seductores vestri,ordinati nō sunt à catholicis Epi
3.Reg.12 scopis:ideo non consecrant.Sed sunt sacerdotes Hieroboam,secularium,mente corruptorum & reproborū circa fidem,temeritate intrusi.Panem pollutum vobis dāt, & vinum damnatorum,non corpus & sanguinem Chri-
Psal.108. sti.Maledictionem accipitis,quam etiam diligitis,& datur sic vobis, quia benedictionem accipere recusatis & etiam elongatur à vobis. Et induitis maledictionem sicut vestimentum in vestro sacramento,& eam commeditis & bibitis,& intrat sicut aqua in interiora vestra,&
Malach.2 sicut oleum in ossa vestra. Quia maledicit deus benedictionibus vestris. Repellit dominus altare vestrum pro-
1.Reg.13 fanum,& maledicit sanctificationi vestræ. Saul cum munia sacerdotalia obiuit,reprobatus est, Osias lepra percussus est,Chore,Dathan,& Abyron cum suis complicibus dehiscens terra absorbuit,& viuentes ceciderunt in
Esa.9. infernum. Neq; vos manum dei effugietis. Ipse perdet simul caput & caudam. Os domini locutum est. Nec nupera est hæc sacramenti reseruatio:sed omni sanctorū vnanimi consensu,fide & vsu approbata:Multis itē conciliis œcumenicis confirmata, & ad omne dubium abigendum,& ora loquentium iniqua de hoc sacramento, tam multis,magnis & stupendis miraculis confirmata,vt nullus fidei articulus validioribus asseratur:nēpe, quòd deus & homo,corpus & anima,caro & sanguis,vere,realiter & substātialiter sunt in hostia cōsecrata,& ibi manent interim quod species esse suū seruant,vt dictum est in sermone præcedēti.Sed quod Lutherani Christum in sacramento blasphemant,inhonorant,subsannant,cōculcant pedibus & maledicunt: quòd itē opera & miracula eius,quibus multis annis veritatem sacramenti & suam in ea præsentiam confirmauit,dęmoni adscribunt,à Pha
Mat.12. risæis didicerunt. Nam isti sua miracula quibus se deum & hominem missum à deo probauit, Beelzebub tribuebant: sic Lutherani in malitia, obstinatione & perfidia Pharisæis vel pares vel peiores, diabolo tribuunt miracula,quibus ostendit realem suam præsentiam in sacramento.Et sicut apostolos à fide & Christi amore non retraxit inuidia & blasphemia Pharisæorū:sic nos à sacramēti huius augustissimi fide,reuerētia & honore,nō
Mat.15. debet reuocare perfidia Lutheranorū. Alioqui cū cæco

illo duce, cademus in foueam damnationis æternæ. Insuper cum deus voluit Iudæos visibiles quoddã signum habere in quo cum eis erat, nempe arcam, quod deum & Christũ Iesum figurabat, in qua erant vrna aurea man na habens, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, super quæ erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: Ergo multo magis nos habere inter nos veritatem arcæ oportet, quæ est Christus Iesus, deus & homo. Nam ipse intus & fortis auro mundissimo charitatis est tectus instar arcæ. In eo fuit deus, anima & caro in vna persona signata, per tria quæ erant in arca. Diuinitas eius signatur per tabulas: anima & caro per manna. Christus regit omnia, est super omnia deus benedictus in secula, quod signatur per virgam directionis virtutis suæ, quæ est virga regni sui. Per tabulas in quibus lex dei digito erat descripta, anima Christi signatur, in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ dei erant absconditi. Cui datus est spiritus non ad mẽsuram, & plena gratiæ & veritate. Per manna, caro eius sanctissima ac mundissima est significata. Et hęc, verus est panis filiorũ, vera esca angelorum, & verus panis cœlorum, qui dat vitam mũdo & salutem. Hinc rursus Apostolus dominum introducit ad nos loquentem & dicentem: Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Quod etiam ad nos refertur, quibus ibi Apostolus scribit: Alioquin Iudæí meliores hac in parte nobis fuissent. Nec aliud est sacramentum vel signum visibile in quo Christus realiter, essentialiter et vere nobiscum sit quàm hostia consecrata: in qua nobiscum se mansurum omnibus diebus, omni momento tem poris promisit vsque ad seculi consummationem. Sic ergo nobiscum est visibiliter, quia sic fuit placitum ante eum. Quid ad nos si oculus tuus nequã est, eo quòd ipse tam bonus, tam benignus est et pius erga nos? An non licet ei facere quod vult? Debuit ne te in consilium suũ vocare, cum tam benigne facere voluit ecclesiæ suę sponsæ, et filiis regni, in bona voluntate sua. Non sic impie, non sic. Ipse omnia operatur secundum consilium volun tatis suæ, quę non potest non optima esse. O impie miser et miserande, quis es tu qui audes viscera misericordie dei culpare, et criminari super eminentem scientiæ Christi claritatem in hoc sacramento? in quo secundum

poteniam

Heb. 9.
Rom. 9.
Ioan. 3.
Matt. 15.
Sap. 16.
Matt. 28.
Mat. 11.
Mat. 20.
Psal. 50.
Ephes. 1.

Eph.3. potentiam suam facit propter bonitatē suam superabundantius, quàm petere audemus & intelligimus. Ipsi gloria in ecclesia sanctorum in omnes generationes seculorum, Amen. Tu licet rumparis præ furore, & inuidia cō tabescas, nos nihilominus corde credimus ad iustitiam,
Rom. 10. & ore confitemur ad salutem, quòd filius hominis Christus Iesus nobiscum est in sacramento, sicut in signo presentiæ suæ gratiose, visibili. Est ibi in mysterio mirabili, in sacramento fidei, in firmamento spei, in camino & flāma charitatis ardētissimo, in obiecto pietatis, in documento virtutum, in speculo ambulandi in hoc mūdo post ipsum & placendi deo, in vinculo perfectionis: Vt sic in hac lachrymarum valle, non simus absque cōsolatione dilecti: sed semper accessum habeamus ad ipsum in vera fide, in
Ioan. 14. firma spe, in charitate perfecta. Et procidere ante eum & adorare eum in fide, spe & charitate, & coram illo effundere corda nostra. Certissime scientes, quòd quicquid sic patrem eius in nomine ipsius petimus, accipimus. In fide adorauerunt eum electi in terris ambulantē in forma serui, In fide eum adoramus in forma panis & vini: Non
Ioan. 20. abiecit quod fuit, sed speciem mutauit. Nō magni refert qualis sit species eius, dū habemus veritatē naturæ eius. Sic fides suum habet meritum, dum credimus quod non
1. Pet. 1. videmus. Ideo beatus Petrus dixit: Quem cū non videritis diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis. Proinde filij lucis & obedientiæ ante thronum gratiæ
Heb. 4. Christi, videlicet hoc superbenedictum sacramentum, in fide, spe & charitate accedunt, ibíque misericordiam inueniunt, & gratiā in auxilio oportuno. Sed & certissime credūt, quod superbenedictum sacramentū, fidelibus est
Esa. 25. dei propiciatoriū, domus maiestatis suæ, tēplum gloriæ, cornu salutis. Est ibi fortitudo debilium, sanitas infirmorum, tribulatorum virtus, spes à turbine, vmbraculum ab
1. Tim. 6. æstu diei. Est ibi dei & hominum mediator, sequester & aduocatus. Est ibi panis esurientium & potus sitientium
1. Cor. 3. iustitiam. Est ibi lac paruulorum, cibus solidus perfecto-
Heb. 2. rum, via errantium, vita mortuorum, doctor paruulorum schola virtutum, vitiorum occasus, morum iubar, vitæ ordo, forma currendi post ipsum. Est ibi iustorum merces corona certantium, brauium contendentium in agone. Est peccatorum venia, infirmorum medicus, immundorum ablutor, cæcorum lumen. Est arcus fœderis, area propiciationis,

piciationis, dux itineris, virga directionis, petra refugij erinaciis, fons hortorum, puteus aquarum viuentium. Est in sacramento, vt pater cum filiis, vt mater cum vteri sui paruulis, vt adiutor cum pupillis, vt defensor cum orphanis, vt caput cum membris, vt frater cũ germanis, vt sponsus cum sponsa, vt amicus cum amicis, vt rex cũ subditis, vt dux cum suo exercitu, vt pastor cum ouibus suis, vt doctor & magister cũ suis discipulis, vt medicus cũ ęgrotis, vt cultor in vinea, vt vitis cum palmitibus, vt radix sancta & pinguis, cui inseremur vt fructificemus deo. Est ibi vt vnusquisque voluntati deseruiat, ad se clamãtes exaudiat, ad se confugientes defendat. Est ibi salus viuorum & mortuorum. Sed te nunc Luthere conuenio: Quid te offendit pusillus grex Christi, simplices filij Dei? Quid peccauit in te ecclesia iustorum, & paruuli malitia & lactẽtes, nondum capaces solidi cibi? In quo te læsit Christus, vt eum persequaris, & de domo maiestatis suę expellas, gloria & honore eũ spolias, laudes eius abrogas, claudis ora canentium eum? Ipse propter nimiam charitatem suam, vult nobiscum esse in hoc sacramento, sicut in gratiæ suę throno, sicut in magnifico suo ferculo, in voluptatis suæ horto, in lectulo suo florido, in maiestatis suæ solio, in adorationis suæ templo, in propiciationis suæ & exauditionis loco, in bonitatis suæ sanctuario, in deliciarum suarum paradiso: eo quòd deliciæ eius sunt, esse cum filiis hominũ. Quis ergo malus spiritus? Quæ malitia? Quæ perfidia te compulit, vt sic impie ageres contra Deum & filium eius Iesum Christum? Et cõtra nos miseros, qui sumus hæreditas Christi? Tu omnium flagitiosissime rabula, negando veritatem corporis & sanguinis Christi in sacramento, & illud vt abominandum idolum, vt diabolum & stercus terræ expellendo ex ecclesia, quoad potuisti & possibile tibi fuit, omnibus bonis gratiis & fructibus sacramenti nos spoliasti. Tu, (vt pauca gemens & dolens repetam) abstulisti nobis thronum gratiæ, propiciatorium misericordiæ, sedem bonitatis eius in terra collisisti. Tu domum maiestatis eius destruxisti, templũ glorię eius violasti, possessiones eius temerasti, sanctuarium eius prophanasti, polluisti tabernaculum nominis eius, sancta conculcasti & canibus dedisti. Tu mediatorem nostrum fugasti de terra, Deum expulisti de templo. Tulisti membris corporis Christi caput, regem militibus, dominum

Marginal notes: Cant. 4. (beside "in sacramento, vt pater cum filiis"); Prou. 8. (beside "minũ. Quis ergo malus spiritus")

num ſubditis,ducem exercitui & caſtris dei,diſcipulis ma giſtrum,filiis patrem,matrem paruulis,pupillis & orphanis adiutorem,diuitem pauperibus,infirmis medicum,lumen cœcis,panem eſurientibus,ſitientibus aquam viuam
Mat. 24. & fontem viuum abſtuliſti.Tu mortuis vitam,captiuis li
Eſa.58. beratorem,peccatoribus refugium,pœnitentibus dimiſ-
Ioan. 16. ſorem omnium debitorum,certantibus adiutorem,victoribus iuſtitiæ coronam,laborantibus retributorem iuſtę
Pſal. 51. mercedis exploſiſti.Et cùm hęc & infinita mala feciſti,lauas adhuc manus cum Pilato,& innocentem te à ſanguine huius iuſti, clamas.Imo quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit & Deo maximum obſequium , & quaſi qui iudicia Dei ſui non derelinquerit, gloriaris in tantis malitiis,& tam peſſimis rebus exultas:Sic vindicatorem euangelij, verum eccleſiaſten,apoſtolum & euangeliſtam,& eccleſiæ te iactas reformatorem? Obgannit impius cum deſertorum colluuie & Sathanæ ſynagoga atque diaboli filiis & apoſtolis:Nos liberamus Chriſtum de carceribus veſtris.vos impie agitis(dicunt viri mendaces)quòd Chriſtum includitis in cancellis ſicut malefactorem aut furem,imò ſicut vrſum ſęuientem aut leonem graſſantem aut lupum rapacem,iugulantem,perdentem & occidentem.Non decet hoc,Ipſe liberauit vos,& illum incarceratis.Vincula veſtra dirupit,& ſeris ferreis eum conſtringitis.O inſaniam papiſtarum.Si vult apud vos eſſe, cancellis & ſeris non eſt opus Si non vult vobiſcum eſſe,fruſtra operam hanc perditis. Inuitum nemo retinere poteſt.Non vult in loco includi, qui cœlum implet & ter-
Hier.33. ram. Nec in anguſto loco claudi aut contineri poteſt in
Pſal.122 terra , qui habitat in cœlis, & ſedet ad dexteram patris.
Heb,1. Ideo ſi dicitis,hic vel illic eſt Chriſtus,non credimus vobis papiſtis.Scopum ſummis labiis tetigi,inſaniarum falſarum,& mendaciorum quibus Lutherani ſe protegunt, & in quibus confidunt & ſpem ſuam ponunt. Quamuis autem adeo ſint falſa,apertáque mendacia, quæ ipſi atque oracula & Sibyllæ folia venerantur , vt indigna ſint quibus reſpondeatur : tamen propter ſimplices, neceſſe eſt vt breuiter doli & fraudium technæ manifeſtentur. Primum ergo hic oſtendunt & ſeipſos produnt,quòd indignius & falſius ſentiunt de hoc ſacramento & vſu eius
Ioan.6. quam Capernaitæ. Sic loquela eorum eos manifeſtat.
Mat. 26. Non eſt Chriſtus in ſacramento eo modo quo vos ſentitis,

titis, vt incarcerari,& ſeris poſſit includi aut contineri. Alioqui, quomodo ſimul & ſemel in multis hoſtiis eſt & in multis locis? Sic perfidiam veſtram ore proprio, nemine vrgente, proditis, & voſmetipſos traducitis. Nec eum ponimus in cancellis ſeris munitis, ad ipſum retinendum inuitum, cum ipſe velit omnibus diebus nobiſcum eſſe, vſque ad ſeculi conſummationes: ſed propter filios diaboli & Belial, qui nec Deum timent nec homines reuerenter, locus cancellis & ſeris in quo ſacramentum ſeruatur honorifice, clauditur, ne ipſi furari poſſint vaſa aurea & argentea, in quibus eſt repoſitum ſacramentum, & ſacramento irreuerentia poſſit irrogari quemadmodum per vos iam factum eſt vbicunque fixiſtis pedem, & virus veſtrum effudiſtis. Hoc vobis licuit, quia eos qui ſacrilegia talia & impietates animaduertere debuerunt, prius faſcinaſtis, & veſtimenta eius diuiſiſtis cum illis. Atque vnuſquiſque partem ſuam & tunicam accepit, Sic à rectoribus egreſſa eſt omnis iniquitas. Non eſt hic vel illic Chriſtus. Hoc eſt ſapere. Hic adrident omnes cæci Lutherani. Et dicunt: Acu rem tetigit, Et vnum hoc vſque ad nubes perducunt. Sed ſi hic & illic non eſt Chriſtus, quid vos tunc accipitis quando communicatis? Nunquid in hoſtia eſſe, non eſt hic vel ibi eſſe? Sed nec eſt in cœlo, neque in dextera patris, ne hic vel illic ſit Chriſtus. De pſeudochriſtis & faſſinatoribus populi, quales vos eſtis, ibi locutus eſt Chriſtus, non de ſeipſo: quod dicitis Chriſtum non poſſe in loco contineri vel eſſe, eiuſdem eſt farinæ. Tunc quæro, an etiam decem menſium tẽpore fuerit in vtero ſuæ benedictæ matris? Sed vterus iſte vallatus liliis, locus forſitan non fuit. Si ibi fuit, mendaces eſtis. Si ibi non fuit, inanis eſt fides noſtra, Lucas & Matthæus locuti ſunt falſa. Quæro item, an Chriſtus non iacuit in præſepio, an nõ fuit in domo, vbi eum inuenerũt tres magi? Forſitã nec templum dei locus fuit in quo præſentatus fuit parẽtibus exceptus à Simeône iuſto? Nec Aegyptus fuit locus in quẽ fuit delatus, nec Nazareth in quo fuit, nec dom⁹ Matthæi, aut Zachæi aut Marthæ in quib⁹ ad tẽpus fuit. nec nauis in qua dormiuit, nec crux in qua nos redemit, nec ſepulchrũ in quo cõſummatis operibus ſuis quieuit. Ex libatione iſta de maſſa iudica tanquam à facie colubri, fuge Lutheri doctrinam. Propter breuitatem, multa ſicco calamo pertranſiui.

Matt. 28. *Luca. 18.* *Pſal. 22.*

SERMO

SERMO SEXTVS, QVOD DECENS, PIVM, VTILE, ET CAtholicum est, in ciborio & cancellis sacramentum reponere, & semper habere præsens.

2.Pet.2. 2.Cor.11. Gal.3. Mat.24. FVTVROS diuus Petrus prædixit magistros mendaces, operarios subdolos, populi fascinatores, pseudoChristos, qui se in angelos lucis perinde ac ministri iustitiæ, Apostoli Domini, doctores verbi Dei, vindicatores euangelij forent, transfigurabunt. Sed introducũt sub pietatis prætextu, amicitiæ signis, zeli imagine, ouina veste, sectas perditionis, hæreses damnabiles, peruersa dogmata, dissentiones & offendicula. Per eos
2.Tim.2. via veritatis blasphematur, fides multorum subuertitur,
Rom. 16. corda innocentum seducuntur, mores corrumpuntur,
Tim. 6. nomen Domini & doctrina blasphematur, male loquuntur de deo, audaces, sibi placentes, in his quæ ignorant
2.Pet.2. blasphemantes. Isti vt Iudas apostolus ait, quæcunque suo animali iudicio non intelligunt (vel intelligere nolunt vt bene agant) despiciunt & blasphemant. Et quæcunque iuxta naturalem æstimationem & animale iudicium, quasi bruta animantia, quæ ad sensuum æstimationem, sine ratione agunt omnia, quæque eis secundũ iudicij cæcitatem recta videntur, in his corrumpuntur & pereunt. Ad institutum nostrum ista applicemus. Ecclesia Dei, ex spiritussancti magisterio, qui eam omnem veritatem docet, & ob causas pias, sanctas, graues & multiplices, sacrosanctum eucharistię sacramentum, honorifice reposuit in ciborio, custodiuit in loco firmo, cancellis ferreis & seris munito, propter timores nocturnos, & ne à filiis diaboli & Belial, vlla sacramento irreuerentia irrogari, & ne vasa pretiosa in quibus custodiebatur, à furibus possent auferri. At illud sycophantę nostri temporis calumniantur: non quòd de sacramento illis cura sit, sed quia fures sunt, & non solum de his quę à bonis, piis & rectis corde ad honoris diuini augmenum data sunt, furantur partem, sed omnia sibi diripiunt, & in suos vsus prophanos vertunt. Et vt fucum furto, velamen malitię, impietati suę & sacrilegio suo excusationem prętexant, in

In verba malitiæ corda sua mala, & linguas suas plenas veneno mortifero declinauerunt,dicētes:Indignū quod filius Dei,qui cœlum & terrā implet,in vno loco clauda tur.Nec debere Christū sicut vrsum aut leonem crudelē & iugulantem,aut sicut malefactorem includi in cancellis ferreis & seratis:Ille nos liberauit de potestate tenebrarum, vincula nostra rupit, & nos illum reddentes ei malū pro bono, & odium pro sua dilectione incarceremus.Opus ergo misericordiæ faciunt,dū redimunt incarceratū,& liberū abire permittunt,sicut angelus apostolum Petrū de manu Herodis eripuit,& de omni expectatione plebis Iudæorū. Non potest Christus,aiunt, in loco claudi,nec debet. Quia hoc indignū est suæ deitati,suæ gloriæ & maiestati.Hic scopus est,quo impietatē & sacrilegium suum pallianc. Ego autem vicem simplicium doleo,quos dulcibus sermonibus,& benedictionibus,& fraudum technis seduxerunt, ne veritati obediant & credant,vt salui fiant.Et sic fascinauerunt, quòd laudant eos in desideriis eorum impiis, et in sceleribus eos benedicunt.Doleo & vicem impostorum, qui propter fragmen panis,& momentaneos honores et delectationes,iustam dei iram et æternos cruciatus,sic promerentur. Respondeo breuiter:Non est mirum si non intelligunt hæretici quæ fidei sunt et pietatis:Tum quòd excæcauit eos malitia eorum:tum quòd nolunt intellectum suū captiuare in obsequiū fidei,sed patientes sunt in oculis suis.Vnde dum alta sapiunt:humilibus consentire nolunt,ad scientiā veritatis dei,sanctorum et salutis, venire non possunt.Sicut scriptū est: Abscondisti hæc à sapientibus et prudentibus apud semetipsos,et reuelasti ea paruulis.Quia ibi humilitas cordis,ibi est sapientia et gratia dei. Tum,quòd animales homines, spiritū Dei non habentes, non percipiunt ea quæ spiritus Dei sunt, Stultitia est enim illis,et non possunt ea intelligere, eo quòd nolunt intelligere, vt pie sentiant,et idipsum cum ecclesia dei, et bene agant.Hinc iusto dei iudicio, dum tenebras errorum magis amant quàm lucem veritatis, in vaniloquiū, falsiloquiū et impiloquiū conuertuntur. Et dū legis doctores esse volunt,non intelligunt secundum veritatem,nec ipsam Dei legē, neq; ipsa de quibus loquuntur sua impia et peruersa dogmata.Ideo euanescunt in cogitationibus suis,et magis ac magis de die in

Psal. 40. *Hiere. 33.* *Act. 12.* *Rom. 16.* *Sap. 2.* *2. Cor. 10.* *Esa. 5.* *Mat. 11.* *1. Cor. 2.* *Psal. 35.* *Rom. 15.* *Ioan 3.* *1. Tim. 1* *Rom. 1.*

diem obſcuratur inſipiens cor eorum. Atque dum dicũt, gloriantur & æſtimant ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiunt: Et in
Prou. 5. multitudine ſtultitiæ ſuæ, decipiuntur. Semper diſcunt, & nunquam ad ſcientiam veritatis perueniunt, interim quòd ſic in ſenſu ſuo abundant. De hac rurſus ſcriptum eſt: Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia. Et Eſaias: Sapientia tua & ſcientia tua, hæc te decepit. Et rurſus Hieremias ait de illis: Arrogãtia tua decepit te, & ſuper-
Rom. 11. bia cordis tui. At quis vnquã arrogantior Luthero? Quis ſapientior eo apud ſemetipſum? Ideo menſa ſacræ ſcripturæ facta eſt coram eo in laqueum interitus ſui & ſuorum, per erroneam intelligentiam qui eos in malo deti-
Rom. 7. nent. Et in ſcandalum, quia de peccato in peccatum eos ruere facit: Et in retributionem ipſis æternæ damnationis. In ſcriptura item ſacra, oculi intellectus impiorum obſcurantur, ne videant veritatis lumen. Et dorſum voluntatis & affectus ſemper incuruat, deprimit ac magis
1. Cor. 8. magíſque deprauat: Sic verbum & lex dei, quod eſt ad vitam, bonis & rectis corde, ex noſtra malitia vertitur nobis in mortem. Et quanto ſcientia cum charitate vnita magis ædificat eccleſiam dei, tanto ſcientia ſine charitate magis nocet, maioráque mala facit & inflat. Dicis quòd indecens abſonúmque fidei eſt, Chriſtum in loco aliquo contineri. Vt taceã, quòd ex carnali tuo ſenſu hoc garris, non intelligendo quæ fidei ſunt, nec ea ſapiendo quæ dei ſunt: ideo impie erras circa ſuperbenedictũ ſa-
Mat. 16. cramentum. Plurima ſuper ſenſum tuum: imo omnia in
Eccle. 3. hoc ſacramento ſunt quæ tu animalis & carnaliter intelligere non vales, nec percipis, quia ſpiritualiter examinantur. Pie vero agentibus, dat deus ſapientiã, & paruulis. quantũ illis vtile eſt ad ſalutẽ. Niſi credideris, non in-
Iob 36 telliges, iuxta tranſlationẽ 70. Crede vt intelligas. Noli
Luca 1. intelligere vt credas, de his alibi latius. Deus magnus eſt, & vincit ſcientiam noſtrã. At nũc ad cauſam: Si Chriſtum dedecet eſſe in loco aliquo, conſequens reuera eſt, quod non fuit decẽ menſium tẽpore in vtero ſuæ benedictæ matris. Non fuit poſitus in præſepio: Non fuit oblatus in templũ: Non pependit in crucis patibulo: Non eſt poſitus in ſepulchro. Ecce ſycophanta impie, & calũniator pietatis diuinæ. Illa miſericordia quæ cõpulit Chriſtũ vt x. menſiũ tẽpore habitauerit in ſuæ benedictæ matris vtero, ſicut in throno ſuo eburneo, in lectulo ſuo florido,

sido, in animato suo tēplo, in domo sancta, in voluptatis suæ paradiso, in vero Salomonis ferculo, in horto suo cōcluso, hæc eadē charitas, bonitas, benignitas & dulcedo sua eū cōpulit, q nobiscū dignatur in terris semper esse in sacramēto. Nam sic placitū est ante eū. Et cur obsecro oculus tuus nequā est, eo q ipse tā bonus est, suauis, mitis, benignus & clemēs? Offendit te, q hoc modo in seculis superuenientibus ostendit supereminentes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos, tanto pietatis argumento? Iam, si credere vales, quòd sine sui iniuria & dedecore Christus in vtero suæ benedictæ matris tot mensibus habitauit, tunc etiam crede quòd in hostia sine suæ deitatis irreuerentia, sine suæ humanitatis iniuria in ciborio reseruari potest. Vt sic nobiscum præsens sit vtique ad seculi consummationem. Hic considera maxime supereminentem scientiæ charitatem Christi, & sic implearis perfecte omnibus bonis dei. Cogita eum qui omnia potens est facere superabundantius, quàm nos petimus aut intelligimus, secundum virtutē suam qua operatur in omnibus quæcunque vult. Et tunc omne nubilum mentis fugatur, & oritur tibi serenū fidei orthodoxæ. Tūc cognosces veritatē, & veritas liberabit te ab errorū laqueis. Tunc velamen auferetur de corde tuo. Tūc veritas fidei & huius sacramenti in corde tuo incipiet lucere, ad illuminationem scientiæ claritatis dei in facie Iesu Christi. Sic olim vbi Ægyptij erant, ibi tenebræ horribiles & palpabiles erant, in quibus perinde ac in carcere Ægyptij tenebantur inclusi: vbi autē filij Israel erant, ibi lux maxima fuit, in qua cum iucunditate gratias domino decantabant. Et quandiu tenebris istis Lutherani sunt inclusi errorum, oculos habent & non vident: Videntes vident & non perspiciunt, aure audiunt & non intelligunt. Palpant sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectant. Ad hæc, si Christus in ciborio seruari non debet vt tu lallas, & hoc est ei indignum: eadem ratione nec debuit exire à patre, & venire in hunc mundum, qui totus positus est in maligno, & xxxiij annis hic cum hominibus conuersari. Peccauerunt parentes eius, qui eum detulerunt in Ægyptum, vbi septem soles exegit. Incarcerauerunt eum, qui posuerunt eum in sepulchrum, & lapidem magnum ad eius ostium aduoluerūt, ne corpori irreuerentia irrogaretur à quoquam. Si hoc

Mat. 20.
Ephe 3.
Ioan. 8.
2. Cor 3.
Psal. 113
Esaie 59.
Ioan. 13.
Ioan. 5.

vales boni consulere,non video cur illud iuste possis sugillare.Nam in omnibus suis operibus,& singulariter in hoc quod in sacramento nobiscum est præsens visibiliter,commendat nobis charitatem suam perpetuam, dilectionem suam spontaneam , benignitatis suæ viscera, bonitatis suæ abyssum,misericordiæ suæ diuitias,pietatis
Sap.1. suæ dulcedinem. Sentite igitur de deo nobiscum in bonitate:& de hoc sacramẽto. Et vt adhuc quiddam ad su-
Phil.2. perabundantiam addam:Si indecens est Christum in ci-
Sap.2. borio reponere , vt vos garritis : multo magis indecens fuit,eum suffigi in crucem , mortem turpissimã pati,tot horis in ea pendere,peccatum pro nobis fieri & maledictum.Male fecit pater misericordiarum,qui in eo posuit iniquitates omnium nostrum,et propter peccata populi tradidit in mortem,et percussit illum, eo quòd ipse peccatum non fecit.Peccauit Christus in sacramẽto se tradendo suis discipulis,Peccant omnes mẽsæ domini par-
Ioan.6. ticipantes. Nam dum Christus manet in manducante carnem eius,& sanguinem eius bibente,consequens reuera est,quòd dum homo sacramẽtũ hoc accipit, etiam digne,quòd tunc iuxta impium dogma vestrum , Christum in carcerem oris sui,corporis sui & conscientiæ suę malæ mittit.Dedecentissimum proinde est , mensæ domini participare iuxta insanias vestras falsas,& quis tam mentis inops, vt nesciat ciborium , siue vt more vulgarium loquar (monstrancias)mundiora esse,quàm peccatoris os,corpus & conscientia ? nam in multis offendi-
Iacob 3. mus omnes: Et si dixerimus, quia peccatum non habe-
1.Ioan.1. mus,mentimur.Amplius,iuxta Lutherum,iustus in omnibus opere bono peccat mortaliter,quia omne peccatum dicitis esse mortale,& distinctionem peccatorum in venialia & mortalia negatis:Ergò quando communicatis,peccatis mortale peccatum. Et tunc vere Christum in carcerem , in sentinam , in cloacam corporis & conscientiæ vestræ mittitis, & indecentissime incarceratis. Certe,multo carnalius,stupidius,repræhẽsibilius loquimini de sacramento isto augustissimo, quàm Capernai-
Ioan.6. tæ:Et hic in hac re nobis sunt excusabiliores. Certe car
Rom.8. nalis sapientia vestra,inimica est deo: Ideo eam perdet & reprobabit cum professoribus suis.Nos vero prædicamus Christum crucifixum , verè præsentẽ in hostia, quæ ad honorem dei & hominum salutem reseruatur.Quod

licèt Lutheranis hæreticis stultitia sit, nobis tamen virtus & dei sapientia est,& omnibus pie in Christo viuentibus. Et quod illis stultitia est, nempe: quòd hostia sic honorifice reseruatur, sapientius est omnibus hominibus. Et quod infirmum est Christi, quòd sic in cancellis clauditur, fortius est omnibus impiis Lutheranis. Volui aliquid dixisse, de modo quod Christus est in loco, iuxta vnionem eius ineffabilem, sed ex quo ista supra captum sunt pileatæ plebis, ideo non puto consilium his in præsentiarum diu immorari. Nam ibi oportet considerare vnionem ineffabilem diuinæ & humanæ naturæ. Deinde vnionis illius relationes mirabiles. Postea relationis concomitantias stupendas. Oportet item ibi considerare, quid sit esse in loco, quid sit personam Christi esse in loco, & quid sit corpus Christi esse in loco. Vel enucleatius: Oportet hic theologice in lumine fidei rimari, quomodo in sacramento Christus est, quo ad personam, corpus, animam & sanguinem suum. Tale enim esse theologi vocant sacramentaliter aut mysterialiter esse in loco,&c. Augustiora & profundiora sunt hæc, quàm vt ea simplices capere possint, et sermo iustitiæ, vt sapientia, quàm Apostolus loquebatur inter perfectos. Gratia Deo. *1. Cor. 1.*

IN SOLENNITATE S. IOANNIS BAPTISTAE IN EPISTOlam Exegesis.

Audite insulæ. Verba huius epistolæ, fratres dilectissimi, ad solem iustitiæ, lumen verũ quod omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, mediatorẽ dei & hominum Christũ Iesum, Esaias principaliter dirigit, qui caput est ecclesiæ sponsæ suæ. Verùm, ex quo Ioannes missus fuit à deo, vt testimoniũ perhiberet de lumine,& pararet domino plebem perfectã, ac fuit corporis Christi, quod sumus nos, nobile membrũ, eo quod inter natos mulierum nemo maior illo surrexit,& angelus fuit atq; angelum vixit, ideo quæ capiti conueniunt, etiam membris eius mystica interpretatione conueniũt & adaptantur, quamuis non in omnimoda & perfecta assimilatione. Sic diuus Gregorius papa, quatuor anima- *Esa.9.* *Ioan.1.* *Luc 1.* *Matt.11.*

Ezec.1. lia quæ apud Ezechielem describuntur, & Ioannem in
Apoc.4. Apocalypsi, ad Christũ Iesum, ad quatuor euangelistas,
& ad vnumquemlibet perfectũ in timore & amore dei,
Actu.10. acutissime & conuenientissime applicat. Dicit ergo aurora solis & præco iudicis viuorum & mortuorum. *Audi te insulæ*, & qui aures audiendi habetis, audite, & diligenter *attendite populi de longe*, omnes gentes quæ habitatis
Psal.48. orbem. Quiq; terrigenæ & filij hominũ, simul in vnum
Psal.65. diuites & pauperes. Venite & audite, & narrabo, omnes
Luca 13. qui timetis deum, quanta fecit animæ meæ. Maxime vos
Ephe.2. gentiles, qui longe fuistis à deo, non loco, sed merito, sicut & filius prodigus abiit in regionẽ longinquã, sed per exuberantem Dei gratiã & benignitatẽ prope facti estis in sanguine Christi. Fecit mihi magna qui potens est, & mirificauit misericordiã suam mihi, cum nondum natus essem aut aliquid boni egissem *dominus*, cœli & terræ, qui bonorũ nostrorum non eget, in benedictionibus dulcedinis me præuenit. Quia *ab vtero vocauit me*, per gratiam
Psal.30. suam. Imo etiam priusquã mater mea (iusta & iustitiam
Rom.9. diligens, incedens in omnibus mandatis & iustificationi
Psal.20. bus Domini sine querela cum patre meo) in vtero suo me concepit. Nam qui diues est in misericordia, misericordiã suam parentibus meis non abscidit in finem. Moram quidẽ fecit, sed dum longanimiter ferebant dei con
Luc.1. solationem, ad votũ sunt exauditi. Nam dum pater meus sacerdotio fungeretur, & dona offerret, & thus pro populo & pro suis peccatis, angelus Gabriel ei apparuit, gaudium magnum ei nunciauit, videlicet, quod deus ei filiũ in senectute de vxore sterili esset daturus, qui gaudio illi futurus esset, exultationi & honori. Sed nomen meũ expressit, & vitæ seriem gerendæ ordine prompsit, *de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, materna voce, paterna manu & lingua, nomen meum à deo mihi datum annunciando, cum cognati & noti patris nomine me putarent appellandum. Insuper, spiritu sancto me repleuit, dũ adhuc ventris obscuro cubiculo matris meæ cubarem, & à mortis sententia super Adæ propagationẽ fulminata misericorditer eripuit, vsum liberi arbitrij mihi dedit, quo dominũ meum præsentẽ cognoui, dum Maria virgo ma
Luc.1. trẽ meã salutauit. Insuper, in omni opere & sermone bono, per gratiã suã sanctus ex tunc me confirmauit, quia cor meum non reprehendit me de peccato mortali

omni

omni vita mea. Pro his gloriabor in domino, pro me autē nihil: Sed digitū ori meo impono, quia ea verbis asse qui nequeo. Nā si in domino gloriari vellē, nō essem insipiens, quia veritatē dicerē. Parco autē, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me. *& posuit os meum quasi gladium acutum*, ipse dedit mihi os & sapientiā. Ego aperui os meū, & ipse mihi impleuit illud, & dedit mihi spiritū sapiētiæ & intellectus. Ideo verbū dei, quod est gladius spiritussancti abunde habitauit in me, & docui in omni sapientia corripiendo omnes homines, vt exhiberē omnem hominem perfectū in Christo Iesu. Isto gladio accinctus fuit Ioannes super femur suum potentissime, quia cœpit facere & docere. Nihil alios docuit, quod per ipsum prius non effecisset Christus. Iste gladius est, quē Christus mittere venit in terrā. Sermo eius semper in gratia sale conditus fuit, ideo gratiā & ędificationē auditoribus præbuit. Os eius quasi gladius acutus fuit, dū prædicauit verbum salutis æternæ, dū institit, opportune, importune, arguebat, obsecrabat, increpabat in omni patientia & doctrina. Non loquebatur placentia, non vendidit oleum, non demulcebat peccantium capita, nō laudauit peccatores in desideriis, nec benedixit iniquos, non lætificauit in malitia sua regem Herodē, facem libidinis, sed increpauit eū dure, dicens: Non licet tibi habere vxorē fratris tui. Neq; lactauit in mendaciis suis principes Iudæorū & Sadducæos, sed potius dixit: Genimina viperarū, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Omnibus cōsilia salutis dedit. Iste gladius verbi dei penetrabilior est omni gladio ancipiti, quia pertingit vsq; ad diuisionē animæ & spiritus, cōpagum quoq; & medullarū, & discretor cogitationū est & intentionū cordis. Et filius hominis eundē gladiū vtrinq; scindentē habuit, & ex ore eius exibat dum aperuit os suū, & discipulos suos docebat & turbas. Iste est gladius aureus & sanctus, in quo deiicere possumus oēs aduersarios nostros. De quo vertex ait apostolorū: Si quis loquitur, quasi sermones dei. Alij gladium malignū in ore portant, quorū os abūdat malitia, & lingua dolos cōcinnat, peruersorū dogmatū, quo animas occidūt quæ nō moriūtur. Eorū lingua est gladi⁹ acut⁹. Isti acuūt linguas suas vt gladiū, & firmāt sibi sermonē nequam, falsum & hæreticū, multis scripturis & rationib⁹ ad hoc

Iob 27. *1. Cor. 12.* *Psal. 80.* *Ephes. 6.* *Colos. 1.* *Rom. 15.* *Mat. 10.* *Colos. 4.* *Ephes. 4.* *2. Tim. 4.* *Osee 7.* *Marc 6* *Mat. 3.* *Luc 3.* *Heb. 4.* *Apoc. 1.* *2. Mac. 15* *1. Pet. 4.* *Psal. 49.* *Psal. 56.*

Psal. 63. institutū falsè adductis. Scrutantur iniquitates, sed defi-
3. Esdr. 4. ciunt scrutinio, quia confunduntur, cū omnia vincens ve
ritas exerit caput. Iste gladius primo intrat in corda eo-
rū qui fabricant mendatia & colunt peruersa dogmata.
Deinde & populus in eo concluditur, & quod peius est,
etiam sacerdotes in gladio cadunt. Ioannes autem mul-
torū corda, frigida ab amore dei & duriora saxis, doctri-
na sua inflāmauit & emolliuit, quod fiebant sicut cera li
Hiere. 23. quescens à facie ignis. Nā verba eius erant quasi ignis,
& quasi malleus conterens petras. Insuper, *in vmbra ma-
nus*, & sub vmbra alarum suarum *protexit me*, à conuen-
Marc 6. tu malignantium, & à facie impiorum, (Herodis & assen
tatorum illius) qui me afflixerunt, annali carcere, & ple-
ctendo capite. Ideo inimicus nihil in me profecit, nec fi-
lius iniquitatis. Herodes nihil mihi nocuit, sed coronam
Sap. 3. gloriæ supra dorsum meum, iniquitatem suam prolon-
gando, fabricauit, & me sicut aurum in fornace probans,
thesaurū non deficientē in cœlo mihi cumulauit & the-
saurizauit. Sic quicquid Herodes scelestus & salax Hero
dias cogitauit de me in malum, hoc Deus totum vertit
mihi in bonum, & mihi cooperari fecit in salutem, *& po
suit me vt sagittam electam* & acutā: Nā per doctrinæ meæ
salutaris virtutē, auditorum corda vulnerauit charitate,
& sanauit gratia sua. Sic verba mea vulnerauerunt obsti
natos, & sanauerunt omnes contritos corde, & alligaue
runt omnes contritiones eorum, *in pharetra sua*, & loco
tutissimo, vbi malū non potest ad me accedere, nec fla-
gellū tabernaculo meo appropinquare, *abscondit me*, &
& custodiuit me sicut pupillā oculi sui. Imo, sicut nutrix
paruulū, mater vteri sui vnigenitum, tutor hæredem vni
uersorum, pedagogus puerum sibi cōmissum. In deserto
Iudææ etiam me quasi in sua pharetra custodiuit, me à
peruersorum hominum contubernio, ne cum peruersis
peruerterer, aut quid labis contraherem, donec facta ma
nu domini super me ad homines conuertendū, tanquam
sagittam electā de pharetra sua dominus me misit. *&
Gal. 4. dixit mihi: Seruus meus es tu Israel*, non peccati, qualis in
Ioan. 8. domo non manet in æternum, sed seruus bonus, fidelis
& prudens, seruus iustitiæ, qui liberatus aut potius custo
ditus à peccato actuali, mortali, seruus factus est Deo, &
exhibet membra sua seruire iustitiæ in sanctificationē,
in te glorificabor, quia per te manifestor mundo, et per te
lucrati

lucrati deo, in me glorificabunt deum patrē meum, et meæ gloria diuinitatis mundo annunciabitur, cū dixeris: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et iterū: Hic est filius Dei viui, maior me, cuius ego non sum dignus vt soluā corrigiā eius calciamenti. *& nunc hæc dicit dominus formans me ex vtero* matris meæ, quæ quamuis me in peccatis concepit, non tamē in peccatis, iræ et maledictionis filiū me genuit. *seruum sibi,* quando intra matris meæ vterū me spirituisancto repleuit, virtute ex alto induit, auxiliatus est mihi et cooperatus in omnibus quæ magnifice feci ad gloriam eius. *Dedi te in lucem gentium.* Hæc quantum ad Ioannē attinet synecdochicè dicuntur. Nam ipse ore suo, solis Iudæis prædicauit, et in dispersiones gentiū non iuit. Eatenus tamen lux gentiū est, quatenus vita eius angelica, et doctrina eius euangelica gentibus innotuerunt, quæ gentes ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos extimulant ad mundi contemptū et eorum quæ in mundo sunt, vrgēt, et ad digne deo viuendū et currendū post Christū in odorē vnguentorū suorū, adhortātur multū quidē per omnē modū. Fuit reuera, sal terræ, lux mūdi, et inter densas mūdi tenebras, sicut luminare magnū luxit ad gloriā dei. *vt sis salus mea,* iustè, sanctè et pie viuēdo, viā dei et veritatis in veritate docendo gratiā quā accepisti, sicut bonus dispēsator aliis cōmunicando, multos filios Israel ad dominū deū ipsorū conuertendo, et ante Christū in virtute et spiritu Heliæ procedendo, conuertendo corda patrū in filios incredulos ad prudentiam iustorū, et domino parando plebē perfectā. Vt sis item salutis meæ quam operatus sum in medio terræ, nuntius, *vsque ad extremum terræ. Reges videbunt,* quibus iustitię lumen lucet et sol intelligentię oritur, *& consurgent principes,* fide Christi suscepta, *& adorabunt* humiliter, deuote, et reuerenter, tanquam deū viuum at verum, *dominum deum tuum,* qui te vnxit et misit, quem tu prędicas, et ad illum suscipiendum viā, in deserto illi paras, *quia fidelis est* in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Neminem etiam supra id quod potest, tentari permittit, sed cōfirmat omnes sperantes in se in bono, et custodit eos à malo, quia amat animas. Beatus proinde omnis homo, qui sperat in eo et facit bonitatē. Quia bonus est Dominus sperantibus in eum et omni quærenti illum. Nam spem suam in eum proiicienti-

Gal. 1.
Mat. 5.
Philip. 2.
Mat. 22.
1. Pet. 4.
Luc. 1.
Psal. 72.
Sap. 5.
Psal. 14.
1. Cor. 10
2. Thes. 3
Psal. 33.
Threno. 3
Philip. 4

proiicientibus & curã, miseretur, hos protegit, eis opitulatur vt omnia bona in eo possint, eis in omni prouidẽtia occurrit, eorũ præces exaudit & saluat eos in regnũ suum cœleste. Nemo proinde diffidat de dei protectione
1.Pet.5. & adiutorio, nullus pusillo sit animo, sed omnẽ sollicitudinẽ in eum proiiciamus, quoniam ipsi cura est de nobis omnibus, eo quòd pusillũ & magnũ ipse fecit. Has igi-
Heb.4. tur promissiones habentes multa fiducia vtimur, & adimus ad thronũ gratiæ eius cũ fiducia, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in omni auxilio opportuno. *Et sanctum Israel*, Iesum Christum, qui est san-
Luc.1. ctus sanctorum, de quo angelus Gabriel ad Mariã dixit: Quod enim nascetur ex te, sanctũ, vocabitur filius Dei,
Psal.71. ideo eũ adorabunt omnes reges, & omnes gẽtes seruiẽt
Mat.2. ei, & tota die benedicẽt eum. Hinc tres magi procidẽtes adorauerũt eũ. Nec magnũ est hoc quòd homines eum honorãt, quãdo etiã in aprico est, quod adorant eũ om-
Psal.96. nes angeli eius. *qui elegit te*, ante mundi constitutionẽ, & benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus, vt sanctus esses corpore & spiritu, & immaculatus in
Ephes.1. conspectu eius in charitate.

IN DIE S. IOANNIS BAPTISTAE, IN EVANGELIVM

Homilia.

Luc.1. ELIZABETH *impletum est tempus.* Ma-
Psal.110 gna sunt opera domini, exquisita in omnes
Eccl.1. volũtates eius. Cũctæ res itẽ difficiles quę in præcinctu sunt, & non potest eas homo explicare sermone. Vnde omniũ sapientis-
Eccl.8. simus Salomõ ait: Intellexi, quòd omniũ operũ dei nullã potest homo inuenire rationem, suo studio & ingenij acrimonia: Maxime in negotio electionis & reprobatio-
Eccl.7. nis hominũ & gubernationis rerum humanarũ: nisi pater qui in cœlis est voluerit incerta hæc & occulta sapiẽtiæ suæ, ei reuelare. Et iterũ: Dixi, sapiẽs efficiar, curiositate ductus & honoris effectu, & ipsa lõgius recessit à me. Quia cũ homo accedit ad cor altũ, & sapientia inflatur, exaltatur vt deus. Sic mirabilis facta est sciẽtia dei à nobis, cõfortata, & nõ possumus ad eã. Multa enim recõdita sunt apud eum, et signata in thesauris suis. Sed sunt ne scru-

ne ſcrutandæ ſcripturæ? Eſt ne ſtudendum ſapientiæ? Eſt ne meditandū in lege domini die & nocte? Eſt plane. Nā ſicut beati ſunt immaculati in via, qui ambulāt in lege domini: Sic etiā beati ſunt qui ſcrutantur teſtimonia eius, & in toto corde exquiruntur eū. Sed corde humili. Quia, intellectum verum dat paruulis & veris humilibus, & piè agentibus dat ſapientiam veram, qua qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ dei, propter diſciplinæ dona commendati. Hinc iterum ait: fili concupiſcens ſapientiam (quæ de ſurſum eſt à patre luminum deſcendens, per quā ſanati ſunt, quotquot deo placuerunt ab initio, quæ amicos dei & prophetas ſola conſtituit, qua nihil eſt vtilius in vita hominibus, quæ ad regnum deducit perpetuum) conſerua iuſtitiam ſiue mandata Dei, & Deus præbebit eam tibi, cum hoc feceris. Nam in maleuolam animā nō intrat ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis: Sic intellectus bonus, omnib. facientib. timorē dei, qui declinant à peccatis & malo, & cuſtodiunt mādata illius. Illis ergo nempe humilibus, pie agentibus, iuſtitiā ſeruantibus & facientibus, dat deus ſapiētiam. Illi ſuper omnes ſe docentes intelligunt, & ſuper ſenes, in quib. eſt ſapientia, eo quòd mādata Dei quærunt & faciunt. Sapientibus autem & prudētibus in oculis ſuis & ſecundum carnem, qui ſapiētes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſciunt, & nolunt intelligere vt bene agant, deus pater & ſpiritus ſanctus, omnis veritatis doctor, iſtam ſapientiam abſcondit. Nec eam percipere poſſunt & intelligere, eo quòd ſunt animales, ſpiritu dei extorres, & ſtultitia eſt illis. Hanc autem ſapientiam veram, ſcientiam ſalutis, & prudentiam iuſtorum et ſpiritus ſancti, variis modis deus docet homines, quos elegit in Chriſto: Nēpe, per vnctionem ſpiritus ſancti immediatam, et verbum abſcōditum quo deus loquitur ad cor hominis, nunc per ſcripturas apertas, nunc per creaturas, nunc per ſeruos, nunc per miniſtros verbi dei et præcones euangelij. Sic apoſtolus ſapientiam loquebatur inter perfectos, et ducuit in omni ſapientia, vt exhiberet omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. Sed et ad hoc miſſus eſt Ioannes hominum ſanctiſſimus, vt daret ſcientiam ſalutis plebi Dei in remiſſionem peccatorum eorum, parétque Domino, tum exemplo vitæ, tum verbis ſanæ doctrinæ plebem perfectam in Chriſto: quæ perfecta eſſet in charita-

Pſal. 1. *Pſal. 118.* *Iac. 1.* *Sap. 7.* *Sap. 1.* *Pſal. 10.* *Prou. 16.* *Pſal. 118.* *Ioan. 12.* *Ioan. 16.* *Mat. 11.* *Ioan. 2.* *Pſal. 84.* *Oſea 2.*

Mat.5. te,ſicut & pater noſter cœleſtis perfectus eſt,& imitatrix
Ephe.5. Dei ſicut chariſſimus filius, et ambularet in dilectione
Col.4. quæ eſt vinculum perfectionis, ſumma,ſcopus, inſtauratio,et finis omnium diuinarum inſtitutionum. Sed iam euangelium diſpiciamus:in quo laus eſt et retexitur diui Ioannis ſtupenda.Nã in eo deſcribitur eius natiuitas iucunda,deinde nominis illius impoſitio digna. Poſtremo
Epheſ.1. Zachariæ conſolatio ſuperplena. Per omnia benedictus Deus,qui propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos,et maxime Ioannem baptiſtam,ſic mirificauit,quòd totus mundus à ſanctitate eius deficit,nec virtutum eius culmen,dignis laudum præconiis ad plenum efferre poteſt.Hic eſt,qui ſeipſum dedit exemplum omniũ bonorum operum,et qui ſeipſum formam dedit ex animo,ad
1.Tim.4. imitandum ſe,ſicut et ipſe imitabatur Chriſtum,quẽ nun
Tit.2. quam non in corpore ſuo glorificauit et portauit.Adeò quòd vita Ieſu ſemper in corpore ſuo manifeſtabatur,et in membris ſuis mortalibus.Nec id tunc ſolum cum perfectę erat ętatis:ſed et in vtero adhuc matris clauſus:gau
Luca 1. dens gaudebat in Domino,et exultabat in Deo Ieſu ſuo vt Lucas refert euangeliſta inter multa eius et ſtupendá encomia,quæ tranſeo gratia breuitatis, auſpicaturus ab eius ortu.Elizabet igitur,quæ coniugatis cũ viro ſuo exemplũ eſt,quomodo eos ambulare in lege Domini oportet et placere Deo, et omnibus hominibus in bono ad ædificationẽ:non quærendo quod ſuum eſt,ſed quod aliorũ,vt ſalui fiant.Prouiderunt enim ſibi bona Zacha-
Rom. 12. rias et Elizabet,non ſolum corã Deo, ſed etiam coram omnib.hominibus. Erant enim iuſti ambo ante Deũ in
Luca 1. cedentes in omnibus mandatis moralibus,et iuſtificationibus, id eſt, præceptis iudicialibus domini, quibus ad proximos et deum per legem rite ordinabantur. Et id ſine querela. Et ſic nemini dabant vllam offenſionem, ſed magis ſancte, iuſte et ſine querela omnibus adfuerunt:Sobrie, pie et iuſte vixerunt in hoc ſeculo. Digne deo & euangelio ambulando, per omnia ei et proximis placendo,in omni opere bono fructificando.Iſti duo vaſa ſua poſſidebant in ſanctificatione et honore , et non in paſſione deſiderij, ſicut gentes quæ ignorant Deum, et ſicut equus et mulus,quibus non eſt intellectus,ſuper
Heb.9. quos diabolus poteſtatẽ habet. Habuerunt connubium honorabile in omnibus bonis matrimonij.Nempe,quan

tum

tum ad fidem, prolem & sacramentum: de quibus grandis nobis sermo esset, & difficilis effatu, & thorum immaculatum. Et cohabitabant secundum scientiam salutis. Vel secundum conscientiam puram, qua cum timore dei con uenerunt & non cum libidine, solum prolis suscitandæ & educandæ gratia ad honorem dei. Et quamuis moram deus fecerit, in exaudiendo preces eorum, tamen misericordiam suam non abscidit vsque in finem, nec misericordiæ suæ oblitus fuit. Nam cum Elizabeth sterilis esset à natura, & ambo processissent in diebus suis, & nullam prolis suscipiendæ amplius spem haberent: Ecce, con tra spem prolis sanctissimę patri benedictio promissa est dum sacerdotio fungeretur coram domino. Et mox Elizabeth, in qua iam cessabant muliebria fieri, gratia dei naturæ defectum supplente (cui non est impossibile omne verbum) concepit filium, quo inter natos mulierum non surexit maior, teste Christo. Cuius eximias virtutes angelus Gabriel patri suo prędixit, & Lucas euangelista fideliter digessit. Postquam ergo *Elizabeth impletum est tempus pariendi*, quod tamen in mulieribus non est omnino idem: Omnia enim animalia certum tempus pariendi habent, excepta muliere: Quarum quędam in septimo mense, aliæ in octauo, aliæ in nouo, aliæ in decimo, aliæ (quamuis raro) in vndecimo mense edunt proles suas. Sed tempus pariendi Elizabeth, quod fuit in decimo mense, & est secundum communem cursum, impletum est. Tunc cum salute *peperit filium*, Luciferum solis iustitiæ in tempore suo. Qui fuit vox verbi, pręco iudicis, lucerna lucis. Et venit seruus ante dominum, amicus ante sponsum, parare domino plebem perfectam. Peperit filium suum primogenitum. Nam quamuis filiæ charæ sint parentibus, maius tamen gaudium filiorum natiuitas parentibus cumulat. Maxime, cum editus puer primogenitus & vnigenitus est parentum nobilium & potestate præditorum. Sic, licet ex muliere perditio sit orta, tamen saluatur mulier per filiorum generationem: Ita tamen, si ipsa permanserit in fide, ad deum, & dilectione, ad proximum, & sanctificatione, ad seipsam citra adulterium, & carnis curam non faciendo in desideriis, & sobrietate, ad virum proprium, vt eo moderate vtatur & in tempore suo. Est enim tempus amplexandi, & tempus longe fiendi ab amplexibus. Vt tempore menstrui,

Luca 1.

Gen. 3.

quattuor dimensiones: In altitudine cœlestis conuersatio nis & vitæ angelicæ, quia conuersatio eius in cœlis fuit, vnde & angelus domini vocatur: In profunditate humilitatis, qua se vocem clamantis in deserto asseruit, & se Christum, prophetam, siue Heliam esse negauit: In latitudine charitatis, qua patiens fuit, & omnia sufferebat. Charitas enim est latum mandatum nimis: In longitudine perseuerantiæ finalis, qua omnia sustinuit, in bonitate permansit, cucurrit, sic quod comprehendit, et in gaudium domini sui intrauit. Tertio ipsam spiritu sancto replēdo per Mariæ salutationem. Quartò eam personaliter visitando, cum, adhuc materni corpusculi Mariæ detineretur domo, requiesceret in lectulo florido, deambularet in voluptatis paradiso, portaretur in throno eburneo & magnifico Salomonis ferculo: Reuera, nō fecit taliter omni nationi. Vnde Elizabeth dixit: Et vnde hoc mihi, vt mater domini mei veniat ad me? Quintò, incerta & occulta sapientiæ suæ ei reuelando. *& congratulabantur ei,* super inenarrabili dono Dei. Sic vicinæ Ruth congratulantes, dicebāt: Natus est filius Noemi. Sic vno membro gloriante, omnia membra cōgaudebant, sic gaudebāt cū gaudente. Sic & Sara, nato Isaac, dixit: Risum siue gaudiū fecit mihi dominus, quicunq; audierit, corridebit mihi. Sic orto mundi saluatore, angeli gaudium magnum annūciauerūt, quod erat toti mundo profuturum. Et iuste quidē ac digne ei congaudebāt omnes qui expectabant redemptionē Israel, ex omnibus iniquitatibus suis, nam angelus domini hoc futurū prædixit. Erit qui ex te nascetur filius, dixit ad Zachariā, gaudiū tibi & exultatio, iuxta illud: Exultet gaudio pater iusti, & qui genuit sapientē, lætabitur in eo, & multi in natiuitate eius gaudebūt, gaudebunt, inq̄, quia supra naturam de sterili & sene natus, sicut Christus per spiritus sancti obumbrationē de virgine cōceptus est & editus. Tū quòd in vtero materno spiritu sancto repletus fuit, & à peccato originali purgatus instar Hieremiæ, sed excellentiori gratia prę illo muneratus, adeo, quòd raro venialiter, & nunquam mortaliter, peccauit. Gaudij vtique ratio magna fuit in Ioanne, præ aliis hominibus in sua natiuitate, nam quanuis in iniquitatibus conceptus sit à matre, non tamen est natus filius iræ & damnationis, sed gratiæ & vas electionis, ac spiritu sancto plenus antequā natus. Ad hæc quanuis mater

Phil. 3.
Matt. 11.
Ioan. 1.
Luce 1.
Ruth. 4.
Gen. 21.
Prou. 23.
Hier. 1.

eius in partu tristitiam habuit, ac edito filio pressuræ non recordabatur, quia tam magnum filium coram domino, in gratia, in sanctimonia & gloria edidit. Sed & puer in vtero matris, supra naturam ad vocem Mariæ exultauit. Insuper gaudii cumulus in natiuitate eius fuit, quia plenus sapientia & spiritusancto prodiit in lucem, quando cæteri infantes ignorantes, nasci comprobatur, &c. Hæc parentes secum reputent, & qui matrimonio iuncti sunt. Et parẽtum Ioannis sanctimoniam æmulari studeant, & tunc eis proles dabit, de quibus gaudium habebunt & meritum coram domino, omnibus diebus suis.

HOMILIA SECVNDA.

ET *factum est* aliud miraculum et magnum dei beneficium circa puerum editum, *in die octauo* ab eius ortu *venerunt* amici eorum et quorũ intererat secundũ legem dei et consuetudinem ritus illius et temporis, *cir-*
Gen. 4. *cuncidere puerum*, sicut præceptum erat à deo Abrahæ, sub mortis æternæ interminatione. Illo enim die circuncisio pueri iussa fuit. *Et vocabant eum nomine patris sui Zachariam*, quia angeli oraculum de nomine infantis ignorabant eum circuncidentes. Et sicut modo in baptismo, sic legis tempore filiis nomina imponebantur in circuncisione. Fœminis vero nomina dabantur tunc quando parentes et amici pro eis oblationes et laudes deo persoluebant. Si autem percunctaris, cur in circuncisione olim, et iã in baptismo paruulis nomina dantur, Respondeo quod tunc primò fit homo dignus nomine, quando nomen eius scribitur in libro vitæ, & vitam veram accipit gratiæ. Neque enim mortua quæ sunt, sua nomina propria habent antequàm nascuntur. Sic Adam post
Gen. 2. plasmationem similiter & Eua, nomina sua acceperunt.
& 3. Hoc autem modo fit in baptismo secundum communem cursum: quia in baptismo regeneramus, gratiæ vitam accipimus, filij dei efficimur, in militiam eius ascribimur, ad quod nomen proprium necesse est, habeamus. Inter oues item Christi annumeramur, quas ipse no-
Ioan. 10. uit & vocat ex nomine. Sic omnes electi & nomina eorum in libro eius scribuntur. Ac contra, infidelium nomina, & eorum qui post baptismi gratiam retro abeunt post satanam, delentur de libro viuentium, & cum iustis non

non ſcribuntur in cœlis,ſed in terra,iuxta illud : Domine,omnes qui te derelinquunt,cõfundẽtur,recedẽtes à te,in terra ſcribẽtur.Et iterum:Si quis peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.At cõtra:Saluabitur omnis populus,qui inuẽtus fuerit ſcriptus in libro vitæ,aliàs nullus. Inde eſt quòd diuitis purpurati et frumentarij nomina non exprimuntur à Luca,ſed Lazari,quia neſciuit eos,et nunquã nouit eos,quia non fuerunt ſcripta in libro vitæ. Volebãt autẽ Ioannẽ patris ſui nomine vocare,tũ quia primogenitus,tũ quia vnigenitus,vt ſic mortuus pater,manifeſtius in relicto filio ſimili ſibi,in omnibus bonis et nomine remaneret. Sic et Tobias filio ſuo nomẽ ſuũ impoſuit:quæ cõſuetudo adhuc crebro ſeruatur à multis.Et id obiter aduerte,quòd Ioannes nõ fuit circũciſus ob indigentiã remedij,quia prius ſpiritu ſancto plenus fuit,ſed propter obſeruantiã præcepti,et vitãdũ ſcandalũ aliorũ infirmorũ in fide.Tũ cauſa ſingularitatis declinãdæ,quæ ſemper odioſa eſt,et ad humilitatis veræ exẽplum dandũ. Sic et filius dei,agnus ſine macula,in quo princeps mundi nihil habuit,quia peccatũ nõ fecit,nõ propter remediũ culpæ,ſed propter eaſdẽ cauſas,cauteriũ et dolores ſuſtinuit circũciſionis.Sic et Maria puerũ ſuũ obtulit in templũ propter cauſas eaſdem. *Et reſpondens mater eius.* Elizabeth videlicet, *dixit*, ſicut eã docuerat vnctio,quam habuit à ſpirituſancto, aut maritus eam per ſcripturam informauerat,cum verba ore effari nequiret. *nequaquam* Zacharias vocabitur, *ſed Ioannes* iam *eſt nomen eius,* quod os Domini per angelum nominauit,et patri eius reuelauit. Vnde Ioannes ait apud Eſaiam : Dominus ab vtero vocauit me,etc.quaſi dicat: Nos ei nomen non imponimus,ſed iam habet impoſitũ à deo,antequã in vtero meo conciperetur. Habent hoc ſanctorum merita,vt à deo nomina accipiant. Sic Abraham vocatus eſt à deo, qui prius Abram dicebatur. Sic Iacob Iſrael dictus eſt,ſic Simon,Cephas,quod eſt Petrus,nominatus eſt à Chriſto. Sed notandum,quod in veteri lege nomina prænunciata quorundã legimus, bonorum et malorum.Bonorum tria:videlicet,Iſaac, Ioſiæ et Samſonis, in libro Iudicum, ſecundum aliam tranſlationem. Malorum ſimiliter tria:videlicet, Iſmael, Agag regis Amalech, Cyri regis Perſarum.In nouo autem teſtamento, Ioannis et Ieſu nomina ſunt

Pſal 138. *Hiere. 14* *Exod. 32.* *Dan. 12.* *Luc 16.* *Tob. 11.* *1. Ioan. 2.* *Eſa. 49.* *Gen. 17.* *Ioan. 1.* *Gen. 17.* *2. Reg. 3.* *Iud. 13.* *Gen. 16.*

prænunciata. Digne autem præcurſor Domini Ioannes eſt:nam Ioannes,domini gratia,vel in quo eſt gratia dei, interprætatur:ergo nomen hoc ei propriū fuit,tum propter gratiæ plenitudinē, quia ſpiritu ſancto plenus erat, tum quia tempus gratiæ inchoauit. Lex ſiquidē & Prophetæ vſque ad Ioannem.Lex vero per Moyſen data eſt, ſed per Chriſtum gratia & veritas facta eſt.Tum propter gratiæ plenitudinem,quam primus prædicauit, videlicet peccatorum condonationem, & glorię cœleſtis promiſſionem:Tum quòd multiplicem dei gratiam,ſicut bonus & fidelis diſpenſator erat diſtributurus gratis, ſicut gratis eam accepit à Deo. Sic vterque parens eius de exuberantia gratiæ eius ſpiritum prophetandi accepit, ad corda filiorum conuertenda ad dominum deum ſuum. Tum quòd omnem omnium angelorum & hominū bonorum, quantum poſſibile eſt,gratiā in ſe habuit & eius
Heb.1. vſum. Cum angelis,in miniſterium ſalutis miſſus fuit, propter eos qui hæreditatem ſalutis erant accepturi.Cū archangelis,magnum pietatis ſacramentum, & inueſti-
Hier.1. gabiles diuitias gratię Chriſti euangeliſauit.Cum principatibus ſuper gentes & regna conſtitutus fuit,vt euelleret & deſtrueret & diſperderet & ædificaret & planta-
1.Cor.10 ret.Cum poteſtatibus,conſilia & mutationes malignantium deſtruxit,malos cum omni imperio arguit: Malos ſpiritus & peſtilentes homines,ne obeſſent pie in Chriſto viuentibus,quantum volunt,coercuit. Cum virtutibus,mira fecit, in omnibus bonis operibus fructificauit, virtutibus diuerſis atque cœlum varietate ſtellarū ador-
Gene. 4. natus fuit.Cum dominationibus appetitui ſuo dominabatur,ſeipſum irrepræhenſibilem ſeruauit, cum magna reuerentia alios diſpoſuit & cum tranquillitate iudicauit ſecundū deum, & in deum omnia ordinauit & reduxit.Cum thronis ſedes erat Dei,& deum in corde ſuo & corpore glorificauit & portauit, Deus per os eius quaſi ex ſancto propitiatorio,pacē loquebatur in plebē ſuam, docuit vtilia,decernebat iuſta, reſpondit ſalutaria. Cum Cherubim profunda fluuiorum ſcrutabatur,introibat in potentias domini,quæ aliis generationibus filiis hominum agnita non erant,ipſe limpido intellectus ſui acumine penetrauit,& abſcondita ſacramenta regis Chriſti reuelauit & confitebatur(quod honorificum eſt) atque produxit in lucē. Cū Seraphim,lucerna ardēs et lucēs.

Surro

Surrexit sicut ignis,& verbum illius sicut facula ardebat. Ignis ille diuini amoris adeo in corde ipsius vehementer accensus erat & ardebat,quòd aquæ multæ eum extinguere,nec omnia flumina eum obruere valuerũt aut separare à charitate Christi.Sed hæc eum ad omnia bona vrgebat.In ea,omnia mala sufferebat & grauia,sustinuítque omnia propter deum & electos, vt salutẽ consequerentur,quæ est in Christo Iesu,cum gloria cœlesti. *2. Cor. 5.*
Cum patriarchis,per euangelium ipse nos genuit. Propheta altissimi & plus quàm propheta fuit.Cum apostolis Christum vidit & Christum prædicauit. Martyrum,& meritum & coronam habet.Confessorum rigorem vitæ, laborem in vinea sustinuit. Sic cum anachoretis & monachis parentes & omnia reliquit,obedientiam,paupertatem & castitatem absoluit perfectissimam.Doctorum prædicatorúmque maximus fuit.Quia pœnitentiam facere cœpit & docere. Et nihil alios docuit, quod prius per ipsum non effecisset Christus. Singulis item salutis consilia & documenta dedit, prout cuique opus erat & vtile.Virgo carne & mente purissimus in æuum permansit.Sic similem illum fecit deus in gratia sanctorum. Sic benedictionem omium gentium dedit illi dominus, & omnem gratiam abundare fecit in eo, & in omnibus semper omnem sufficientiam habuit.Nec gratia hæc vacua in eo fuit, sed abundantius omnibus cum ea laborauit,& in omne opus bonum abundauit. Merito igitur Ioannes dictus fuit, eo quòd gratia dei erat quod erat. *Matt.11.* *Luc. 18.* *Matt. 3.* *Rom. 15.* *Eccle.45.* *1.Cor.15*
Et dixerunt ad illam,qui circuncisioni Ioannis erant præsentes:Mirum est,quod tu dicis eum sic vocandum, *quia nemo est in cognatione tua*, magna & lata,forsitan nec vnquam fuit aliquis à tempore Aaron, *qui vocetur* & vocatus sit *hoc nomine*, excepto tamen tempore Machabeorum. Et id recte: Quia nullus similis Ioannis præcessit in gratia & sanctitate.Neque adhuc venerat plenitudo temporis,& dies salutis in quibus deus filium suum misit in terris propiciationem pro peccatis nostris: Sed tunc apparuit gratia dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, & diuitiæ gratiæ eius ex tunc superabundauerunt & oblatæ sunt omnibus sine delectu:Et idcirco miramur,quòd tam instãter vrges eum Ioannẽ debere vocari.At mulier es,quæ sub viri potestate esse debet:ideo viri tui qui te & naturæ ordine & officio sacerdotali quo *1.Mac.9.* *Titi. 2.*

Gen.3. fungitur,& auctoritate maior est, voluntatem super hoc
2.Tim.2. requiramus.*Innuebant autem* & signis seu nutibus sensibi libus per modum quæstionis significabant *patri eius* Zachariæ,*quem vellet vocari eum.*Ex quo patet,quòd Zacharias propter incredulitatem suam, non solummodo mutus,sed & surdus fuerat factus. Nam si audire potuisset, verbo non nutu ab eo quæsiuissent quo nomine eũ vocari voluisset.*Et postulans,*signo quodam & nutu,non verbo,*pugillarem,*tabulam in qua scribi poterat, scripsit, dicens verbo scripto,non vocali, teste Dionysio, *Ioannes est nomen eius.*Quasi diceret:Non ego,nec mater nomen ei damus,sed quod à deo est ei impositum,& per angelum mihi reuelatum pando.*& mirati sunt vniuersi* de conuenientia patris & matris,quantum ad infantis nominationem.Mirati item sunt in processu negotij miracula miraculis addi, tótque insolita & stupenda fieri. *Apertum est autem ilico os eius.*quod infidelitas clauserat iam fides reserat.*& loquebatur,*recte.Vnde sequitur:*benedicens,* glorificans & magnificans *deum,*qui percutit & sanat, vulnerat & medetur,occidit & viuere facit, pauperẽ facit & ditat,
Ose.6. humiliat & sublimat.Et cum iratus fuerit,misericordiam facit,& in tẽpore tribulationis , peccata dimittit his qui inuocant eum.Hoc autẽ pro certo habet omnis qui colit eũ,quod vita eius si in probatione est, coronatur corona vitæ.Si autem in tribulatione fuerit,liberabitur.Et si in corruptione fuerit, id est, in peccatis quæ ex ignorantia vel infirmitate fiunt,ex corruptione naturę humanæ per peccatum Adæ,ad misericordiam tuam venire licebit.Quia misericordiam vis & non sacrificium, & omnium misereris.Quia non vis mortem peccatoris,vel lætaris in perditionibus nostris, sed in nostra conuersione & pœnitentia.Hinc est quod post tempestatem tribulationum tentationúmque tranquillum pectoris & tempo
Psal.6. ris facis. Et post lachrymationem pro peccatis & fletũ,
Prou.1. exultationem de venia infundis. Sic & Zacharias, post
Heb.12. paternum flagellum, quo castigat omnem filium quem
Eccle.2. recepit,dum in dolore sustinuit & in humilitate sua pacientiam habuit. Ecce deus tristitiam eius in gaudium conuertit,quod nemo tollere potuit ab eo.Et loquelam quam propter incredulitatem eius abstulit, dum credidit,ei cum fœnore & gratia vberiori, nempe prophetiæ
Rom.8. dono, reddidit. Sic diligentibus deum, omnia coope-

rantur

fantur in bonum. Sic loquebatur magnalia Dei. Benedixit dominum omni tempore, semper laus eius erat in ore eius. Mutus est omnis homo, etiam si nunquam loqui cessat, tandiu, donec tacentia labia in laudes dei aperit, & feruens spiritu loquitur sermones bonos, qui gratiam & ædificationem fidei dant auditoribus, & diligenter ea docet quæ sunt Iesu & euangelij gratiæ Dei. His sic completis & visis. *Et factus est timor magnus* admirationis videlicet de his quæ facta sunt in ortu Ioannis. Sterilis enim & senex peperit, nomen singulare, contra morem puero impositũ fuit. Os muti, miraculose deus aperuit. Vel, factus est timor futuræ punitionis & iusti iudicij dei. Videntes enim pontificem summum, iustum, & omnem dei voluntatẽ facientem, sine querela vlla conuersatũ propter hæsitationem tam grauiter punitum, timebant sibi omnes, scientes & ex hoc secum reputãtes, quanta districtione malorũ auctores eorũ qui sine vllo timore mala perpetrant, audacter deum prouocant, peccata peccatis addunt & præuaricationes, deus punit & quorum iudicium iam non cessat, & perditio eorum non dormitat. Quia si iudicium primò incipit à domo domini, quis finis eorum, qui non credunt euangelio, inique agunt vsquequaque? Si naturalibus ramis non parcit, & amicis, qui faciunt quæ eis præcipit, dubio procul, nec oleastris, & contẽptoribus & inimicis suis parcet. Licet peccata eorum propter pœnitẽtiam iam dissimulet. Ego ait Iob, quando horum recordor, pertimesco, & concutit carnem meã tremor. Nam si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Et si filios quos diligit, sic flagellat pro paruis excessibus, quæ mala eos & tormenta manent, qui tendunt aduersus deum manum suam, & contra omnipotentem roborantur. Qui currunt aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armantur, vel armant se. Certe horrendè & cito apparebit eis, & veniet in die qua non sperant, & hora qua nesciunt. Imo, cum dixerint, pax & securitas, tunc repẽtinus eis superueniet interitus, & non effugient manum dei viuentis, in quam incidere, est horrendũ. Quis igitur non timebit te ô rex gentium? Hoc Balthasar rex Babylonis non fecit, ideo & vita & regno vna nocte priuatus fuit. Vnde Daniel dixit ad eũ: Tu filius Nabuchodonosor sciuisti omnia quæ patri tuo acciderunt, propter suã superbiã, & non humiliasti

Marginal notes: Col. 4. — Eccle. 8. — 2. Pet. 2. — Iob 24. — Iob 15. — 1. Thes. 5. — Hier. 10. — Dan. 5.

liasti cor tuum, sed aduersus deũ cœli eleuatus es, & deũ non glorificasti nec timuisti, ideo illa nocte interfectus fuit, &c. Timor inquam factus est magnus hic, *super omnes vicinos*, quorũ deus corda tetigit, & qui cõuertebantur ad cor, & rem tacite considerabant cum Iacob patriarcha, *& super omnia montana Iudaæ diuulgabantur omnia verba hæc*. Nẽpe de punitione & consolatione Zachariæ, & aliis circa puerũ & matrẽ eius gestis, Iudæis longe lateq; habitantibus nota facta sunt. Magna nãque & insolita, magnorũq; opera, dum mira sunt & omnibus proficua, omnibus nunciari solent. Nihil enim fama velocius mobilitate viget. Hæc enim audiũtur libentius, exquiruntur diligentius, referuntur lætius. Siquidẽ noua placent, vtilia
Tob.12. oblectant, insolita admirationẽ inducunt. Opera nãque dei reuelare & confiteri, honorificũ est. Si tacuerimus, dixerunt illi leprosi, sceleris arguemur. *& posuerunt omnes qui audierunt* magnalia quæ fecit deus circa puerũ & pa-
Esa.66. rentes eius. Quis enim vnquã audiuit talia, aut quis vidit his similia? *in corde suo*, quæ gesta erãt in cordibus suis cum Esaiæ vaticinio conferendo, & euentũ rei tacite præstolando, & desiderati cunctis gentibus aduentũ. *dicentes*, intra se & vnus ad alterũ. *Quis putas puer iste erit?* Et interrogatio esse potest & admiratio. Et huic respondit
Luca 1. angelus ad patrẽ dicens: Erit magnus coram domino. Et
Ioan.5. pater eius: Tu puer propheta altissimi vocaberis. Et Christus eum angelũ vocat, sanctissimũ ex muliere natum, prophetã & plusquã prophetam, Heliam, lucernã lucentem & ardentem. Sed & ipse de seipso ait: Ego vox clamantis in deserto, &c. Erat vtiq; amicus sponsi, vox verbi, preco iudicis, solis iustitiæ aurora, sanctitatis speculum, vitæ humanæ decus & forma, ciuis sanctorum & domesticus dei. *etenim*, pro quia. Hæc enim ratio admirationis & quæstionis fuit, quia *manus domini*, auxiliatiua, de qua
Psal. 88. scriptum est: Manus mea auxiliabitur ei, vt omnia bona possit, & brachium meum confortabit eum, vt inimicus nihil in eo proficere possit. Hæc manus domini, virtus, gratia, est auxiliũ, operatio supernaturalis Dei omnipotentis. *erat cum illo*, in eius conceptione, sanctificatione, exultatione & reseratione linguæ patris. Ex quibus colligebat, quòd maiora his deus cum eo facturus erat & per eum, temporis in processu. Iam euangelista Zachariæ canticum gratiarũmque actionem substituit pro tot
tan

tantisq; beneficiis dei collatis,& per Christum vlterius conferendis, vnde ait: *Benedictus dominus* omnium, iure possessionis,gubernationis & præsidētia.iuxta illud:Dominus omnium tu es.& in Psalmo:Dominus nomen illi. *deus Israel.* quia non fecit taliter omni nationi. Illum enim populū elegit deus sibi vt esset ei populus peculiaris de cunctis gentibus. Et causam huius reddit dicens, *quia visitauit* per incarnationē,sicut pastor oues, medicus ægrotos,diues egenos,potens captiuos, misericors, miseros. *& fecit*, per passionem, *redemptionem plebis suæ*, in sanguine suo,ab omni iniquitate,& de maledicto, & ex omnibus iniquitatibus suis,& ab inimicis nostris. Illi laus & gloria in secula seculorum. Amen.

Deut.4.
Psal.133.

IN SOLENNITATE S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI, Homilia in Epistolam.

IN *diebus illis.* Laudemus viros gloriosos & parētes nostros in generatione sua.Isti nāque sunt qui per euangeliū in Christo Iesu nos genuerūt. Nō filios iræ,maledictionis & gehēnæ,sed filios dei,lucis,gratiæ & hæredes benedictionis, & vitæ æternæ. Non ex semine maledicto,immundo & corruptibili,ex quo iniqua natio exoritur & naturalis malitia eorū cuius cūcta cogitatio cordis & sensus ad malū intenta & prona sunt ab adolescētia & omni tēpore. Nā qualē sementē quis facit,talē messem colligit,quia vnaquæq; arbor iuxta genus suum fructificat. Nec possibile est,quòd arbor mala fructus bonos faciat.At patres hi fidei nostræ,per quos ex deo nati sumus & renati ex semine benedicto,mūdo,sancto,incorruptibili,videlicet per verbū Dei,quod manet in æternū, per quod diuinæ cōsortes naturæ efficimur,& genus electū,regale sacerdotiū,gēs sancta,populus acquisitionis, ciues sanctorū,& domestici dei,filij altissimi,hæredes dei cohæredes Christi,dū fugimus eā quæ in mūdo est,cōcupiscētiæ corruptionē,ac digne deo & euāgelio eius viuimus,& seruimus ei in sanctitate & iustitia oībus dieb' nostris.Isti sunt viri misericordiæ,quorū pietates nō defecerunt.Et cum semine eorū permanet bona hæreditas

Eccl. 44.
Sap.12.
Gen.6.& 8.
Gal.6.
Mat.7.
1.Pet.1.
2. Pet.2
Rom.8.
Ephes.4.
Luc.1.

Eccl.44. promissa in cœlis. Sapientiam illorum narrant populi, & laudes eorum nunciat omnis ecclesia sanctorum. Quãuis autẽ sancti apostoli isti, quorum hodie triumphos recolit ecclesia Dei, sub vno tyrãno in eodem loco, & vna die calicem domini biberint & per gloriam martyrij ex hoc mundo transierint ad patrem qui in cœlis est. Ecclesia tamen memor quod omnibus bonis per eos repleti sumus, & liberati ab omnibus malis. Nempe à diaboli & peccatorũ dãnabili seruitute, reconciliati deo, illuminati per fidem, roborati per spem, vestem nuptialẽ charitatis syncerae induti, diuites facti in omni gratia & in deo, ideo duos dies venerationi eorũ destinauit, vel hoc ipso cõtestãs & testimonium perhibẽs, quãtopere Christianos omnes deceat his suae fidei praecipuis post Deum authoribus, ingentes, & singulares exoluere laudes & gratiarum actiones. Huius autem diei lectio simplex & plana est, si historiae seriem aspicimus solam, verùm, si rem gestam penitius introspicimus, ferme tot salutaribus vitae institutis exuberat, quot sententias in se continet, sicut hi sciunt qui mel sugere sciunt de petra & oleum de durissimo saxo. Sed mihi tempus non est, nec ingenij tanta dexteritas, vt omnia profunda historiae huius scrutari possim & abscondita eius producere in lucem. Hoc autem imprimis hîc aduertendum est, tres fuisse Herodes,
3.Reg.12 malitia pares & impietate, de quib⁹ scriptura sacra facit
Hiere.4. mentionem. Primus Ascolonita dictus est Idumeus, insignis tyrannus, impius in deum & venditus sub peccato vt faceret malum. Sapiens quidem fuit vt faceret malũ, bene autem facere nesciuit, nec intelligere voluit. Hic contra deum tetendit manum suam, & contra omnipo-
Ioan.15. tentem roboratus fuit. Voluit vitam occidere, lucem extinguere, ne salus per saluatorem in medio terrae operaretur, impedire. Stetit ecce draco iste ante mulierem, dolis instructus & plenus omni malitia, quae peperit expectatam cunctis gentibus salutem, vt deuoraret filium eius, pietatem simulans, vt impie ageret. Verùm, malitia non vicit sapientiam, consilium domini mansit, & consilium regis scelesti reprobauit. Nam postquam mulier filium suum peperit, qui omnes gentes recturus erat, fugit in Aegypti solitudinem, ac ibi donec transiuit ini-
Mat.2. quitas & contemptor dei de medio sublatus est, delituit. Interim filius diaboli patrem suum qui homicida

fuit ab

fuit ab initio,imitando,impium ferrum in innoxios par- *Ioan.8.*
uulos,quod horror est audire, strinxit. Alius Herodes
fuit huius filius, Antipas cognominatus, qui nunquam
rex fuit,sed solummodo Tetrarcha Galileæ.Iste decolla *Mat. 11.*
uit Ioãnem sanctissimum omnium qui nati sunt ex mu-
lieribus.Tandem accusatus apud imperatorem,Lugdu-
num Galliæ,in exilium missus fuit.Tertius Herodes A-
grippa vocatus fuit filius Aristoboli, & nepos Herodis
magni,genimẽ vipereum. Et sicut ex iniquis natus fuit,
testis & imitator etiam fuit aduersus parentes suos ne-
quitiæ eorum in interrogatione sua.Hic pauper & despe
ctus fuit in principio,sed permittente deo,qui etiam ho
minem hypocritam regnare nonnunquam facit propter *Iob 34.*
peccata populi,& quales sunt subditi,tales etiam eis re- *Osea 13.*
ges dat in furore suo deus. Quia dei prouidentia,in sua
dispositione non fallitur,rex factus fuit per imperatorẽ
Romanum.Tandem in Iudæam à Roma reuersus,à Iu-
dæis honore cum multo exceptus fuit. Ideo in gratiam
Iudæorum,occidit Iacobũ apostolũ,& incarcerauit Pe-
trum,vt lectio epistolæ iã habet.Igitur *in diebus illis*, quã
do Herodes Agrippa,impius accepit principatum, *misit*
ipse Herodes rex, qui regnauit, sed non ex deo, princeps
fuit,& deus eum non cognouit,sicut nullum cognoscit *Osea 8.*
operarium iniquitatis. *manus* suas crudeles ad effunden- *Luc 13.*
dũ sanguinem innoxium propensas,quas odit dominus. *Prou.6.*
vt affligeret tormentis variis sicut etiã fecit radix pecca-
ti,Antiochus,& multi alij qui contra deum tetenderunt
manus suas,& contra omnipotentem roborauerunt se,
perinde ac si fortiores deo essent. Sed domin' irrisit eos *Iob 15.*
quando venit dies eius.Nã gladius eorũ intrauit in cor-
da ipsorũ,& arcum eorũ confregit:Nã mox vt honorifi- *Psal. 36.*
cantur inimici domini & exaltantur,deficiunt quemad-
modũ deficit fumus. *quosdam* electos et amicos dei *de*
ecclesia iustorum, quæ est corpus Christi & eius sponsa.
Nec solummodo quosdam afflixit, sed profecit in peius. *Rom. 12.*
Occidit autem vt se gratificaret Iudæis perfidis,in repro- *Ephes.4.*
bum sensum datis, *Iacobum* Zebedæi filium, *fratrem Ioan*
nis euangelistæ, *gladio*, non propter opera sua nefaria, *Rom.1.*
quæ nulla designauerat,sed propter verbum dei,& testi
monium Iesu Christi. Sic semper qui secundum carnem
sunt, eos persequentur qui sunt secundum spiritum. *Vi-* *Apoc.1.*
dens autem scelestus ipse, *quia placeret* in facto tam in- *Gal.4.*

Act 7. iusto & nefario, *Iudæis,* qui in eadẽ dãnatione erãt. Nam oẽs prophetas occiderũt,& tãdẽ vt mensurã patrũ suorũ implerẽt, filiũ dei viui, in morte turpissima cõdẽnauerũt, suffigẽtes eũ in crucẽ. Sed & oĩbus hoĩbus pie in Christo viuẽtibus aduersabãtur, apostolos persequebãtur iniuste,& prohibuerũt eos loqui gẽtibus euangeliũ regni vt saluæ fierẽt, vt implerẽt peccata sua semper. Sic Ieza-
2.Reg.23 bel ob gratiã impij Achab, iustũ Naboth fecit lapidari.
3.Reg.22 Scelestus Doech, vt placeret Sauli inuido quẽ dñs proiecerat, sacerdotes dei innocẽtes lxxxv. viros cũ mulieribus & paruulis occidit vt se regi gratificaret. Hoc autem
Marc 6. serui regis facere recusauerũt. Sic ob gratiã Herodiadis
Marc 15. Herodes Antipas occidit Ioannẽ. Et Pilatus Christum,
Ioan.19. quẽ innocentẽ sciebat volũtati Iudæorũ crucifigendum tradidit, plus hoĩes quàm Deũ timẽs. Et hoc modo oẽs in Dei irã inciderũt & manus eius iustas, in quas incide
Heb.10. re est horrendũ,& hoĩm gratiã amiserũt,& inciderũt in
Psal.7. laqueos & foueas, quas effugere se velle putauerũt. Sequitur: *apposuit autẽ,* afflictioni quorũdã innocentũ,& occisioni Iacobi, *apprehẽdere & Petrũ,* putãs se Iudæis magis gratificari, si principẽ occideret apostolorũ & præci-
Gal 2. puã ecclesiæ columnã, qui prædicatione plures ad fidem Christi cõuerterat,& miraculis crebrioribus & mãdatis
Psal. 68. plus aliis apostolis doctrinã fidei cõfirmauerat. Vnde obstinati Iudæi, maiore odio iniquo gratis eũ odio habuerũt. Deũ immortalẽ, quot Herodes tales istis malis diebus mũdus habet. Qui vt placeãt malis & diabolo, tãta scelera horrẽda, tã impia, tã grauia designãt, quòd mirũ est quòd terra dehiscẽs eos non absorbet, vt Dathã cum suis cõplicibus, aut ignis de cœlo cadẽs eos nõ deuorat, sicut flãma peccatores illos combussit, quos rex Ochozias misit, vt comprehenderent Heliam. Sed deus qui nõ vult mortem peccatorum, in multa patientia sustinet vasa iræ apta ad interitum,& patienter agit, dans locum
Ezec.18. pœnitentiæ, sed illi eo in superbia sua abutuntur. Ideo
Iob 24. cum dicunt pax & securitas, tunc repentinus eis super-
1.Pet.5. uenit interitus, & sine vlla miseratione pœnis depu-
Exod. 12. tantur æternis. *erant autem dies azymorum*, id est, paschalis solennitas, in qua azymos panes comedebant Iudæi. Hoc dicit Lucas, vt rationem reddat cur Petrus non statim est occisus. Nam sic vulpis iste magis nequitiam suam coram hominibus, & dolosum cor occultat

cultat. Nam sic legales ritus foris seruat deferẽdo diei festo, abstinẽdo ab effusione sanguinis, & intus in cordis sui cubili iniquitatem & iniustitiam meditabatur. *Quem cum apprehendisset misit in carcerem.* Licitum putans in angustia carceris cruciare, quandiu non licuit occidere. Sic impius pium, iniustus iustum, malus bonum incarcerat, cuius nõ erat dignus vestigia pedum osculari. *tradens eum quatuor quaternionibus militum ad custodiendum*, ne posset elabi & effugere manus suas. Audierat enim Petrũ multa signa fecisse & prodigia in populo, quæ scelestus iste non virtuti diuinæ, sed magicis artibus tribuebat, *volens post pascha producere eum populo.* Sic rex iniquus, nihil nisi fauorem populi instabilis aucupabatur. Nam secum reputabat quòd amplior gratia esset, si ipsi eum occiderent, quibus grauis erat ad videndum, eo quòd princeps erat apostolorũ. *Et Petrus quidem*, seruus dei summi, princeps mundi, *seruabatur*, ab istis 16. filiis diaboli, *in carcere*, duro & tetro, sicut agnus inter lupos, vel lilium & rosa inter spinas. *Oratio autem fiebat sine intermißione ab ecclesia*, iustorum, quæ multum valet, cum est assidua *ad deum pro eo*, liberando de manib. quærentium animam eius & de multis tribulationib. quæ circundederunt eum. Sic vno membro patiente, cætera cõpati debent, & pro se inuicem esse sollicita. Hinc Hebræos laudat Apostolus, quod vinctis compassi erant: Mementote vinctorum pro fide Christi ita eis compatiendo & subueniendo, & ita subuenite eis, tanquam simul vincti essetis cum illis, quia sumus inuicem membra. Ideo omnia quæ velletis vt facerent vobis homines, si vos in ea damnatione & calamitate essetis, hæc & vos facite illis, & sic adimplebitis legem Christi. Hæc enim lex est & prophetæ. Sed væ temporibus nostris, quibus oues insurgunt in pastores, eos maledicunt, extinctos cupiũt, digni certe qui lupis rapacibus tradantur laniandi, hæreticis ad seducendum, & Turcæ ad puniendum virga ferrea. Discimus hîc, quod cum angustiæ nobis sunt vndique, & ignoramus quid facere debeamus, hoc solum nobis esse residuum, quod ad Deum oculos nostros leuemus in oratione deuota & continua. Cur non eripimur de malis quæ nos circundant, quorum non est numerus? quia sine intermissione ad Deum non clamamus in vero corde & in fide nihil hæsitando. Oratio iustorum, probro datur. Nam Deus voluntatem timentium

Psal. 35 · *Act. 5.* · *1. Cor. 12.* · *Heb. 10. & 13.* · *Mat. 7.* · *Luca 6.* · *Gal. 6.* · *2. Par. 3* · *Psal. 32.* · *Psal. 144*

timentium se facit, deprecationes eorum exaudit, & saluos facit illos, ac vindictam facit electorum suorum,
Luca 18. qui die ac nocte clamant ad eum. *Cum autem producturus eum* de carcere *esset Herodes*, Dei contemptor, morte plectendum, *in ipsa nocte erat idem Petrus dormiens inter duos milites*, non habens euadendi spem vlla via humana, ideo fideli creatori animam suam commendauit in oratione. Et ex mœrore magno & vigiliis erant oculi eius grauati, & obdormiuit. Sed cum deest humanum ad-
1. Pet.4. iutorium, tunc solet adesse diuinum. Nouit enim Deus pios de tribulatione eripere, & impios tradere pro eis.
Gen.11. Sic eripuit Abraham de vr Chaldeorum, filios Israel, de
Exod 24. manu Pharaonis & persequentis. Et vt multa paucis per-
Hier.38. stringuam, eripuit Hieremiam de lacu in quo non erat a
Dan.3. qua, tres pueros de camino ignis ardentis, Daniel de la-
6.13. cu leonum, Susannam de falsis calumniis senum, aposto los de carcere Iudæorum. *vinctus catenis duabus, & custodes ante hostium custodiebant carcerem.* Quatuor ecce difficultates cumulant custodiam, milites 16. catenæ duæ,
Act.5. carcer horribilis, & custodes, Dormiuit, quia iam mortẽ
Philip. 5. lucrum cõputat. Cupit dissolui et esse cum Christo. Tæ-
Iob 10. debat animam suam vitæ suæ, et Domino dicebat: Libera me Domine de morte corporis huius Quemadmodũ desiderat ceruus ad fontes aquarum ita desiderat anima
Psal.41. mea ad te Deus. Sitit anima mea ad te Deũ, qui es fons viuus, & desiderio desidero horam istam, quando veniam & apparebo ante faciem tuam, & videam claritatem tuã
Psal.141 sicut es, facie ad faciem. Libera me à persequentibus me quia confortati sunt super me. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iusti
Sap.9. donec retribuas mihi. Verum, ex quo corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & quamuis spiritus promptus sit, caro tamen est infirma, ideo somno opprimebatur. *& ecce angelus domini*, bonus *astitit* Petro ad eius libe-
Matt.26. rationem: iuxta illud: Immittit angelos Domini in circui
Psal.113. tu timentium Deum & eripit eos. *& lumen refulsit*. ex prę
Luca 2. sentia angeli lucis, *in habitaculo*, carceris. Sic cum angelus pastoribus ortum Christi nunciauit scriptum legimus & claritas Dei circunfulsit eos. Sic hic ad Petri consolationem lumen refulsit in carcere. *percussoque latere Petri*, tactu corporali vt excitaretur à somno *excitauit eum dicẽs: Surge velociter, & ceciderunt catenæ*, duæ *de manibus eius*, diuina

uina virtute confractæ & in nihilum redactę. Potuit & angelus catenas istas frangere. *Dixit autem angelus ad eum. Præcingere*, vt sis aptus ad ambulandum. resoluerat enim Petrus cingulum suum, vt vestis posset cooperire pedes, contra frigiditatem carceris. *& calcia te caligas tuas.* Caliga, est genus calciamenti, dicit glossa interlinealis : Indue te caligas tuas. *& fecit,* Petrus *sic. & dixit illi* angelus: *Circundans tibi vestimentum tuum & sequere me. Et exiens sequebatur angelum, & nesciebat quia verum esset quod fiebat per angelum.* Non putabat fieri in veritate, sed ostendi imaginarie. *existimabat enim se visum videre.* fortitudo enim carceris & diligens custodia fecerunt sibi imaginationem de euadendi impossibilitate, quod etiam verum erat via humana, propter quod rem gestam somnium esse putabat. *Transeuntes autem primam & secundam custodiam*, militum qui erãt oppressi somno. Vel si vigilabant, acrisia percussi erant, vt videntes non viderent, sicut & Sodomitas cæcitate percusserunt, quod ostium domus Loth videre & inuenire non potuerunt. Sic Syros Dominus cæcitate percussit, qui capere venerant Helisæum. *venerunt ad por-* **Gen. 19.**
tam ferream quæ ducit ad ciuitatem, Hierosolymam. *quæ vltro aperta est eis,* quia nihil potest virtuti diuinæ resistere. *& exeuntes processerunt vicum vnum,* ad maiorem Petri assecurationem. *& continuo discessit angelus ab eo,* iam plene sibi reddito. Et *Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio vere, quia misit dominus angelum suum & eripuit me de manu Herodis,* tunc enim percepit quod non fuit somnium sed res gesta. *& de omni expectatione plebis Iudæorum*, qui non minus mortem Petri sitiebãt quam prius mortem Christi. Sed deus coruũ delusit hiantem, Et scelestus rex prius vltricẽ mortem ignominiosam pertulit quàm Petrus morte sua deũ glorificauit. Sic deus dissipat cogitationes maligno- *Iob 5.*
orum ne possint implere manus eorum quæ cœperant.

IN DIE S.S. APOSTOLORVM
PETRI ET PAVLI
in Euangelium Sermo.

VENIT *Iesus in partes Cæsareæ* Philippi. cum fi- *Mat. 16.*
lius hominis in hunc mũdum venisset, quæ *Luca 16.*
rere & saluare quod perierat. Et pater cum *Ioan. 3.*
misisset in mundum, non vt mundum iudicaret, sed vt saluaretur mundus per ipsum,

Ad

Ad salutem ex parte hominis, primo requiritur fides, quę
Rom. 10. est salutis fundamentum, lapísque primarius. Cum impossibile sit sine fide placere deo. Ideo auctor salutis & fidei Christus Iesus, in hoc euangelio fidem dei, & Iesu Christi fundat per expressionem benedictæ suæ incarnationis. Deinde hanc fidem corde ad iustitiam habentem, & ore ad salutem confitentem, commendat. Postremò, ecclesiam fundandam in fide euangelicæ veritatis, pollicetur. Altera pars tangitur vbi dicitur: Beatus es Simon
Rom. 10. bar Iona. Vltima ibi: Et ego dico tibi. Circa primum ad-
Act. 10. uertendum, quod quamuis omnes prophetæ & tota lex Moysi Christo perhibuerũt testimonium quod ipse esset finis legis, desideratus cunctis gẽtibus, verus Emmanuel,
Deut. 18. sanctus sanctorum, propheta magnus ille à Moyse in Deuteronomio designatus, verus & vnicus hæres, saluator mundi: tabescens nihilominus inuidia & excęcata malitia eorum qui erant in reprobum sensum dati, in arcum prauum conuersi, & nolebant intelligere vt bene agerẽt adeo fecit pertinaces eos & induratos, quod de industria
Rom. 1. rebellauerunt lumini, contradixerunt agnitæ veritati, ac nunquam non subuerterunt vias domini iustas & rectas. Hinc nõ solũ de deo, sed etiã de Christo eius male locuti
Act. 13. sunt. Et pro eo quod eum diligerent, detrahebant ei ad
Psal. 77. populum, & gratis odio habuerunt atque persecuti sunt iniuste. Hinc de eo diuersa inter Iudæos facta est senten
Psal. 44. tia. Alij dixerunt (nempe boni & recti corde, qui dilexerunt iustitiam & oderunt iniquitatem) quia bonus est, filius dei viui est, desiderium collium æternorum, semen
Gen. 22. Abrahæ, in quo benedicendæ sunt omnes gentes Semẽ
Gen. 3. mulieris, qui caput serpentis cõterere debuit. Alij vero, filii Belial, adulterinę plantationes, genimina viperarum semen nequam, alieni & filij diaboli, dicebant, non est bonus, sed seducit turbas. Imo, peccator est. Non custodit
Ioan 8. sabbatum, dæmonium habet, est Beelzebub, & in Beel-
Mat. 10. zebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia, Samaritanus est. Et id genus scommatum, improperiorum, contumeliarum multa, exprobrauerunt & improperauerunt ei Hinc diuersæ inter Iudæos sententiæ de eo erant: Amici optima, emuli pessima de eo dixerunt: Dicit ergo euangelista: *Venit Iesus.* Tanquam pastor bonus vbique ouẽ perditam, vbique ęgrotos quos sanet quęrẽs. Vbique semen
Malac. 4. verbi sui seminans: Tanquam verus sol iustitiæ vbique illuminans

illuminans homines in hunc mundum veniētes. Vbique
talenta sua distribuens. Et dignos se circuiens, & in viis se *Sap. 6.*
illis hilariter ostendens *in partes Cesareæ Philippi*. Ciuitas
est Phœnitiæ quam Philippus ædificauit *Et interrogabat* *Luca 8.*
discipulos suos duodecim, quos de mundo elegerat, & qui-
bus mysteria regni dei quæ audiuit à patre suo, tanquam
amicis suis reuelauerat. Nec eos interrogabat tanquam *Ioan. 16.*
ignorās, cum sciret omnia, etiam occulta cordiū, & scru-
taretur cogitationes, sed vt errorem hominum per eorū *Heb. 4.*
responsionem eliminaret, & de vera fide eos omnes ma-
gis certos redderet, *dicens: Quem dicunt homines esse filium* *Mat. 8.*
hominis? Marc' dicit: Quē me dicunt homines? Lucas ve-
rò: Quem dicunt esse turbæ? Dicit filium hominis. Quia
dispensationem incarnationis credi vult, & confiteri.
Ideo alibi ait: Omnis qui confitebitur me coram *Mat. 10.*
ohminibus, confitebor & ego eum coram patre meo
qui in cœlis est: qui autem me negauerit coram ho-
minibus, negabo & ego eum coram patre meo qui
in cœlis est. Quærit autem de persona cum dicit,
quem, quia persona est duarum naturarum. Verùm
cùm humanitas eius per visum deprehenderetur, ta-
ctum, auditum & conuictum: ideo quærit de sua diui-
nitate, quæ tota in Christo corporaliter inhabitauit.
Sicut & alibi ait: Deus erat in Christo, mundum recon- *2. Cor. 5.*
cilians sibi. Vnde sensus est: Ex quo homines me homi-
nis filium esse per naturam sciunt, quem me esse in per-
sona dicunt? Pulchre autem & apposite dicit, homines:
Nam qui de Christo nihil intellexerunt supra hominem
homines sunt mente corrupti, reprobi circa fidem & ve-
ritati resistunt. Nam lapidem viuum à deo electum & ho- *1. Pet. 2.*
norificatum, reprobant: deo sicut homines moriuntur in
infidelitate sua, & sicut vnus de principibus mundi, tene-
brarum harum rectoribus, cadunt in foueam damnatio-
nis æternæ Quia qui non credit in filium, iam iudicatus *Ioan. 3.*
est. Qui vero diuinitatis eius gloriam & virtutem corde
crediderunt ad iustitiam, & ore confitebantur ad salutem *Psal. 81.*
non homines, sed dij erant, & filij excelsi omnes. Et per
hanc fidei confessionem, diuinæ consortes naturæ effi-
ciebantur, & in eandem imaginem transformabantur, & *2. Pet. 1.*
à claritate fidei in claritatem gloriæ. Et id à spiritu do- *2. Cor. 3.*
mini, per quem claritas ista eis qui credunt in nomine
eius, confertur. At illi lumina mūdi, sal terræ discipuli ve-

ritatis

ritatis & testes, *dixerunt* quæ à vulgo diuulgabantur. Vult namque dominus errores exponi, vt eis tanquã per lumẽ veritatis expulsis & fugatis, discipuli veritatis, veritatem
Psal.20. proferant, non ex vulgi opinione, sed ex dei patris reuelatione accepta, qui paruulis incerta & occulta sapientiæ suæ manifestat, & sapientibus & prudentibus in oculis
Isa.5. suis & apud semetipsos, abscondit. Dixerunt inquã Alij. i. aliqui, dicunt te esse *Ioannem baptistam*, in quorum albo
Ioan. 15. Herodes incestuosus erat. Hic enim audiens famam Iesu, & magna opera eius & quæ nemo alius fecit, ait pueris suis: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit. Vel vt Matthæus refert, Herodes di-
Mat. 14. xit: Hic est Ioannes Baptista, ipse resurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. *Alij autem* dicunt
Mal.4. te esse *Heliam*, quia Helias potens fuit in opere & sermone: Nam ex Malachia sciebant quòd Helias reuersurus est ad Iudæos in fine mundi, & prædicaturus contra Antichristum. Tum propter veritatis & iustitiæ insuderabilem zelum & propugnationem *a-*
Hier.5. *lij* dicunt, te esse *Hieremiam*, tum propter vitæ sanctitatem, tum propter singularem patientiam, tum propter populi dilectionem, quem docuit, propter quem lachrymis irremediabilibus fleuit, pro quo deum exorauit. *aut* dicunt te esse *vnum ex prophetis* sanctis: Vel
Col.2. Esaiam propter plenitudinem sapientiæ tuæ. Cum in confesso sit, omnes thesauros sapientiæ & scientiæ dei in te esse absconditos, cum scias omnia, & sapientiæ tuæ
Psal.146 non est numerus & modus. Mirabilis adeo facta est nobis, & confortata, quòd nemo potest ad eam. Vel Ezechielem, vel Danielem, vel alium aliquem cæterorum. Ex hoc apparet, quod errores incerti sunt, diuersi sunt, sibi contrarij sunt, dissentionibus pleni sunt, scismata ge-
1.Tim.6. nerant & verborum conflictationes. Horum authores Apostolus suis coloribus depingens, ait: Si quis aliter docet sicut hi fecerunt, & non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ fidei puræ, qua vna est & idem docet, credit & profitetur, ille superbus est, nihil sciens, (quantumlibet sensu carnis suæ inflatus sit, & sapiens apud semetipsum) sed languet circa quęstiones & pugnas verborum, ex qui bus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum mente corruptorũ,

& qui

& qui à veritate priuati sunt, existimantium (seditiones, dissentiones, errores, hæreses, scismata, & offendicula suscitare, pacem turbare, ordinata deordinare, ius fásq; cōfundere, fidem multorum subuertere) esse pietatem. Nam molitionibus suis tam impiis, obsequium se deo pręstare putant & gloriantur. Iam tecum expende, an non nostri temporis hostes ecclesiæ, et turbatores tam varient circa augustissimum altaris sacramentum, sicut Iudæi perfidi tunc errauerunt, et varia, diuersa, erronea, falsa, impia & diabolica garriebant de persona Christi? Lutherani, Suermerij, Zuuingliani, Sacramentarij, Anabaptistæ, Prophetæ scelestes, & id genus alij magistri mendaces huius periculosi temporis circa fidem sacramenti sic variant, confundunt se alterutrum, lacescunt se, traducunt se, damnat alter alterum, alter alteri maledicit, cum sint omnes pariter in eadem damnatione & similibus diabolii laqueis constricti, & eadem catena errorum & tenebrarum implicati & ligati. At electi his fascinationibus non seducuntur. Oues Christi lupos illos rapaces non audiunt, nec sequuntur: Sed audiunt ecclesiam dei, quæ columna est & firmamentū veritatis. Stabiles & immobiles sunt in fide ecclesiæ, & spę & doctrina euangelij, à qua ne latum digitum abduci possunt dulcibus sermonibus & benedictionibus impostorum. Sed omnia vincenti veritati acquiescūt, quæ vna et idē semper et vbiq; docet, credit et profitetur. In ista veritate catholica stat ecclesia immobiliter pro ea si necesse est, oppetit mortem; sciens, quòd hæc veritas eā liberat, et vere liberam fecit. Veritatē fidei eius confessionem, seruator noster iam ab apostolis quærit, dicens: *Vos autem* amici mei qui ab initio mecū estis, quibus omnia quæ audiui à patre meo nota feci: Quibus datū est nosse mysteria regni dei: *quem me esse dicitis?* Ambrosio authore, prius dixit se esse filiū hominis, quod contemplatione corporis præ se ferebat. Sed addendo, quē vos me esse dicitis, significauit præter id quòd in se exterius videbatur, aliquid occultū, de quo quærebat in quod credentium fides se extendere debet. In hoc quod dominus interrōgauit de fide turbarum doctrina prælatis curā ouiū Christi habētibus datur, quòd de fide ouium suarum debent inquirere et esse solliciti. Vtrum fidē dei et electorū, an diaboli habeant et reproborū. Iuxta illud: Diligenter agnosce vultū pecoris tui, tuósq;

Ioan. 10.
1. Tim. 3.
Rom. 16.
3. Esd. 4.
Ioan. 8.
Ioan. 15.
Mat. 13.
Prou. 27.

Prou.27. tuósque greges considera. Sanæ ne sint in fide, in moribus integræ, firmæ in spe, synceres in dilectione, in vita inculpabiles: quia pro eis tenentur reddere rationem.
Heb.13. Vnde interrogabũtur ante tribunal Christi: Vbi est grex tuus, pecus inclytum tuum? Et si vel minimus lapsus fue
3.Re.20. rit de manibus vestris, erit anima vestra pro anima illi⁹, sanguinẽ eius de manu vestra requiret deus. Interrogauit etiamnum: Quem me esse dicunt turbæ? Et vos quẽ me esse dicitis? Sic facere debent, qui præsunt aliis in domino: Quia hunc defectũ magnum oculus habet, quòd
Persius. omnia alia videt, sed seipsum videre nõ potest. Sic nemo in sese tentat descendere nemo. Sed præcedẽti spectatur mantica tergo. Maxime hoc morbo & vicio qui potestate præditi sunt, laborant. Ipsi se ignorant, videre seipsos nolunt, eos admonentibus irascuntur, dentibus fremũt & tabescunt. Mortẽ eis intentant, quandoque inferũt. O
Zach.11. pastor, ô idolũ, ait Zacharias propheta: Oculos habẽt & non vident suos defectus, aures habẽt & nõ audiunt quę
4.Re.12. dicuntur. Si quis eos oppressionis argueret subditorũ, & diceret eos Pharaones esse, vel prophanos Manasses, vel scelestos vt Achab, &c. Vtique filius mortis foret, deum blasphemasse insimularetur et regẽ. Non esse fas eũ viue
Isai. 30. re. Nec querit ab adulatoribus, quid de eo homines di-
Prou.1. cant et turbę, quia illi loquũtur placentia, vendunt oleũ, lacta nt peccatores, et laudãt eos in desideriis suis, et iniquos benedicunt et decipiunt. In malitiis suis laudãt reges et eos lætificant, et in mendaciis suis principes: Dicunt eis, pax pax, cũ non sit pax. Consuunt puluillos sub omni cubitu manus, et ponunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis, ad capiendas animas. Nec interrogat inuidos, qui male loquuntur de proximis, et famam aliorum denigrant, atq; in electis ponunt maculas, et bona in mala conuertunt. Nec dolosos, qui labia dolosa in corde et
Eccle.11. corde loquuntur. Qui loquuntur pacem cum proximis
Psal, 11. suis, et septẽ nequitiæ sunt in cordibus eorum. Sed viros virtutis, sal terræ, viros probatos, deo et hominibus dilectos quærit de sua fama, qui mentiri nesciunt, et vt est ipsam loquuntur, sine verborum inuolucro, veritatẽ puram. Et quamuis principes terræ multa habent, neminem tamen habent qui eis dicat veritatem. *Respondens Simon Petrus dixit* præ omnibus, et pro omnibus respondit Petrus, quia omnibus præesse et prodesse debuit vt

caput

caput membris, paſtor omnium ouium Chriſti. Simon obediens, Petrus Perſica lingua dicitur agnoſcens: In primo reſpondentis idoneitas: in ſecundo, reſponſionis facilitas deſignatur. Simon nomen eſt, Petrus cognomen, iuxta illud: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Cephas interpretatur caput; & hoc non eſt Petrus, niſi per ſimilitudinem effectus et miniſterialiter. *Tu es Christus filius dei viui.* Ecce completa Petri confeſſio. Hoc eſt verbum conſummans et abbreuiàs, quod totam fidei noſtræ latam longámque complectitur perfectionem Ecce conſummatio abbreuiata, inundans omnem fidei iuſtitiam. Illud paucis oſtendamus & ponamus in lucem. Confitetur ecce vertex apoſtolorum in Chriſto, perſonæ ſingularitatem, dicendo: Tu: diſcretiue: Tu es ipſe rex meus & deus meus, qui mandas ſalutes Iacob: à ſeculo & in ſeculũ tu es deus, quia Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula. Confitetur eius veritatem, æternitatem, immutabilitatem, originem, conſeruationem, & finalem reductionem, dicendo, es: nempe eſſe tuum. Tu es qui es, hoc, nomen tuum. Tu ſemper idem es. Tu ab æterno vſque in æternum es. Ex te, per te, in te ſunt omnia: omnia per te & in te creata ſunt, & tu es ante omnes, et omnia in te conſtant. In te viuimus, mouemur, et ſumus. Ecce cõfeſſio diuinitatis Chriſti. Dicendo autem Chriſtus, veram eius humanitatem confitetur: quia in humana natura vnxit eum deus pater ſuus: oleo lætitiæ præ participibus ſuis, ſic plenus fuit gratiæ et veritatis, ſic ei datus eſt ſpiritus non ad menſuram. Vnctus fuit ſiue Chriſtus eſt Ergo fuit rex gloriæ poſitus ſuper ſedem Dauid, ex cuius ſemine factus eſt ſecundum carnem, & regnat in domo Iacob in æternum. Fuit verus ſacerdos domini ſecundum ordinem Melchiſedech, fuit propheta magnus, quem dominus ſe miſſurum promiſit in lege, fuit Gigas fortis & potens prælio, qui fortem diabolum vicit, alligauit, arma eius diripuit, prædam eius & captiuos liberauit, principatus expolians & poteſtates traducens, palámque eos triumphans in ſemetipſos. Sic Chriſtum ſiue vnctum vocans regem, ſacerdotem, Prophetam, bellatorem eum eſſe exprimit, qui iuxta legem vngebantur. Hinc ipſe Chriſtus ait: Spiritus domini ſuper me, eo quòd vnxit me &c. Eius excellentiam exprimit dicens: Filius

Ioan. 12. *Ioan. 12.* *Eſai. 10.* *1. Rom. 8.* *Eſai. 16.* *Pſal. 43.* *Heb. 13.* *Exod. 3.* *Actu. 17* *Pſal. 44.* *Hebræ. 1.* *Ioan. 1.* *Rom. 1.* *Deut. 18.* *Pſal. 13.* *Mat. 22.* *Eſaia 6.* *Luca 4.*

naturalis,consubstantialis,coæternus, coæqualis,vnigenitus.Nos autem filij gratiæ & adoptiui sumus:Dei veri
Psa. 113. & viui,ad differentiam idolorum,nempe,Neptuni,Iouis, Martis,aliorum portentorum,quos stulta colebat gentilitas:qui non erant dij, sed dæmones:Non viuebant, sed erant mortui. In verbo isto expresse & manifestissime eius benedictam confitetur diuinitatem. Simul ergo in
Psa.48. vnum fuerunt in Christo,diuinitas & humanitas, diues deus in gratia & misericordia,& pauper homo filius vir-
Matt. 8. ginis,qui non habuit vbi caput suum reclinaret. Hæretici diuersa,absurda,falsa, pugnantia mentiuntur, ecclesia
Rom.8. dei idem sapit. Omnes catholici in eadem fidei regula manent,idipsum inuicem sentiunt:non alta sapiunt, humilibus consentiunt, scismata nulla sustinent:perfecti in eodem sensu sunt & in eadem scientia. Vnanimes, vno ore Deum glorificant. Multa hîc de apostoli Petri feruore excellentissimo charitatis, de fidei firmitate, spei stabilitate,de animi eius virtute & fortitudine,de promptitudine eius & aliis præclarissimis eius facinoribus consarcinare possem ex euangeliorum paradiso, sed lectoris hæc deuotioni ruminanda relinquo. In omnibus eius operibus & verbis amor seraphicus apparet, & fides consummata Iesu Christi. Sequitur nunc laus & meritum confessionis huius fidei absolutissima. Tum ratione vtilitatis,quia beatus. Tum ratione simplicitatis,quia bar Iona. Tum ratione spiritualitatis, quia caro & sanguis &c.dicit ergo. *Respondens autem Iesus dixit ei.* Sicut Petrus pro omnibus loquebatur, sic & dominus in
Apo. 22. Petro omnibus apostolis & vere credentibus respondet hoc maxime consolationis verbum: *Beatus es Simon.* Sic dominus venit citò,& merces eius cum eo est, dare vnicuique secundum opera sua. Petrus confitetur, mox Si-
Rom.10. mon beatus dicitur:Et tu,si confitearis dominum Iesum
Tit. 1. Christum in ore tuo, & fidem hanc factis non negaueris, & in corde tuo credideris quòd deus pater illum suscitauit à morte,saluus eris. Sed quid est, quod Petrus confitetur & Simon beatificatur? Respondeo: Quia Petrus agnoscens,Simon obediens interpretatur. Cognitio autem fidei per se laudem non habet sed obedientia
Luc.12. siue operatio: Quia seruus sciens voluntatem domini sui,& non faciens,vapulat multis,dure increpatur, adiicietur pœnis æternis.Scienti bonum & nō facienti peccatum

catum est illi. Nam & dæmones sciunt voluntatem dei *Iacob.4.*
& credunt. At dum non faciunt bonum nec diligunt, nõ
beati, sed damnati sunt & manent. Item Petrus confite-
tur, & Petrus Christum negat. Sed & scandalũ est Chri-
sto Petrus, quia cognoscens vel sciens & non obediens,
ore confitetur se nosse deum, factis autem negat, & aliis
scandalum est per malum exemplum. Eiusmodi autem
non laudem & honorem, sed confusionem, iram, indi-
gnationem & increpationem meretur. *Bar-Iona*, hoc est,
Filius columbæ. Et digne hoc epitheto honoratur Pe- *Mat.3.*
trus, quia non ipse loquebatur, sed spiritussanctus, qui in
columbæ specie super Christum apparuit, per ipsum &
in ipso loquebatur. Tum, quia pia simplicitate quam do-
minus diligit, de cordis sui bono thesauro, verba ista bo-
na eructauit. Bar, filius: Iona, columba interpretantur. Et
ponitur pro Ioanna per diminutionem, subtracta media
syllaba. Vnde est ibi compositio ex integro & corrupto.
Hinc dominus ad eum dixit: Simon Ioannis scilicet fi- *Ioan. 21.*
lius, diligis me plus his? Et bene vtrunque de eo dicitur,
quia vtrunque opere & veritate fuit & ostẽdit. Filius fuit
Ioannis, id est, gratiæ: Quia gratia dei fuit id quod fuit, &
gratia dei in eo vacua non erat. Fuit & filius Ionæ, id est,
columbæ, Quia simplex fuit vt columba: Et in simplici- *Matt.10*
tate cordis & synceritate dei & gratia, testimoniũ hic ve
ritati perhibuit in Christi confessione, & cõuersatus est
in hoc mundo, deũ sic glorificans & portans in suo cor-
pore. *Quia caro & sanguis non reuelauit tibi* hanc veritatẽ
fidei, quã de me es confessus. Quia carnalis homo non *1.Cor. 2.*
percipit ea, quæ sunt spiritus dei, stultitia est enim illi, &
non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur.
Nec caro & sanguis aliud diligũt, quã quæ carnis sunt &
carnẽ delectant. Sicut tenentes doctrinam Balaam fece-
runt, qui docuit carnem pascere, fornicari, carnis curam
in desideriis facere, omni voluptate perfrui. Caro enim
& sanguis secundũ quod sonat in vitiũ, non est particeps
diuinæ sapientiæ in cognitione mysteriorum fidei, vt hic
seruator ait: nec particeps est diuinę gratię in operatione
bonorum: Spiritus quidẽ promptus est, sed caro infirma *Eccle.17.*
ad bonum, & prona ad malũ ab adolescentia. Quid ergo *Matt.26*
nequius, quã quod excogitauit caro & sanguis? Sed nec *1.Cor. 15*
particeps est gloriæ in retributione iustorũ, quia caro &
sanguis regnũ dei non possidebunt. Ideo Apostolus per

Galat. 1. gratiā Dei vocatus in opus ministerij, carni & sanguini non acquieuit, *sed pater meus qui in cælis est.* Qui est pater luminū, & illuminat tenebras nostras: erudit paruulos, & de lege sua docet eos. Sic ostensum est, q magnifica ista confessio Petri nō est per adulationē & fraudē, sicut eorū qui dixerūt ad eum: Magister, scimus quia verax es, & viā dei in veritate doces. Nō est per falsam imaginē, sicut

Luc. 9. eorū qui dixerūt eum esse aut Ioannē, aut Heliā &c. Nō

Ioan. 1. per humanā rationē, sicut confessio Nathanaelis, qui dixit eum esse filiū dei, eo q dixit ei occulta. Nec denique est ex timore, vt fuit dæmonū, qui crebrò eū vocauerūt

Luc. 4. filiū Dei & Christū: At fecerunt hoc ex amore & simplici ex corde. Ideo Simon beatus prædicatur, cæteri nō. Nunc vltimo loco post fidei expressionē, post cōfitentis cōmendationē, ponitur hic stabilimentū ecclesiæ super hāc fidei cōfessionē: Et hoc in tribus, videlicet, in cognitione veritatis, in amore bonitatis, in eminētia potestatis. Alterū ibi, & portæ inferi. Tertiū ibi, Et dabo tibi claues. Circa cognoscendæ veritatis ædificationē, quatuor implicat. Ædificationis magistrū, qui est Christus. Ministrum, qui est Petrus: Fundamentū, quod est petra: super

Luc. 5. hanc petrā extructū ædificiū, est ecclesia sanctorū. Dicit

1. Cor. 1. ergo: Et ego dominus vester & magister, veritas & vita,

1. Cor. 10 *dico tibi*, quia ex hoc eris homines capiēs, *quia tu es Petrus*, sic à me Petra dictus & minister meus ad opus meum

1. Cor. 3. assumptus, *& super hanc Petram*, de qua Iudæi biberūt in

Ephe. 2. figura, & tu modò cōfessus es, hoc est, super huius veritatis firmitatē perinde ac super firmū fundamentū, *ædificabo*, in fide & moribus *ecclesiam meam*. Edificium hoc ex viuis, electis, probatis & prætiosis lapidibus construitur electorū. Fundamentū autē aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, q est Christus Iesus: Ipse est

Gala. 3. fundamētū apostolorū & prophetarū: Christus est ecclesiæ fundamētū, primariū & per auctoritatē: Apostoli per ministeriū & secundariū, atq; cooperationē. In amore boni sic etiā firmabitur, quòd *portæ inferi*, ipsi reprobi spiritus, suggestiones diabolicæ, peruersa dogmata, insaniæ falsæ, fascinationes impostorū, mēdacia, quæ fabricāt & colūt hæretici, delectationes iniquæ, peccata & deo odibilia opera. Neq; infideles, per quos itur in infernū &

Rom. 8. offenditur deus, *praualebunt aduersus eam.* Quia non se-

Mat. 14. parabunt eā à charitate Christi. Nauicula Petri fluctibus & ven

& ventis mouetur, irruunt in illã domum, sed nõ absorbetur nauis, nõ cadit domus illa, quia fundata est supra firmã Petram, quia portas hostiũ ipse subuertit, & exaltat eam de portis mortis. Circa eminentiam potestatis datæ prælatis à deo ad ædificationẽ & non ad destructionẽ, tria implicat Christus: Collationẽ specialem, quia tibi. Potestatẽ, quia claues regni cœlorũ. Executionẽ vtilem, quia quodcunq;. Et tria verba alta mente cõsidera, quibus suã deitatem hic indicauit, quã Petrus confessus fuit, vt eius confirmet confessionẽ. Ego dico, ego ædifico, ego dabo. Dicere siue præcipere potestatẽ eius exprimit quã à patre accepit, quia docebat sicut potestatẽ habẽs. Suũ est ædificare, quod pertinet ad eius sapientiã: Sicut sapiens architectus fundamentũ posuit & superædificauit. Suũ est dare, quod pertinet ad charitatẽ & bonitatẽ spiritussancti. Dicit ergo: *Et tibi dabo* per plenitudinẽ potestatis singulariter & aliis per deriuationẽ & participationẽ & communicationem à te, *claues*, hoc est, potestatẽ spiritualem. Lyrano teste, quæ duplex est &c. *regni cælorum*, id est, ecclesiæ iustorum, quæ sæpe regnum cœlorum vocatur in euangelio Christi. Et dicitur regnũ cœlorum, quia ad vsum rectũ potestatis eius digne ministratũ sequitur ingressus vel exclusio regni cœlorũ. *Et quodcunque ligaueris* claue non errante, *super terrã*, id est, ipso super terrã viuente, *erit ligatũ & in cœlis*, hoc est, cœlestis curia probabit & cõfirmabit. Vel in cœlis, id est, in ecclesiis. *Et quodcunque solueris super terrã, erit solutum & in cœlis.* Multa hic de potestate ecclesiæ, de primatu Petri, de numero clauium & earum debito vsu, & aliis multis hic addi possunt: circa quæ non minus impie in his malis diebus erratum est ab impiis Lutheranis, quàm olim circa personam Christi. Sed ad episcopum Roffensem, & alios lectorem remitto, gratia breuitatis.

2.Cor.10

Mat.7.

2.Cor.3.

IN DIE VISITATIONIS B. MARIAE, IN EPISTOLAM exegis.

ECCE *iste venit saliens in mõtibus.* Ecclesiã sanctorũ, & quotquot Deo placuerũt ab initio, omnes per fidẽ mediatoris Dei & hominũ, Iesu Christi saluati sunt. Quia præter eum

Cant.2.

Act.4.

non est in alio aliquo salus, neq; saulator alius. Verum spes quæ differtur, affligit animã, ideo iusti ab initio si-
Prou. 13. ne intermissione ad patrẽ misericordiarũ clamauerunt, vt mitteret quẽ missurum se promiserat, videlicet salua-
Exod. 4. torẽ. Rogabant & filium vt veniret & eos saluos faceret.
Esa. 19. Hinc Patri dicebãt: Ostẽde nobis Domine misericordiã
Psal. 84. tuã, & salutare tuũ da nobis. Ad filiũ autem: Veni ad li-
Psal. 79. berandũ nos, Domine Deus virtutũ. Ostende faciẽ tuã & salui erimus. Et iterũ: Qui regis Israel intẽde, qui deducis velut ouẽ Ioseph. Qui sedes super cherubim, ma-
Ibidem. nifestare corã Ephraim, Beiamin & Manasse. Excita po-
Esa. 64. tentiã tuã & veni, vt saluos facias nos. Vtinam cœlos dirũperes & descenderes. Et iterũ: Rorate cœli desuper, &
Esa. 45. nubes pluant iustũ, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Tunc Deus miserator & misericors, non potuit amplius in ira sua continere misericordias suas, & dixit: Mi-
Exod. 33. serebor cui voluero, & misericordiam præstabo cui mihi
Rom. 9. beneplacitũ fuerit exhibere misericordiã. Imò sic dilexit
Ioan. 3. mundũ, quòd filiũ suum vnigenitum misit, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitã æternam. Mi-
Luc. 1. sit angelum Gabrielem ad Mariam, qui ei dixit, irã Dei
2. Mac. 8. in misericordiam esse mutatam, & quòd ipsa virgo illa esset, quæ concipere & parere deberet filium, quem Em-
Esa. 7. manuel vocare deberet. Et cum angelus eam de omnibus, quæ tam magnæ pietatis saramentum concernebant, plene edocuisset, consensit, & fieri sibi secundum verbum suum humiliter optauit. Mox verbum caro fa-
Ioan. 1. ctum est, & habitauit in nobis. At virgo deipara fœcundata à spiritusancto, mox exurgens in montana perre-
Luc. 1. xit, domum Zachariæ intrauit, Elizabeth salutauit. At Elizabeth mox repleta est spiritusancto, glorificauit Deũ quantum potuit, super inenarrabili dono eius, videlicet, quòd nos visitauit, oriens ex alto. Dixit ergo: *Ecce*, quẽ expectabamus adest, quem desiderauimus, iam venit.
Gal. 4. *Iste*, Emmanuel, desideratus cunctis gentibus, saluator omnium, *venit*, factus ex muliere, & factus sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, & quotquot in eũ cre-
Luc. 19. dimus adoptionem filiorum recipiamus. Venit quærere & saluum facere quod perierat, *saliens in montibus*, quia
Mat. 1. Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob, Iacob genuit Iudam & fratres eius. &c. ex quibus est Christus secundum carnẽ. *sed transiliit colles*, quia pondere peccatorũ, sicut

sicut illi pressus non fuit. Quia ingressus est mundum si-ne originalis peccati macula,& operabatur iustitiã semper,& quæ placita erant suo patri. Ideo princeps mundi in eo nihil habuit, nec filij diaboli de vllo peccato eum arguere potuerunt in veritate. Transiliit colles, quia de sinu patris in vterum venit virginis matris. De vtero in mundũ, de mundo in crucis patibulũ, de cruce in sepulchrũ, de sepulchro in cœlũ. *Similis est dilectus meus* & electus ex millibus *capreæ hinnulóque ceruorum*, quia in similitudinẽ carnis peccati, absq; peccato, formã serui accepit. Acute videt, quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius,& nouit quid est in hominibus, nam corda scrutatur & renes. Sed & in altis habitat, excelsior cœlis factus, quia occursus eius est vsq; ad summũ cœlũ ad dexterã paternæ gloriæ in excelsis, vbi vultui Dei adparet & interpellat pro nobis. E*n ipse stat* paratus ad nos adiuuandum, *pòst parietem nostrum*, indutus nostræ carnis parietẽ, ita manet in nobis, vt tamen à nobis, nõ videatur. Diuinitas enim latet in carne,& sol diuinitatis, nube carnis est tectus, *respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Sicut enim sol per fenestras intrat, & domũ illuminat, sic Christus suo exẽplo & documento omnes homines illuminat, qui in tenebris et in vmbra mortis sedebant. Itidẽ facit per Apostolos, qui etiã erant lux mundi. Per cancellos, qui sunt parua foramina prospicit dilectus, & lucẽ diffundit, quia tenebrosa aqua, id est, obscurus intellectus est in prophetis, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt. Sed et Moyses velamen super faciẽ suam habet, eo quòd omnia eis contigerunt in figura. Gratia autẽ et veritas horũ per Iesum Christum, facta est, ideo nos qui in Christũ credimus reuelata facie gloriã Domini speculamur. Nam modo sol, qui olim erat in nube figuratus, iam refulsit, quia Christus est finis legis. Vnde cum omnia consummasset, velum templi scissum fuit. *& dilectus loquitur mihi*, per os Mariæ, qui olim loquebatur patribus per prophetas. Olim Iudæi dixerunt ad Mosen: Loquere tu nobis et audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. At nos obsecramus et dicimus: Loquere tu nobis Domine, quia verba vitæ æternæ habes, quæ spiritus sunt et vita. Nec mortem timemus cum tu loqueris, quia pacem loqueris in plebẽ tuã. Imo, qui verbum tuum audit et credit ei qui te misit, ha-

Psal. 14. *Ioan. 4.* *Ioan. 14.* *Ioan. 8.* *Philip. 2.* *Heb. 4.* *Hiere. 17.* *Psal. 18.* *Rom. 8.* *1. Ioan. 2.* *Ezech. 38* *Luc. 2.* *Mat. 5.* *Psal. 17.* *Mat. 27.* *Heb. 1.* *Exod. 20.*

bet vitam æternam,& in iudicium non venit,sed transit à morte in vitam.Loquitur vsq; modo per euangelium, & per occultas locutiones ad corda, verba abscondita, vbi anima furtiue suscipit verba susurrij eius. Sed quid loquitur? *Surge*, ab ocio Magdalenæ ad occupationem Martæ.Vel,surge à somno mortis & peccati, vt illuminet te,Christus.*propera*, quia tempus negociandi & salutem propriam operādi breue est,& via periculosa. Dies enim nostri velocius transeunt,quàm à texente tela succiditur,& consumuntur absq; vlla spe. Breues dies hominis sunt, & homo breui tempore viuit.Properate, nolite salutem oblatam negligere, sicut qui inuitati erant ad nuptias, venire neglexerunt, quorum nullus gustabit cœnam agni.Properate, ne præoccupati hora mortis, tunc quæratis locum pœnitentiæ, quando inueniri non potest. *amica mea*, quia amo te,eo quòd tu amas
Prou.2. me. Ego enim diligentes me diligo. *columba mea* simplex, absque omni malitia dolo, simulatione & inuidia, spiritusancto illustrata per oculi & intentionis pu-
1.Pet.2. ritatem. Quia dum oculus iste simplex est, totum corpus est lucidum.*formosa mea*, per morum honestatem, qua omnibus, sancte, iuste & sine querela ades, ab omni specie mala abstines te, nemini das vllam offensionem, quæ ædificationis sunt vbique sectaris, & omnibus places in bonum ad ædificationem. *& veni*, ad nuptias, & ego reficiam te. Veni ad me, relicta malitia & mundo in maligno posito, & ego veniam ad te, date mihi, & ego faciam quod tu vis, deprecationes
Luc.11. tuas exaudiam, & saluam te faciam in regnum meum. Et merito veni, quia impedimenta sublata sunt. *Iam enim hyems transiit*, & frigus malitiæ quod per superabundantiam suam ignem & calorem charitatis extinguit.
1.Thes.2. Sed abiit, quia charitas dei in corda infidelium diffusa
2. Cor.6. est, per spiritumsanctum,& gentilitas iugo fidei collum
Rom. 15. submisit. *imber*, persecutionis tyrannorum, in quo credentes mortificauerunt tota die, *abiit & recessit*, & ecclesia cunctis mortalibus optata pace fruitur, & absq; vllo terrore, vitam silentio transigit. *flores*, honoris & honestatis, *apparuerunt in terra nostra*. Iam vinea Dei floret & dat odorem Christi bonum in omni loco. Iam iusti florent sicut palmæ, & quasi rosæ super riuos aquarum plantatæ, fructificant in patientia, florent iusti

& mundi

& mundi corde flores castitatis sicut lilia,& dant bonum odorem deo inculpatę conuersationis, rectę prædiationis,assiduæ orationis,in odorem suauitatis.Frondēt ecce in gratiam,collaudant cantica,& benedicunt dominū in omni tēpore,in operib.suis.Sed & virga Aaron floret, *Num.16.*
& flos de radice eius ascendit, super quem spiritus sanctus requiescit.Et flos iste,in visitatione Mariæ,appare- *Esa.11.* *Luca.1.*
re cœpit in terra nostra, quando Elizabeth voce magna Mariam benedixit cū fructu ventris eius,& Ioānes odore Christi perfusus,in vtero matris suæ exultauit. *Tempus putationis aduenit*,dānandi idololatrie,resecandi vicia,ex- *Ioan.15.*
tirpandi errores,donandi peccata,emūdandi corda,purgandi vites vt fructum plus adferant. Vnde Apostolus ait:Nunc deponite omnia peccata, videlicet,irā,indigna- *Colos.3.*
tionem,malitiam,blasphemiam,turpem sermonē de ore *1.Pet.2.*
vestro. Expoliate vos veterem hominem cum actibus suis vniuersis. Astinete vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam.Expurgate vetus fermentum. *1.Cor.5.*
Nolite iugum ducere cum infidelibus,non commisceamini fornicariis aut auaris,aut rapacibus aut ebriosis.subtrahite vos etiam ab omni fratre inordinate ambulante,ne cum peruersis peruertamini,& vt confundantur & *1.Thes.3.*
resipiscant à diaboli laqueis.Hæc & alia dum facitis , vineam cordis vestri putatis et purgatis.Et hoc semper facere oportet,quia fugata vicia redeūt,amputata repullulant,euulsa renascuntur,extincta reaccenduntur,mortificata reuiuiscuut. *vox turturis*,hoc est,spiritus sancti qui gemere nos facit pro peccatis nostris,gemitibus inenarrabilibus.*audita est in terra nostra*, quia euangelij gratia in omnē terrā exiuit,et in fines orbis disseminata est. *ficus protulit grossos suos*,Iudæa apostolos.*vinea florentes*,gentiū collectiones,*dederunt odorem suum*. Quia gentes audientes verbum Dei gauisæ sunt , et glorificabant verbum domini , et crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æternam. *Surge,propera amica mea*,per charitatis feruorem , quia amas et amaris. *speciosa mea*,per gratiam,*& veni*,ad me, *columba mea*,sine felle amaritudinis. *in foraminibus petræ*, pedum et manuum Christi . I- *2.Cor.18*
pse enim petra est , teste Apostolo. *in cauerna maceriæ* , vulneris lateralis per iugem meditationem habitans. *Ostende mihi faciem tuam* , non alienam , sicut hypocritæ. Ambula coram me et esto perfecta.*sonet*

vox

vox tua, laudis, gratiarum actionis, prædicationis & obedientiæ, *in auribus meis*. *Vox enim tua*, qua in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus cantas & psallis in corde tuo gratias agens semper pro omnibus, & syncere prædicas verbum meum. *dulcis*, est in auribus meis, *& facies*, tuæ cõuersationis inculpatæ, qua luces coram hominibus per opera bona ad gloriam meã, *tua decora*, & sine vllius scãdali macula & ruga vllius iniquitatis.

IN DIE VISITATIONIS BEATÆ MARIAE, IN Euangelium Sermo.

Luca 1. EXVRGENS *Maria abiit in montana*. Quãdo venit plenitudo temporis in quo deus filium suum misit in terris, tũc montes stillauerunt dulcedinem, & colles mel & lac fluebant. Tunc deus pluuiam voluntariam segregauit, hæreditati suæ, aperuit manum suam, & impleuit omne animal sua benedictione. Venit namque sapientia æterna, diligẽtes se diligens, secum portans veras diuitias & gloriam quæ à solo deo est, opes etiam supernas (alias supernas) & iustitiam. Ambulauit in viis iustitiæ, quia peccatum non fecit: in medio semitarum iudicij, vt ditaret diligentes se, & thesauros eorum repleret. Tunc namque requiem dedit (vt in typo per Assuerum factum est) vniuersis prouinciis suis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem, vt ostenderet diuitias gratiæ & gloriæ regni sui. Vt diceret Apostolus: Gratias ago deo meo semper pro vobis in gratia dei quæ
1.Cor.1. data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, ita vt nihil vobis in vlla gratia desit. Hoc præsens testatur euãgelium, in quo dicitur quomodo virgo Maria multiplicẽ gratiam quam acceperat, in Ioannem, Elizabeth & Zachariam, sicut bona & fidelis dispensatrix administrauit. In quo euangelio tria tanguntur: Nempe Mariæ ingressus humilis in Elizabeth domum: deinde multiplex gratiæ beneficium ibi factum, ibi: Et salutauit Elizabeth. Postremò dei laus & preconium, à quo est omne datum op-
Iac.1. timum & omne donum perfectum, ibi: Magnificat. Auspicans primam partem euangelista, dicit: In diebus illis, quando ira dei in misericordiã conuersa est, quando rex

descendit

descendit de solio suo,& indutus est sacco , & habitu inuentus est vt homo,quando rex mutato habitu ingressus est bellum,quando verbum caro factum est & habitauit in nobis, plenum gratiæ & veritatis : Quando veritas & misericordia obuiauerunt sibi,iustitia & pax se osculatæ sunt.Quando veritas de terra orta est,& iustitia de cœlo prospexit Quando dominus dedit benignitatem , & terra nostra,virgo Maria , dedit fructum suum. Quando angelus Gabriel legationis suæ consummato opere , & deo homine facto, ad deum qui misit eum, reuersus est, Tunc *exurgens Maria*. Quatuor hic virginis deiparæ virtutes tanguntur ab euangelista , quibus lucebat ad gloriam dei : Nempe eius vera humilitas,promptitudo, celeritas. & maxima omnium charitas,Humilitas, quia exurrexit postquam fastigium omnis honoris erat assecuta,non reuocata tanta dignitate & nobilitate. Promptitudo, quia abiit in montana, non territa viæ asperitate. Celeritas,quia cum festinatione non retardata corporis sui pondere aut fatigatione. Charitas,quia domum Zachariæ intrauit, non auersa officij labore. Exurgens ergo Maria:A loco orationis,& à quiete contemplationis. *abiit in montana*,hoc est,Gorra teste,in Hierusalem, quæ erat in montanis,& etiam tota Iudæa respectu Galileæ, vnde venit Maria.Vel montana sunt alta,montosa & aspera, quibus plena est Iudæa, *cum festinatione* , tum præ gaudio & fortitudine spiritus , tum præ seruiendi desiderio, ex humilitate , tum præ pudore virgineo. Vrgebat eam charitas Christi,vt velut nubes volaret , curreret citò vt angelus , acceleraret vt suus benedictus filius , quatenus Ioanni , Elizabeth et Zachariæ de bonis suis communicaret. In hoc exemplum dans virginibus & mulieribus , ne demorentur in plateis , ne aliquos in publico sermones misceant. Maria in domo sera , in publico festinat. Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia, *in ciuitatem Iuda* , hoc est Hierusalem caput regni Iuda , vt dicit Gorra. Alij dicunt quod hæc sit ciuitas in qua Zacharias habitauit quam (sine tamen scriptura) quatuor aut quinque miliaribus à Hierusalem distare dicunt. *& intrauit in domum Zachariæ* , vt Elizabeth grandeuæ , iuuencula deseruiret. Sicut & filius eius non venit vt ei ministraretur , sed vt ipse ministraret. Vnde in medio discipulorum erat,

Esa.60.

Mat. 20.

ficut

ſicut qui miniſtrat. Ecce mater dei miniſtrat matri militis, Domina ancillę, regina cœli & angelorum famulatur famulo & famulę dei. Sic quanto maior erat Maria, tanto humiliauit ſe in omnibus, ideo coram deo & hominibus gratiam inuenit: Sic decuit & ipſam omnem implere iuſtitiam, & dare ſemetipſam formam nobis quam imitaremur. Hic documentum cunctis datur peregre proficiſcentibus, & pertranſeuntibus de ciuitate in ciuitatem, quod hoſpitem bonum quærant, deum timentem, plenum fide & ſpirituſancto: Vt cum ſancto ſancti ſint, ne cum peruerſis peruertantur. Omne animal diligit ſibi ſimile, omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur,
Eccl.13. & omnis homo ſimili ſociabitur. Qui tangit picem in-
Prou.6. quinatur ab ea: Sic qui comitatur cum viro iniquo, obuoluitur in peccatis eius. Sic virgo Maria gratia & deo plena, non in cuiuslibet, ſed Zachariæ domum & E-
Lucæ 1. lizabeth intrauit, qui ambo iuſti erant ante deum, & in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini incedebant ſine querela. Sic Maria vbique & in omnibus ſeipſam prebuit nobis exemplum in omnibus operibus bonis, vt & nos ita faciamus. Vnde & magiſter bonus diſcipulis ſuis præcepit, vt cum in mundum vniuerſum irent & prædicarent euangelium omni creaturæ, tunc ingreſſuri ciuitatem aut caſtellum interrogare deberent
Mat. 10. quis in ea dignus eſſet, receptione eorum & Chriſti, quem cum apoſtolis vna recipit hoſpes. Vnde Apoſtolus ait: Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut
2.Cor.16 quæ conuentio Chriſti ad Bellial? Aut lupo cum agno?
Gen.8. Sic angeli, ad Abrahæ domum & Loth declinauerunt
Lucæ 10. ad manendum. Saluator noſter, ad Martham ſæpius iuit. Et ſi cum publicanis & peccatoribus nonnunquam mãducauit, hoc fecit vt eos ſaluaret in regnum ſuum. Nec ille, ſicut nos per malos ſeduci aut contaminari potuit. Nunc multiplex gratiæ beneficium retexitur, quod deus per Mariam fecit in domo Zachariæ: Nam ponitur hic Mariæ ſalutatio, Ioannis exultatio in vtero, tertio Mariæ commendatio: Maria ſalutat, Ioannes exultat, Mariam Eliſabeth commendat, laudat, & benedicit. Ait ergo: *Et ſalutauit* humilis Maria prior *Elizabeth* cognatam ſuam, ſicut & illa ab angelo fuit ſalutata. Salutauit eam: Deum, gratiam, ſalutem & omne bonũ ei optãs & precans. Sic Chriſtus ſalutauit mulie-

res dicens: Auete Et ad Discipulos suos, Pax vobis. Hinc *Matt. 28.*
tam crebro apostoli in epistolis suis scribunt: Gratia vo- *Ioan. 20.*
bis & pax et misericordia à deo multiplicetur. Seruauit *Rom. 1.*
Maria illud sapientis documentum: Amicum salutare *2. Pet. 1.*
non confundaris. Sed et apostolis Christus præcepit, *Eccl. 22.*
vt ingredientes domum hospicij sui eam salutarent, di- *Matt. 19.*
centes: Pax huic domui. Et si domus illa digna fuerit, et
filius pacis ibi habitauerit, tunc pax dei super eā requief-
cere deberet: Si non, reuerti ad eos deberet. Ex hoc mos
optimus apud deum timentes inoleuit, quòd alter alte-
ri occurrenti, bonam diem &c. imprecatur. Verba autem
quibus Maria Elizabeth salutauit, non exprimit Euan-
gelista. Bonum tamen hunc fuisse sermonem & in gratia *Ephe. 4.*
sale conditum, qui gratiam audientibus præstiterit, se- *Colos. 4.*
quentia attestantur. Diffusa fuit gratia in labiis Mariæ,
ideo deus eam benedixit in æternum. Et Elizabeth eam
magnificauit in laude, *Et factum est* hoc magnum et stu-
pendum dei beneficium, *vt audiuit salutationem Mariæ E-
lizabeth exultauit infans*, quia sensit aduentum et præsen-
tiam Iesu Christi in throno eburneo, in lectulo florido,
in voluptatis horto, Salomonis ferculo, in dei paradiso,
in templo sancto suo, in arca sanctificationis, dei propi-
ciatorio et sua sancta sede pacem loquentem in plebem
suam. Nam sicut mater vatis Marię, sic hominum sanctis-
simus sancti sanctorum, vox verbi: miles regis: aurora so-
lis præsentiam sensit. vnde exultatio ista, ex præuia co-
gnitione orta est, qua Ioannes per spiritum sanctum v-
sum rationis accepit, et quam magna Mariæ et in Ma-
ria deus fecit, cognouit. Sic igitur in domino gaudebat,
et exultauit in deo Iesu suo. Et hoc *in vtero*, cum non-
dū natus fuisset, aut quicquam boni aut mali fecisset. Sic
superabundauit gratia et misericordia dei in illo quia sic
fuit placitum ante deū. Sic deus qui diues est misericor- *Ephes. 2.*
dia, ꝓpter nimiam charitatem suam, qua dilexit eum, tā- *Psal. 20.*
tis eū benedictionib. dulcedinis suę pręuenit, honorauit
et ditauit, vt in seculis superuenientibus, ostēderet abun-
dātes diuitias gratiæ suæ bonitate super eum in Christo
Iesu. Sic miseretur cuius vult, et cuius misertus est, et mi *Rom. 9.*
sericordiam prestat, cui miseretur: et quē vult indurat. Sic *Gen. 25.*
Esau odio habuit, et Iacob elegit et dilexit. Ex hoc patet *Luca. 1.*
impleta predicatio angeli, quia patri suo dixit priuf-
quam in vtero conciperetur: Replebitur spiritusancto ad
huc

huc in vtero matris suæ. Vide nunc quàm magnæ virtutis fuit Mariæ salutatio, & verba gratiæ quæ procedebāt ex ore eius, quantam gratiam operabantur. Contulit ecce puero gaudium & exultationem spiritus in deo salutari suo, contulit & dedit ei spiritumsanctum, contulit ei expurgationem à peccato originali, propter quod nasci-
Ephes. 4. mur filij iræ, & damnati antequam nati: contulit ei ra-
Rom. 5. tionis vsum & reuelationem diuinorum mysteriorum. Contulit ei prophetiæ actum. Sed & eum in gratia confirmauit, quod nunquam peccati mortalis famine vitam suam maculauit. Alij addunt, quòd nec veniali. At hoc vix credi potest. Matri verò, quæ iam iusta erat ante deũ, contulit cumulatiorem spiritussancti gratiam quàm prius habuit & spiritum prophetiæ. Sic ex sanctorum aduentu, præsentia & conuictu, homines magnum habent (non solum in his quæ salutis sunt & animæ, sed etiam in rebus externis & quæ corporis sunt) emolumentum so-
Gen. 30. cietatis eorum. Venit Iacob ad Labam, qui modicum habuit antequam ad eum venit, sed diues factus fuit, & benedixit eum deus ad introitum Iacob. Vnde & Laban dixit: Experimento didici, quòd benedixit mihi deus pro
Hier. 5. pter te. Taceo Ioseph in domo Phutiphari. Taceo eum
Dan. 6. in regno Aegypti. Taceo amicum dei Mosen inter Iudæos, Danielem in regno Darij, Taceo hospitam Helisęi. Si in Sodomis decem, si Hieremię tempore vnus iustus repertus fuisset inter Iudæos, aliis pepercisset. Sed noui testamenti exempla sunt maiora. Visitat hic Maria Elizabeth, & si potes enumera visitationis istius fructus.
Matt. 9. Intrat Christus domum Matthæi, pòst Zachæi, lucratus
Luca 19. est vtrunque. Intrauit domum Simonis, & iustificauit
Luc. 7. peccatricem Mariam. Antè me tempus deficeret prius quàm omnes visitationis saluatoris fructus singillatim enumerare possem. Visitauit (vt infinita præteream) Pe-
Actu. 1. trus apostolus Cornelium Centurionem, & eructante eo verba bona de cordis sui bono thesauro, cecidit spiritussanctus super omnes qui audiebant verbum dei ex ore illius. Non est ergo mirum si ad verbum Mariæ deus mirabilia operatus est, in prole & matre, cum salutem haberet in corde per fidem & in ventre per verbi incarnationem. Potentes fuerunt sancti in opere & sermone, vt ad longum posset ostendi. Sed Maria præ omnibus tanto potentior, quanto vicinior, acceptior & dilectior

erat

erat deo, *& repleta est spiritusancto Elizabeth*, per dei gratiam principaliter,& Mariæ vocem instrumentaliter: Sic Maria aquæductus est facta,& aquam viuã,quam ex fonte vitæ indeficiente accepit, in Elizabeth & Ioannem abundantissime deriuauit. Et hæc gratiæ dei exuberantissima communicatio,dicitur Elizabeth per spiritumsanctum repletio.Sic & apostoli habuerunt spiritumsanctũ, *Ioan. 20.* quem eis Christus per sufflationem post resurrectionẽ dedit.Nihilominus spiritusancto, in die pentecostes dicuntur repleti,quia tunc charismatũ donis in omni plenitudine sunt repleti,& multo cumulatius quã prius. *& exclamauit voce magna.* Non tam clamosa, quã deuota: deuotio namq; clamor magnus est, ita vt vsq; ad cœlum audiatur. Vnde dominus ad Myosen dixit: Quid clamas *Exod. 14.* ad me? Cum tamen ore taceret, & cordis desiderio clamaret & feruore. Sic & Anna mater Samuelis domino loquebatur in corde suo, & vox penitus nõ audiebatur. Et dominus exaudiuit vocem fletus eius,& deprecatio- *1. Reg. 1.* nem eius suscepit. *& dixit*, prout spiritussanctus dabat eloqui illam.Non enim illa erat quæ loquebatur,sed spiritussanctus loquebatur per eam encomia Mariæ, quæ hic de corde suo eructauit. *Benedicta tu.* Hic seriatim Mariæ laudes & magnalia Elizabeth retexit numero 5. Et commendat eam ex singulari dignitate,respectu omniũ mulierum.Ex fructus & prolis sui altitudine: Ex visitationis humilitate.Ex admirabili virtute. Et ex fidei magnitudine.Dicit ergo Elizabeth edocta, illustrata,& acta à spiritusancto: *Benedicta tu inter mulieres*, à deo excelso, omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, & inter mulieres benedictas,benedictione incomparabiliter excellentiori benedicta. Est autem quadruplex ratio benedictionis,& semper super omnes mulieres benedicta est virgo Maria.Prima benedictio, est maledictio- *Psal. 84.* nis euacuatio,iuxta illud: Benedixisti domine terrã tuã. *Esa. 45.* quæ aperta est in consensu virgineo, & germinauit saluatorẽ,quando veritas de terra orta est, & dedit fructũ suum,in filij dei natiuitate.Hanc terram deus benedixit, dum captiuitatem Iacob ab ea auertit: præseruando eam à peccato originali & actuali. Hic excellit omnes. Altera est fœcunditatis ampliatio. Sic benedixit deus pro- *Gen. 1.* thoparentibus, dicens: Crescite & multiplicamini. At hic omnes excellit Maria. Tertia est singularis gratiæ

Gene.12 collatio. Sic deus Abrahæ amico suo benedixit & magnificauit nomen eius,& fuit benedictus. Sic benedicit
Psal.113. omnibus qui timent dominum, pusillis cum maioribus. At Maria gratia plena,& omnes omnium angelorum & hominum gratias supereminentissime habet. Quarta est congratulantium collaudatio. At sic beatam dicunt Mariam omnes generationes. Nam benedicit Mariam generatio diuina & æternalis. Generatio angelica & spiritualis. Generatio humana & corporalis. Hæc ad longum deducta,vide in Alberto magno super Missus est. Ego hic studeo breuitati Et in ista clausula,& laude virginis,angelus Gabriel & Elizabeth concordarunt,& ex vno ore locuti sunt ambo. *Et benedictus fructus ventris tui.* Hæc verba angelus non addidit, quia tunc verbum caro adhuc factum non fuit. Sed Elizabeth per reuelationem patris in Maria iam semen Abrahæ apprehendisse deū cognoscens,& non solum in Christo, sed & in Maria, omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter inhabitare, gratias deo super inenarrabili dono & beneficio eius agens, dixit:Et benedictus fructus ventris tui: Per quem maledictio omnium abolebitur, & benedictio omnibus condonabitur. Quia in ipso benedicentur omnes tribus ter-
Gene.22. ræ. Hic taceo triplicem fructum ventris Mariæ: Nempe, fructum eius naturalem,virtualem, spiritualem. Taceo itē, quomodo de benedictione fructus huius loqui possumus tripliciter. Vel quantum

ad { significationem, suppositionem, substantiam & omnem eius partem.

Hæc ad longum & deuotissime vide in Alberto super Missus est. Hæc ergo est fructus Mariæ incomprehensibilis altitudo. Laudat eam vlterius de visitationis humilitate,dicens: *& vnde hoc mihi, vt veniat mater domini mei ad me?* Non est hoc dubitantis, sed admirantis tantā dignationē verbum. Hoc est: Qua mea iustitia, vel quibus meis meritis accidit mihi sterili & seni, quæ hactenus opprobrium hominū fui, & abiectio plebis, subsannatio, & derisio omnibus,qui in circuitu sunt, parabola & prouerbiū & maledictio in vniuersis locis. Omnes namque uidētes me,deriserūt me,locuti sunt labiis, & mouerunt
Hier.24. caput. At tu pater misericordiarū & Deus omnis cōsolationis, modo in multitudine misericordiæ tuæ, quæ

benigna

benigna est & suauis, consolatus es me. Cõuertisti planctum meum in gaudiũ mihi. Et secũdum dolorũ meorũ *Psal. 118.*
sterilitatis tẽpore, in corde meo pond', cõsolationes tuæ lætificant nunc animam meam, postquam abstulisti opprobrium meum. Benedictionem qua me præuenisti, & *Psal. 93.*
magna opera tua domine in me sentio, merita mea ignoro. Et certe, priorem misericordiã, qua me prole munerasti, posteriore superasti, quando ad me matrem dei, reginam cœli, dominam mundi, gratiæ inuentricẽ misisti. Per cuius salutationem, aduentum & præsentiam omnibus bonis repleta sum. Et vt verum fatear: Omnia bona *2. Reg. 7.*
venerunt mihi pariter cum illa. Sed & illa verba Dauid, *2. Par. 17*
dicere potuit Elizabeth sancta: Quæ sum ego domine, & quæ est domus patris mei, vt præstares mihi talia? *Gene. 8.*
Domine deus meus, quid vltra addere potest ancilla tua Elizabeth, cum tanto filio glorificaueris ancillam tuam, & cognouisti eam domine propter bonitatem tuam, & nomen tuum fecisti omnem magnificẽtiam hanc, & nota esse voluisti vniuersa magnalia tua? Non fecisti hactenus taliter omni nationi. Crebro enim angelos tuos ad *Hebr. 1.*
amicos tuos misisti, consolandos, erudiendos, eripiẽdos, arguendos, munerandos. Sed quid sunt angeli ad Mariã collati? Nam eos tanto plus excellit, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Nempe, quòd est mater dei viui & veri. Vnde ergo hoc mihi, quòd mater dei & domini mei venit ad me? Nec sola venit, sed secum in vteri *Roma. 9.*
sui throno eburneo, regem regum, dominum dominantium, deum deorum super omnia benedictum in secula *Sap. 8.*
portat. Qui iam de bonis suis mihi communicauit, & diuitẽ in gratia sua fecit. At, gratia tua exuberans & abyssalis bonitas, benignitas viscerosa, & miseratio magna est, quod mater domini mei ad me venit. Magna ad paruam, regina ad ancillam, benedicta ad maledictam, diues *Ioan. 3.*
in deo ad inopem, virgo ad corruptam. Deinde laudat, glorificat & benedicit Mariam de admirabili virtute, dicens: *ecce enim*, nouum quid, singulare magnum & à seculis inauditum quid, quod me in stuporem extollit, *vt facta est vox tua*, dulcis & gratia plena, *in auribus meis*, mox, *exultauit in gaudio*, in Deo salutari suo, *infans in vtero meo*, adhuc recubans & clausus. Nam amicus sponsi, gaudebat propter vocem sponsi & præsentiam illius. Exultauit in gaudio ait mater pignoris. Quia gaudens *Abac. 3.*

gaudebat in domino interius in mente, & exultauit in deo Iesu & saluatore suo exterius, motu quodā corporis, quem mater sensit. Merito igitur admiror humilitatē visitationis Mariæ propter magnitudinē virtutis quæ est in ea, & quam experta sum in meipsa. Hic suggillatores Mariæ merito sunt arguēdi, &c. Quintò laudat eā de magnitudine fidei, dicēs: *Et beata es quæ credidisti.* Quia sicut aperta dei cognitio & visio facie ad faciē, est beatitudo patriæ cœlestis, sic perfecta cognitio fidei, est beatitudo vitæ, *quoniam perficientur ea*, omnia per filiū tuum Iesum Christū, interim quod habitabit in nobis *: quæ dicta sunt tibi à domino*, ab angelo, à domino misso. Hæc auspicata sunt in filij dei conceptione, & consummabuntur in eius
Iacob.1. passione. Nunc postremo substituitur Mariæ præconiū, quo gratiæ dei & misericordiæ totum acceptum refert, quicquid in se est meriti, gratiæ & boni. Sic aquam gratiarum in mare illud infinitæ substātiæ, vnde omne datum optimum & omne donum perfectum venit, reducit, vt iterum fluat. Superius enim audiuimus qualiter Elizabeth repleta spiritusancto, matrē altissimi cōmēdauit. At nūc canticū nouum & psalteriū decachordū Mariæ virginis ponit, quo deū in laude magnificauit & bene ei cecinit in vociferatione. Adiiciens hoc pæana super omnes laudes eius, pro omnibus beneficiis suis, sibi, toto generi humano & Iudæis singulariter factis. *Et ait maria.* Hæc verba titulus sunt cātici huius decachordi, per quæ nostram excitat deuotionem, & attentionem. Quasi diceret: Canticum sequens est virginis Mariæ, & ideo tanto deuotius, attentius, affectuosius cantandum, quanto auctrix eius Deo est acceptior, amabilior & gratior. Verùm, cùm illud à multis sit declaratum, & sermo iam in longum excreuit, ideo ad eos lectorem remitto.

DE S. MARIA MAGDALENA, IN EVANGELIVM SERMO.

Matt.9. ROGABAT *Iesum quidam phariseus.* Cum non sit necessarius valētibus, sed male habentibus, salutis medicus, ideo noster Samaritanus, qui venerat peccatores vocare
Luc. 19. ad pœnitentiam, quærere & saluum facere quod perierat, dignos se circuiuit, quærens oues perditas

& in

& in solitudinibus,& in terra inuia & inaquosa errantes, *Sap.6.*
& viam ciuitatis habitaculi inuenire non valentes, & in
viis suis ostendit se illis hilariter,& in omni prouidentia
occurrit illis,reuocando misericorditer, ad cor loquēdo
suauiter,occurrēdo humiliter,gratiā offerendo liberaliter,veniam promittendo dulciter,reuertentes recipiēdo
amicabiliter,peccata donando integraliter, stola prima
induendo honorificenter, amicos & vicinas ad congaudendū vocādo comiter. Conuerso filio conuiuiū magnū *Luc.15.*
præparando,vt magnificentia regia dignum est, & pane
cœli, angelorum esca cum carnibus vituli saginati eum *Zacha.9.*
cibando,& vino præcipuo quod germinat virgines,& lætificat cor hominis,charissimos inebriat,adeò quod egestatis suæ & dolorum & laborū quos in via dei perpessi
sunt,non recordantur amplius.Imo lætantur pro diebus
quibus deus eos humiliauit,affligi fecit, cruciari permisit,& annis quibus viderūt & pertulerūt mala pro Christo.Quis ergo diuitias bonitatis dei nostri & patientiæ *Rom.2.*
& longanimitatis eius verbis assequi potest?Nullus. Mirabilis facta est non solū scientia dei à nobis, & captum *Psal.38.*
nostrū excedit,sed & bonitatis eius diuitiæ, viscera eius
misericordiæ,charitatis eius abyssus, confortata sunt,&
non possumus ad ea. Proinde nemo potest scrutari vias *Iob 36.*
eius,& nemo potest dicere,operatus es iniquitatem.Memēto ergo,o homo,quòd ignoras opus eius, de quo cecinere viri.Omnes homines vident eum,vnusquisque videt eum procul.Ecce deus magnus,vincens scientiā nostram.Et hoc patet in euangelio hodierno. In quo ponitur peccatricis conuersio,pharisæi murmuratio,postremo seruatoris nostri pia miseratio. Vtrum pharisæus iste
dominum inuitando, oculum simplicem an nequam habuerit,parum retulerit,neque id vrgendum puto. *Quidā* *Psal.40.*
ergo famosus,doctus & auctoritatis magnæ, forsitan &
diues, *pharisæus, rogabat* Iesum egenum & pauperem factum propter nos, *vt manducaret cum illo* panem. *Et ingressus* humiliter & misericorditer *domum pharisæi* qui Simon vocabatur,*discubuit*.Mitis agnus dei,& humilis magister veritatis,& dominus vniuersorum, neminē aspernabatur.O quantus & qualis hospes, cum quo pariter *Sap.7.*
domum Simonis omnia bona intrauerunt.Vnde meritò
inuitandus,& cum se inuitat,vt apud Zachæum,cū gaudio suscipiendus. Nam hospitibus suis communicat de *Luca 19.*

bonis suis, & thesauros eorum opibus supernis replet. Hæc autem sunt pretiosiora auro & lapide pretioso, &
Pro.8. omni argento electo. Legimus autẽ dominum manducasse cum Pharisæis inuidis & superbis, vt eorum super-
Matt.9. biam confunderet,& traheret eos ad viã charitatis. Cum
Luc.19. publicanis & peccatoribus,vt eos conuerteret & sanaret à peccatis. Cum iustis,& se diligentibus,vt gratiã eorum
Luca 10. & amorem,nutriret & augeret. Cum pauperibus & cognatis,vt eorũ inopiam suppleret. Iam Magdalenæ con-
Ioan.2. uersionem describere auspicatur. Cuius primò statum culpæ describit. Erat enim peccatrix famosa. Vnde ait: *Et ecce.* Ecce autẽ admirationis nota est. Mirabile fuit quòd propter stemma suum à turpitudine deterrita non fuit. Nobiles enim propter infamiam, & ne maculam ponant
Prou.18. in gloriam suam, à viciis istis retrahi solent. Mirabile item fuit,quod postquam in tam altum profundum malorum venit,quod de lacu miseriæ, & tam abominabili luto fæcis emergere potuit, dirumpere omnes diaboli laqueos quibus constricta tenebatur ad ipsius voluntatem, *mulier*,videlicet Magdalena,sed nomen eius hic subticetur,quia adhuc erat in statu damnationis,& per consequens ignota deo(qui ignorat operantes iniquitatem)
Luc. 13. iuxta hominũ æstimationẽ. Propter quòd nec epulo nominatur. Sed postquã relicta malitia, cõuersa est ad dominum in toto corde suo, & nouum hominem induit,in nouitate vitæ ambulauit, & omnibus seipsam exẽplum
Luc.10. omnium bonorũ operũ dedit,tũc nominatur. Quia tunc
Ephes. 4. nomẽ eius erat scriptum in cœlo & in libro vitæ, *quæ erat*
Ezech.16 *in ciuitate*,vbi multæ sunt quæ se prostituunt. Et non solùm vt de mammona iniquitatis viuant, sed plures sunt quæ dãt mercedes amatoribus suis, quibus cum peccãt, & dona dant eis vt intrent ad eas vndique ad fornicãdũ
Hiere.3. cum eis. Sequitur *peccatrix* famosa, quæ frontem perfri-
Esaie.3. cuerat,erubescere noluit, & peccatũ suum quasi Sodo-
Mar. 16. ma prædicauit,nec abscõdit. Mos etiã scripturæ sacræ est, insignes in malitia & sceleribus vocare peccatores,quasi vocabulo speciali. Ideo etiã dicitur septem dæmonia habuisse,hoc est,omnibus peccatis plenã fuisse. Iam sequitur motiuum eius pœnitentie, *vt cognouit*, hoc est, quàm citò cognouit, *quòd Iesus* saluator peccatorũ *accubuit in domo pharisæi, attulit* statim & secum portauit *alabastrum vnguẽti*. Alabastrũ,genus marmoris est,excauati, in quo

illibata et incorrupta seruantur vnguenta. Atq; olim mulieres etiã pudicę et honestæ, vnguentis vti solebant, vt patet in Susanna, in Ruth, in Iudith et Hester. Verum, quia Magdalena vnguentis et stibio vsa fuerat ad malũ, ad depingendos oculos, vt impia Iezabel, et aliæ quas arguunt Hieremias et Ezechiel: Et cubile suum asperserat myrrha et aloe et cinnamomo propter fætores superandos, ideo voluit eis nũc vti in bonũ. Et publicanus, Matthæus et Zachæus, et meretrix Magdalena, scribas, pharisæos et hypocritas præcedunt in regno cœlorum: quia dignos pœnitentiæ fructus fecerũt. O mulier sapiẽs, quę nõ pro infirmitate corporis, vt Emoroissa, nec pro salute filiæ, vt Cannanea, sed pro infirmitate animæ suæ, accessit ad Christũ. Sed nos insensati et omniũ stultissimi, si in carne minimã sentimus infirmitatem, grauedinẽ, indispositionẽ, mare circuimus et aridã, pro cõsolatione. Omnẽ substantiã erogamus in medicos. Et quod peius est, Pythones interrogamus, et cũ rege Ochosia cõsulimus Beelzebub: et semper peius habemus. Super hęc bibimus succos, quãuis inuiti, amaros: et vt corpus redimamus, mox in terrã reuersurũ, ferrũ patimur et ignes. Animę vero salutem nec gratis oblatã recipere volumus, et vix in veritate de ea cogitamus. Sed Maria Magdalena, pręuenta à Christo in benedictionibus dulcedinis, et per eius misericordiã tractũ patris ad filiũ sequebatur, et ductum spiritussancti. Audiuit quid in ea loquebatur Christus, ad cordis eius ianuã pulsans. Surrexit quę diu dormierat, et à morte exurrexit, et aperuit dilecto pessulũ ostij sui, malas et inueteratas cõsuetudines peccandi amouit: Quieuit agere peruerse, didicit benefacere. Dereliquit vias suas malas, et cogitationes suas pessimas, et reuersa est ad dominũ, et misertus est eius, quoniam multus est ad ignoscendũ, vt patebit. Sed et ille qui dixit Magdalenę quòd Iesus accubuit in domo Simonis, nũcius Christi fuit, ad nuptias eã vocauit, opus euangelistę fecit, pręducauit captiuis remissionem et cęcis visum, et annũ domini acceptũ, et dies salutis. At illa, hęc audiẽs, non obdurauit cor suum, non restitit spirituisancto, non abiecit gratiam spiritussancti, non distulit de die in diẽ: sed venit ad Christum quę diu laborauerat vt inique ageret, et lassata, nunquam autem satiata (vt Iuuenalis ait de vna) fuit in via iniquitatis et perditionis. Et

Dan. 13. Ruth. 3. Iudith. 3. 4. Reg. 9. Hiere. 4. Ezech. 23 Mat. 2. Mat. 9. 4. Reg. 1. Ioan. 6. Apoc. 3. Esa. 55. Mat. 21. Luc. 4. Psal. 94. Galat. 2. Hiere. 9.

onerata graui onere peccatorum suorum, vt eam recrearet, consolaretur, solueret & saluaret. Et secum portauit alabastrum vngenti pro corporis Christi odore & refrigerio, & sic quod sibi subtraxit, Christo impendit. Modum iã pœnitentiæ eius ad nostrã doctrinã refert euangelista, dicens sex quæ habuit in sua vera pœnitentia: Et sunt pudor, timor, dolor, abiectio. Et hæc quatuor respondent quatuor quæ sunt in peccato. Vnum est vilitas culpæ & macula: Sic vilis fit nimis homo iterans peccata sua: vnde pudor. Aliud est reatus pœnæ, vnde timor. Tertium quantitas offensæ, vnde dolor. Quartum elatio inobedientiæ: contra quod est sui humiliatio & abiectio. Et hæc quatuor pertinent ad pœnitentiæ amaritudinẽ, dicit ergo: *Et stans retro*, præ verecundia. Sic publicanus à longe stetit, & nolebat præ rubore oculos ad cœlum leuare. Sic tota die verecundia eius contra eam erat, & confusio faciei cooperuit eam. Hæc est confusio adducens gratiam & gloriam. Contrà sunt aliæ, quæ nolunt erubescere in viis suis malis & sceleribus, sed erubescũt benefacere: Quem ergo fructũ habuit in illis, in quibus nũc erubescit? Quia turpitudinis suæ maculas cõspexit, ad fontem misericordiæ lauanda cucurrit. Et quamuis erubesceret respectu diuinæ præsentiæ, nõ tamen in cõspectu præsentiæ humanæ, quo minus quæreret salutem suæ animæ. Quod patet ex hoc, quia non iussa venit, & inter conuiuantes peccata sua flere non eribuit. Dum nãq; deformitatem & immunditiã intus aspexit suæ animæ & conscientiæ, nihil putauit quod verecũdaretur foris. Et quam pudor prius non retraxit salubriter à culpa, hanc nec pudor humanus retrahere potuit à quærenda sua salute. Stetit iã in fide stabilis & immobilis, quæ diu iacuerat in peccatis. *secus pedes*. Ecce timor & humilitas. Beatus homo cui datum est habere timorem, nam per timorem, omnis homo recedit à peccato: Et sine timore dei nemo potest iustificari. Et recte vestigia quærebat & ad pedes Iesu se prostrauit, quæ diu extra viam cum sceleratis & impiis in circuitu ambulauerat, errando sicut ouis quæ periit in huius vasta solitudine mundi. Et iam cupit & statuit agnum & Iesum sequi quocunq; ierit, & ambulare sicut ipse ambulat in dilectione, & in viis iustitiæ citra vllã exorbitationẽ. Iam rectos gressus pedibus facere voluit, & eos dirigere in vias euangelij pacis. Sic

Luc 18. *Hiere. 3.* *Rom. 6.* *Prou. 15.* *Psal. 11.* *Ephes. 5.*

sacerdos

sacerdos Iairus etiam ad pedes Iesu cecidit cũ filiæ suæ salutem rogauit. Sic Samaritanus mundatũ se videns lepra horribili, gratias acturus Christo pro impenso beneficio, ad pedes Iesu pronus corruit, ac quanta potuit cũ deuotione eum magnificauit in laude. Nec hoc contenta, sed & *lachrymis cœpit rigare pedes eius*, prę dolore cordis magnitudine. Sed & ex hoc tempore lachrymę eius factę sunt & panis die ac nocte, atq; poculum suum cum fletu miscebat. Sic laborauit in gemitu suo, lauit per singulas noctes conscientię suę lectum: Pro singulis peccatis speciales lachrymas fundendo. Quis cordis eius contriti amaritudinem verbis poterit ęquare loquendo, qua omnes annos suos dies & horas recogitauit? Petrus foras egressus fleuit amarè. At Magdalena, inter epulas flere nõ erubuit. Christus fleuit super ciuitatẽ Hierusalẽ, sed hęc super seipsam fleuit irremediabilibus, & amaris lachrymis abluit maculas cordis. Et ex quo insignis erat peccatrix, supra modum peccans peccauerat peccata, ideo multum fleuit & amarè: vt secundum mensuram delectationum quas prius habuit in culpa, iã esset & lachrymarũ modus. Et quantũ in deliciis fuit, tantũ sibi faceret luctũ: Sciens quod beati qui lugent sua peccata & etiã aliorum, quoniam ipsi consolabuntur. Vide antẽ modum flendi quem habuit & fac tu similiter, qui in cubilibus & impudicitiis, in comessationibus & ebrietatibus, diu vixisti, deum offendisti, proximum scandalizasti, & terram in fornicationibus tuis polluisti, & teipsum damnasti. Ipsa fleuit veraciter, quod notatur in lachrymis. Cõtra aliquos qui dolere de peccatis se & lugere simulant. Induunt se veste lugubri &c. sed mentitur iniquitas sibi, quia deus non irridetur. Ipse cor intuetur, & discretor cogitationũ & intentionum cordis est. Fleuit abundanter, quod notatur in rigatione. Neq; enim paucis lachrymis rigare & lauare potuit beatos pedes Christi. Exitus et riuos aquarum deduxerunt oculi eius, quia non custodierunt legem dei. Ideo Hieronymus legit: Riui aquarum fluebant de oculis meis. Fecit sibi luctum, quasi in morte primogeniti, et lachrymę eius in maxillis eius. Sic fleuit abunde, quod omnem sanguinem eius quem habuit et carnem eius et ossa, putares esse in lachrymas conuersum. Fleuit salubriter, quia super pedes Iesu lachrymas fudit: et dixit in corde suo ad Iesum, cui omnẽ

Mat. 8. *Luc. 17.* *Mat. 26.* *Luc. 19.* *Deut. 25.* *Apoc. 18.* *Luc. 6.* *Hiere. 2.* *Heb. 4.*

Psal. 24. cor patet & omnis volũtas loquitur: Vide humilitatem meam & laborem meũ, & dimitte vniuersa delicta mea, Et iterũ: Exaudi orationem meam domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Et alibi, Deus cœlorum, creator aquarum, & dominus totius
Zech. 8. creaturæ, qui non vis mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant, exaudi me miseram deprecantẽ,
Hest. 14. & de tua misericordia præsumentem. Et illud: Domine mi, qui rex meus es & deus meus, adiuua me solitariam, & cuius præter te, nullus est auxiliator alius. Sequitur:
Rom. 6. *& capillis capitis sui*, non alterius *tergebat*. Hæc est vera tristitia secundum deum quæ pœnitentiã stabilem operatur in salutem. Ecce quantã hæc in muliere ista opera
2. Cor. 7. tur sollicitudinem, defensionem, (in græco habetur satisfactionem,) indignationem, timorem, desiderium, ęmulationem, vindictam. Latiora sunt hęc, quàm vt hîc expendi possint. Hæc est vera conuersio ad deũ & pœnitentia, qua homo membra sua sicut prius exhibuit seruire
Rom. 6. immunditiæ & peccatis ad peccata perpetranda, ita post quã relicta malitia ad dominũ conuertitur, eadẽ membra sua exhibet ex bona animi deuotione ad perficiendũ opera iustitiæ in eis quibus sanctificatur, & à pristinis viciis emundatur. Ecce peccatrix hęc insignis, capillis pedes domini tergit, quos prius ad ornandũ caput suum & capiendas animas studiose composuerat. Labiis quibus vecordes iuuenes impudice fuit osculata, atq; stultos irretiuit malis sermonibus, osculatur pedes Iesu. Et quę prius erecto collo incesserat, & gressu composito, iã
Esa. 3. se prosternit in terram. Et quę olim in habitu meretriceo, auro & argento, ornata purpura & bysso induta, & circũornata vt similitudo templi, aut sponsa ornata viro suo, omniũ oculis gratiosam se ostẽdere studuit, hęc nũc seipsam erubescens, retro dominũ & conuiuas stetit. Ergo quot habuit oblectamenta in peccatis, tot in se inuenit holocausta in pœnitentię & iustitię viis. At nos aspicimus Magdalenam peccantem, & non pœnitentem. Sequimur eam in carnalibus desideriis explendis ad damnationis nostrę cumulum, sed non in perfecta conuersione ad dominum, & derelictione omnimoda viarum pessimarum, et cogitationum malarum: ideo sine omni excusatione damnamur. *Et osculabatur pedes eius.* Post fletum et lachrymas et continuũ dolorem cordis sui, hîc ostẽdit

duas

duas conditiones ad dulcedinem & suauitatem pertinentes. Quia sicut vere pœnitens seipsum erubescere à iudiciis dei timere, à gemitu cordis sui rugire, & seipsum sub potenti manu dei humiliare debet: ita etiam ne abũdantiori tristitia absorbeatur ex misericordię Dei diuitiis seipsum cõsolati debet, & secum reputare, quia benignus est & paciens & multę misericordiæ & præstabilis super malitia deus noster. Vnde hic dicitur: Et osculabatur pedes eius, quod est amoris indicium: quia dilectos osculari solemus. Et quæ impudice olim fuerat osculata, iam casta oscula figit in vestigia Christi, *& vnguento vngebat* pedes Christi laudabiliter & ad meritum, quo se prius turpiter vnxerat ad aliis placendum in malum. Hoc est vngentum deuotionis & misericordiæ erga necessitatem patientes. Dubio procul Lutherani hanc pœnitentem damnabunt peccatricem: & merito. cum sola fides omnia faciat, omnia peccata deleat, & hæc nescio quo spiritu mala ducta tam multis hîc operibus frustra occupatur. Nam Luther dicit: quòd contritio per recordationem omnium peccatorum suorum in amaritudine cordis facta, auget, non delet peccata, & magis hypocritam facit. Neque eius opera quę hic perstringuntur, opera bona sunt. Sola enim opera bona & meritoria sunt quæ ad consolationẽ & reuelamen fiunt proximorum. At quid perditio hæc vngenti? dicunt hic cum Iuda proditore: Potuit enim hoc venundari multo, & dari pauperibus, & quid emolumenti pauperes ex huius peccatricis pudore, timore, dolore cordis, pluuio lachrymarum, & pedum osculis affecuti sunt vel consolationis? Nihil prorsus. Verum dum arguis & damnas hanc mulierem, blasphemas & damnas saluatorem, in hoc quòd ignorantem non docuit, errantem non correxit, pauperum curam non habuit, contra charitatem proximorum hanc perditionem sustinuit. Sic insaniæ falsę Eygenvuyllorum blasphemiæ sunt in deum & filium eius Iesum Christum.

Ephe. 2.

Ioel. 2.

In assertionibus.

Su. 9. ca Matthai.

DE SANCTA MARIA MAGDALENA SERMO SECVNDVS.

RARO bonitas & virtus hominis, æmulis caret. Nunquam bona opera inuidorum obtrectationibus non maculantur. Bona nanque, zelum amarum habentes in corde, in mala conuertunt, & in

Eccl.11. in electis ac pie in Christo viuentibus ponunt maculas, & damnant eorum opera in deo facta, quæ deus corona iustitiæ & gloriæ vult remunerare. Alij suggillant quæ non intelligunt. vt rarus fit qui in iudicando proximos

Ioan.7. non offendat ad lapidem Christum pedem suum. Nos secundum faciem iudicamus, & quo modo sumus affecti, ex quo cordis secreta & intentionem non possumus videre: ideo iudicia nostra tanto sunt periculosiora et nocentiora nobisipsis, quanto magis temeraria et ex peruersiore corde. Quibus bene volumus, quos carnali amore prosequimur, eorum excessus dissimulamus, crebrò etiam excusamus, nullo iustitiæ rigore arguimus aut vindicamus.

Psal. 68. Et contrà quos gratis odio habemus, qui nobis graues

Sap.2. sunt ad videndum, qui contrarij sunt operibus nostris, qui improperant nobis peccata legis, etiam si angelos viuant, et omnibus placeant in bono, nemini dederint vllam offensionem, tam sancte, iuste et sine querela omnibus adsint, vt placeant deo, et probentur ab omnibus hominibus, qui ingrediuntur sine macula, et operantur iu-

Luce 1. stitiam, qui deo seruiunt in sanctitate et iustitia omnibus

Sap.6. diebus suis: nihilominus si cum inuidia tabescente iter

Rom.9. habemus, nihil possumus eis pacifice loqui, insidiamur vitæ eorum, et optima quæque illorum arguimus, maculamus, damnamus, reos eos mortis clamamus, et vita ipsa

Act.9. indignos. Hinc Apost. mox vt à diaboli laqueis resipuit, et factus actu fuit vas misericordiæ et electionis, diaboli et filiorum eius iram incurrit. Sed tanta virtute ex alto indutus fuit, adeo in domino et in potentia virtutis eius confortatus fuit, quod istis hominibus placere exhor-

Ephes.6. ruit, vnde ait: Si adhuc hominibus istis placerem, Christi

Gala.2. seruus non essem, quia deus dissipat ossa eorum qui ho-

Psal. 52. minibus placent, secundum hominem ambulantibus. Nolite igitur iudicare secundum faciem, neque condemnare. Vel si iudicare volueris, iudica temetipsum, et tunc nō

Rom.2. iudicaberis à domino. Si autem alium iudicas, teipsum condemnas, et iudicium dei non euadis, quod est secundum veritatem. Et hoc iam dicit euangelium. Vbi pharisæus falsa sua iustitia inflatus, bonum opus Magdalenæ reprehendit iniuste. *Videns ergo pharisæus*, oculo suo liuido et nequam: Ideo de falsa sua iustitia superbus, nullatenus compassione motus, fragilitatis suæ oblitus, non considerauit semetipsum, quod et ipse circundatus erat

infir-

Infirmitate:sed inhumanus mansit, quia non fleuit cum flente, nec pro ea interpellauit vt Christus eius misereretur,& eam in suo dolore consolaretur. Vidit nanque eã amaro animo esse, & tristem vsque ad mortem. Videns ergo pharisæus, *qui inuitauerat Christum, ait intra se.* Ecce malignitas eius contra benignitatem & bonitatem Christi,in occulta cordis murmuratione. *dicens,* in corde suo. *Hic si esset propheta,* ille magnus per Moysen nobis promissus,qualem eum esse acclamat instabile vulgus. Ecce temerarium eius iudicium,tum de Saluatore, tum de pœnitente peccatrice.*sciret vtique,* & vtique sciuit & optime sciuit,quod tu ignoras,& ideo temere iudicas & teipsum condẽnas,*qua* in persona,*& qualis* in vita,*esset mulier quæ tangit eum,quia peccatrix est.* Ergo hoc nulla ratione permittere deberet. Profectò si ad pedes eius venisset,vt canem calce eam repulisset,ne contagij aliquid ex tactu eius acciperet & maculæ. Ipse diues erat & locupletatus & nullius eguit. Non erat sicut cæteri hominum, & ignorabat quòd miser erat & miserabilis, pauper, cæcus & nudus. Ipse sanus,peccatrix infirma & male habẽs,ergo pessime eam iudicat,quòd medicum quærit. Errauerat sicut ouis quæ periit,& iudicatur quòd redit ad viam veritatis & vitæ. Quòd decem milium talentorũ debitrix,rogat à domino dimissionem omnium debitorum. Sic Pharisæus veraciter superbus, inhumanus, temerarius & inuidus, & apparenter forsitan iustus,sanam reprehendit de ægritudine,iustam de iniquitate,deo placentem de perditione. Et quod maius est,medicum criminatur de subuentione,patrem misericordiarum & Deum totius consolationis de pietate,iudicem de clementia,& Christũ de bonitate. Mẽtiris,non est,sed fuit peccatrix. Nõ est mortua,sed viuit,perierat & inuenta est. Cõgaudere deberes & congratulari pastori de inuẽta oue,mulieri de reperta drachmate, patri de filiæ recuperatione. Nunc autem tuopte more arguis Christũ de bonitate, & mulierem damnas in bona operatione. *Et respondens Iesus.* Sic hoc hominum genus,iustificabat se coram hominibus, sed deus nouit corda eorum. Speciem pietatis prætẽdebant, foris sicut sepulchra & parietes dealbati speciosi parebant. Verum, qui gloriatur in domino gloriari debet. Non enim qui seipsum commendat iactanter, ob hoc est vere commendatus & laude dignus, sed quem deus commendat.

Gal. 6. *Deut. 18.* *Luca 15.* *Luca 15.* *Mat. 23.*

Sic

Prou. 81. Sic sancti humiliter sentiunt & loquũtur de se ipsis, & iustus in principio accusator est sui. Sed hypocritę gloriātur de virtutib. quas nō habēt, despiciunt, iudicant & dānant
Gen. 21. cæteros. In oculis aliorum festucam vidēt, in suis trabem
Iob 1. non aduertunt. Deus cōmendauit Abraham, Iob, Dauid,
1. Reg. 13 Ioānem baptistam, Nathanaēlē, & illi humilia loqueban
Matt. 12. tur de seipsis. Sic quod apud homines altum est, abomina
1. Cor. 2. tio est apud deū, & ignobilia mundi & contēptibilia, et ea quæ non sunt sæpius eligit deus. Sic hic iā pharisæi huius cōuincitur falsa et tumida iustitia et dānatur ex sui pro-
Psal. 140 prij oris sentētia: modeste tamen, vt locū haberet veritas in corde eius. Sic iustus corripuit eum in misericordia, et
Gal. 6. instruxit eum in spiritu lenitatis. Respondēs ergo Iesus tacitę mentis illius cogitationi, in quo verum prophetā et maximum se ostendit, *dixit ad illum*. Nec hoc mirum. Quia dominus scit cogitationes hominum, quoniam va
Psal. 73. næ sunt: *Simon* inquit *habeo tibi aliquid dicere*. Tibi ad tuā necessitatem, vtilitatem et salutem. *At ille* Simon *ait*: *Ma*
Mat. 23. *gister* vnus et solus et verus, Vocat eum magistrum, et bene dixit, quia voluit ab eo doceri viam dei in veritate, *dic*, quia tu doces vtilia. *Duo debitores erant cuidam fœnatori*. Fœnerator iste, dominus est, qui pro culpa momētanea pœnam æternam exigit, et pro donis gratiarum exigit fructum bonorum operum. Quia veniēs ad mortem vniuscuiusque pecuniam gratiarum suarum exiget cum vsura.
Matt. 25. Debitores dici possunt Simon et Maria, quantum ad
Luca 19. propositū. Vel Iudaicus populus et gentilis vel notorij peccatores et occulti. *vnus debebat quingentos denarios*. Nēpe, qui plus peccauerat. *& alius quinquaginta*, qui minus
Ioan. 15. peccauerat. *Non habentibus illis vnde redderent*, quia nullus eorum qui à peccatis absolui per seipsum, et Deum demereri, aut dignos pœnitentiæ fructus facere potest viribus propriis, sine gratia Dei. Ideo Deum per viscera misericordiæ suæ obtestamur, vt ille per meritum suæ amarissimæ passionis et propter bonitatem suam, et nomen sanctum suum, dimittat nobis peccata nostra. Non habentibus ergo debitoribus vnde redderent, ille vt suauis est, mitis et multæ misericordiæ omnibus inuocan-
Psal. 129. tibus eum, *donauit vtrisque*, ex misericordia sua magna. Et iustificauit eos gratis per gratiam suam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Apud illum
Rom. 8. nanque est misericordia, et copiosa redemptio, ipse redemit

demit Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Multa hic necessaria scitu vide in sermonibus meis de tempore, Dominica XXI. post Pentecost. Hic autem obiter nota, quòd debitum illud est quod alicui debetur. Dicũtur autem peccata debita, non quòd ea debeamus, vel Deus hæc à nobis exigat, sed ea ratione peccata debita vocantur (iuxta illud: Quantum tu debes domino meo? Et illud Omne debitum dimisi tibi. Et illud: Non exibis inde donec solues omne debitum. Et hic sunt duo debitores) quia inde peccata et debita contraximus, quia debita nõ soluimus, quia non fecimus quæ debuimus facere. Et ob hoc iudici pœnam debemus. Et sicut qui pecuniam quã debet creditori non soluit statuto termino, dupliciter incurrit debitum supra pecuniam quam debet. Nempe debitum culpæ, eo quod non soluit, per quod facit contra charitatem et fidem, et offendit creditorem. Et debitum pœnæ, quam debet iudici, eo quod contra iustitiam egit. Sic in proposito, eo quòd non facimus debitum nostrum illis quibus obligati sumus contrahimus duo mala, videlicet peccatum siue culpam, et reatum siue pœnam. Et hæc duo nomine debiti intelliguntur. Ex quo vlterius sequitur, quòd rectius dicimus dimitte nobis debita nostra, quam peccata nostra, quia debitum plus est quam peccatum. Nam per illud petimus dimissionem culpæ & pœnę, per hoc dimissionem pœnæ. Quia peccatum nostrum crebrò dimittitur quantum ad culpam, manente reatu pœnæ. Vt patet in Exodo, cum dimittebatur populo culpa conflati vituli, Moyse interpellante prò eis. Nihilominus in die vltionis visitauit Dominus peccatum eorum, Sic Dauidi post adulterum dominus peccata dimisit, & remisit impietatem peccatorum suorum, quo ad culpam, sed non quo ad pœnam. Si percontaris, cui aut quibus & quid debemus, respondeo: Tribus debitor es: deo, tibi, et proximo. Deo tria debes, vnũ ratione delicti, aliud ratione beneficij. tertium ratione depositi. Debes ergo deo, emendam pro delictis, iuxta illud: Quod debetis, reddite pro delicto. Hoc redditur in opere veræ pœnitentiæ. Seruitium pro beneficiis. Eligite hodie cui potissime seruire debeatis. Et respondistis: Absit à nobis vt relinquamus dominũ: Serui ergo domino pro beneficio creationis, redẽptionis, glorificationis, Rationẽ de vniuersis acceptis. Redde rationem villicationis

Luca 16. Mat. 18. Mat. 6. Luca 11. Exod. 32. 2. Reg. 12. 1. Reg. 6. Iosue 24.

cationis tuæ. Et quantum tu debes domino meo? Tibi
Luca 16. tria debes, secundum tres partes, carnem, animam, & cõpositum: Carni debes mortificationem, quia debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus &c. Animæ, hoc est sensualitati abnegationem, iuxta illud: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Cõposito munditiam. Pater, si rem grandẽ dixisset tibi Propheta, certe facere debueras. Proximo tria debes, secundum triplicem actum, cordis, oris, & operis. Dilectionem cordis, iuxta illud: Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. Instructionem oris, sic græcis & barbaris debitores sumus. In corporalibus, si ego laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. In temporalibus, iuxta illud: Inclina pauperi aurem tuã sine tristitia, & redde illi debitum tuum. At, Simon hic, nihil sibi conscius est. Omnia hæc seruauit à iuuentute sua, patris mandatum nunquam præteriuit. Sic nemo in sese tentat descendere nemo, sed præcedenti spectatur mantica tergo. *Quis ergo* debitorum, *eum* misericordissimum remissorem *plus diligit*? Hoc est, plus diligere tenetur? *Respondens Simon* secundum iudicium rationis & legis naturalis, quæ scripta est in cordibus nostris, secundum quam & gentes ea quæ legis sunt fecerunt. *dixit: Æstimo, quia is cui plus donauit.* Temperate respondit. Æstimo, dicens: Hanc Christus responsionem expectauit, vt ex verbis propriis concluderetur. Sic ora dolosorum etiam obstruxit, quando dixit: Reddite quę sunt Cęsaris Cæsari. Item vnde esset baptismus Ioãnis. Et si sabbatho liceret benefacere an male. *At ille dixit ei: Recte iudicasti.* Ergo veritas à quocunque dicatur accipienda est & honoranda. *Et conuersus ad mulierem.* Iam parabolam applicat ad suum institutum, & veram mulieris pœnitẽtiam, falsæ Simonis præfert iustitiæ. Conuertit ergo se ad humiliter & vere conuersam, per suam misericordiã, qui à peccatoribus faciem suam abscondit. Vnde ait per prophetam: Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. Oculi domini ad fideles terræ, & super iustos, & aures eius ad preces eorum. Et sicut Maria corde confitebatur aduersum se iniustitias suas domino, sic etiã corde eius exorabat indulgentiam, dicens: Miserere mei, quoniam in te cõfidit anima mea, quoniam benigna, suauis, & pia est misericordia tua. Mirifica misericordias tuas

Marginal references: Rom. 8. · Ioan. 12. · 4. Reg. 5. · Rom. 1. · Ioan. 13. · Prou. 22. · Luca 10. · Persius. · Psal. 4. · Rom. 1. · Mat. 22. · Luca 14. · Zach. 1. · Psal. 33. · Psal. 56.

mihi propter bonitatem tuam, qui saluos facis sperantes in misericordia tua. Nec ore confitebatur peccata 5
sua, quia Christus cordis illius verba intellexit & dolorem vidit, quod non potest alius sacerdos. Atque confessio sacramentalis tunc adhuc non erat instituta. *Dixit Simoni*, in quo reddit eum attentum. *Vides hanc mulierem?* quasi dicat: Si eam plene vidisses & opera eius, non condemnasses innocentem, sed laudasses, & eius factum secutus fuisses. Vide ergo eam & attende, quàm singularis est in exemplo pœnitentiæ. quæ singularis fuit in vanitate, & peccatorum iteratione. Nam vbi abundauit delictum, superabundat gratia. *Intraui domum tuam*, ex magna misericordia & gratia, quod diligentibus me & custodientibus mandata mea promisi, dicens: Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. At tu *aquam pedibus meis non dedisti.* Pharisæus arguerat peccatricem iniuste, sed Christus eum de triplici negligentia reprehendit iuste, & ex contrario Magdalenam de triplici bono opere extollit. Pharisæus ex defectu ciuilitatis culpatur, eo quòd aquam pedibus Christi non dedit. Sed hic Lutherani Christum malè fecisse clamabunt, quia hoc deus nullibi præcepit. Etsi Abrahæ vel Iob velles factum allegare, tunc illi respondent, quòd nullius volunt exemplo vrgeri. Sed parum est aquam dare pedibus, quod ille neglexit. *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos.* Et quis tam hebes est & truncus quòd ignoret lachrymas oculorum meliores esse aqua fontis aut torrentis? Ecce deus laborem & dolorem considerat atque opera ipsa, quod negat Lutherus. Sed neque *osculum mihi dedisti*, quod deterius est, contra me murmurasti: *hæc autem ex quo ingressa est non cessauit osculari pedes meos.* quasi diceret: Non solum vnum osculum dedit mihi, sed multiplex. Nec ori, quod te opportuit facere, sed pedibus, quod tibi esset abominabile, oscula infixit. Osculata ergo est mulier hæc frequenter quia non cessauit. Humiliter, quia pedes: vtiliter, quia meos. Omnia autem subiecta sunt sub pedibus meis. *Oleo caput meum non vnxisti*, quod solet fieri in signum lætitiæ & hilaritatis: *hæc autem* quam tu iudicasti, despexisti, condemnasti, *oleo* pretioso *vnxit pedes meos*, qui sunt membra hominis depressiora, inferiora & immundiora, maxime in his qui sine calceis incedunt, vt fecit Christus. Ipse enim facere cæpit & docere. Ideo cum pro-

Marginal references: Rom. 5. (beside "delictum, superabundat"); Ioan. 14. (beside "veniemus & mansionem"); Gen. 18. (beside "Abrahæ vel Iob"); Psal. 17. (beside "oculorum meliores"); Psal. 8. (beside "Omnia autem subiecta"); Mat. 10. Marc. 6. (beside "sine calceis incedunt").

cum prohibuit apostolis ne portarent calceos, non est probabile, quòd ille calceis sit vsus. Sic audiuimus, quomodo pœnitentia Magdalenæ vera, melior fuit falsa iustitia Simonis. Ideo etiam fuit digna venia. *Propter quòd*, charitatis, hilaritatis & comitatis suæ bona opera, quorũ
Ioan. 7. in te nullum est, *dico* ego, qui secundum veritatem iudico, *tibi*, qui innocentem iniuste iudicasti et despexisti, *remittuntur ei* mulieri pœnitẽti, *peccata multa*, quæ patrauit,
1. Pet. 4. *quoniam dilexit multum.* Quia charitas operit multitudi-
Eccle. 10. nem peccatorum. Imo vniuersa delicta operit charitas. Et quid est dilectio, nisi ignis ille quem dominus in cordibus nostris voluit vehemẽter accendi? Et quid sunt peccata nisi stipula, fœnum et ligna? Ille ergo omnia peccata sua in nihilum redegit, in cuius cordis altari ignis charitatis ardet. *Cui autem minus dimittitur*, vel nihil, vt tibi, qui te sanum putas, & non es de sorte eorum qui in multis offendunt, vel septies in die cadunt & resurgunt, *mi-*
Matt. 25. *nus diligit.* Potuit eum hic concludere ex verbis suis, vt seruum fecit pigrum & malum, sed defert vel senectuti, vel forsitã sacerdotio si eo fungebatur, vel in seipso eum vidit confusum & dolentem de stultitia sua. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.* Remittuntur tibi ait: Non ego remitto, causa docendæ humilitatis, & vt astãtes aduersarij, nullam ansam calumniandi eum haberent. Beata, ô mulier cui remissę sunt iniquitates, & cuius tecta sunt peccata, ex magna dei misericordia, & ex multitudine miserationum eius deleta. Ecce tres comites: Diuina misericordia, in remisione peccatorum. Humana miseria, in multitudine peccatorum. Vtriusque iustitia, in solutione pœnarum & tormentorum, quia tibi pœnitẽti. Nec hoc misericordiæ diuinæ opus maximum, quod teste Aurelio, maius fuit, quàm creare cœlum & terram, absque malignantium calumnia factum fuit. *Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Ecce quæ ad medicum venerat egra, sanata est: Quæ vinculis peccatorum constricta, soluta est: Quæ mortua, reuixit: Quæ perdita, inuenta est: Quæ septem dæmoniis obsessa, liberata est: Quæ multa debuit, libera dimissa est. Sed heu de salute eius, alij cum inuidia tabescẽte iter habentes, infirmati sunt, vinculis diaboli innodati sunt, mortui sunt, obsessi sunt, debita sua cumulauerunt. Sed & ideo errabant, quia scri-

pturas ignorabant & virtutem dei. Si solus deus peccata dimittit, ergo iniuste eũ iudicatis, quia ipse est Deus, iuxta illud: Et verbum erat deus. *Dixit autem ad mulierem*, nihil motus ingratitudine & blasphemiis malignorum, commendans eius fidem veram, viuam & sanam de duplici merito: *Fides tua*, per dilectionem operans, à deo tibi infusa & data, quia fides donum dei est, *te saluam fecit*, à peccatis tuis. Quia quod petiit in fide nihil hæsitans, hoc impetrauit. Sic benignitas Saluatoris nostri, eam quam sanauerat ab omnibus infirmitatibus & plagis mentis, per pietatis sententiam confirmat in bono, dicens: *Vade in pace* pectoris, in pace temporis, & expecta pacem patriæ cœlestis. Hæc est pax dei quæ exuperat omnem sensum, & solis datur hominibus in terra bonæ voluntatis. In pace ista vocati sumus, in pace ista dominus populo suo benedicit. Hic non tacenda quæstio animum pulsat, ex illo verbo ortum habens, Æstimo, quòd is debitorem plus diligit, cui plus est dimissum. Ergo Magdalena plus diligit Christum, quàm virgo Maria, cui nihil est dimissum. Et manasses Ioannem Baptistam in gratia excedit & dilectione, quod aures pie expauescunt. Nam nemo dubitat in gratia virginem Mariam excellere omnes, & Ioanne nemo maior est inter natos mulierum. Respondeo: Maria plus diligit deum quàm vllus alius: non quòd illi multa peccata sunt dimissa, quia nullum peccatum fecit, sed tota pulchra fuit, adeò quòd cor eius eam non reprehendit in omni vita eius, etiam de minimo peccato. Plus tamen deum dilexit, quia maiorem ei gratiam dedit ad omne peccatum vincendum, quàm omnibus aliis. Sic Ioannes Baptista, Manasse magis deum diligit, non quòd ei tam multa peccata dimisit vt isti, sed quòd eum ab istis peccatis horrendis per gratiam suam custodiuit. Non enim est peccatum, quod ego non fecissem, aut facerem, aut facere possem, si per gratiam suam & misericordiam deus me ab illis non custodisset & custodiret. Quicquid ergo mali alius fecit, & ego non feci, me fecisse debeo iudicare ex mea ad malum pronitate ab adolescentia. Quod autem non feci & opere non perpetraui, gratiæ dei acceptum referre debeo, & gratias ei agere, qui me ab istis custodiuit. Nam ille nos custodit ne peccemus, vt ad illum regem dixit. Sic vias

Mat. 22.

1. Cor. 1.

iniquitatis amouet à nobis,& de lege sua misereturno-stri.Et non relinquit virgam peccatorum & potestatem diaboli,vt nocere nobis possint & illudere,& funes peccatorũ extendere iuxta iter nostrum,& super sortem iustorũ,ne iusti extendant ad iniquitates manus suas.Occasio facit furẽ,fecit & adulterũ,& in vitia quæque protrudit.Sic deus cõsilia & cogitationes malignorum dissipat,ne possint implere manus eorum,quod ceperunt.Sic
Gene.4. Maria virgo,sic Ioannes Baptista, sic Abel iustus,sic ve-
Ioan.5. rus Israëlita Nathanael,in quo dolus non fuit,sic vir bo-
Actu.11. nus Barnabas, plenus spiritusancto & fide, & alij amici dei,plus aliis Deum diligunt, non propter dimissionem multorum,& maximorum peccatorum,sed propter gratiam suam maximam & misericordiã,qua eis admissa donauit,& ab aliis custodiuit.Vel sicut Maria virgo, quòd eam ab omnibus malis & peccatis preseruauit.Et si quæritur,quis ergo deum plus diligit:Maria virgo virginum, an Magdalena?Respondeo:Virgo Maria,quia maior gratia est præseruatio,quàm dimissio:& melior est innocentia,quàm pœnitentia,cæteris paribus. Et longe excellẽtius est dare innocentiam, quàm condonare offensam. Sẽper ergo Deum diligere debemus, vel cum à peccatis nos custodiuit, vel cum admissa misericorditer cõdonat.

IN DIE S. IACOBI APOSTOLI, EPISTOLAE, BREVIS postillatio.

Ephe.2. Psal.10. Tob.12. Gene.1.

IAM non estis hospites & aduenæ. Magna opera domini, exquisita in omnes voluntates eius, Apostolus glorificat quantum potest & inculcat.Nam sicut sacramenta & consilia regum abscondere bonum est: ita opera dei,quæ sunt omnia bona valde,reuelare & confiteri, honorificum est.Vnde ait : Videte filij mei dilectissimi, qualẽ charitatẽ vobis exhibuit deus, non propter iustitiam vestram & bona opera,quæ nulla habuistis,quãdiu fuistis filij iræ & mortui in delictis & peccatis vestris,in quibus olim ambulastis,secundũ principis increduli mũ-
Titi.3. di voluntatẽ.Eratis certe insipientes tunc,increduli, errantes à via veritatis,seruiẽtes desideriis carnis,quæ militant aduersus animã,& voluptatibus variis, in malitia & inui

& inuidia agentes,odibiles,odibilia Deo opera faciẽtes, odientes inuicem. Propter quod memores estote multitudinis misericordiæ dei,& quomodo mirificauit misericordiam suam vobis deus. Proinde cum gaudio gratias agite deo patri, qui dignos vos fecit in partẽ sortis sanctorũ,in lumine,& eripuit vos de potestate tenebrarũ,& trãstulit in regnũ & gloriã filij sui super omnes dilectissimi,in quo habetis redẽptionẽ,per sanguinẽ ipsius à captiuitate vestra,remissionẽ peccatorũ,& accessum habetis ad deum per gratiã in qua statis, & gloriamini in spe gloriæ filiorũ dei.Iudæi olim gloriabantur frustra inflati, & se aliquid esse putabãt cũ tamẽ nihil essent: Et si quid erãt,per gratiã dei hoc erãt.Gloriabantur in deo,in lege data,quã nullus eorũ seruabat,in patribus sanctis,quorũ opera nõ faciebãt,& in aliis multis, de quibus hic nõ est dicendũ per singula,sed & tempus me deficeret enarrãtem. Gentiles autem conuersos despexerunt,tumidi Iudæi & stulte præferebant se gentilibus credentibus in Christum, vt ad longum diuus Hieronymus scribit in prologo super epistolã ad Romanos. Sed Iudæi & Græci omnes peccauerunt,& gratis iustificati sunt per gratiam dei, & per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Et nulla est inter Iudæos & gentes distinctio, sed in omni gente,qui credit,timet deum & facit iustitiam, acceptus est deo. Et quanto iustior,tanto deo acceptior. Gaudete ergo vos gentes,quia per Christum ambo accessum habetis,in vno spiritu ad patrem. *Ergo* vos qui olim gentes fuistis,& modo in Christum creditis,gaudentes gaudete in domino,& exultate & lætamini in deo Iesu vestro, & in misericordia eius. Ratio huius est, *iam non estis* sicut fuistis antequam per gratiam dei vocati fuistis in admirabile lumen suum, de tenebris, & in regnum suum & gloriam,*hospites & aduenæ*,id est,indigniores Iudæis credentibus,sicut olim fuistis tempore legis, sicut olim Esaias prædixit: Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. Sic amota est gentium indignitas, opprobrium & despectus. Sequitur eis per gratiã collata dignitas,magnificẽtia & gloria,*sed estis ciues sanctorum*,vel potius cõciues sanctorum,& eiusdem iuris & dignitatis in domo Dei cum sanctis. Accessistis ad Sion montem, & ad ciuitatẽ Hierusalẽ cœlestẽ, & multorũ milium frequentiã,& ecclesiã primitiuorum

Col. 1. *Rom. 5. & 8.* *Rom. 2.* *Ioan. 7.* *Rom. 3.* *Abac. 3.* *1. Pet. 2.* *Esai. 54.* *Heb. 12.*

qui conſcripti ſunt in cœlis, vbi & nomina veſtra ſcripta
Luc. 10. ſunt in libro vitæ,& iudicē omnium deum, & ſpiritus iuſtorum,& teſtamēti noui mediatorem Ieſum,cuius corporis membra,cuius regni cohæredes, cuius gratiæ facti eſtis participes.Nam eſtis dij & filij excelſi omnes, fra-
Pſal. 81. tres,matres & amici Chriſti,genus electum,regale ſacer
Ioan. 10. dotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, *& domeſtici*
1. Pet. 2. *dei*,quia in eccleſiam credentium(quæ dei domus eſt,ouile,vinea,milicia & regnum)eſtis adunati. Sic magnificauit dominus facere cum eis quos præſciuit & prædeſti-
Rom.8. nauit conformes fieri imaginis filij ſui vnigeniti.Deinde cauſam reddit vtriuſque,dicens: *ſuperædificati* & innixi & conſtructi, *ſuper fundamentum apoſtolorum & prophetarum*, id eſt, ſuper doctrinam noui & veteris teſtamenti, quia quod apoſtoli prædicauerunt, hoc prophetæ prædixerunt.Sic ciuitas Hieruſalem habet, 12. fundamenta. Et
Apo. 21. hoc *ipſo Ieſu Chriſto*, deo & homine, exiſtente *ſummo an-*
1.Cor.3. *gulari lapide.* Chriſtus eſt fundamentum, & aliud nemo ponere poteſt.Fundamentum dico,apoſtolorum & pro-
Matt.21. phetarum,nam ei apoſtoli & prophetæ innituntur.Vnde qui præcedebant & qui ſequebantur,confitebantur,glorificabant & magnificabant eum,& petebant vt ipſe eos ſaluos faceret in regnum ſuum cœleſte,dicentes: O ſan-
Actu.4. na,in excelſis.Quia non eſt in alio aliquo ſalus. Ipſe di-
Dan.2. citur lapis de monte ſine manu abſciſus, id eſt ſine virili
Rom.9. ſemine conceptus,propter ſuam firmitatem. Quia Ieſus
Eccle.4. Chriſtus heri & hodie,ipſe in ſecula. Summus, quia ſu-
Pſa.17. per omnia benedictus deus in ſecula. Tum quia cōſum-
Mat. 21. matio ſeruorum ipſe eſt.Angularis,quia Iudæos & gentiles in ſe & in vnam eccleſiam, atque in vnum corpus connectit. Sic lapis ab ædificantibus reprobatus, in caput angeli eſt factus Ergo,ædificium fideles,ex viuis lapidibus conſtructum.Fundamentum,doctrina. Fidei fir-
Pſal.83. mamentum,Chriſtus. Deinde docet quomodo debent fideles in bono proficere,de virtute in virtutem ire, creſcere in gratia, donec deus deorum in Sion videatur. *In*
Actu.17. *quo* Chriſto, vos eſtis, ſicut membra in capite, rami in radice, palmites in vite, ideo in eo eſtis, viuitis & mouemini. In quo & per quem Chriſtum, *omnis ædificatio conſtructa*,tum de Iudæis, tum de gentibus *conſtructa*,per
Ephe.4. Chriſtum & fidei ac euangelij prædicatores, in ædificationem corporis Chriſti. Sic & omnis homo ſapiens ſemetipſum

ſemetipſum ædificare debet ſupra firmā petrā,in fide & Mat.7.
bonis moribus.Hoc modo vas electionis, vt ſapiens ar- Luc.6.
chitectus fundamentū poſuit Chriſtū & fidē filij Dei,
& alius,nempe,Apollo & cæteri eius cooperatores, ſu- 1.Cor.3.
perædificauerūt,aurū,argentū & lapides precioſos. *creſcit*, per profectū in ſapientia,& in gratia,& in omni bonitate,apud deū & homines, *in templum ſanctum*, id eſt, donec ſit tēplum ſanctum *in Domino*, id eſt,in eius operatione.Iuxta illud: Tēplum dei ſanctū eſt,quod eſtis vos. *In quo* Chriſto,ſicut palmites in vite,mēbra in corpore, virga in radice,lapides viui in muro, *& vos* Epheſij *coædificamini* cū alijs fidelibus, *in habitaculum Dei*, vt ſitis habitaculū Dei.Nā dum deū diligitis,Deus in vobis manet, & vos in Deo.Tūc ad vos venit,& manſionē apud vos facit, *in ſpirituſancto*, qui eſt huius artificij artifex.Et in ipſo operante,ſine quo nullum opus eſt acceptum Deo.

1.Ioan.4.

Ioan. 14.

IN DIE S. IACOBI APOSTOLI, IN EVANGELIVM Sermo.

MIRABILEM deū eſſe in ſanctis ſuis tota ſcriptura teſtatur,& rerū magiſtra experiētia quotidiana. Omnia tamē propter electos fiūt,vt ipſi ſalutē conſequantur cū gloria cœleſti. Quæcūq; autē ſcripta ſunt, de iuſtis Dei legibus,vel de ſanctorū operibus,ſiue bonis ſiue malis, ad noſtrā doctrinā ſcripta ſunt:vt per patientiā, quam habere nos oportet,dum fructū verbi facimus,pie in Chriſto viuimus,immaculatos nos ab hoc ſeculo cuſtodimus, digne deo & euangelio eius ambulamus:quia multæ ſunt tribulationes iuſtorū. Maledicuntur,et benedicūt:perſecutionē patiūtur,& ſuſtinēt: blaſphemātur,& obſecrāt:tanquā purgamenta mūdi huius cēſentur & omniū peripſema,et indigni ipſa vita:opprobrium hominum ſunt,et abiectio plebis:Omnes eos videntes derident eos,labiis loquuntur omne malum aduerſus eos,et ex deſpectu mouent capita ſua ſuper eos. Vel deum imitamur et ſanctos eius,ſancte,iuſte, et ſine querela,in medio nationis prauæ et peruerſæ, per bona opera lucēdo ad gloriā dei.Et ſanctorū intuentes exitū, conuerſationis eorum fidem imitamur.Nec ſegnes efficimur, nec deficimus in tribulationibus quæ nos nimis

 inueniunt,

inueniunt,sed eos imitamur,qui fide & patientia hæredi tauerunt promissiones dei.Ad consolationem ergo nostram & diuina mandata,& sanctorum gesta sunt scripta, vt per patientiam in qua illi possederunt animas suas,& cõsolationem scripturarum,spem habeamus,quod cum dei ope & gratia omnia sustinebimus,& repromissam iustitiæ coronam post certamẽ legitimum,accipiemus.Sic mater ecclesia,agni sponsa,hodie nobis stellã firmamenti proponit & ostendit : cuius si ductũ,lumen siue exemplum sequimur, veluti alij reges, non ad præsepe & diuersorium, sed recta & regia via ducit nos ad cœlorum regnum, vbi regem Iudæorum non inuolutum pannis, sed in solio suæ gloriæ,in suæ maiestatis throno videbimus in decore suo,& facie ad faciem,& salua erit anima nostra:Fiat,fiat. Ad euangelij textum iam conatus nostros & oculos conuertamus dispiciendum. In quo tria tanguntur,Maledicta vanitatis illusio,Vera viæ vitæ cœlestis designatio,ibi,potestis bibere.Iusta bonorum labo rum remuneratio,Calicem quidem. Circa primum aduertendum quòd tam maledicta est & impudens vanitatis & ambitionis damnabilis culpa, quòd nemini parcit, nemini defert,quantumlibet vel paruo,vel magno corã deo. Sæpe enim fit vt quos vitia nulla delectant, quos nulla potest mouere luxuria, nulla auaritia subruere, nulla carnis illecebra vincere,ambitio fecit criminosos. Et vt dominarentur aliis, ipsi diabolo & desideriis suis
Mat.4. pessimis damnabiliter seruierũt.Hinc diabolus ad Chri-
Luc.4. stum dixit:Hæc omnia, videlicet regna mundi & gloriã mundi tibi dabo,si cadens in terram adoraueris me.Ambitio est subtile malum,secretum virus,pestis occulta,virtutum mors,vitiorum origo,tinea sanctitatis,excæcatio cordiũ,ex remediis morbos generans, & ex bono ma-
Psal.4. lũ,& ex vita mortẽ colligens.O filij hominũ vsq;quo ergo eritis graui corde,vt quid tam stulti estis,quòd veritate humilitatis neglecta,vanitatẽ falsi honoris & menda-
Ioan.6. cium quæritis?Hoc Christus non fecit:Nam dũ eum regem facere voluerunt,fugit:sed dum ad mortem quære-
Exod.3. retur,persecutoribus obuiam iuit.Moyses amicus dei,dũ ad honorem vocaretur à deo,vt populi dux foret, seipsum excusauit,imperfectum suum & linguam blesam allegauit,quantũ potuit & licuit,restitit,magis eligens ab-
Mat.13. iectus esse in domo dei,sedere in loco infimo, q̃ primos

recubitus

recubitus in cœnis,& primas cathedras in synagogis te
nere. Hæc pestis angelorum supremum & pulcherrimum corripuit & deiecit de cœlo,in profundissimum in fernum. Protoparentes expulit de paradiso. Hæc Dathan,Chore & Abiron viuos cum suis complicibus protrusit in damnationis locum.Hæc impulit scelestum Abimelech,vt septuaginta fratres suos super vnum lapidem occideret.Reprobum Saul vt innocenti Dauid mortem intentaret,impulit. Tu Ioab maculam in gloriam suam ponere,& duos viros optimos,proditorie occidere compulisti.Tu in horrenda atque nefanda scelera pulcherrimum Absolonem mersisti,& vt potiretur regno,patrem suum ad mortem quærere vrgebas.Tu Hieroboam,vt in regno maneret,scisma cogitare,& idololatriam instituere docuisti:& ab ista impietate,ne regno destituerētur, ne vnus quidem regum Israel,recessit.Ioram filium Iosaphat,vt solus regnaret,fratres occidere iussisti. Tu Athaliam impuram filij sui filios perimere docuisti.Taceo Iasonis,Menelai,Lisimachi,Alchimique scelera,quibus culmen honoris assequi frustra moliebantur:taceo Vriā sacerdotem : taceo Annam & Caippham,qui ne gentē & locum perderent , filium dei & regem gloriæ , morte turpissima condemnauerunt. Pilatus item ob gratiam Cæsaris & Iudæorum,quem innocentem nouerat,morti adiudicauit.Taceo Herodem crudelem,qui ne regnum perderet,in infantes ferrum strinxit. O maledicta satoris malorum filia,quæ & in schola Christi & inter lumina mundi contentiones , & dissentiones crebrò seminasti : de quo in hoc agitur Euangelio. Cuius occasio hæc fuit : Crebro saluator noster discipulis suis ignominiam passionis & gloriam resurrectionis prædixit. Dixit item eis , quòd de gloria transfigurationis suæ nemini quicquam dicere deberent:quam Petrus , Iacobus & Ioannes viderant,donec à mortuis resurgeret. Dixit item ad Petrum : Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,&c.His auditis putabant eum restiturum iam regnū Israel,& in summa gloria imperaturum toti mundo visibiliter,& omnes gentes suo subditurum imperio , sicque dominari à mari vsque ad mare , & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum : & quod in secundo aduentu fiet in cœlo,in primo post resurrectionem eius ex mortuis , implendum putauerunt. Ideo humanum quid passi

Ezech.28 Esa.14. Apoc.12. Gen.3. Num.15. Iud.9. 2.Reg.3. 3.Reg.14 2.Para.2 Ioan.11. Mat.27. Mat.2. Luc.22. Mat.17.

sunt electi fratres isti,& secundi in regno eius esse cupiebant.Nō audent tamen ipsi eū coram aliis apostolis petere,ne ex hoc dissentio & cōtentio oriretur,timentes, & si ipsi tacuerint,posset alius eos præuenire: & quidem
Isa.16. desiderabant desiderio magno,obtinere:Atq; sic vermis eorū nunquam moreretur,qui suæ eos negligentiæ culparet. Tunc consilio habito,matrem submiserunt:vt si
Mat. 11. iustū foret,facilius pro filiis quod petebat impetraret:si reprehensibile,citius veniā quasi mulier mereretur *Tunc* sic informata, *accessit ad Iesum* quem mitem & humilem corde sciebat,suauem & multæ misericordiæ. Vnde neminem ad se venientē confundit:sed iusta desideria omnium ad se venientiū,& se petentiū exaudiuit & impleuit. *mater filiorum Zebedæi.* Hoc est Salome vere pacifica,
Mat.7. quæ filios genuit pacis. Verè,si radix sancta, & rami. Si
Tobia 7. arbor bona,bonos fructus facit. Quia boni,iusti,timentes deum parentes,ab infantia docent proles suas timere deū,& abstinere ab omni peccato:& inter tēpus vocationis apostolorū,& hoc quo hæc facta sunt,probabile est,Zebedæū vniuersæ carnis viā fuisse ingressum:atq; dormiente viro suo in domino, liberata fuit à iugo viri,
Mat.7. vleo cū filiis toto vestigio, quocūq; iuit Christū sequebatur: *adorans* eū vt deum, *& petens* humiliter *aliquid ab eo.*Certa,quòd qui petit ab eo,accipit: & qui quærit in-
Iacob.1. uenit,& pulsanti aperitur:si tamen secundū deū petit & in nomine eius,& in fide nihil hæsitās.Ecce tria. Accessit,adorauit,petiit. Accessus in affectu & facto: adoratio est in cordis eleuatione & signo:Petitio in verbo. Accessit ergo in bona volūtate,& bonitatis operatione:Adorauit in fide, petiit in benignitatis & misericordiæ illius fiducia & præsumption e. *Qui dixit ei* leniter, *quid vis?* vt faciā tibi? Quæ est petitio tua? *Ait illi* cū multa fiducia: *Dic.* ecce imperat,quæ humiliter petere venerat. Quòd Marc⁹ expressi⁹ astruit dicēs:Quòd filij Zebedæi,Iacobus et Ioānes accesserūt ad Iesum,dicētes:Magister,volum⁹ vt quodcūq; petierim⁹,des nobis. At ille dixit eis,
Prou.1. qui stultitiā eorū et indiscretionē sciebat:Quid vultis vt faciā vobis?Nō quærit ignorās,sed vt stultitiā confessos, arguat,et oēs hoies in eis doceat,vt nemo diligat infantiā,et ea quæ noxia sunt cupiat aut petat à deo.Et respōdētes dixerūt:Da nobis,imperiose rursus loquunt̄,vt vn⁹ ad dexterā tuā,et alius ad sinistrā tuā sedeam⁹ in gloria tua.

tua. quasi dicant: Cum simus natura propinquiores tibi, petimus vt in dignitate & honore apud te simus honorabiliores, sublimiores, pręcellentiores præ cæteris. Sicut Ioseph fuit in Aegypto apud Pharaonem, Dauid apud Saulem, qui sedebat ex vna parte apud regem, & Abner ex altera. Sicut Aman apud Assuerum, & Daniel sanctus apud Darium regem Persarum & Medorum. Et idem, Matthæus matrem dicit postulasse, dicens: *Dic vt sedeant hi duo filij mei* dilectissimi tui consanguinei & apostoli, *vnus ad dexteram & alius ad sinistram tuam in regno tuo.* Sic alij filiis suis Cræsi diuitias, alij militiã, alij falsos honores, alij carnales delitias laqueos diaboli, perditionis foueas, funes peccatorum, seruitutes verissimas vitiorum prouident, procurant & emunt. Nemo heu illis deum prouidet, & dirigit in viam salutis æternæ. Perditionem illorum magno pretio comparant magnísque laboribus promouent, salutem autem illorum nec dono accipere volunt. Si viderint illos pauperes, tristantur. Si viderint illos humiles, simplices vt columbas, innocentes vt agnos amantes pacis, orationi die ac nocte instantes, domino seruientes, spiritu feruentes, & nemini vllam offensionẽ dantes, ab omni specie mala abstinentes, omnibus placentes in bono, mundum & ea quæ in mundo sunt velut stercora & detrimenta spernentes, abstinere ab omni peccato, fructificare in omni opere bono: tunc gemunt, monachos eos esse clamant, velut degeneres despiciunt. At cõtra, si mundum & ea quæ in mundo sunt diligunt, si huic seculo se conformant, si proximos circunueniunt, pauperes opprimunt, curam carnis in desideriis faciunt, si vacant potationibus, genio indulgent, vbique signa lætitiæ relinquunt: si deum audacter prouocant, & id genus aliis malis exuberant, tunc eos non arguunt, ista dissimulant, de his in corde gaudent plerumque & laudant. Sic catuli leonum & luporum paternorum fiunt operum imitatores. Sic ostendunt quod corporum amatores sunt, non animarum: Imo & corporum & animarum peremptores & damnatores crudelissimi. At mater hæc, sed ignorans in tribus defecit: In ordine, in inuentione, in materia. In ordine erat peruersitas, quando ante meritum petebat præmium, brauium ante cursum, coronam ante legitimũ certamen. Dic inquit, vt sedeant, quiescant, honorentur ante laborem, ante cursum viæ mandatorum dei, ante

1.Reg.20.
Hest.3.
Dan.6.

certamen.

certamen. In intentione fuit carnalitas, putabat pia mater, hoc sibi & filiis deberi ex lege carnis, & sanguinis propinquitate. Ideo ait: Hi duo filij mei. i. consobrini tui. Sed
Mat. 12. oblita fuerat quod Christus dixerat: Quicunque facit vo
Luce 8. luntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, so-
Rom. 3. ror & mater est. Innuens per hoc non carnalem, sed spiritualem habere affectum. Nec carnem, sed merita & gratiam & virtutes nos illi acceptos, charos & proximos facere. In materia erat vanitas, qui pompā, gloriam & honorem vanum mundi quesiuit, ideo dixit: Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram tuam in regno tuo. Putabat ergo erronee, in regno dexteram esse & sinistram. Et quia facit hoc ignorans, ideo non confunditur, sed instruitur in spiritum lenitatis, & corripitur in misericordia.

DE S. IACOBO APOSTOLO

SERMO SECVNDVS.

Heb. 4. & 5. NON habemus pontificem qui non possit cōpati infirmitatibus nostris. Sed talem profecto habemus qui condolere potest his qui ignorant & errant: Non litigiosum, sed mansuetum & docibilem ad omnes, patientem,
2. Tim. 2. & cum modestia corripientem omnes, etiam eos qui de industria & ex professo resistunt veritati. Quia benigna & suauis est misericordia eius. Nam sicut pater miseretur filiorum suorum, ita dominus miseretur nostri, quoniam ipse cognoscit figmentum nostrum, & imperfectum no-
Psal. 102 strum oculi eius vident. Ideo errantes & filios & matrē hic instruit in spiritu lenitatis, suauis & mitis dominus. Et corrigit in eis vitium elationis, quasi vinum infunden-
Luca 10. do eorum vulneribus fœtentibus. Deinde addit oleum, inuitando eos ad imitationem suæ humilitatis. Dicit ergo, malum desiderium & inconsideratam petitionem re-
Mat. 25. cusando: Quia ambo ad dexteram statuere noluit, & il-
Ioan. 13. lorum vnum cum hœdis mater postulat poni in sinistra,
Marc. 11 cum sederit in sede maiestatis suæ. Diabolus hanc cogitationem vanam misit in corda eorum. Ipsi autem aliter
Gal. 6. instituti erant à Christo: Nempe quod mites & humiles corde deberent esse suo exemplo, & in prādio recumbere in nouissimo loco. At illi horum obliti, effecti erant i-
Isaia 14. nanis gloriæ cupidi. Nec humilitatem Christi, sed superbiam Luciferi imitari maluerunt. Ipse enim supra astra

cæli

cæli solium suum exaltare voluit,& similis altissimo esse:Verum considerata eorum ignorantia, misericordem correptionem meruit,non confusionem. Sic Apost.misericordiam consecutus est,quia ignorans ecclesiam dei persequebatur. Sic Abimelech ignorans quod Sara virum legitimum habuit,veniam meruit.Hinc deus ipse loquitur dicens ; Parcam Niniue ciuitati magnæ in qua sunt plus quam centum viginti milia hominum,qui nesciunt quid sit inter dexterã & sinistram Sequitur ergo, *Iesus autem*, qui viam dei in veritate docet bona & vtilia hominibus *ait illis*,corrigendo ambitionem,& adhortando ad imitandam passionis suæ humilitatem, in qua semetipsum humiliauit : Et corrigit eos in quibus peccauerant,nempe,de astutia,de carnalitate,de superbia.Secundum ibi,potestis bibere.Tertium ibi, Sedere autem. Verum quia omnia hæc ex indiscreta ignorantia processerunt , ideo corrigens eorum astutiam , ostendit quod hæc petitio prouenerit ex stultitia, qua ea quæ illis noxia erant cupiebant & petebant : dicit ergo illis duobus fratribus & etiam matri quæ pro illis interpellabat, *Nescitis quid petatis.*Honores enim excæcant oculos mentis, ideo homo cum in hnonore esset non intellexit. Nec ambitiosi vident pericula, dolores & calamitates quibus potestate præditi cruciantur continue, alioqui vt à facie colubri, & gladio bicipiti , à veneno aspidum insanabili, à morte ipsa , munia honoris fugerent & abhorrerent. Ideo ambulant vt cæci,viam pacis nesciunt,& non est iudicium in gressibus eorum. Impingunt in meridie quasi in tenebris. Sic labor stultorũ affligit eos,qui nesciũt in vrbem pergere. Dicit notanter:Nescitis quid petatis.q. d.Quod petitis,nõ est quid,id est,aliquid:Quia si quid petieritis me in nomine meo hoc faciã·Honores autẽ nihil sunt,& qui in eis delectãtur,nihil sunt &fiunt,iuxta illud, Pro eo quod leuatũ est cor tuũ nihil factus es,& nõ eris in perpetuũ.Hoc modo loquitur Apostolus dicẽs:Si habuero omnẽ fidẽ, charitatem autem non habuero,nihil sum quantũ ad esse gratiæ & in oculis dei.Charitas autẽ nõ est inflata,nec ambitiosa:Ergo superbi & ambitiosi nihil sunt quantũlibet magni sint apud semetipsos.Peccatũ nihil est,& homines cũ peccant,ad nihilum rediguntur & nesciunt.Ad nihilũ deueniunt,tanquã aqua decurrẽs.Sic Esaias loquitur:Plastę idoli omnes nihil sunt.Sic omnia

1. Tim.1. *Gen. 20.* *Iona 4.* *Prou.1.* *Esa.59.* *Ezec. 28.* *Esa.44.*

omnia per verbũ dei facta sunt,& sine ipso factũ est nihil,id est,peccatũ Quod dũ homines faciunt,nihil fiunt
1.Cor.13 & sunt nihil. Vel nescitis quid petatis, id est qualiter. Quid enim oremus prout oportet,nescimus.Nõ enim petebant in nomine Iesu,dũ ea quę contra proriam salutẽ erant,orabant.Et ordine præpostero,mercedẽ ante labo
Rom.8. rem,& coronam gloriæ ante legitimũ certamen. Delectabat eos culmẽ honoris,sed prius oportebat eos vt bo-
Mat. 20. nos milites Iesu Christi laborare & portare põdus diei & æstus.Nunc redarguit eorũ carnalitatem,& regiam viã arctámque passionis eis ostendit quæ ducit ad cœlum,& exaltat in gloria. Per multas tribulationes oportet nos intrare in cœlum.Et si compatimur,tunc conglorificabimur,si sustinemus omnia pro eius gloria,quod facit Charitas vera, & cõregnabimus. Adhæc eos exhortans ait:
Act. 14. *Potestis bibere calicem quem ergo bibiturus sum?* quasi dicat, Vos petitis soliũ gloriæ regni mei & maximi esse,& secũdi in regno meo,ratione carnalis propinquitatis,sed non
Rom.8. est ista via ad gloriam verã,sed ad damnationẽ & confusionem æternam,non ducit ad cœlũ,sed ad infernum.Vnde supereminentiorem vobis viam charitatis ostendo. Hæc sola ducit ad cœlum:Nã his qui diligunt deum,præparata sunt bona illa ineffabilia, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit,nec in cor vllius hominis ascenderunt.
Esa.64. Charitas autẽ dum patiens est,& omnia suffert & omnia
1. Cor.1. sustinet,custodit vias duras,multa imo omnia patitur,crucem suam portat,vim sibi facit,carnem suam cũ vitiis &
1.Cor.13. concupiscentiis crucifigit, pondus diei portat & æstus, mortificatur propter deũ tota die,vt ouis occisionis reputatur aut morbida. Ideo odio est omnibus hominibus, propter nomen meũ,& grauis,sicut & ego sum amatoribus huius seculi ad videndum. Si potestis ergo calicem meum bibere,quæ placita sunt coram patre meo semper
Rom.8. facere,& tunc sine causa pati,& cum vobis mala pro bo-
Ioan.8. nis, & pro dilectione vestra retribuitur odium, cum persecutio,tribulatio, augustiæ, plagæ & mors ignominiosa infertur.Si hæc potestis pro nomine meo pati humi-
Mat.5. liter, sufferre patienter,sustinere perseueranter. Et nunc
Rom. 12. diligere inimicos, orare pro persecutoribus, benefacere odientibus, et vincere in bono malum. Tunc bibitis calicem meum, tunc ambulatis in dilectione, sicut et ego dilexi vos. Tunc per patientem charitatem

curritis meo exẽplo ad propositũ vobis certamen, in me *Heb.12.*
aspiciendo, qui et ipse proposito mihi gaudio quo semper frui potuissem, crucem pro vobis sustinebo, nec propter tantam ignominiam probrosę crucis, mortem detractabo. Et propter hoc pater me exaltabit et dabit mihi nomen quod erit super omne nomen, vt in nomine meo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Et omnis lingua confitebitur me esse in dextera dei patris et gloria et honore coronatum, et super omnia opera manuum eius esse constitutum. Per hunc mundũ hoc promerebor, quod dabitur mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Ergò si vos culmen honoris delectat, calicem hunc meum bibite, crucem baiulate, vosmetipsos abnegate, eadem cogitatione armamini. Sic estote passionum socij, quod postquam feceritis, eritis et consolationum. Sic per labores ad requiem, per ignominiam crucis itur ad gloriam veram in cœlis. Per humilitatem ad exaltationem, per paupertatem ad veras diuitias, per dolores ad gaudia, per mortem in vitam æternam. Per calicem fere vbiq; passio et martyrium intelligitur. Tũ quia cum mensura bibitur, eo quòd non permittit deus hominem tentari supra id quod potest. Tum quòd cito transit sicut potus, Nam quod in presenti momẽtaneum est tribulationis nostræ &c. Tum quia delectat. Sic apostoli gaudentes ibant à conspectu concilij gloriantes in tribulationibus complacentes sibi in contumeliis, in angustiis, in infirmitatibus, in persecutionibus pro Christo, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumelias pati, vincula, craceres & mortẽ perpeti, Ex isto loco cõstat ꝙ nullus status securus est à tẽtatione diaboli. Nam hic inter apostolos laqueos interitus posuit, in cordibus eorũ semina mala & zizania seminauit. Hic rursus docemur quã necessariũ, bonum & vtile est, in schola Christi cõstitutis, melioribus, expertis & in spiritu deo seruiẽtibus manifestare tẽtationes, consilia audire meliorũ, & sequi. Illos namq; diabolus tentare dedignatur, qui sua cõsilia, suas technas fraudũ, suos dolos aliis manifestant. Sæpe aurũ obrisum putatur, quod vix est aurichalcum. Bonũ & vtile putatur, quod est ipsa mors & dãnationis laqueus? Potestis ergo calicem bibere, hoc est, confusionẽ, passionẽ & dolorẽ sustinere, quã ego bibo pro vobis & pro totius mũdi peccatis? Et vt Marcus addit baptisari baptismo

Philip.2. *Mat. 28.* *1.Cor.10* *Rom.12.*

sustinendo

ſustinēdo tribulationem corporalem,quo ego baptizor, id eſt,quem ego patior.Et in iſto gemino tropo,deſignatur qualitas debita paſſionis & eius vtilitas.In calice recreante deſiderium & voluntas paſſionum. In baptiſmo vero,quo vniuerſa delicta dimittuntur, vtilitas paſſionis qua in nobis eſt per imitationem dominicæ paſſionis.Eſt autem calix multiplex in ſcripturis diuinis: Nempe,eruditionis.Sic calix inebrians,præclarus eſt. Benedictionis & ſanguinis Chriſti cui benedicimus.Saluationis,pœnitentiæ,calicem ſalutaris accipiam ait.Paſſionis, transfer ait calicem iſtum à me.Et Hiere.Accepi calicem de manu Domini,& propinaui illum cunctis gentibus.Proſperitatis humanæ, vt eſt opulentia. Hic eſt calix aureus Babylonis, inebrians omnem terram. Iudiciariæ poteſtatis,hic eſt calix in manu Domini vini meri plenus mixto.Ebrietatis corporalis, eorum , qui ſtudent calicibus epotandis. Baptiſmus item & expurgatio à peccatis tribuitur verbo dei in Ioannis euangelio.Vos mundi eſtis, &c.Aquæ tantum,Ego baptizo vos in aqua. In aqua &
Act.1. ſpirituſancto ſiue igne. In ſpiritu tantum:Baptizabimini ſpirituſancto non poſt multos hos dies. In igne tribulationis.Si abluerit dominus,&c. In morte, Baptiſmo habeo baptizari,& quomodo coarctor,&c.*at illi dixerunt*,ſi-
Rom.7. cut ſenſerunt in cordibus ſuis:*Poſſumus*. velle eis adiacebat,perficere autem non inuenerunt in tempore neceſſitatis. Parati ſumus dixerunt, vt cuſtodiamus mandata tua. Sequemur te, quocunque ieris. Etiam ſi oportuerit nos mori tecum,et pro te,retro non ibimus, non te de-
Ioan.13. ſeremus , animas noſtras ponemus pro te. Sic namque omnes diſcipuli dixerunt. Sed inexpertis leuis videtur tentatio paſſionis & cruciatus mortis , quam experti timuiſſent.Qui nō eſt tētatus,pauca cognoſcit.Sed quàm fragiles fuerunt ex ſe et infirmi,anguſtiæ tempus oſten-
Eccl.34. dit.Sic etiam Iudæi dixerunt legem accipientes in diſpo-
Exod.32. ſitione angelorum:Omnia quæ locutus eſt dominus faciemus.Sed citò nimis receſſerunt de via domini. Multi in ingreſſu ordinis vouent Dei conſilia,perfectionis viā:
Luc.8. ſed à ſollicitudinibus et diuitiis et voluptatibus vitæ
Luc.8. euntes ſuffocantur , conuertuntur in arcum prauum,re-
Mat.4. ſpiciunt retro,reuertuntur ad vomitum , primam fidem
1.Cor.5. irritam faciunt,et fiunt poſteriora eorum , peiora priori-
2. Pet.2. bus. Quibus melius fuiſſet viam iuſtitiæ nō cognouiſſe, quàm

quàm post agnitã retrorsum cõuerti ab eo quod illis traditũ est sancto mãdato. *Ait illis: Calicẽ quidem meũ bibetis.* Iacobus affectu & opere, gladio occisus ab Herode: Ioãnes affectu & animi prõptitudine, missus in feruẽtis olei doliũ, & in Pathmos exilium. Nunc corrigit eorũ superbiã, dicens: *Sedere autem ad dexterã meam vel sinistrã, non est meum dare vobis* inflatis, sed humilibus. Nõ propter carnalem propinquantẽ, sed spiritualẽ. *sed* aliis *quibus paratum est à patre meo,* videlicet humilibus: Quia nõ est dãtis, sed accipientis. Quia pauperum spiritu & persecutiones patientium propter iustitiam, ipsorum est regnum cœlorum. Et hic sit finis sermonis huius. *Mat. 5.*

IN DIE S. LAVRENTII, IN EPISTOLAM HOMILIA.

QVI *parce seminat &c.* Cũ Paulus cũ Barnaba venissent in Hierusalem, post colloquia sancta, visum est omnibus vt Paulus cũ Barnaba in dispersiones gentiũ irent, prædicarẽtq; regnũ dei, & cũ hoc, pauperum qui Hierosolymis erãt, memores essent. Et hoc ipsum sollicite fecit, vt ad Roma. xv. j. Corint. xvj. & ij. Cor. viij. & ix. cernere est. Verùm Corinthiorũ quidã ad pietatis opera difficiles erãt, timentes ex subuentione egenorũ depauperari, ideo modis omnibus ad misericordiæ opera exercenda eos adhortans, ait ergo tenaces docẽdo: *Qui parce seminat*, parũ dando necessitatẽ sustinentibus, maxime iis, qui propter Christũ reliquerunt omnia & secuti sunt eũ, *parce & metet*, in retributione iustorũ, quando dabitur vnicuiq; secundũ operũ suorũ substantiã, qualitatẽ & quantitatẽ. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Et contra, *qui seminant in benedictionibus*, large & voluntarie subueniendo egenis & pauperibus, *de benedictionibus* & largitate donorũ dei, *& metet*, atq; accipiet mensurã bonam, plenam, coagitatam, & supereffluẽtem in sinum suum. Metet vtiq; in benedictionibus, cum ei dicetur: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ, quod vobis paratum est ab origine mundi. Et quare hoc? Esuriui & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere: nudus fui, & cooperuistis me &c. Sic pro calice

2. Cor. 9. / Galat. 2. / Mat. 19. / Galat. 6. / Mat. 7. / Luc. 6. / Mat. 25.

Matt. 10 aquæ frigidæ, dicit se iustã mercedem redditurũ. Quamuis in operibus non solùm opus & beneficiũ attendatur à Deo, sed etiam animus & facultas mensuretur largientis. Sic duo æra minuta pauperis viduæ pluris æstimauit, quàm larga dona diuitum qui dederunt ex abundanti.
Prou. 11. Hinc Salomon ait: Seminanti ad iustitiam, merces fidelis. Seminate ergo vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ. Qui autem arant impietatem, iniquitatem me-
Ose. 10. tunt, & commedunt frugem mendacij. Quia iudiciũ sine misericordia erit his, qui non fuerunt misericordes. Hæc diues epulo expertus est, qui guttam aquæ frigidæ accipere nõ potuit, quia Lazaro micas panis negauit. In qua igitur mensura quis mensus fuerit, in eadem remetietur
Matt. 7. ei, & superadditur ei. Nihilominus non compello vos, sed
Marc. 4. hoc ad vtilitatem vestram dico, & ad id quod bonum & honestum est adhortor, vt sim fidelis minister Christi. Ideo *Vnusquisque*, det & seminet, *prout destinauit in corde suo*, id est, præordinauit, pro suo arbitratu & voluntate. *non ex tristitia.* Qui enim dat vt tædio careat rogantis (vt iudex iniquus viduam sibi molestã vindicauit) non vt viscera reficiat indigentis: opus quidem misericordiæ facit,
Luc. 18. sed rem & meritũ perdit. Quicquid ergo boni facis, fac cum hilaritate, & tunc bene facis: si autem cum tristitia
Eccle. 4. facis, de te fit opus, non tu facis. Hinc sapiens ait: Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde illi debitũ tuum. *aut ex necessitate*, & coactus ex præcepto meo. Sic multi aliquid boni faciunt, ne alios offendant, aut indignationem magnatorum incurrant. *Hilarem enim datorem*
1. Tim 4. *diligit Deus*, qui ex corde bono, deuoto & simplici facit
Rom. 12. bonum. Ille Deo placet, illius opus & pietatem in vita
Eccle. 25. quæ nũnc est remunerat & futura. Vnde alibi ait Apo-
Psal. 19. stolus: Qui miseretur, in hilaritate. Et sapiens ait: In omni dato, hilarẽ fac vultum tuum. Ergo, si quis Dei causa aliquid vult præstare, hoc ex animo faciat. Non indiget deus beneficẽtia nostra, sicut nec bonorum nostrorum, sed tamen delectatur benefactis nostris, sicut pater qui filium suum videt in omnibus honeste, pudice, mature, & laudabiliter se gerentẽ. Nihil magis optat pater cœlestis, quàm vt habeat causam, tanquam ex debito gratificandi
Matt. 25 nobis. Non descendat super cor hominis quod homini
Act. 19. præstet beneficium, sed deo. Potest autem Deus collati in se beneficij vnquàm obliuisci? Nequaquam. Imo vero, quanto

quanto erit maioribus affectus pietatis studiis, tanto copiosiorem reddet gratiam. Si diligitis deum, haud grauate membris illius opitulamini. Si autem grauate id facitis, non vtique eum admodum diligitis. Itaque nec ille multum diligit vos. Huius autem misericordiæ magnum est emolumentum, quia deus misericordiam facientibus retribuit in bonis spiritualibus & temporalibus abunde. Dicit ergo: Quicunque dat aliquid quod sibi multiplicatur, debet illud dare velociter, largiter, & hilariter, sic enim homines seminant, eo quòd colligunt illud multiplicatum. Eleemosynæ verò redduntur dantibus multiplicatæ, ergo sunt faciendæ. Dicit: Ego qu.. spiritum dei habeo, ita moneo, & vos nolite diffidere, *Potens est autem deus omnem gratiam*, non solum hanc gratiam largitionis eleemosynarum, sed etiam quamcunque aliam, *abundare facere in vobis*, vt sic non doleatis de facto, sed magis gaudeatis, quia dat omnibus affluenter. Aperit manum suã, & implet omne animal sua benedictione. Ergo deus dat potenter, quia potens est in cœlo & in terra: & subest ei cum voluerit, posse. Multipliciter, quia omnem gratiam, corporalem & spiritualem, temporalem & æternã. Abundanter, qui abundare facit. Sic exempli gratia, Abraham misericordem, diuitem fecit. Sic Iob quem ipsam misericordiam merito dixerim, abundanter in omni gratia abũdare fecit. Operibus manuum eius benedixit, & possessio eius nimis creuit in terra. Et non solum in temporalibus & corporeis bonis abundauit, sed multo plus in gratia & animæ bonis diues fuit, quæ illis sunt multo præstantiora. Adeóque videtis, quòd misericordes, nullum detrimentum patiuntur ex sua liberalitate, sed deo eos benedicente, & vos cum illis si in hoc eos imitamini benedicet. *vt in omnibus*, temporalibus & spiritualibus. In omnibus quæ desideratis & petitis secundum deum & eius voluntatem, & in omni statu vestro, prospero & aduerso, *semper omnem*, id est, perfectam, *sufficientiam habentes*, tam in voluntate interiori, quàm in facultate exteriori. Sicut Apostolus didicit in quibus esset sufficiens. Sciuit humiliari, sciuit & abundare. Vbique & in omnibus institutus fuit. Sciuit satiari & esurire, abundare & penuriam pati. Erat quasi diues, cum nihil habuit, & quasi pauper, cum in multis diuitiis fuit. Omnia potuit in eo qui eum confortauit. Et iterum:

Iac. 1. *Psa. 144* *Sap. 12.* *Gene. 13.* *Iob 1.*

Habeo omnia, & abundo, quia in deo diues erat. Hinc electos compellans, ait: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia vestra sunt, vos
Iob 1. autem Christi, Christus autem Dei. Sic Iob in prospe itate, omnem sufficientiā gratiæ habuit, & fructus omnes iustitiæ. In tribulatione autem & mœrore, sufficientiam omnem habuit patientiæ, innocentiæ, longanimitatis & meritorum. Nam tunc militabat sicut bonus miles militiam bonam, habendo fidem probatam & bonam con-
Iacob. 1. scientiam. Hæc autem iustorum sufficientia, ex deo est, à quo omne donum optimum, & omne datū perfectum descēdit. *abundetis in omne opus bonum*, tā in datione eleemosynarum, quā in omnibus aliis operibus virtutū. Abūdantiam inquam habebitis, testante Dauid: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & cōmodat, & semen eius in benedictione erit. Qui rursum de viro iusto & misericorde scribit: *Dispersit, dedit pauperibus*, In quo verbo quatuor tāgit quæ misericordiam faciens habere debet: Nempe, dare abun
Psal. 36. danter, quia dispersit. Libenter, quia dedit. Sapiēter, quia pauperibus. Vtiliter, quia iustitia eius manet. Ergo iustus *dispersit*, quia multis largitus est & benefecit, non vni soli. Beati certe in facto suo sunt, qui seminat super omnes aquas. *dedit*, propenso animo, gratis, non vendidit. Gratis accepit, gratis dedit, *pauperibus*, non histrionibus, mimis, scurris & aliis indignis. Neque amicis aut diuitibus, iuxta
Mat. 10. illud: Cum facis prandiū aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, &c. Sed voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, qui non habent vnde retribuant tibi, retri-
Luc. 14. buetur enim in resurrectione iustorum. Quid hic sperare possunt, qui hæc non faciunt, sed pauperibus & egenis panem eorum auferunt, qui est vita illorū. reuera viri san-
Psal. 34. guinum sunt. Sed de rapina tali postea sacrificia deo offerunt, quæ tam placita deo sunt, sicut qui victimat filiū in conspectu patris sui. Viderint hic, qui seruitiis & laboribus subditos suos cum Pharaone nimis grauant. Qui nouas exactiones indicunt & exigunt. Sed in aëra hoc
Esa. 36. loquor. Esaias ait frange esurienti panē tuū, &c. Sic To-
Tob. 4. bias filium suum docuit, vt de substantia sua faceret elee
Luc. 19. mosynā, & noli faciē tuam auertere ab vllo paupere. Et
Zachæu

Zachæus dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. *iustitia eius*, & merces iustitiæ eius qui sic intelligit super egenos & pauperes, *manet in seculum seculi*, quia intrabūt in vitam æternam. Iustitia nāque perpetua est & immortalis. Consequenter, quæ dicta sunt per experimenta, dicens: Non vitam solūmodo æternam accipiunt misericordes, sed super hoc in vita quæ nunc est, deus, *qui administrat semen*, vnde fit pietatis opus. *seminanti*, hoc est, eleemosynas facienti. *& panem*, id est, omnia necessaria vitæ. Sic panem quotidianum petimus in oratione Dominica, hoc est, omnia necessaria vitæ, *ad manducandum*, potū ad bibendū: vestem ad induendum, &c. *præstabit*. Nam hęc omnia adiiciuntur eis, ad necessitatē. Ipse escam dat timentibus se. Hinc Salomon ait: Egestas in domo impij, habitacula autē iustorum benedicuntur. Et iterum: Alij diuidunt propria, & ditiores sunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Quamuis autē sæpius hic abundent tabernacula prædonum, & promptuaria impiorum plena sint, eructantia ex hoc in illud, & iusti paupertate extrema præmantur, & in omnibus necessitatem patiantur, in rebus externis, occulto dei iudicio, qui sic maiorū bona opera fidémque remunerat, & iustos pauperes sic purgat & diuites facit in meritis, & gratia. In bonis animæ autē, mali semper pauperes sunt, & iusti diuites. Sic diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Deus ergo principalis est omnium bonorum dator, quia semen administrat. Homo, dispensator bonorum quæ accepit à Deo, qui seminat, negociatur in talento accepto, in alterutrum gratiam quàm gratis accepit, gratis administrat. Deus autem remunerator est seruorum bonorum & fidelium, quia hic necessaria præstat. Et non solum panem ad manducandum præstabit, sed *& multiplicabit semen vestrum*, voluntatē & facultatem pauperibus subueniendi, iuxta illud: Dabitur pluuia semini tuo. Sic Isaac seminauit, & inuenit ipso anno cētuplū, quia benedixit ei Deus, & locupletatus est valde. Hinc dominus dixit apostolis, qui sua vendiderant, & pauperibus dederant, & eorū vestigia sequentibus, quod centies tantum nunc in hoc tēpore accipient, & in seculo futuro vitam æternā. *& augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, hoc est, meritorum & præmiorū ex iustitia prouenientiū. Iustitia igitur est radix sancta, pinguis & bona excrescens. Incrementū iusti-

Sap. 6. Matt. 6. Luc. 11. Prou. 3. Pro. 13. Iob 12. Psal. 143 Rom. 8. Gen. 26. Matt. 10. Marc. 10

tiæ & frugũ,ſunt opera bona,quæ iuſtitia imperat, & iuſtos facit in deo & in fide per dilectionẽ operante. Augmentum incremẽti eſt profectus in gratia, in virtutibus, in meritis,præmia multiplicantis, quo theſaurũ bonum
Matt.6. ſibi theſaurizant in cœlo,vt docet Chriſtus & Apoſt. Sic
1.Tim.6. iuſtorũ ſemita eſt quaſi lux ſplendens,procedit de virtute eundo in virtutem,& creſcit in gratia, vſq; ad perfectum diem. Hoc fecit B.Laurentius,ideo epiſtola hæc in eius feſtiuitate legitur.

IN DIE SANCTI LAVRENTII MARTYRIS GLORIOSISSIMI, in Euang. Sermo.

Matt.7. ANguſtam eſſe portã & arctam viam quæ ducit ad vitam æternã,nemo eſt qui ambigat: niſi ignorantiam dei habuerit, & cum Sadduceis neſcierit ſcripturas,& opertũ ei fue-
1.Cor.15 rit euangelium gloriæ beati dei,& verbum gratiæ eius,ſic vt(quod nemo ire poteſt inficias)in reprobis,qui pereunt apertum eſt,in quibus nullum fructũ ſa-
2.Cor.4. lutis affert.Eorũ namq; Deus huius ſeculi (diabolũ ac-
Ephe.6. cipite,qui mundi princeps & tenebrarum harum rector eſt)mentes excæcat,ita quod illuminatio euãgelij,quod
Pſal.73. eſt de gloria Chriſti, & ſalute mundi per eum in medio terræ operata,in eis fulgorẽ ſuum immittere non valeat,
Ioan.3. eo quòd tenebras errorum,malitiæ & nequitiæ magis diligunt,quàm lucem hanc veram ſuper omnia quæ deſi-
Sap.7. derari poſſunt,delectabilẽ,vtilem & neceſſariam.Verùm, ignorantes deum & euangelium gratiæ eius, ignorabun-
Matt.25 tur à Chriſto. Sicut,& neſcio vos vnde ſitis,dicturus eſt omnibus,qui eũ neſciunt & ſanctũ euangelium eius, & non ambulauerũt digne deo & euãgelio eius,ſed magis
Luc.13. operati ſunt iniquitatẽ. Et per præuaricationẽ euangelij Deũ inhonorauerunt. De quibus ſcriptũ eſt:Nomẽ Dei
Rom.2. per vos blaſphematur inter gentes. Horũ dãnatio iuſta
Eze.37. eſt.Et ſi in pace Chriſtũ derelinquunt,deo odibilia ope-
Eſai.52. ra faciunt, leges eius peſſime tranſgrediuntur, nullam
Ioan.21. prorſus excuſationem habent in peccatis ſuis.Eiuſmodi
Luc.19. de induſtria nullo vrgente & perſequente,deo dicũt:Recede à nobis,ſcientiã viarũ tuarũ nolumus,nolumus te regnare ſuper nos, poſt concupiſcentias noſtras ibimus:
Hiere.18. Deſperauimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali

mali faciemus. Petrus & cæteri apostoli nonnihil habent excusationis, quòd ille ter dominum negauit, isti Dominum in passione reliquerunt, mortem quippe dũ nimium expauerunt, vitam reliquerunt hi, iste negauit: sed mox resipuerunt à diaboli laqueis, & exurrexerunt à mortuis, quia displicuit eis malum quod commiserunt, & dignis pœnitentiæ fructibus piaculum suum deleuerunt: Nam lachrymæ ex tunc factæ sunt eis panes die ac nocte, dum casus sui turpitudinem recordabatur: & ex illa hora parati erant cum eo in carcerem & in mortem ire, atque animam suam ponere pro eo. Ab illa die, nihil eos separare potuit à charitate Christi: Non tribulatio, non angustia, non periculum, non persecutio, non gladius, nec vlla creatura: Nullus deniq; timor pœnarũ aut pauor tormentorum. Nam extunc virtute induti ex alto, gloriabantur in tribulationibus, gaudebant in contumeliis pro Christi nomine acceptis, in necessitatibus, in angustiis pro Christo sibi complacuerunt. Hæc fuit mutatio dexteræ excelsi, sic dominus columnas ecclesiæ firmauit spiritu principali in omni opere & sermone bono vsq; in finem. Nec solos apostolos sic fortes fecit in bello, vt nullum diabolo locum darent, & in omnibus perfecti starent, qui erant ex circuncisione, & primitias spiritus, hoc est, potiora dona cumulatius acceperant in arã futuræ gloriæ, & robur belli contra mundi rectores & potestates absoluendi, sed & gentibus gratia spiritussancti data est à Christo rege exuberans, iuxta magnificentiã suam regiam: cum qua & salutem propriam & aliorum cum metu & tremore sedulo sunt operati. Sic per gratiam dei innumera martyrum milia Christi apostolorũ imitatores effecti, corpora sua tradiderunt ad supplicia, & calicem domini biberunt, & bonum fidei certamen, cursum suum consummauerunt, fidem seruauerunt: ideo coronam vitæ incorruptam postquã probati fuerunt sicut aurum in fornace, & sicut argentum in conflatorio, acceperunt. Occidi potuerunt, flecti nequaquã. Tormenta despexerunt, mortem lucrum arbitrati sunt. Finem vitæ huius miseræ, æternæ vitæ ingressum crediderunt. Quã esurierunt & sitierũt, sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, captiuus redemptionem, cæcus lumẽ, esuriens panem, sitiens fontem, æger sanitatem, exul patriã suam, laborans & pondus diei & æstus portans mercedẽ,

Mat. 26.
2. Tim. 2.
Mat. 5.
Rom. 8.
Rom. 5.
Act. 5.
Psal. 76.
Ephes. 4.
Act. 10.
Philip. 2.
1. Tim. 6.
Iaco. 1.
Philip. 1.
Psal. 41.

benigne recipit,docet,consolatur,sanat,& pascit)respondit:Amen, amen.In quo euãgelio,doctor iustitiæ & paruulorum, ostendit passione sua fidem multiplicandam, et exemplo suo passionum affectus mortificandos, nec non vitam æternam quærendam. Docet ergo quòd esse debet in nobis lata passionum fructificatio,moderata passionum refrenatio, necessaria seruitutum ordinatio. Fructificationem passionis suæ amarissimæ exẽplo grani, vt melius intelligatur à simplicibus, altius infigatur memoriæ ab omnibus,profundius perscrutetur à deuotis,et in charitate perfectioribus, assimilat:quia magna ei cũ grano tritici conueniẽtia est. Et iã instante passionis suæ hora et tẽpore,seipsum mundo et gentibus incepit manifestare,qui hactenus solius circuncisionis minister, et missum se dixit ad oues quæ perierunt domus
Israel, quia per passionẽ suam salus erat gẽtibus danda. *Mat. 15.*
Tũ quòd Iudæi per conspirationẽ in mortem Christi,iã *Rom. 15.*
gratiã dei repulerunt,et indignos se iudicauerunt et fe- *Ioan. 11.*
cerunt vita æterna, ideo dominus iã conuertitur ad gẽ- *Act.13.*
tes, qui fructũ vineæ suæ ei reddituri erant temporibus
suis.Dicit ergo Christus, qui viã Dei docuit in veritate *Mat. 21.*
et vtilia hominibus. *Amen, amen.* Assertionis geminatio,firmitatẽ,veritatẽmq; promendæ doctrinæ cõfirmat. Vt sic gẽtes qui eũ quærebant,in fide(sine qua impossi-
bile est placere deo)confirmet. *dico* ego qui sum veritas *Sap.2.*
ipsa. *vobis* gentibus, qui in simplicitate cordis vestri me quæritis, et nõ tentatis me sicut pharisæi et Sadducæi.
Qui sic quærit,inuenit:qui sic petit accipit:Qui hoc mo *Marc.7.*
do pulsat,huic aperitur. Hoc modo quærẽdus est domi-
nus,dũ inueniri potest,et inuocandus dũ prope est. Qui *Psal.33.*
hoc modo accedunt ad dominũ,illuminantur in fide,et facies eorũ non confunduntur,repulsam non patiuntur. Confirmantur in spe, accedũtur in eius dilectione,non fraudãtur à desiderio cordis sui. Iã de passionis suæ ec-
stasi quã cõpleturus erat in Hierusalẽ,in qua totus car- *Luc.9.*
do fidei et salutis nostræ situs est,eos erudire incipit. Et sic lac potũ eis dat,et docet eos de elemẽtis exordij sermonũ dei,dicẽs: *Nisi granum frumenti tritici*, hoc est,ego qui sum granum tritici electum,mundum et bonum, *in terram cadens*, per incarnationẽ, *mortuum fuerit* in cruce, pro totius mũdi salute et redẽptione, *ipsum solum manet*,
nullus gentiũ in eũ credet. *Si autẽ mortuũ fuerit* in cruce, *Colos.2.*

 et pote-

& poteftates & principatus traduxerit,& palā eos trium
Pfal.129 phauerit in femetipfo,& quæ nō rapuit exoluerit,Ifraël-
que redemerit ex omnibus iniquitatibus eius, donando
eis omnia delicta eorum: Et deleuerit quod aduerfum
nos erat chirographum mortis, ipfúmq; tulerit de me-
Rom. 11. dio,cruciq; affixerit, *tunc fructum plurimum adfert*, quia
tunc plenitudo gentium,ouile Chrifti recipiendo fidem,
Ephef.2. intrauit. Tunc pacem fecit,& Iudæos,& gentes præordi-
natos ad vitam æternā reconciliauit,ambos in vno cor-
pore deo, per crucem interficiens inimicitias peccato-
rum,quæ nos deo appropinquare prohibebant. Et hoc
fecit in femetipfo,in carne patiendo,mortémque in cru
ce fuftinendo,confufione contempta. Verum hic pro-
pter fimplices,fymbolis nonnihil immorari oportet. Ma
xime quod hoc ad textus intellectum,& affectus inflā-
mationem plurimum facere credam. Granū illud,Chri
ftus eft:terra in quam cecidit,virgo Maria. Quid igitur
eft bonum, & quid eft pulchrum eius, qui vult faluare
animam fuam,& relicta malitia ad Deum redire,nifi fru
mentum electorum? Ecce facramentum in hoftia, & vi-
Zach.9. num germinans virgines. Ecce calix benedictionis cui
benedicimus.Hoc eft,triticum & vinum,fuper quibus ru
Heb.12. minare debemus. Recogitando eum qui talem aduer-
fus femetipfum fuftinuit in paffione fua,à peccatoribus
Ioan.6. contradictionem.Ifto tritico viuunt in Chriftum creden
Ofea 14. tes,quia eft panis vitæ qui dat vitam mundo. Et germi-
Ioan. 15. nant quafi vinea electa,& memoriale Chrifti ficut vinū
libani.Ideo apoftolis dixit:Hæc quotiefcunq; feceritis,
in mei memoriam facietis. Hoc granū frumenti & triti-
ci pater cœleftis,qui verus agricola eft,feminauit in ter
Luc.1. rā bonā,& optimā vteri virginalis, quādo fpiritusfanctus
Galat. 4. in eā fuperuenit,& virtus altiffimi ei obumbrauit,quan-
Luca 2. do tēporis plenitudo,in quo deus filiū fuum mifit in ter-
ris.Granū hoc apparuit,quādo impleti funt dies Mariæ
vt pareret,& peperit filiū fuum primogenitū.Tunc veri-
Pfal.85. tas de terra orta eft,tūc terra noftra (Mariā accipite)de-
Efaia 45. dit fructum fuum. Tunc aperta eft terra, & germinauit
faluatorem,fine vllo virginitatis fuæ detrimento,ficut li
lium germinat fuum florem,& flos fuum diffundit odo-
Pfal.112. rem.Tunc deus de terra fufcitauit inopem Chriftum,&
ille de ftercore peccatorum erexit pauperem hominem
peccatorē,cui non erat alius adiutor,neque in cœlo neq;
in terra,

in terra,neque subtus terram. Hæc est terra quam deus benedixit, de qua hominem formauit secundum Adam videlicet, qui remisit iniquitatem plebis suæ, & operuit omnia peccata eorum. Sed contrahenda sunt vela & defluens calamus cohibendus. Granum hoc creuit, quando Iesus sapientia & ætate & gratia proficiebat apud deum & homines. Profecit & creuit lucis instar splendentis, vsque ad perfectum diem gloriæ cœlestis. Extendit ramos suos omnibus benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, omnémque languorem curando. Radicem humilitatis misit in altum, mitis & humilis corde. Tum quòd afflictus & humiliatus nimis fuit à Iudæis vsque ad ignominiam crucis. Granum hoc multis & validis ventis dum in altum creuit, agitatum fuit & motum: Nempe, blasphemiis Iudæorum, probris, sannis & insidiis. Nihilo minus creuit in altum, per vitæ meritum: Floruit, per piũ affectum, odorem dedit per bonam famam: Extendit ramos eligendo 12. apostolos & 72. discipulos, quos misit in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus. Tandem triticum in captione est desectum, colligatum, cum ligauerunt eius manus, in domum Annæ, Caiphæ, Pilati & Herodis, quasi in horrea deductum, excussum in afflictionibus & illusionibus, mollitum in flagellationibus in partes minutissimas. Cribratum in missione de iudice ad iudicem, de loco ad locum alium. Tandem vt farina mundissima (eo quòd ipse peccatum nõ fecit, essétque sanctus sanctorum, innocens manibus & mundo corde, nec ab inimicis de vllo peccato argui posset in veritate, atque nec princeps mundi in eo quicquam habuit) cũ aqua hoc est, sputis & saliuis Iudæorũ mixta fuit. In crucem quasi in clibanum & fornacem, igne diuini amoris & inuidiæ Iudeorum missus est, vbique decoctus ad vsum nostrum & panis vitæ factus. At ibi inter amorem diuinũ & inuidiam Iudæorum quasi inter duas igne candentes formas ferreas, est ab inferiori ferro zelantium Iudæorum, quinque stigmatibus vulnerum suorum consignatus. Atque hunc in modum granum hoc mortuum est, pro peccatis nostris expiandis, & die tertia resurrexit propter nostram iustificationem, & multos filios adduxit in gloriam, postquam per passionem fuit consummatus. Ecce granum frumenti, postquam mortuum fuit fructum multum attulit, omnia genera hominum, hòc est, quosdã

Luca 2. Prou. 4. Luca 9. 1. Pet. 2. Ioan. 8. Ioan. 14. Rom. 4.

de

de omnibus generationibus hominum: nempe iuuenes
Psal.48. et virgines,senes cum iunioribus,Iudæos et paganos doctos et indoctos,quosque terrigenas et filios hominum, simul in vnum diuites et pauperes ad se traxit in vinculis charitatis,beneficientiæ et fidei electorum. Isti funiculi sunt Adam,quibus Christus quos ante mundi constitutionem elegit, trahit, vincula sunt charitatis. Mortuum est igitur granum frumenti infidelitate Iudæorum et multiplicatum est in fide populorum.Quia Iudæi eũ negauerunt et occiderunt, gentes in eum crediderunt. Amissio illorum,facta est salus mundi.Sic cęcitas ex parte contigit in Israel,et plenitudo gentium intrauit in ouile Christi et vineam. Sic sterilis gentilitas per meritum
Gal.4. passionis Christi et gratiam,peperit plurimos:et infidelis Iudæa,quæ multos habebat filios infirmata est.A fructu huius frumenti in cruce mortui, vini iustitiæ et olei mi-
Psal.4. sericordiæ eius, fideles multiplicati sunt,et in pace Christi requiescunt.Iam ad Christum, conuersa est multitudo maris,et fortitudo gentium venit illi.Hinc Christi di
1.Tim.3. spensationem Apostolus magnum vocat pietatis sacramẽtum,siue mysterium maximæ charitatis dei erga nos. Quod secundum carnem factum est manifestum, atque per spiritus aduentum iustificatum, quod prius vt stultitia fuit reputatum,angelis visum est, gentibus prædica-
Heb.1. tum mundus credidit, et ad patris gloriam assumptum est, quomodo Christus ascendit super omnes cœlos,et sedet ad dexteram maiestatis parternæ gloriæ in excel-
Isa.53. sis. Hinc Esaias ait:Si posuerit animam suam pro peccato,videbit semen longæuum, et voluntas domini in ma-
Philip.2. nu eius dirigetur. Sic prius humiliauit semetipsum formam serui accipiendo, et patri obediendo vsque ad mortem crucis,propter quod deus exaltauit illum etc.Gentiles ipsum videre cupiebant,et verba vitæ ex ore eius audire.At ille se dicit prius crucifigendum et postea viuificandum, prius humiliandum et postea gloria et honore
Luca 14. coronandum:Quia gloriam pręcedit humilitas,et qui se humiliat,exaltabitur.Et nos,si compatimur ei in hoc seculo iniuste sustinendo, tunc in tempore tribulationis eidem secundum gloriam etiam configurabimur ei, et similes erimus.Et si socij passionum eius sumus, erimus et consolationum.

SERMO

SERMO SECVNDVS, IN DIE SANCTI LAVRENTII.

QVI amat animam suam, &c. Diuus Petrus apostolus ait: Christus pro nobis passus est iustus pro iniustis, bonus pro malis, nobis relinquens exemplum vt sequamur vestigia eius. Oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam: Sic & omnes qui pie viuere volunt in Christo persecutiones patiũtur. Nam si commorimur illi, & conuiuemus: si sustinemus omnia pro nomine eius in charitate, & conregnabimus. Iuxta illud: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedeo cum patre meo in throno eius. Ideo beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Hinc tam crebrò adsertor noster ad sua sectanda vestigia hortatur ad se abnegandum, ad crucem portandum. Et tuba euangelij, ad mortificationem carnis, ad crucifigendum se cum vitiis & concupiscentiis, ad castigationes corporis & id genus vtilia opera tum factis, tũ verbis nos adhortatur. Vnde ait ad Corin. Insipiens tu, quod seminas non viuificatur nisi prius mundo moriatur. De hoc Coloss. laudat, dicens: Mortui estis mundi huius desideriis, & vita vestra, tum gratiæ. tum gloriæ, abscõdita est cum Christo, qui est vita vestra & hoc in deo. Ad idem & Christus nos hic adhortatur: Nempe, ad carnalium inclinationum discretam refrenationem, & passionis suæ imitationem, dicens: *Qui amat* Amor duplex est Diuinus, verus & spiritualis, in quo tota lex pẽdet & prophetæ. Qui est finis legis, scopus, summa, instauratio & impletio totius scripturæ sacræ At ille amor dilectio est de corde puro, conscientia bona, & fide nõn ficta. Iste amor est Christi nouum mandatum, eius leue onus & suaue iugum. Est perfectionis vinculũ, omnium peccatorum operimentum, mater omniũ bonorũ, est animæ speculũ, vitiorũ mors & exterminium. Est in templo dei, quod nos sumus, candelabrum aureum septiformi gratia spiritus sancti, quasi septem aureis lampadibus adornatum. Est omnium Deo in sanctitate & iustitia seruientiũ, psalterium decachordum. Nam in eo opera sua omnia faciunt: Sed charitas ista vena benedicta iustorũ est, isti habent eam soli, nec alieni filij inueterati

1.Pet.2. *Matt.19.* *2.Tim.3.* *1.Cor.19* *Col.3.* *Matt.22.* *Rom.13.* *Gal.5.* *1.Tim.1.* *Ioan.13.* *Matt.11.* *Prou.5.*

& claudicantes à semitis suis, participes sunt illius. Omnis qui hanc charitatem habet, & ex ea fratrem suum
14. de ciuitate Dei cap. vlt. diligit, ex deo natus est. De isto amore alias plura scripsimus. Iste amor facit ciuitatem Dei, Aurelio teste. Alius est amor sui radix, fons et origo omnium malorum, deo odibilis, et omnibus hominibus pie in Christo viuentibus. De isto amore vas electionis ad Timoth. ait: In no-
2. Tim. 3. uissimis diebus instabunt tempora periculosa, quia tunc erunt homines seipsos amantes etc. Iste amor ciuitatem diaboli ædificat, vt ibidẽ sanctus dicit Augustinus. Porrò amare est alicui bonum velle. Duobus igitur modis presens locus intelligi potest. Vno modo sic: Qui amat animam suam, hoc est, qui vero diuino, sanctóque amore vitam suam (anima enim hic pro vita quam suppeditat,
Ioan. 13. accipitur. Sicut scriptum est: Animam meam pono pro te, hoc est, vitam meam) amat in hoc seculo, volens sibi-ipsi et cupiens perseueranter bona honesta, spiritualia ac diuina, Ille animam suam perdet in hoc seculo, hoc est,
Eccl. 18. non præstat animæ suæ concupiscentias eius, custodiet vias duras, intrabit per angustam portã, vim sibi facit. crucifiget eam cum vitiis et concupiscentiis, mortificat membra sua, castigat corpus suum, et in seruitutem spiritus re
Gal. 5. digit. Carnis curam in desideriis non facit. Abnegat se-
1. Cor. 9. metipsum, crucem suam tollit quotidie, et sequitur Christum. Non timet eos qui occidunt corpus, carnis oblectamẽta fugit, respuit, abhorret, dei et virtutis amore: sciẽs quòd qui in carne viuunt, ventri suo seruiunt, deo place-
Rom. 8. re non possunt, nec legem eius seruare. Ideo spiritu sancto duce, doctore et adiutore carnis desideria mortificant, et viuunt spiritu, quo et reguntur et ducuntur in semita mandatorum dei ad vitam æternam. Qui sic animã suam amat (quod insensati et animales, spiritum dei non habentes, non intelligunt et stultitiam iudicant) *perdet eam*, eo modo quo dixit. Quod non est perdere eam, sed lucrari, sed saluare, sed custodire in vitam æternam. Felices qui animas suas perdunt in hoc seculo, ne perdant eas in futuro seculo. Alio modo exponitur de-
Eccl. 2. amore carnali et sui: Qui amat animam suam, carnali, vitioso, mundano ac damnabili amore, nihil negando ei quin omni voluptate fruatur, quotidie splendide epulando, ambulando in vinolentiis, in luxuriis, in desideriis carnis, cõmessationibus, potationibus, ebrietatibus,

fruendo

fruendo bonis quæ sunt &c.Ille eam perdet,hoc eſt, ęter nam damnationē incurret,& ſeipſum vera felicitate poſt hanc vitam priuabit, faciet ſeipſum in gaudium inimicis ſuis,vt in diuite epulone cernere eſt,& alio diuite frumētario.Nec non in eis qui coram domino edebant et bibebant et operabantur iniquitatem. Hoc et ſeruus ille qui longam ſibi vitam pollicebatur, et cæpit percutere ſeruos et ancillas,edere,bibere et inebriari &c. expertus eſt.Eiuſmodi vere odiunt ſemepipſos, iuxta illud: Qui diligit vel operatur iniquitatem, odit animam ſuam. vult enim et operatur quæ ei nocent,quæ eam perdunt et dānant.Quod carnales et mundum hunc et ea quę in mundo ſunt diligentes modo neſciunt, nec volunt intelligere, tamen in inferno hoc confitentur,vt in libro Sapientiæ videre eſt de epulone. vt cæteros taceam. De his diuus Petrus in ſecunda epiſtola ſua ſcribit horrenda, et Iudas apoſtolus ait de eis:Hi ſunt in epulis ſuis couiuantes ſine timore,ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ à ventis circunferuntur, quibus caligo tenebrarum conſeruata eſt in æternum.Vbi quantum ſe hic glorificauerunt et in delitiis fuerunt, tantum datur eis tormentorum & luctus:ideò quòd commanducant linguas ſuas præ dolore qui hic in guſtu ſe oblectauerunt,& blaſphemant deum cœli præ doloribus & vulneribus, eo quòd non egerunt pœnitentiā de peccatis ſuis vt darent illi gloriam,Et quamuis vtraque expoſitio veriſſima ſit, poſteriori tamen magis ſequentia concordant,quibus dicit *& qui odit animam ſuam in hoc mundo*, & delectabilia carnis,mundi pompas, vanitates & inſanias falſas, delitias momentaneas, ſpurcas voluptates, carni denegando, carnem crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis, membra ſua mortificando: Et ſi articulus occurrit, quod deum offendere, legem eius preuaricari, ſcelera deſignare debet, aut mori, quod tunc odiat animam ſuam, & magis eligat pro iuſtiſſimis ac ſanctiſſimis dei legibus honeſta morte perfungi, quam effenſo dilecto,huius vitæ illecebris perfrui.Qui hoc odio perfecto, & animam ſuam & inimicos ſuos odit, *in vitam æternam*, adipiſcendam, merito huius odij, quod veriſſimus eſt amor dei & ſui, *cuſtodit eam*, De iſto odio adſertor noſter dicit apud Lucam: Siquis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, fratres, & ſorores, & vxorem

Marginal notes: *Luca 12.* *Pſal. 10.* *Sap. 5.* *2. Pet. 2.* *Apoc. 18.* *Apoc. 16.* *Luca 14.*

&

& filios. Omnes istæ personæ odiendę sunt, non quò ad id quod habent à natura vel gratia, sed quantum ad id quod habent à seipsis, hoc est, à propria, mala, corrupta & inordinata voluntate: Nempe, quantum ad culpam & impietatem quam habent, faciunt et diligunt, qua etiam
Psal. 83. nobis in via dei contrariantur, qua nos à via dei vel impedire, vel retrahere, vel profectu assiduo, quo de virtute in virtutem eundum nobis est, remorari satagunt. Quod
Iudic. 5. dei est, nempe natura, in eis diligentia est. Quod ex malo est: nempe, malitia, iniquitas, error; hæresis, et id genus vitia odiendo. Sic et deus odit peccatores et iniquos
Psal. 118 secundum quod tales, qui operantur iniquitates: Et odio sunt deo impius et impietas eius. Nihilominus diligit
Sap. 1. omnia quæ sunt, et nihil odit eorum quæ fecit. Nec hoc sufficit, sed & animam nostram eodem odio odire debemus, hoc est vitam carnalem, quæ aduersus spiritum con
Gal. 5. cupiscit: Quod tunc facimus cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, sed luctamur, sed frangimus, sed odimus. Scopus iste huius est euangelicæ doctrinę, quòd Christum debemus imitari, moriendo vitiis & mundo & carnalibus desideriis: Et eius instar grani tritici habere conditiones, quantum permittit infirmitas & fragilitas humana. Nec hoc est mori, sed vitam seruare: Nec sic vitam impendere interitus est, sed lucrum. Non enim perit anima hic crucifixa cum vitiis & concupiscentiis, cum tabernaculum corporis deponit aut exit, sed veram ingreditur vitam, in nouissimo die resumptura corpus quod
Ioan. 14. nunc mortificat, corpori Christi clarificato configurandum. Non ergo turbetur cor vestrum neque formidet de morte mea, quæ quondam erit vobis imitanda: imò, quã desiderabitis postquã virtute fueritis induti ex alto, quò sitis & gloriæ & immortalitatis meæ consortes, postquã calicem meum bibistis, & baptismo quo ego baptisabor
Marc. 10. baptisati estis. At nunc paucis dę grano tritici eatenus agemus, quatenus symbolis suis nos erudit, quomodo in passione sicut filij charissimi Christi imitatores esse debemus. Nisi enim nos instar grani tritici mortui fueri-
Matt. 5. mus, soli manemus. Si autem mortui fuerimus, fructum
Ioan. 15. multum afferimus, in quo pater cœlestis glorificatur, qui permanet nobis in vitã æternam. Stultissimus proinde est, qui frumentum suum in granario tenet reconditum, & maledicitur à populo. Sit igitur homo dei,

Christi

Christi imitator,euangelij professor , granum frumenti & tritici.Illud tria in se habet:Pulchritudinem in colore foris,munditiam & albedinem,intus occultam potentiam,quæ cœlesti adiuta virtute, manifestatur in fructibus.Sic nos debemus sanctam,euangelicam,deo dignã, virtuosam,inculpatam,exemplarem , foris habere conuersationem , præbere nos exemplum omnium bonorũ operum,in doctrina sana & irreprehensibili,in integritate mentis & corporis,atq; in grauitate morum.Et ambulare in charitate , quæ per aurum fuluidum significatur, cuius granum tritici colorem habet.Deinde intus mundi esse debemus ab omni inquinamento carnis & spiritus ac omni macula peccati,vt simus mundi corde:ne foris pareamus iusti,instar Pharisæorum,& intus pleni simus omni malitia,nequitia,hypocrisi,inuidia & impietate. Deinde gratiam acceptam ponere debemus ad vsuram,fructificare in omni opere bono,crescere in gratia, ire de virtute in virtutẽ, vt profectus noster manifestus sit omnibus. Et hoc fit,& facimus si nos ponimus & seminamus qui sumus granum tritici,multiplicandum , in bonum agrum,hoc est,in locum Dei seruitio,aptũ,conclusum per regularem ordinationem,aratum per timorem Dei,emundatum à lapidibus scandalorum & offensionum,expurgatum ab herbis noxiis desideriorum malignorum,à radicibus altis malarum consuetudinum,expositum soli iustitiæ , & illuminatum per radios æternæ sapientiæ,doctrinæ euangelicæ,fidei catholicæ,sæpe accipientis,& in tempore opportuno pluuiam voluntariã, rorémq; cœlestis gratiæ. Et oportet agrum hunc à bestiis custodire,ab equis luxuriæ,& porcis immunditiæ,à leonibus superbiæ , ab apris iracundiæ,ab asinis acediæ, &c. Oportet & crebrò noxias herbas & lolium infelix cum zizanio quod nunquam non inimicus homo,diabolus ipse superseminat in corde nostro,extrahere cum radicibus,ne iterum crescant. Maxime grando iracundiæ, tonitrus comminationum , maledictionum , percussionum & violentiæ, tritico nostro est & timendus & præcauendus. Metendum tandem est , & desecandum , per omnimodam à terrenis negotiis abdicationem. In messione enim messoris manu , triticum à terra abscinditur, & nihil post hoc negotij & nutrimenti à terra habet. Sic quæ prius lucra duximus , propter Christum

Titi 2.

2.Cor.7.

Mat.15.

Mat.25.

Colos.1.

Philip. 3.

Rom. 15.

relinquere oportet. Oportet nos alligatura salutis & vinculo perfectionis, quod est charitas in fasces colligari, vt idem dicamus & sapiamus secundũ Iesum Christũ omnes, & nulla in nobis esse schismata permittere. Oportet nos in horreum, hoc est, in ecclesiæ domũ colligi atque cõportari: Ibi oportet nos flagello linguæ iniquæ, tritura oppressionis duræ, tribulis persecutionis iniustæ percuti: Deinde oportet nos à paleis, hoc est, ab hominibus
Ioan. 4. 7. malis, (qui leues sunt per superbiam, pallidi per inuidiã, fragiles & asperi per iram, auidi per auaritiã, infructuosi per acediã, viles per luxuriã, ignium esca per damnationem æternã) separari per ventilabrũ iusti iudicij, quo nos ipsos diiudicamus, ne cum peruersis peruertamur, & cum hoc mundo damnemur. Deinde per cõtritionẽ nos molere oportet, & quodammodo ad nihilũ redigere. Postea cribrare, separando prætiosum à vili, per tribulationis impulsum. Deinde aqua misceri gratiæ dei, quæ salit in vitam æternam, & sapientiæ salutaris. Ac postea in camino persecutionis, in igne diuini amoris ad vsum hominum & esum aptari. Ecce quomodo granũ frumenti, hoc est, homo Dei, vir iustus, in terram se mittit per humiliationem, occultatur in terra, absconditur cum Christo in deo, per humanæ laudis fugam moritur per suam abnegationem, per carnis crucifixionem cum vitiis & concupiscentiis: per crucis baiulationem, per Chrsti imitationem, per viarum durarum custodiam. Aliam formam
1. Cor. 15 accipit, per Christi plenam conformationem. Oritur de terra, per affectus bonitatem; crescit & proficit vsque ad perfectum diem, per iugem bonitatis operationem, voluntatisque diuinæ impletionem. Qui sic odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Nisi enim moriatur iustus, & homo dei non viuificatur,
2. Tim. 2. nisi pereat & putrescat & quodammodo deficiat, nõ mul-
1. Cor. 15. tiplicatur, non renouatur de die in diem, non fit noua creatura quæ sola valet coram Christo & deo. Sic oportet commori cum Christo, vt conuiuificemur cum eo.
Ephe. 4. Sic oportet Adæ cœlestis formam nos portare, assimi-
Col. 3. lari filio dei. Sic necesse est prius deponere veterem hominem cum actibus suis, & nouum postea induere, (hoc est, virtutes & opera bona) qui secundum dei voluntatem & præcepta creatus, & recta desideria, in iustitia & sanctitate, modo vera sit iustitia & sanctitas. Sic imitatores

tores homines Dei fiunt, ſicut filij chariſſimi, & ambulant in dilectione (quæ eſt finis legis, conſummatio & inſtauratio omnium diuinarum inſtitutionum) ſicut & Chriſtus nos dilexit. *Ephe.5.*

DE SANCTO LAVRENTIO, SERMO TERTIVS.

SI *quis mihi miniſtrat.* Seruator noſter Chriſtus Ieſus, rex regum, & dominus dominãtium, ſplẽdor paternæ gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, annis trigintatribus ſeruiuit nobis, die noctúque, æſtu vrgebatur, & ſomnus fugit ab oculis eius. Erat enim in medio noſtri ſicut qui miniſtrat: Imo, non venit miniſtrari ſibi, ſed miniſtrare, & dare animã ſuam in redemptionẽ pro multis. Nam cum in forma dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens, cum eſſet Dominus virtutũ, rex gloriæ, & princeps regum terræ, & habitu inuentus eſt vt homo. Iure ergo diuinitatis ſuæ, iure item viciſſitudinis qua nobis tanto tempore ſeruiuit vt ſeruus emptitius, ſeruitutem & obedientiam nobis mandare poſſet. Verùm, cum voluntarium magis quàm coactum expetat miniſterium, & diligat hilarem datorẽ, ideo dicit: Si quis ſponte ſua mihi, Deo Deorum, Domino dominantium, ſancto ſanctorũ, qui bonorũ veſtrorũ nõ egeo, miniſtrauerit & ſeruierit animo prompto atque volẽti, miniſtrauerit, inquã mihi, ſicut creatura creatori, homo Deo ſuo, redẽptus redẽptori ſuo, beneficiatus & omnibus bonis per me repletus ſuo benefactori. Sicut miles ſuo regi, filius ſuo patri, ſeruus ſuo Domino, diſcipulus ſuo magiſtro, *me ſequatur*, ambulãdo in viis meis, acquieſcẽdo cõſiliis meis, declinãdo à malo & faciẽdo bonũ, patienter ſuſtinẽdo aduerſa, portãdo crucẽ ſuã, me imitetur, nullo malo frãgatur, nullo bono eleuetur, patiatur triſtitias iniuſte, nulli malum reddat pro malo, ſed vincat in bono malũ. Ad hoc Ioannes hortatur cũ dicit: Qui dicit ſe manere in Chriſto, debet ſicut ipſe ambulauit & ipſe ambulare. Diligat proinde inimicos, oret pro perſecutoribus benefaciat eis qui ſe odiũt, patiẽs ſit ad omnes. Et huius ſequelæ meæ magnũ eſt emolumentum. Nam, *& vbi ego ſum*, id eſt, in regno

Apo. 10. *Hebre. 1.* *Luc.22.* *Matt.10.* *Phil.2.* *2.Cor.9.* *1. Ioan.2.* *Matt.5.*

cœlorum,in patria beatorum, vbi post ascensionẽ meam, transiens ministrabo electis meis,qui hic me sunt secuti, & in spiritu mihi seruierunt, Transit Christus, singulorũ corda iocundissimè visitans & bonis replens,& satians in gaudio cum vultu suo, atque in se tenens. Ministrat eis, omne desiderium cordis eorum eis dando.Hoc ministerium suffragij est,non obsequij:charitatis non subiectionis:libertatis non necessitatis.Sicut pater filiis ministrat expensas, dona ampla largitur, voluntati vniuscuiusque deseruit. Ibi Christus secundum animam quando verba hæc dixit,iam erat:quia ab instanti conceptionis suæ,anima eius secundum superiorem portionem rationis clarè Deũ vidit,Deo feliciter fruebatur, inamissibiliter inhærebat. Secundum deitatem vero, cælum & terram implebat,*illic & minister meus erit*, postquàm legitime certauit, diabolum vicerit,in spiritu seminauerit, crucẽ suam portauerit,& pondus diei & æstus,in bonitate perseuerauerit vsque in finem,& ab omnibus inquinamẽtis carnis & spiritus purgatus fuerit.Fidelis reuera sermo,si commortui fuerimus,& conuiuemus,si compatimur, & conregna-

2.Cor.2. bimus.Si sufferimus tentationes,si bonũ certamen certamus,cursum consummamus,fidem seruamus. Si viceri-

Iacob,1. mus,accipiemus repositam iustitiæ & vitæ coronam quã deus se diligentibus præparauit, Dabit illi sedere secum in throno suo,sicut & ipse vicit & sedet cum patre suo in throno eius. Hoc nobis curæ sit vt simus fideles vsq; ad mortem.Ad hæc & illud vobiscũ recogitate,*Si quis mihi*, qui dominus sum, pater & magister, *ministrauerit* & seruierit in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis, iuxta

Ioan.13. illud : Ambulans in via immaculata , hic mihi ministra-

Luca 1. bit: *Honorificabit eum pater meus*,qui super omnia est deus

Psal.100 benedictus in secula Hinc dixit deus ad Samuelẽ: Qui-

1. Reg 2. cunque honorificauerit me,glorificabo eum, qui autem

Psal.138 contemnunt me, erunt ignobiles. Et alibi : Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui deus, nimis conforta-

2. Reg.7. tus est principatus eorum,Hinc rursus ad Dauid ait:Ego tuli te de pascuis, vbi oues pascebas de post fœtantes,vt esses dux super populum meum Israel,& fui tecũ in omnibus vbicunque ambulasti,& interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua , fecique tibi nomen grande , iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.Sic pater qui in cœlis,Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem piscato-

res,

res,& infimæ fortis homines, cum cæteris apostolis magnos fecit: Nempe, de seruis, dominos: de alienis amicos: de ignobilibus, reges & sacerdotes: de exulibus ciues sanctorum: de abiectis, domesticos dei, templa spiritussancti, lumina mundi, sal terræ & principes, iudices seculi, fratres, matres & sorores Christi, membra corporis eius, hæredes dei & cohæredes Christi, filios altissimi. Sed hic de ministrando & seruiendo deo, nonnihil alas extendere oportet & rete laxare. Seruitus bona triplex est: Vna gratiæ, de qua dicit Apostolus: Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Alia est conuersationis sanctæ, vt seruiamus deo in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Vltima est seruitus gloriæ: Sic beati sunt serui eius qui assistunt coram deo semper, & seruiunt ei in templo eius die ac nocte, & vident faciem eius. At contra, & mala seruitus triplex est: Peccati vna, qua aliqui seruiunt suo ventri: Alij desideriis carnis & voluptatibus: nam qui facit peccatū, seruus est peccati. Ecce serui corruptionis: Alia est seruitus miseriæ, ipsa autem creatura liberabitur olim à seruitute corruptionis. Tertia est seruitus diaboli: à quo enim quis superatur, huius & seruus constituitur. Et pœnæ æternæ. Seruiunt ibi diis alienis, & deo huius seculi, die ac nocte, qui non dant eis requiē vel ad momentum temporis. Serui dei attendere debēt, quòd nulla est maior ingenuitas, dignitas & honorificentia, seruitute dei & filij eius Iesu Christi. Per hoc enim homo, filio dei assimilatur, nam ipse formam serui accepit in medio nostrum, fuit sicut qui ministrat. Nec venit sibi ministrari, sed ministrare. Vnde ministrandi nobis exemplum dedit, in pedum discipulorum suorum ablutione. Ad hoc & illud facit, quod beneficium, officium & obsequium pauperibus factum, sibi asseruit impensum. Tum quòd per hoc angelis conformamur & beatis, vt testis est Daniel cap.7. Et vt ait Apostolus ad Hebræos primo: Omnes angeli administratorij spiritus sunt, &c. Et Dauid in Psalmis: Facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Sic legimus angelos ad Christum accessisse, & ei ministrasse. Tum quòd seruitus munus est amicorum Christi, filiorum regni, discipulorum item eius quos elegit ex hoc mundo.

Rom.6. Luca 1. Rom.16. Ioan.8. Rom.8. 2. Pet.2. Ioan.13. Mat.25. Matt.4.

1. Reg. 2. do. Sic Samuel ministrauit coram Deo, Iob ore laudatus dominico, quòd vir nemini conferendus super terram ob eximias eius virtutes foret à domino astruitur seruus Dei. Tecum expende, quàm crebrò vas electio-
Iob 1. nis, se dicit seruum Dei & ministrum Iesu Christi. Quales esse oporteat seruos Dei? Verum, cùm secundum iudicem populi sic sunt & ministri eius: ideo vigilanter attendere oportet, quòd esse oporteat ministros Christi tales, qualis est ipse Christus cui seruitur. Oportet igi-
Eccle. 10. tur ministrum Dei & Christi esse prudentem in intellectu per prouidentiam, quia ille sapiens est: imo, ipsa virtus & sapientia Dei. Acceptus proinde est regi minister intelligens, quid videlicet placeat & displiceat domino suo. Quisputas est fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Et cum voluntatem domini sui cognoscit, parat se & digna facit? Scienti enim bonum & non facienti peccatum est illi, vapulat multis, eiicietur in tenebras exteriores. Sic damnabile est, nolle intelligere vt bene agamus. Sed & seruus qui deum & voluntatem eius ignorat, ac deo
1. Cor. 14 dicit: Scientiam viarum tuarũ nolo, ignorabitur. Deinde oportet dei ministrum mundum, purum, sanctum, impollutum, à peccatoribus segregatum esse in affectu: vt sanctus sit carne & spiritu, & bonæ voluntatis. Vnde
Heb. 7. Apostolus ait: Oportet episcopum sine crimine esse, so-
1. Tim. 3. brium, ornatum, prudentem, pudicum, iustum, sanctum in omni conuersatione, secundum eum qui vocauit eos. Sic Apostolus deo seruiuit in conscientia pura. Et alibi:
Actu. 23 Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ no-
2. Cor. 1. stræ, quòd in simplicitate cordis, & synceritate dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia dei conuersati
2. Cor. 6. sumus in hoc mundo. Tertiò oportet eum sine crimine esse, non agere perperam, declinare à malo, nemini dare
1. Tim 3. vllam offensionem. Nullum scandalum facere, non superbum, non iracundum, non percussorem, non vino deditum, non enim est pretiosa laus in ore peccatoris.
Col. 1. Quartò oportet eum facere bonum, fructificare deo in
Rom. 12. omni opere bono, prouidere sibi bona, non solũ coram
Tit 2. deo, sed etiã coram omnibus hominibus, exemplum semetipsum præbere in omnibus operibus bonis, vt is q ex aduerso est, si male locutus fuerit de nobis, ex bonis ope-

ribus

ribus consideratis, cōfundatur. Virtutibus, ministrū Christi ornatū esse oportet, atq; virginem sponsam vestimentis multicoloribus & variis, sicut cœlum sideribus, pratum floribus, arborem fructibus, agrum frumentis, vineā & vitem vuarum innumerabilium benedictione, hortum arborū & plantationū varietate. iuxta illud: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato charitatis, & circun amicta varietatibus, hoc est, omnium aliarū virtutū decore & vsu. Quintò fidelis sit necesse est in intentione, vt simplex sit eius oculus, nec quærat hominibus, sed soli deo placere. Sit & fidelis, vt dignis mysteria dei & multiformem gratiam eius dispenset & administret. Sextò vt habeāt bonā famā, & sit Christi bonus odor in omni loco, in his qui salui fiūt, qui in eo delectātur: Ideo in memoria æterna sunt iusti, & memoria eorū est cum laude. Sic dilecti deo & hominibus, Moysi memoria in benedictione est, & memoria Iosiæ in cōpositione odoris facta opere pigmentarij. Odorem bonum in nobis deo multæ virtutes reddunt instar aromatū. Nēpe: Humilitas cordis sicut aroma cū conteritur. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dicit virgo Maria, dedit odorem suum, quia humilitatem ancillæ suæ respexit, & in ea delectatus fuit. Castitas sicut aroma quando desiccatur. Quasi myrrha electa dedi suauitatē odoris: Sic virgines florent flores quasi lilium: Sic vineæ florentes dant odorem suum. Deuotio item, sicut thus & aroma quādo incenditur. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Iste odor orationis deuoti hominis, sicut odor est malorum. Pietas etiam fragrat ante Dominū, sicut vnguentum effusum à Magdalena, totā domū odore suo replebat. Sic currebant in odore vnguentorum Christi. Prædicatio item, sicut vnguentū quando recte componitur. Sic deus odorem notitiæ suæ per apostolos manifestauit. Isti sunt varij odores quibus cor delectatur. Conuersatio bona, sicut rosa quando floret. Iste odor vestimentorum super omnia aromata. Ecce, ait Iacob: odor filij mei, sicut odor agri pleni, &c. In odore illo adolescentulæ currunt. Opinio, sicut vas aromaticum quando aperitur. Sic memoria Iosiæ in compositione odoris est. Sic electorum odor, quasi balsamus est non mixtus. Quo contra, nostra tempestate fœtere facimus odorem nostrum. Et odore & fœtore

Psal. 44. *Mat. 6.* *Eccl. 45.* *Luc. 1.* *Eccl. 24.* *Psal. 140* *Ioan. 12.* *Gen. 27.* *Canti. 1.* *2. Maca. 9.*

1. Mac 9. nostro exercitus Dei grauatur. Hinc Dominus ait: Non
Amos 5. capiam odorem cœtuum vestrorum. Quomodo est deo seruiendum? Multis modis, quos ad compendium deducam. Reuerenter, quia maiestas illius est potestas.
Psal. 2. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Cum metu animi, & tremore corporis, salutem vestram
Philip. 2. operamini ait Apostolus. Habemus gratiam ait alibi, per quam seruiamus ei, cum metu, quia dominus est, & reuerentia, quia pater. Tunc enim gratum est deo serui-
Heb. 12. tium, quando cum reuerentia exhibetur: Et pro reuerentia deo facta, exauditur. Alacriter & lætanter. Vt seruiamus domino in lætitia & exultatione. Voluntarie sacri-
2. Cor. 9. ficabo tibi & confitebor nomini tuo. Hilarem enim datorem diligit deus. Fideliter & integraliter. Ne dum labiis deum honoramus, cor longe sit ab eo: Sed cor & caro exultare debent simul in deum viuũ, vt psallamus spi
Mat. 15. ritu, psallamus & mente. Lætabor & exultabo in te, ait
Psal. 83. vir secundũ cor dei, psallã nomini tuo altissime. Exulta-
Psal. 12. bit cor meũ in salutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallã nomini Domini altissimi. Ideo corde perfecto atq; verissimo. Singulariter, quia illi soli
Mat 6. seruiendũ. Nemo enim potest duobus Dominis seruire. Vnanimiter & simul, vnanimiter & vno ore honorando
Rom. 15. Deũ & patrem Dñi nostri Iesu Christi: vt sit omnibus in charitate cor vnum & anima vna, & nulla inter eos sint
1. Cor. 1. schismata: Sed sint vnius moris in domo. Hinc psalmista
Psal. 67. ait: Cõfitebor tibi in concilio iustorũ & congregatione. Et alibi: Benedicã Dominũ in omni tempore. sed & vos
Psal. 33. fratres mei, oro: Magnificate Dominũ mecũ, & exaltemus nomẽ eius in idipsum, hoc est, vna simul & pariter.
Luc. 1. Synceriter cũ cõscientia pura. Vt seruiamus ei in sanctitate & iustitia, vt prius habes. Hoc charitas facit, quæ operit multitudinẽ peccatorũ, & non agit perperã, iuxta
Rom. 12. illud: Spiritu feruentes, Domino seruientes. Indefinenter & perseuerando. Quia omnibus diebus nostris. Vt bonũ faciendo, nõ deficiamus, sicut Salomõ & Asa in senectute. Quia si Dominus in secunda vigilia & in tertia venerit, & ita seruos paratos inuenerit, & dominum à nuptiis reuertentẽ vigilando expectauerint, beati sunt in facto suo, & super omnia bona sua constituet eos: Quia qui perseuerauerit, hic saluus erit. Verùm à seruitute deficiũt omnes peccatores terræ qui operantur iniquitatem.

tatem. Superbi non seruiunt Deo reuerenter & humiliter, sed Deo aduersantur & extollũtur supra omne quod colitur aut quod dicitur Deus. Ideo Nabuchodonosor vt deus voluit adorari super terrã. Rex Tyri dixit: Deus ego sum, & humiliati sunt. Inuidi non seruiunt ei hilariter et alacriter, quia dolent de bono, et cor eorum zelo amaro plenum est. Auari non seruiunt Deo fideliter, nam pro diuitiis et nummo, nullum non grauissimũ laborem perferunt, in dei autem seruitio, ne ad horam sine murmure et displicentia stare possunt. Non possunt Deo seruire et mammonæ, oculos et cor ad auaritiam declinauerunt. Gulosi non seruiunt Deo soli et singulariter sed potius suo ventri, qui est eorum deus. Vnanimiter et simul Deo non seruiunt acediosi, quia laudes eius negligunt, ab eis se subtrahunt. Luxuriosi non seruiunt Deo synceriter, quia inquinata est eorum et mens et conscientia, corpus et anima. Iracundi non seruiunt Deo perseueranter, quia ira viri, iustitiam Dei non operatur. Qui autem Christo ministrat, honoratur à patre suo, et vbi Christus est, cum ipso erit, et regem in gloria, in iubilo videbit: Fiat fiat.

Iudith. 3.
Ezech. 28
Mat. 6.
Philip. 3.
Titi 1.
Iacob. 1.

IN DIE ASSVMPTIONIS VIRGINIS MARIAE, IN EPISTOlam Homilia.

In omnibus requiem quæsiui. Vt alias dixi, nihil obstat, si ea quæ capiti nostro Domino Iesu Christo tribuuntur, etiam de mẽbris eius secundum analogiam et secundario intelligantur. Caput enim et membra, vnum corpus sunt, quamuis caput multo nobilius, excellentius et perfectius sit ipsis membris. Nihilominus, caput et membra vno spiritu viuificantur, viuunt, reguntur, et subsistunt. Itaque licet tota epistola de Dei virtute et sapientia loquatur, potest tamen ad sapientiæ æternæ benedictam matrem, virginem Mariam etiam applicari, quæ filio suo in omnibus bonis super omnes alios electos proximior et similior est, in cœlo et super terram. Ait ergo virgo deipara: In omnibus quæ cogitaui, locuta sum et feci, requieui, et pacem quæsiui, cũ deo

Eccl. 24.
1. Cor. 12
Ephes. 4.
1. Cor. 3.

Esa.19. meo, pacem pectoris mei, & pacem sempiternam, omnibus hominibus, qui pacem & sanctimoniam sequuntur, sine quibus pax illa non obtinetur. Et vt hoc bonum pacis internæ, externæ & æternæ assequi possim, cum omnibus præordinatis in vitam æternam, ideo *in hæreditate Domini*, quæ est Israel, non solum qui secundum carnem sunt nati ex Iacob, sed omnes filij promissionis & electionis, etiam ex gentibus in Christũ credentes, ad hæ-
Psal.2. reditatem illam pertinent. Iuxta illud: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ. In ista hæreditate Domini quæ nunc vocatur ecclesia iustorũ atque sanctorum, *morabor*, vsq; ad consummationem, non obstante quòd assumpta sum
Psal. 88. in cœlum, & super choros angelorum exaltata. Nemo pius dubitat quòd in hæreditate Domini cœlesti moratur. Nullus catholicus dubitat, quòd etiam nobiscum est in terris: non corpore, sed beneficiis, nos consolando, orationibus nos adiuuando, exemplis suis nos dirigendo, doctrina sua nos erudiendo ad iustitiam, & ad faciendã omnem Dei voluntatem bonam, placentem & perfe-
Rom. 12. ctam. Nam sicut Abel adhuc loquitur, & suo exem-
Heb.11. plo nos ad iustitiam adhortatur: sic Maria adhuc suis exemplis ad imaginem Adæ cœlestis portandum nos prouocat omni temporis momento. Adhuc docet nos vt quodcunque filius suus nobis dicit, faciamus. Nobiscum est, quia vniuscuiusque voluntati deseruit, & sicut mater misericordissima & benignissima, omnes consolatur, adiuuat iuxta magnificentiam suam principalem, munera largitur, & multiplicem gratiam quam apud Dominum inuenit, desiderantibus communicat & administrat corde magno & animo volenti. *Tunc*, quando venit plenitudo temporis. *præcepit & dixit mihi*,
Luca 1. et per vnctionem suam docuit me, *creator omnium*, Deus
1.Pet.4. cœli et terræ, vt mundum seruarem corpus meum et animam ab omni inquinamento carnis et spiritus. Mox virum me nunquam cognituram, iuraui et statui. Quod dum fecissem, venit ad me in conclaue meum, vbi patrem orabam in abscondito. clauso super me cubiculo, angelus Gabriel insolutóque et inaudito in terris me salutauit epithalamij elogio. Cui, cum me edocuisset de omnibus, humiliter dedi consensum. *& mox qui creauit me, requieuit*, sicut in throno suo eburneo, in loco pacifico,

pacifico, in lectulo suo florido, in domo sua mūda, in ferculo suo mirifico, Requieuit inquam in pace & dormiuit in quiete, *in tabernaculo meo*, & corporis mei templo, sancto suo. Et iterum per vnctionem suam *dixit mihi: In Iacob inhabita*, hoc est, in eis qui vicia supplantant, innocue viuunt, patiuntur propter iustitiam, dant locum iræ, non resistunt malo, sed vincunt in bono malum, *& in Israel hæreditare*, hoc est, eis assiste, eos doce tuo exemplo & verbo, qui Deum vident per cordis puritatem, cum deo loquuntur per assiduam orationem, cum Deo ambulant per innocentiæ custoditionem, Deum tenent & non dimittunt per inseparabilem adhæsionem, quia ei per vinculum perfectionis colligati sunt, fortem videlicet charitatem. *& in omnib. electis meis mitte radices*, hoc est virtutum habitus, ex quibus deinde fructus lucis qui in vitam æternam permaneant, excrescāt. Isti fructus sunt in omni bonitate & iustitia in veritate. *Et sic in Sion firmata sum*, custos, adiutrix, speculum & exemplar: *& in ciuitate sanctificata*, quæ est ecclesia militans, *similiter requieui*, in pace pectoris & contemplationis. *& in Hierusalem*, cœlesti, quæ est mater nostra. *potestas mea*, nam sic filius meus me honorat, quod nihil mihi negat. Pete, inquit, mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam. *Et radicaui in populo honorificato*, & nisi in populum Christianum radices omnium virtutum, qui miro modo honorificatus est à deo, *& in partes Dei mei*, hoc est, in cœlesti Hierusalem, vbi mansiones multæ sunt, pro vniuscuiusque merito præparatæ à mundi constitutione, *hæreditas illius* collocabitur, *& in plenitudine sanctorum detentio mea*. Quia sicut hic fui Deo similior, sic in gloria ero, & sum super omnes beatior. Sicut enim in hac vita totam se illi gratiæ plenitudo infudit, ita etiam nunc plenissima gloria potitur. Et hanc gloriæ suæ magnitudinem per similitudines quasdam rerum naturalium exprimit dicens: *Quasi cedrus in libano.* quasi dicat, sicut cedrus est altissima arbor sic & ego in monte sancto dei cœlestis gloriȩ, *sum exaltata & quasi cypressus in monte Sion*, per inuiolatam puritatem *Quasi palma* quæ nunquam viriditatem suam̃ amittit, *exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hiericho*, quȩ cæteros flores antecellunt. *Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam*, In plateis, ciuitatis Dei cœlestis & terrestris Hierusalem, *sicut cinnamomum*

Rom. 12.
Colos. 43.
Ephes. 5.
Ioan. 14.

momum & balsamum aromatizans oderem dedi, sicut myrrha
Prou. 27. *electa dedi suauitatem odoris.* Sicut ergo bono odore exhilaratur & confirmatur cor hominis; ita memoria huius
Cant. 1. sacratissimæ virginis ceu odor gratissimus mentes pias confortat & recreat, vt in odorem vnguentorum suorum post Christum quocunque iuit, currant.

DE ASSVMP. VIRG. MARIÆ, IN EVANGELIVM SERMO.

MARIA *optimam partem elegit, &c.* Amarissimæ passionis Christi hora & die instan-
Luca 10. te, ipse dixit palam in templo omnibus qui
Ioan. 12. aderant, id audientibus: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Et post cœnam ad patrem dixit, in
Ioan. 17. ter alia in oratione: Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum vt videant claritatem meam quam dedisti mihi. Felices proinde qui relictis omnibus Christum sequuntur, atque ei in templo eius seruiũt die ac nocte, in sanctitate & iustitia, omnibus diebus suis. Vt omnes taceam, id est, amicos dei & electos, super omnes homines & etiam angelos, Cherubim & Seraphim, hoc fecit virgo Maria. Quæ non solum quicquid in ea erat cordis & corporis, sed & quicquid in ea erat operis & tẽ-
Sap. 7. poris, eius seruituti mancipauit. Hoc vnum, est summa philosophia siue sapientia, quæ homines proximos & amicos dei facit. Hoc autem fecit Maria, ideo optimam partem dicitur elegisse in euangelio festiuitatis hodiernæ. Quod quamuis secundum sonum literarum, loquatur de Martha & Magdalena, sororibus Lazari, tamen secundum spiritum viuificantem & allegoriam, vel tropologiam, ad instructionem nostram verissime accipitur, & exponitur de Maria virgine, quæ Marthæ & Magdalenæ in summo gradu in se actiones habuit, & opere & veritate erga filium suum, Seruatorem nostrum, expleuit & cõsummauit: sicut quanto breuius potero in lucem producam. Ad scopum istum namque sanctorum et opera recolimus, festa celebramus, vt opera eorum, ope freti altissimi et gratia, imitemur, atque hoc modo ad cœlestia gaudia quæ iam cum Christo possident, perueniamus. In euangelio autem hodierno triplex vita spiritualis et

accepta

accepta deo figuratur: Vna est vita actiua gratia dei fulta in actione Marthæ. Alia est vita contemplatiua deo vnita, in quiete Madaglenæ. Tertia est vita beata, in cœlesti gloria. Vna est bona, alia melior, tertia optima. Per primam ad secundam, per vtranque peruenitur ad tertiam. Sic virgo Maria, per vtriusque vitæ exercitia, hodie ad cœli gaudia peruenit. Sed euãgeliũ despiciamus, in cuius *Ioan. 13.* exordio dicitur: *Intrauit Iesus*, quando exiuit à patre, quando reliquit domum suam & dimisit hæreditatem suam, *Hier. 14.* & venit in mũdum, vt quæreret perditam ouem & drachmam, & saluaret quod perierat. Vnde sequitur: *in quoddam castellum*, id est, mundum istum totum in maligno positum, qui Deum non cognoscit, discipulos Christi odit, persequitur & occidit. Et mundus iste immundus, cõcinne appositéque castellum dicitur iuxta tropologiam, quia varias cum castello vel castro habet proprietates communes. Est enim in monte altissimo superbiæ ædificatus & fundatus, &c. duris auaritiæ, rapinæ, vsuræ, simoniæ, ex lapidibus muratus & septus, qui nullo verbi dei & arte impulsu frangi possunt. Habet fossas plenas aquis fœtidis luxuriæ, in quibus ranæ sunt suum coax delectationis carnalis iugiter replicantes. Hoc clausum est per inuidiam & obstinationem, odium & indurationem. Laute viuitur, & cura ibi carnis agitur per crapulam & ebrietatem quotidie splendide epulando, & ventri seruiendo. Armis instructus est diabolicis ad sui defensionem: dentes namque amatorum mundi arma sunt & sagittæ, & *Psal. 56.* lingua eorum (per iram, conuicia, detractiones, murmurationes, & id genus reliqua linguæ vitia) gladius acutus. *Hier. 8.* Manus exporrectæ sunt ad effundendum sanguinem, pedes ad cursum malum. Vltimo, ociosè in eo viuitur per acediam. Nemo ibi salutem suam & quod bonum est operatur. Ibi dormitur in lectis eburneis nocte, & in morte. Ibi desideria pigros occidunt, eo quod manus eorum nolunt quicquam boni operari. In hoc castellum Iesus intrauit & aduena & peregrinus in eo fuit, sicut & omnes patres eius ex quibus natus est secundum carnem. Fuit ergo quasi colonus in terra, & quasi vir viator de- *Heb. 13.* clinans ad manendum, quia non habuit hic manentem ciuitatem, sed futuram inquisiuit, cuius artifex & conditor est deus. Hoc castrum deo rebelle erat, noluit Deum regnare super se, in lege eius noluit ambulare,

audacter

audacter deo restitit, aduersus deum extendit manum suam, contra omnipotentem roboratum erat, cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatum erat. Tunc deus videns quòd nemo amplius deum timuit, nec vllus erat supèr qui faceret bonum, sed magis omnes simul facti essent inutiles & peccarent sine omni timore. Sed & vidit quòd diuitias bonitatis suæ & patientiæ & longanimitatis contemnebant: et quòd de die in diem magis magísque thesaurizabant sibi iram, in die iræ & reuelationis iusti iudicij sui. Tunc cogitauit cogitationes pacis, et non afflictionis, quamuis damnationem meruimus æternam. Et misit filium suum vnigenitum, non vt damnaretur, sed vt saluaretur mundus per ipsum: Et vt principē mundi foras eiiceret, alligaret, arma eius in quibus confidebat auferret, vinctos solueret, ac spolia eius distribueret. Quod et fecit, patri obediēdo vsque ad mortem crucis. Cum igitur filius dei in mundum hunc intraret, tunc *mulier quadam* singularis et fortis, quæ caput serpentis contriuit, nullum in se diabolo locum dedit. Mulier certe virtutis, quæ confusionem in domo Nabuchodonosor fecit. Mulier illa teste Hieremia, Nouum illud quod dominus fecit super terram, in se compleri meruit, vt virum à deo probatū, in vteri sui virginalis, lectulo florido, thalamo adornato, templo deaurato, horto voluptatis, domo sancta, paradiso Dei circundaret & portaret. Lōge patens campus expaciendi de muliere ista sancta se offerret. *Martha nomine, excepit illum in domum suam,* dum post arcanum cum paranympho cœlesti colloquium, dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuū, Tum descendit de cœlis deus verus à patre genitus ante luciferum ex vtero suo, introiuit in vterū virginis nobis vt appareret visibilis. Tum virgo mater, solem iustitiæ nube carnis suæ texit. Ibi rex gloriæ mutauit habitum suum, & ingressus est bellum. Sed videamus penitius, quomodo virgo Maria Marthæ habuit occupationes & labores. Labores Marthę sunt, quod dominum in domum suam suscepit, ei ministrauit, turbata fuit. Quomodo Maria virgo Christum in domum corporis suscepit, summis labiis tactum est. Actio Mariæ dinde per ministerium Marthæ designatur. Maria quippe opera misericordiæ Christo exibuit in gradu summo, adeo quòd nec Cherubim, nec Seraphim filio Dei sic ministrarunt,

Rom. 3. Rom. 2. Ioan. 3. Matt. 12. Philip. 2. Hier. 31. Luca. 1. Ezec. 32. Esa. 1.

ſtrauerunt, atque virgo Maria. Diuites huius ſeculi, vt theſaurum bonum in futurum ſibi theſaurizent, de lino vel lana pauperes induunt, At Maria filium Dei quando propter nos egenus factus eſt, pauper & mendicus, induit & veſtiuit de carne & ſanguine ſuo. Et ſic ex ea, habitu inuentus eſt vt homo. In eius natiuitate miniſtrauit illi ſola, & pannis eum inuoluit. Alij pane paſcunt eſurientem extrinſeco, & vel caliccem aquę frigidæ porrigunt ſitientibus: Illa pauit eum vberibus ſuis virgineis & lacte proprio. Alij egenos, vagóſque inducunt in domos ſuas, de lignis & lapidibus factas: hæc pauperem deum in corporis ſui domum excepit, & nouem mēſibus hoſpitata fuit in ea. Alij propter Deum miniſtrant infirmis hominibus: Maria Deo Deorum, regi glorię, & domino dominorum, ſimul in vnum diuiti & pauperi, in humanitate ſuſcepta miniſtrat, & omne officium & miniſterium maternum & charitatis impendit, vt longum foret proſequi. Alij conſolantur afflictos & flent ſuper eos & pauperibus compaciuntur: Maria paruulum filium ſuum plorantem conſolatur, flet cum flente. ad vbera eū portat, et ſuper genua ei blandiebatur matrum more piarum. Alij ſolliciti ſunt ne quid deſit inopibus: Maria ſollicita erat & laborabat manibus ſuis, vt ſubueniret deo homini, propter nos egeno facto. Et vt laconiſmo vtar, iñ predicatione eū ſequebatur, contumelias & improperia eius audiuit. In cruce aflixo aſtitit: & quos ille in corpore, illos cruciatus ipſa pertulit in corde. Affuit & eius ſepulturæ. Videamus etiā quomodo circa plurima fuit turbata virgo Mater. Expēdat qui poteſt, quomodo (ſemper tamē ſine peccato, imo cū maximo merito,) turbata fuit in filij ſui doloriſſima circūciſione, in fuga iñ Aegyptum, in mora ibidem, & periculoſo reditu in Iudæam, in triduo, quando puer Ieſus in Hieruſalem manſit in templo, quando vna & altera vice eū volebant Iudæi lapidare in templo, quādo eum volebant præcipitare de monte, quando audiuit eum captum, quando vidit eum duci ad Pilatum, quando vidit eū flagellatū, adeo quod à plāta pedis vſq; ad verticem capitis nulla fuit in eo ſanitas Facie cōſputū & maculatū, adeo quòd nō fuit ei aſpectus: Imo, quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputabant eum, ſiquidem nulla ei ſpecies erat, nec decor vllus, ſed magis leproſus reputabatur, & à deo percuſſus & humiliatus.

2. Cor. 8. *Phil. 2.* *Luca 2.* *Eſa. 66.* *Luce 2.* *Matt. 2.* *Luce 12.* *Eſa. 53.*

Quando

Quando vidit eum spinis coronatum, purpura despe-
ctibili indutum, quando audiuit eum peti ad crucifigen-
dum, dari sententiam mortis & tradi Iudæorum volun-
Psal.68. tati, quando vidit eum crucem baiulantē, sub cruce cre-
brò cadentem, psallere in eum qui vinum bibebant in
iocunditate, eum obloqui ab eis qui sedebant in porta,
quando vidit eum spoliari vestimentis suis, cruci affligi,
erigi in altum, sitio clamantem, expirantem, vulnerari
lancea, deponi, in supulchro recondi. Turbata inter hæc
Psal.6. sunt omnia ossa eius, et anima eius turbata est valde.
Hæc nobiscum reputare debemus, et eadem nos cogi-
tatione armare, vt exemplo Mariæ Christum in domum
Mat. 25. cordis nostri cū gaudio suscipiamus, et in membris suis
fidelibus omnia charitatis et misericordiæ opera exhi-
beamus. Cū eo & propter eū, turbationes in via dei pa-
cienter sustineamus, in tentationibus nō deficiamus, ma
gis autē longanimiter dei cōsolationē expectamus, etiā
cū morā facit, quia misericordiā suā vsq; in finē non ab-
scindit. At obiter hîc aduerte: quòd ex quo nos nō pos
sumus deo æquiualētia ministeria & debita retribuere,
pro omnibus quæ retribuit nobis beneficiis suis: Ideo
Ioan. 19. Maria mater nostra, nobis in crucis throno in matrē da-
ta, in Ioanne discipulo dilecto, pro nobis vicē nostrā do-
lens, & imperfectū sciens & infirmitatem, deo satisfecit,
quo ad eius possibile fuit, vel maiora (si dicere phas est)
vel æquiualētia ministeria & beneficia deo pro nobis re
pendit. Vel vbi hoc nō potuit, cor affectū & bonā volun-
tatē suā, quod sufficit, deo obtulit, in odorem suauitatis.
Gen.1. Fecit namque deus hominem de limo terræ. At Maria
deum formauit hominē de purissimis sanguinibus suis,
& sanctissima carne sua. Sanguis autē Mariæ & caro eius
sanctissima, omni limo terræ & omnibus mundi rebus
prætiosis, maior, dignior, excellentiórque est. Deus im-
pressit in hominem imaginis sui decorē, Maria impressit
Psal.44. Christum deum imaginem sui decoris, vt sicut ipsa erat
pulcherrima mulierum, oculis omniū gratiosa, sic Chri-
stus esset speciosus forma præ filiis hominum: imo præ
milibus angelorum. Et sicut imago dei præeminet in ho
mine secundum animam præ aliis rebus creatis, ita ima
go hominis in Christo, hoc est, eius humanitas secun-
dum corpus præeminet omni homini, etiam creaturæ
angelicæ inquantum deo vnita. Nam deus dedit homini
vt

vt sit ad imaginẽ suã, beata virgo dedit deo vt sit ad imaginẽ nostrã & similis nobis. Deus posuit hominẽ quẽ formauerat in paradisum, sed virgo deipara deũ humanatũ excepit in corporis sui sanctã domũ, thronũ eburneũ, verũ Salomonis ferculũ, voluptatis hortũ. Deus dedit homini custodẽ angelũ, sed Maria virgo per seipsam custodiuit deũ, portauit in Ægyptũ ne occideretur, &c. Ipsa autẽ omnibus angelis maior in gratia, meritis, honore & gloria est. Deus dedit homini fructus paradisi ad edendũ, & aquã ad bibendũ: sed Maria cibauit deũ lacte suo virgineo, quod longe excellit omnes fructus & aquas paradisi. Deus permisit hominẽ tẽtari & seduci, Maria autẽ quantũ ei possibile erat, ab omni tentatione & periculo filiũ suũ deũ custodiuit. Deus induit & vestiuit hominẽ tunica pellicea, Maria Christum pãnis inuoluit & reclinauit in præsepio, et vt pie credendũ et doctores sancti attestãtur, tunicã ei inconsutilẽ fecit. Deus dedit homini carnẽ quæ mori posset et corrũpi, At virgo Maria deo carnẽ dedit immaculatã, quæ nunquã potest videre corruptionẽ. Et hic sermonis huius sit finis. Ante enim me tẽpus deficeret, quàm laudes Mariæ hac in parte possem vel per transennã ostendere, et summis labiis tangere. Puteus altus est, in quo hauriamus vasculum non habemus.

Gen. 2. Mat. 2. Psal. 15. Act. 2.

DE ASSVMPTIONE VIRGI. MARIAE, SERMO SEcundus.

Et huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbũ illi⁹. In verbis istis Magdalenæ ad literã, sed mysticè virginis Mariæ summa contẽplatio et perfectissima in deũ eleuatio, et cũ deo vnio describitur. Quæ in quatuor insinuatur: In trãquillitate sessionis, in humilitate mentis, in capacitate affectus, in sublimitate partis quam elegit. Tranquillitas insinuatur in hoc quòd sedit: In pace inidipso dormiebat et requiescebat. Sic alibi dicitur, Maria domi sedebat. Humilitas Mariæ virginis exprimitur in hoc quòd sedit, non ad caput, non ad latus, sed ad pedes Iesu. Ex his duobus causabatur capacitas gratiarum maxima in Maria. Quanto enim tranquillior et depressior

Luc. 10. Psal 4. Ioan. 11.

siue profundior locus,tanto plures aquas recipere potest.
Esai.11. Propterea audiebat verbum illius. Vbiq; tacet Maria,& domino dixit in corde suo:Iudica iudiciũ meum & redime me à calumniis hominũ,vt custodiam mandata tua. Ecce tibi reuelaui causam meã. At ille arguit pro mansuetis terræ.Sublimitas & perfectio maxima Mariæ per hoc exprimitur,quòd partẽ optimã elegit,quæ non auferetur ab ea.Et vere Maria optimam partem, summũ statum & honorem elegit, omnes alios superantem, claritate visionis, qualitate fruitionis, vicinitate locationis, sublimitate honorationis,vniuersitate possessionis,& copiositate largitionis: Quia omnibus ad se venientibus, iuxta magnificentiã reginalem & imperatricem, dat affluenter & gratis dona dei. Quis verbis assequi potest, quantũ virgo mater illuminata & eleuata fuit in dei cõtemplatione,quàm attente verbum dei audiuit, quãtam
Psal. 18. suauitatẽ in verbis Christi gustauit? Dulciora ei erant verba Christi super mel & fauum.Hæc omnia verba, nõ solum quæ Christus dixit,sed & quæ ab aliis dicebantur, de eo,conseruabat in corde suo, & ea conferebat atque
Luca 2. ruminabat,instar animalis mundi in corde suo.Quomodo autem sororem suam solam reliquit ministrare, longum esset prosequi, & omnium sanctorum hac de re libri exuberant. Tum quòd pileata plebs & indoctũ vulgus,nihil ex eis fructus capere valet, ideo tacendũ magis in præsentiarum quàm aliquid scribendum censui.Si qui prædicare volunt,ad doctores currant & legãt. Hæc denique est quæ vnum quod necessarium est,semper habuit & custodiuit,semper vnus spiritus,cor vnum,& anima vna cum deo fuit. Per vinculum syncerissimi amoris semper cum deo vnum fuit,cum Deus charitas sit,& qui manet in charitate in deo manet,& deus in eo. Notandum & hîc, quòd beata virgo sacrã suam in domino obdor-
2. Pet.1. mitionẽ,per reuelationem filij sui præsciuit.Nam si apostolus Petrus ex reuelatione domini nostri Iesu Christi habuit,& sciuit quòd velox siue in proximo erat depositio corporis sui, & eandem gratiã Christus multis olim præstitit,quanto magis matri suæ dilectæ? Ad hanc autẽ dormitionẽ suam,per sacramentorũ susceptionẽ humilẽ & deuotã se præparauit, vt dicũt probabiliter doctores sancti.Nã sic humilitatẽ suam quã semper amauit,de qua in domino gloriãta fuit,etiã in morte nõ deseruit. Tum
propter

propter præcepti impletionẽ, ne vel iota vnũ aut apicẽ vnũ præteriret, quẽ opere nõ impleret. Tũ propter nostrã instructionem, vt qui sanctus est, sanctificetur adhuc. *Titi. 2.* Demũ, vt seipsam exemplũ præberet in omnibus operibus bonis: & sic adimpleuit omnẽ iustitiã. Demũ, seruauit legalia, vt patet in circũcisione & purificatione, ergo & nouæ legis sacramẽta. Quid autẽ in cõfessione, in eucharistiæ susceptione, & in extrema vnctione, vtilitatis, gratiæ & meriti acceperit, vide in doctoribus. Deus autẽ qui magna semper ei fecit, & inscrutabilia & mirabilia absq; numero, etiã in morte, magnificauit misericordiã suã cum illa. *Luc. 1.* Et facit eam vniuersæ carnis viã ingredi sine mœrore, & sine timore. Obdormiuit quidem in dño sine dolore mortis qui in aliis est maximus. Nã deus nõ punit bis id ipsum, virgo autem benedicta in passione filij sui, gladio cõpassionis transfixa erat tam sæuo & crudeli, vt esset ei pro summo martyrio, & maior dolore cuiuscũq; martyris. Ergo cũ tunc dolorẽ mortis perpessa est, nõ fuit iustũ & æquum vt in hora trãsitus sui ex hoc mundo ad patrẽ, nouo dolore grauaretur. *Luc. 2.* Vnde Damascenus ait de ea: Ipsa beata beatarũ, quæ super omnes est vranicos ciues exaltata, dolores quos effugit pariẽs & moriẽs, hos in Christi passione sustinuit cõpatiens. Nã præ amoris magnitudine & cõtẽplationis suauitate, in qua transitus sui in hora fuit, dolorẽ nullũ sensit in animæ & corporis diuisione. Alia gratia fuit, ꝙ mortua est sine mœrore & tristitia, cũ magima spiritus exultatione in Deo salutari suo & gaudio in spiritusancto. Abierat quippe filius eius in ignominiosa sua passione & gloriosa triũphaliq; ascẽsione, & præparauerat ei locũ. Iam iterũ venit ad eã (vt mandatũ de honorãdo patre & matre impleret, eo ꝙ nõ venit legẽ soluere sed implere,) & assumpsit eam ad seipsum, vt vbi ipse erat & illa esset. *Exo. 20.* *Matt. 5.* *Ioan. 12.* Et ideo virgo benedicta mala non timuit, quoniam filius suus cum ipsa erat. Aderat etiã tunc cum rege regũ multitudo militiæ cœlestis exercitus, castra dei, & omnes sancti & electi dei quos secum in gloriã adduxerat, & super omnia bona sua cõstituerat, quãdo ascẽdit super omnes cœlos & iter pãdit ante eos. Magnus erat triũphus iste, qualẽ nulla ætas viderat. In Christi quidem ascensione, omnes angeli ei occurrerunt. At modo non solũ omnes angeli, sed & omnes sancti qui cum Christo ascenderunt, Mariæ

occurrerunt, atque alternantibus choris, dulcissima carmina miscebant, in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus dominum & benedictam matrem eius magnificātes & gratias agentes, pro omnibus quæ per ipsam benefi-
Luc. 23. cia reddidit nobis. Tertia gratia beatæ virgini facta hæc erat, quòd sine omni timore, animā suam in manus patris qui in cœlo est, atque filius suus fecit, commendauit. Et hæc faciens, expirauit Sciuit namque cui credidit, quę toto corde dilexit, cuius voluntatem semper fecit, cui tota innixa semper fuit: spes autem non cōfundit, quid timeret, quæ nullius delicti sibi conscia fuit? Quæ semper quod bonū est fecit? Quam cor eius in tota vita, etiā de minimo peccato non reprehendit? Nec ignorabat quòd amore dignissima erat: cùm certa esset quòd nulla aduersitas, nec vlla creatura separare eam poterat à charitate
Roma. 8. dei. Ideo ab auditione mala (qua dicetur, ite maledicti in
Mat. 25. ignē æternum) non timuit. Sed iam veniendo ad mortis trāsitū, & habitationē suam quæ de cœlo est superindui cupiēs, venit vtiq; cū exultatione, induta vestitu deaurato charitatis, varietate omniū Christoformiū virtutū circumamicta, & portabat manipulos suos, quos messuit, ex
Gala. 6. semine quod in spiritu & benedictione seminauit. Ideo iam in benedictione messuit vitam æternā. Ideo dissolui cupiebat & esse cum Christo, & ad eum toto clamauit
Prou. 31. cordis affectu: Trahe me post te. Tædet animam meam vitæ. Libera me (o fili mi dilecte vteri mei, dilecte votorum meorum) & pone me iuxta te. Vnam hanc petitionem te peto fili mi, & deus meus, & rogo ne confundas faciem meam ipsam recusando, vt inhabitem in domo tua non manufacta cœlesti omnibus diebus vitæ meæ, vt ibi videam te facie ad faciem, atque sic salua fiat anima. Et his dictis, expirauit, Ac mox à filio est anima illa benedicta suscepta. Sic anima illa ter quatérque beata, in lætitia & sine omni timore, egressa est de corpore, & in pace, hoc est, in Christo, qui est pax nostra, deducta & adducta in montem sanctum Dei, & in tabernacula eius, & in portum voluntatis eius, & in ciuitatem dei viuentis Hierusalem cœlestem, & multorū milium angelorū fre-
Esai. 55. quentiam, Montes & colles cantabant coram ea laudes dei, & omnia ligna fructifera, hoc est, omnes electorum phalanges, regionis cœlestis ciues & dei domestici, qui ascenderāt prius cū Christo ascendēte, plaudebant manibus,

nibus,& exultauerunt lætitia inenarrabili, de Mariæ assumptione. Nulla lingua verbis potest æquare loquẽdo, quanto cum gaudio,quãto cum honore & gloria, quantis laudum canticis anima illa beatissima est in locum ei ante mundi constitutionem præparatũ,in dextera maiestatis gloriæ filij sui deducta.Nec id absonũ, nam si animam pauperis Lazari,angeli deportauerũt in sinũ Abrahæ,quanto magis mater dei,regina cœli, domina angelorum,cum maiori triumpho est perducta in cœlum.Nec vnam stolam solam accepit,sed duas , quia in corpore & anima gloriosa regnat in cœlis. Qua autem hora & die anima illa benedicta corpori suo antequam vidit corruptionem rursus virtute dei sit vnita,& corpus configuratum corpori claritatis Christi, scriptura non dicit , ideo incertum est. Quòd autem mox post felicem eius obitum id factum sit, fidelium dubitat nullus. Rationes ad hoc doctores sancti multas assignant, maxime maximũ ecclesiæ dei lumẽ,diuus Augustinus,quas transeo gratia breuitatis.Tum quod in doctorum lucubrationibus eædem non solum digestæ , sed extensæ sunt & locupletatæ. Videatur item in doctoribus historia huius sacratissimæ virginis Mariæ assumptionis. Soli deo honor & gloria.

Luc. 16.

DE NATIVITATE VIRGINIS MARIAE, SERMO PRIMVS.

DOcet quomodo honoranda est mater Christi,& de maledictione eam contemnentium,& quomodo ipsa est liber generationis Christi.

LIBER *generationis Iesu Christi,filij Dauid &c.*Cùm filiorum gloriã,honorẽ & laudem esse parentum claritudinẽ, magnificentiam ac decus,dubitet nemo : ideo quicquid in laudem dei genitricis & honorem vel dicitur vel agitur , totum redundat in deum & Christũ,qui omni eam laude dignissimã fecit.Gloria patris est,talẽ esse eius sponsam & vxorem.Reuera nõ est talis mulier super terrã,in aspectu,in pulchritudine,in sensu verborũ.Honor est filij,quod speculũ est sine macula,innocens manibus & mũdo corde,

 mitis,

mitis, humilis, suauis, clemens, benigna, patiens, misericors & omnium virtutum eius sicut charissima mater,
Exod.25. imitatrix. Omnia namque fecit Maria secundum exem-
Heb.8. plar sui filij, quod ei in monte fuit monstratum. Et ideo
1.Ioan.2. ambulauit, sicut filium vidit ambulare. Vestigia filij secutus est pes eius, viam custodiuit, neque ad dexterã neq; ad sinistram, ex ea, à lege eius, neque tantillum declinauit. Quin potius ad omnia mandata eius per spiritum sanctum dirigebatur, & omnem viam iniquam odio ha-
Rom.8. buit. Laus est spiritus sancti, qui eam gratia repleuit, cuius ductum semper secuta est, cuius gratiam in vacuum non recepit, non abiecit, non neglexit, sed cum ea plus omnibus laborauit. Et non solùm suam propriam, sed omniũ salutem cũ metu & tremore cum ea operata fuit. Profectò, si Paulus multos saluos fecit prędicatione sua, & sollicitudine: Et si Timotheus eius in euangelio filius charissimus sibi attendẽdo & alios docẽdo vt seruarent:
1.Cor.9. omnia quæ præcepit nobis Iesus Christus, & seipsum saluauit, & eos qui eum audierunt: Et si quis errantem à via veritatis, ad viam excellentiorẽ charitatis, in qua tota lex pendet & prophetæ reduxerit, tum vitæ inculpatę exemplis, tum doctrina pietatis & nostri saluatoris, ille saluat & animã eius quem conuertit ad dominũ, & suam
1.Tim.2. à morte æterna. Insuper, quãuis mulier seducta sit in prę uaricatione, & nõ habeat docendi munus in ecclesia, nec dominiũ in virũ: habet tamen crucem suam in qua animam suã saluare possit: Nẽpe, si filios generet, eósq; educare studeat in timore Dei. Quid igitur suo modo prohibet Mariã dicere saluatricẽ mundi, quæ filiũ peperit, clausa licèt manente porta pudoris, sicut sol suũ radium, flos suum odorẽ, arbor bona suum fructum emittit sine vlla læsura? Et eundem in timore dei & disciplina educauit? Hæc insuper cum operibus, tum verbis, tum omniũ scripturarũ declaratione, & ad iustitiã eruditione, dum eas in seipsa impleuit, omnes illuminauit, omnes quantũ in
Luc.10. ea erat, saluauit. Hæc mulier est, quæ sollicita erat & turbabatur erga plurima, toto illo dispensationis tempore quo filius eius salutem mundi in medio terræ operaba-
Col.2. tur. Scimus quòd vnus est mediator dei & hominũ, qui
1.Tim.2. morte sua nos à morte æterna asseruit, chirographũ mortis deleuit, Adæ debitũ soluit, victorẽ mortis, fortẽ illum armatum vicit, infernum fregit, captiuam captiuitatem

de

de lacu miseriæ & vmbra mortis eduxit. Et victor ab inferis redit, rediuiuus de sepulchri gremio exiuit, cœlos ascendens, & iter pandit ante suos. Hæc inquam & scimus & corde credimus ad iustitiam, & ore cōfitemur ad salutem, de vindicatore nostro piissimo Domino Iesu Christo. Hoc modo absque eo non est saluator. At Mariam vno tantum regni solio & gradu rex noster præcedit. Nec id absonum cuique videri debet: nā si homines dei, legis propugnatores & vindicatores populi Israel de manu affligentium eos, vocantur saluatores, multomagis mater Dei, regina cœli, domina angelorum hoc epitheto est honoranda. Sic Pharao Ioseph vocauit saluatorem mundi. Sic Aioth saluator vocatur. Sed & angelus Domini bonus, qui Israel ad dominum clamantem in tribulatione de manu inimicorum suorum liberauit, saluator vocatur in regum volumine, teste Lyrano. Rursus Neemias ait: Patres nostri malum fecerunt in conspectu tuo, vnde traditi sunt in manus inimicorum suorum: conuersis vero ad te clamantibus, misisti saluatores: Nempe Esdram, Neemiam, Zorobabel, siue Machabæos, vt Lyra dicit in montem Sion. Maria igitur tanto verius, iustiúsque saluatrix mundi dici potest, post Christum, quanto differentius prę aliis nomen hæreditauit, & maiorem gratiam à deo accepit, & amplius cum filio suo in salute nostra operando cooperata fuit. Per omnia benedictus deus, qui talem sibi matrem elegit ante mundi constitutionem, ac hodierna die eam produxit in lucem, vt esset sal terræ, lux mundi, ciuitas refugij, lucerna ardens & lucens, mater agni, sponsa patris, animatum sanctúmq; templum spiritussancti, arca testamenti & sanctificationis, hortus voluptatis, thronus Salomonis, ferculū summi regis. Hāc amemus, laudemus, glorificemus & magnificemus in laude, quantum possumus, maior est enim omni laude. Et ideo quicquid in laudē eius dici potest, minus est à laude condigna, & in eū refertur & redūdat, qui eā gratia repleuit, & magna tā multa & stupēda ei fecit, quæ omnē etiā angelicū superant intellectū.

Rom. 10.

Gen. 41.

Iudith. 3.

4. Reg. 13.

Nee. 9.

Liber generationis. Exordiū redēptionis humanæ, auspicaturus euāgelista Matthæus, quomodo desideratus cūctis gētibus, electus ex milibus, speciosus forma præ filiis hominū, cum quo pater misericordiarū & deus omnis consolationis omnia nobis donauit, quæ ad vitam deo & euangelio

Agg. 2.

euangelio dignã ac pietatẽ nobis neceſſaria ſunt,ad nos
deſcendit,ſaliens in montibus et colles tranſiliens,ſerie
iucundiſſima,gratia itẽ et ſacramentis exuberantiſsima,
necnon ſalutaribus iuſtitutis refertiſsima,prout ſpirituſ-
ſanctus ei dedit eloqui,digeſsit.Hæc eſt ſcala Iacob quæ
Heb.1. cœlos tangit,in qua angeli deſcendũt et aſcendunt,quã-
Gen.28. do in miniſteriũ noſtrũ mittuntur, qui hæreditatẽ ſalu-
tis accepturi ſumus.Huic ſcalæ deus innixus erat,dũ de
cœlo reſpexit & vidit filios hominũ,omnes qui habitant
terrã:vt videret ſi eſſet intelligens,vel vnus,& requirens
Pſal.13. deũ,& legẽ eius bonã,iuſtam & ſanctã.At dũ vidit quòd
Rom 7. omnes corrupti erant & abominabiles facti in ſtudiis
Pſal.13. ſuis, & nemo quod bonũ eſt faceret,tunc cõmota ſunt
Roma.8. viſcera miſericordiæ eius,& non(vt olim cũ multa mali
Gen.6. tia hominũ erat ſuper terram,& omnis caro corruperat
viã ſuã)dixit:delebo hominẽ quem creaui à facie terræ,
Rom.9. ſed miſerebor quibus voluero,& miſericordiã præſtabo,
cui mihi placitum fuerit exhibere miſericordiam. Cum
igitur tempus miſerendi eius venit,non potuit in ira ſua
amplius continere miſericordias ſuas, ſed filiũ ſuũ miſit
vnigenitũ in ſimilitudinem carnis peccati,vt de peccato
Roma. 8. peccatũ dãnaret : quæreret & ſaluũ faceret quod perie-
rat. Verũ cùm in ſemine Abrahæ omnes gentes eſſent
benedicendæ , & de fructu ventris Dauid ponendus eſ-
Luc.3. ſet rex Meſſias ſuper ſedẽ eius : Igitur hîc ſeries ponitur
Galat.3. generationũ per quas ad nos deus deſcendit,& mater in
Ioan.1. qua ſemen Abrahæ apprehendit,quando verbũ caro fa
ctũ eſt & habitauit in nobis plenus gratiæ & veritatis.Iã
textum diſpiciamus, in quo tot ſunt ſalutis documenta,
quot nomina,vel potius quot literæ ſiue elementa. Illis
ſolummodo nota qui mel nouerunt ſugere de petra, &
oleũ de duriſſimo ſaxo. Nos tamen hîc ſolũmodo ſpi-
cas colligemus,quæ manus ſugerunt metentiũ in domi
nico agro , maiora maioribus relinquendo diſcutienda
enucleandáque. *Liber generationis* Liber iſte virgo eſt
benedicta in æternũ.Et liber dicitur (vt paucis abſoluã)
ratione materiæ,ſcripturæ,clauſuræ. Libri nãque gran-
des de pergameno fiunt,vel mundiſſima papyro. Mate-
ria autẽ hæc ſiue pergamenũ papyrus mundiſsima vt ſit
neceſſe eſt,ſine carne ſine humiditate,ſine pilis.Sic liber
noſter virgo Maria munda fuit,& tanta puritate enituit
qua maior ſub deo intelligi nequit. Adeò quòd ſuper
omnem

omnem dispositionem stellarum, hoc est, aliorum san-
ctorum qui stellarum nomine censentur, luci veræ, quæ
Christus est cõparata, inuenitur purior, sanctiórque vni- Dan. 12.
uersis. Adeò quòd pulchritudinem siue puritatem eius, Philip. 2.
sol & luna mirantur. In carne præter carnem vixit, car-
nis curam in desideriis nullam fecit: Ab humore omni
peccati etiam minimi exiccata, præseruatáque per gra-
tiam Dei fuit. Pilos curarũ huius mundi nullos habuit, 1. Cor. 7.
nihil sollicita fuit, nisi quomodo placeret deo, & circa ea
quæ Domini sunt. Et cogitauit quæ Domini sunt, vt es-
set sancta & corpore & spiritu. De materia papyri tran-
seo gratia breuitatis. Et quia per symbola facillimum est
dilatare sermonem, satis est occasionem esse datam sa-
pienti. Liber item dicitur ratione scripturæ. Nam in li-
bris omnium antiquorum sapientia descripta contine-
tur, calamo scribæ spiritussancti velociter scribentis. Sa-
pientia in Maria descripta (vt legem taceam, Psalmos & Psal. 44.
prophetas, quorum vmbræ, oracula & figuræ in Maria
sunt impletæ, & veritas facta) Christus Iesus est, finis le-
gis, virtus & sapientia patris. Scriptura in quã libri huius Rom. 10.
verbum caro factũ est in virgine matre, in quo sunt om- Col. 2.
nes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Scri- Apoc. 1.
ptor spiritussanctus est, omniũ artifex, omnẽ habens vir
tutẽ. In libro isto omnes legere possunt, & seruare quæ
in eo scripta sunt. De quo scriptum est: Dabitur liber ne- Esa. 29.
scienti literas. Pusilli enim & magni, iuuenes & virgines,
senes cum iunioribus, reges terræ & omnes populi, quí-
que terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diuites &
pauperes, in Maria legere possunt, & quomodo eius exẽ
plo eos ambulare in lege Domini oportet, & placere
deo, vt abundent magis. Iste liber scriptus est intus & fo
ris aureis literis excellentissimæ charitatis. Literis ar-
genteis, perfectissimæ eruditionis. Literis rubeis acerbis
simæ compassionis: nigris profundissimæ humiliatis. Vn
de de Maria dici potest, quòd ipsa est liber mandatorum
dei, & lex quæ est in æternum. Et alibi scribitur, quod 1. Par. 34
Helchias sacerdos reperit librum legis in arca, hoc est in
virgine Maria. Nam ipsa est liber vitæ & testamentum
altissimi, & cognitio veritatis. Dicitur etiam virgo ma-
ter liber ratione clausuræ, de qua Ioannes ait: Vidi in
dextera dei sedentis super thronum, librum scriptum
intus et foris, signatum septem sigillis. Ipsa in dextera

dei inter agnos & electos ante mundi constitutionem. Scripta intus per gratiæ plenitudinē,& foris per omniū virtutū vsum & consummationē. Signata septē donis spiritusſancti quasi sigillis septem. In isto libro nemo legere potest, nisi humilis corde & mitis. Huic ostiarius aperit
Ioan. 10. qui clauem Dauid habet. Huic aperit & nemo clau-
Apoc. 3. dit. Superbis namque & inflatis, qui sapientes sunt
Isa. 5. in oculis suis, & coram semetipsis prudentes: alta sapientes & humilibus consentire recusantes, liber iste signatus est, auribus audiunt, quanta deus animæ Mariæ fecerit,& non intelligunt. Videntes quoque vident,
Rom. 12. & non perspiciunt. Dedit enim illis deus spiritū cōpun-
Rom. 11. ctionis, hoc est, permisit Deus illos in mentē malitia excæcatam labi per deū huius seculi, in mentē inuidā, atque de industria veritati repugnantē,& affectum peruer
Psal. 35. sum qua nolunt intelligere vt bene agant. Ideo oculos habent,& tamen quæ dei sunt, non vident. Et aures habent, nihilominus dei veritatem audire non possunt, sed
Ioan. 12 vsque obstinati manēt & lumini rebelles. Hinc est quod non sapiunt ea quæ dei sunt, sapientes quidem sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt. Ideo viam ve-
Hiere. 4. ritatis blasphemant. Nec solum de deo male loquuntur, sed etiam de benedicta matre agni, quorum damnatio iusta est. Nec est solum modo mater & liber generationis Iesu Christi virgo Maria, sed & liber est omniū saluandorum, quos filius suus de manu inimicorum tar-
Colos. 1. tareorum liberauit & transtulit in regnum suum. Vnde Mariæ dicere possumus: Ipsius genus sumus, ipsa est mater nostra: Nam rex regum & princeps regum terræ in throno gratiæ suæ sanctæ crucis stans,& pacificans omnia, siue quæ in cęlis sunt, siue quę in terris: tunc loquēs pacem in plebem suā, eam omnibus dilectis suis & electis dedit in matrem, Ioannem dilectū discipulum suum
Ioan. 19. cōpellans, dicens: Ioanni: Ecce mater tua. Verùm, ex quo Ioānes gratia dei, vel in quo est gratia dei interpretatur, ideo in quocūq; est gratia dei, illius mater est virgo superbenedicta. Sic mater dei, ex charitate dei perpetua, & gratuita bonitate Christi, facta est & mater nostra, nō ex operibus iustitię, quę fecimus nos, sed quia sic placitū fuit ante eū. Et vt in seculis superueniētibus ostēderet abundantes diuitias gratię suę in bonitate super nos in seipso. Sed quid retribuemus domino pro his omnib⁹

quę

quæ retribuit nobis? nisi vt matrem eius & nostram honoremus, iuxta legis dei sanctionem, qua dicitur: Honora patrem tuum & matrem tuam. De qua matre illud Esaiæ accipere possumus: Parturiit Siō (hoc est Virgo Maria in filij sui passione quando iuxta crucem Iesu stans, parturientis cruciatus sustinuit) filios. Tunc illa nos in fide & bonis operibus generauit, & quę olim filium suum primogenitum peperit lætabunda & laudans, florens sicut lilium: hæc secundo genitos & filios gratiæ enixa est cum ineffabili dolore. In confesso autem est, quòd filios carnales post primogenitum suum nullos habuit, ergo filios spirituales. Hæc est mater cuius viscera super filiis suis commouentur. Hæc mater nos sicut vnicum filium amat. Hanc si honoramus, tunc obuiat nobis sicut mater honorificata. Et dicet: Pete fili, quid vis vt dem tibi? Sperate ergo in ea omnis congregatio populi, coram illa effundite corda vestra. Hæc est omnium mater, post filium suum diues qui inuocant eam. De qua & illud Esaiæ accipere possimus: Nunquid obliuisci potest mater infantuli vt nō misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar. Hæc est mater cunctorum viuentium in fide Iesu Christi: infideles enim & peccatores mortui sunt in delictis & peccatis suis. Hinc ait ipsa ad filios suos: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplebimini. Ego enim mater sum pulchræ dilectionis, & timoris, & magnitudinis, & sanctæ spei. Ego diligentes me diligo, et qui vigilauerint ad me, inuenient me. In viis iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam demultiformis gratia dei, quam inueni: et sicut bona ac fidelis dispensatrix omnibus desiderantibus, abundāter et hilariter administro, Proinde si vis illius charus esse filius, tunc non dimittas legem eius, quæ est: Omnia quæ dixit vobis filius meus facite. Honora illam, si vis ab ipsa honorari, et ab ea gratiā pro gratia accipere. Quia vt sapiens ait: Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrē suam. At contra, de male loquentibus de ea et eā blasphemantibus, dici potest illud: Maledictus est à deo qui exasperat matrem suam. Et iterum Stultus homo despicit matrem suam. Tales ei retribuunt mala pro bonis, et odium pro sua dilectione. Et cum filio ad patrē ait. Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi

Esa. 66. Eccl. 15. Esa. 49. Eccl. 24. Prou. 8. Ioan. 2. Eccl. 3. Eccl. 3. Psal. 34.

losi super me apertum est. Locuti sunt Lutherani aduer-
sum me lingua dolosa et sermonibus odij circundede-
runt me, et expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me dili-
gerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Et posue-
runt aduersum me mala pro bonis, et odium pro dilectio
ne mea. Verum filius zelat pro matre sua, sicut lex docet
nec inpunitum sinit scelus tam impium atq; nefandum.
Vnde sicut amico suo Abrahæ pollicitus est, sic multo
magis matris suæ benedictæ famam tuebitur et honorē.
Gen. 12. Audite ergo quid dicat: Benedicam tibi, et magnificabo
nomen tuum. et eris benedictus. Benedicam benedicen-
tibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te,
hoc est, in Christo filio Mariæ benedicentur vniuersæ co
gnationes terræ. At, cum filij diaboli hanc super omnes
et omnia benedictam matrem dei maledicunt, tunc fi-
lius eius eam benedicit, cum insurgunt in eam, confun-
duntur. Et qui ei detrahunt, induuntur pudore, et operiū
tur sicut diploide confusione sua, Seruus autem Mariæ
lætabitur cum viderit vindictam, et manus suas lauabit in
sanguine peccatorum. Eorum inquam peccatorum, qui di
lexerunt maledictionem quæ venit illis, et noluerunt be
nedictionem, quæ et elongata est ab eis. Et induerūt ma
ledictionem sicut vestimentum, et sicut zonam qua sem-
per præcinguntur. Et intrauit sicut aqua in interiora
Luca 1. eorum, et sicut oleum in ossa eorum. Nos igitur matrem
hanc, benedictam inter mulieres, cum Elizabeth laude-
mus et exclamemus voce magna, et benedictum fructum
ventris eius adoremus. Et tunc filius eius dabit nos in be
nedictionem in seculum seculi, et inter benedictos be-
nedicet omni benedictione spirituali in cœlestibus. Cui
est laus in secula. Amen.

SERMO SECVNDVS DE NATIVITATE VIRGINIS MARIAE,

tractat de triplici natiuitate Christi.

LIBER *generationis Iesu Christi.* Tres na-
tiuitates siue generationes legimus Iesu
Christi adsertoris nostri. Vna est, qua ab æ-
terno nascitur ex patre deus de deo, lux de
lumine, Deus verus de deo vero. Hæc vincit
scientiam nostram. de qua Esaias ait: Generationem
eius

eius quis enarrabit? Abſcondita eſt generatio hæc ab o- *Eſa.53.*
culis omnium viuentium, ſed & volucres cœli (hoc eſt,
angelos dei qui ſemper vidēt faciem patris)latet.perditio
item & mors dixerunt; Auribus noſtris audiuimus fa-
mam eius. Deus ſolus intelligit viam eius, & ipſe nouit *Iob 28.*
locum illius. Mirabilis proinde facta eſt hæc ſcientia ex *Pſal.138*
nobis, confortata eſt & non poſſumus ad eam. Verum,
euangeliſta Ioānes, amicus ſponſi, dum ſuper pectus do-
mini recubuit, profunda iſtorum ſcrutabatur, & quo ad
eius poſſibile eſt, in capite libri & euangelij ſui produ-
xit in lucem abſcondita eius dicens: In principio erat ver *Ioan.1.*
bum. Alia eſt generatio Ieſu Chriſti, qua ſuperueniente
te in Mariam ſpiritu ſancto, & virtute eam obumbrante
altiſſimi conceptus eſt & natus in temporis plenitudine,
& habitu inuentus vt homo, homo, atque per omnia fra-
tribus aſſimilatus, abſque peccato. Et de iſta hic euange- *Heb.2.*
liſta Mattheus loquitur. Tertia Chriſti natiuitas & ge-
neratio myſtica eſt, quam boni & recti corde, piéque vi-
uentes in Chriſto, de ſpiritu ſancto concipiunt verbum
dei in mente, & cum labore vias duras cuſtodiunt, & im-
maculatos ſe ab hoc ſeculo. Tandem eundo & flendo,
crucem poſt Chriſtum portando improperia eius portan
do, ſeipſos abnegando, vim ſibi faciendo, carnem ſuā cum
vitiis & concupiſcentiis crucifigendo, membra ſua quæ
terrena ſunt & ad malum prona mortificando, carnis cu
ram in deſideriis nullam faciendo. Verum cum poſt hanc *Galat. 5.*
beatam bonæ voluntatis, de ſpiritu ſancto conceptionem
more pregnantium dolores, torſiones, & abominationes
varias & graues ſuſtinuit, tunc mens & bona voluntas
appropinquant ad partum. Vt iam bonam voluntatem
ſoli Deo & ſibi cognitam pariat, hoc eſt, opere impleat,
Nam dum incipit in omni opere bono fructificare, in
ſpiritu ſeminare, fructificare deo, ſemetipſum exemplum
in omnibus præbere bonorum operum, in doctrina, in
grauitate, in integritate, tunc parit filium ſuum. Et
cum in virtutibus labor ſit, dolor & difficultas, ideo
cum bonum opus quis facit, precepta dei implet, volun-
tatem Dei facit, quod carni moleſtum eſt & pœnale,
tunc in dolore & triſtitia, anima à ſpiritu ſancto fœ-
cundata, parit filios ſuos, hoc eſt, facit bona ope-
ra, voluntatem bonam opere perficit. Sic, vt Eſaias
ait, omnia parturit & parit ſpiritum ſalutis, in operis *Eſa.26.*
boni

boni expletionem. Cum ad partum appropinquat, dolens clamat in doloribus suis quos suffert, & omnes sustinet propter deum. At cum masculum peperit, & bonum opus bene consummauit, tunc pressuræ perpessæ in bono opere,non meminit, quia virtus & bonum opus consummatum gaudere facit in domino & exultare facit in deo Iesu suo. Vnde dixit vnus talis. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Tunc venientes veniunt cum exultatione, portantes manipulos suos, qui olim ibant & flebant quando semina sua miserunt. De ista generatione Iesu Christi scriptum est: Qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est. In prima natiuitate, pater filio naturam suam tribuit, essentiam & substantiam, & generat filium sibi æqualem in gloria, concordem in voluntate, parem in potestate & sapientia. In altera verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et omnia diuinæ virtutis suæ charismata, magna vtique & pretiosa, olim promissa nobis donauit, quæ ad vitam Deo et euangelio dignam, nec non ad pietatem nobis necessaria sunt, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur, et fugimus eam quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. In tertia imago dei in nobis reformatur et renouatur de die in diem. Nouum hominem qui secundum deum formatur induimus, qui secundum deum creatur in iustitia et sanctitate veritatis, et in ea deo per omnia placemus, omnia quæ locutus est facimus corde magno, et animo volenti. Per eam non solum vnus spiritus cum deo efficimur, cor vnum et et anima vna, sed et in eandẽ imaginem transformamur à claritate in claritatem, per spiritussancti stupendã virtutem. Per hanc dij efficimur, et filij lucis et lux ipsa in domino creamur, imitatores dei, filij altissimi, membra Christi et corporis eius, ciues sanctorum et domestici dei, genus item electũ, regale sacerdotiũ, gẽs sancta, populus acquisitionis, sal terrę, lumina mũdi, ciuitas Dei, lucernæ ardentes igne amoris dei, et lucentes per sanctitatis et omnium bonorum operum fulgorẽ ad gloriam patris qui est in cœlis. Per hanc inquam, in eandem dei imaginẽ mirabili virtute spiritussancti, qui omniũ est artifex, et omnẽ habet virtutẽ, transformamur. Nam omnipotẽtes per hanc efficimur, et omnia in deo patre nos confortante

Marginal notes: Psal. 89. — Mat. 12. — Ephes. 4. — Col. 5. — 2. Cor. 3. — Psal. 81. — Ioan. 10. — Ephes. 2. — 1. Pet. 2.

confortãte possumus. Per hanc implemur agnitione voluntatis Christi in omni sapientia et intellectu spirituali. Per hanc etiam si literaturam non cognoscimus per studij exercitium, tamen intramus in potentias Domini et incerta et occulta sapientiæ Dei nobis manifestantur et super senes et super omnes nos docentes intelligimus scripturas, et quæ est voluntas Dei. Per hanc in charitate radicamur et fundamur, adeo quod possumus cõprehendere cum omnibus sanctis, quæ est latitudo, et longitudo, et sublimitas et profundum. Et cognoscimus supereminentem scientiæ charitatem Christi, et implemur in omnem plenitudinem dei. Implemur etiam spiritusancto, et deus noster dignatur nos vocatione sua, et implet omnem voluntatem bonitatis suæ, et opus fidei in virtute in nobis. Atque per istam generationem clarificatur nomẽ domini nostri Iesu Christi in nobis, et nos in illo, secundum gratiã dei nostri, et Domini Iesu Christi. Vir insipiens non cognoscit, et stultus siue animalis homo spiritum dei nõ habens, non intelligit hæc, stultitia enim est ei. Et non potest hæc augustissima Dei sacramenta intelligere, quia spiritualiter examinantur. Quod nascitur ex carne iuxta naturalem propagationis ordinem caro est, immundum & vanitati subiectum, etiam nõ volens. Et quod nascitur ex spiritus sancti operatione gratuita, qui omnia operatur in omnibus spiritus est, diuinum est, sanctum est. Iuxta illud cœlesti paranymphi: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. In potestate igitur vniuscuiusque positum est, si vult mater Christi esse. In hoc sensu verum est: Maledicta sterilis anima quæ non parit per gratiam dei, & semen verbi dei viui, fructum salutis. Benedicta autem est omnis anima quæ parit, fœcundata à spiritusancto & benedictus est fructus ventris Iesus Christus. Beata est virgo talis, quæ dominum portat, creatorem mundi, generat qui eam fecit, & in æternum permanet virgo. Felix est sacra virgo talis, & omni laude dignissima, quia ex ea oritur sol iustitiæ, splendor paternæ gloriæ, lux vera, quæ omnem hominem illuminat in hunc mundum venientẽ, Christus deus noster. Hæc magna & ineffabilia dei magnalia, quę illis dominus fecit, secũ reputãs, rẽpletur spiritusancto, & cum Elizabeth & virgine Maria in vocem laudis prorumpens, dicit: Magnificat anima mea do-

Ephes. 1.
Psal. 91.
1. Cor. 3.
Rom. 8.
Luca 9.
Deut. 7.

dominū. Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Proinde magnificate dominum mecum, & exaltemus nomen
Pſal. 33. eius inidipſum. De his alibi latius. *Ieſu Chriſti.* Ieſus no-
Hebra. 5. men proprium eſt perſonæ Seruatoris noſtri, & ſaluatoris omnium ſibi obtemperantium. Quod vocatum eſt & expreſſum ab angelo, priuſquam in vtero virginali de ſpi ritusſanćto conciperetur. Et interpretatur Saluator, quia
Matt. 5. ipſe ſaluum facit populum ſuum à peccatis eorum. Qui autem negat eum, corde, ore aut opere coram hominibus, hic non eſt eius, & eum negabit coram patre ſuo &
Matt. 10 angelis dei. Maximè Saluator eſt benedićtæ matris ſuæ, quæ bonum faciendo & volūtatem patris qui eſt in cœ-
Philip. 2. lis, mater eius dici meretur & eſſe. Hæc ſalutem propriā dum cum metu & tremore operatur, vtique ſaluatoris eſt
Apoc. 12. mater. Hoc modo mulier, hoc eſt, anima fidelis, ſole iuſtitiæ amićta, & lunam ſub pedibus habens, ſtellíſque coronata duodenis, ſaluatur per filiorum generationem, id eſt bonorum operum operationem. Si tamen permanſerit in fide Ieſu Chriſti, & dilećtione dei, proximíque ſyncera,
Pſal. 44. & ſanćtificatione cum ſobrietate. Chriſtus, nomen of-
Hebr. 1. ficij eſt, & vnćtus interpretatur. Ille autem ſpiritusſanćto vnćtus fuit & repletus præ participibus ſuis: Quia gratia plenus fuit & veritatis. Et de plenitudine eius nos omnes accipimus, gratiam pro gratia. Reges autem vngebantur in veteri lege, ſacerdotes, prophetæ & bellatores. Rećte ergo vnćtus dicitur ſiue Chriſtus, quia rex regum eſt &
Heb. 7. gloriæ, nec non princeps regū terræ. Et ſacerdos magnus ſecundū ordinē Melchiſedech in æternū, ſanćtus, innocens, impollutus, à peccatoribus ſegregatus, excelſior
Epheſ. 5. cœlis fačtus, et per ſpiritumſanćtum ſemetipſum obtulit
Hebr. 9. immaculatū deo, ad multorum exhaurienda peccata, in
Luca 7. odorē ſuauitatis. Ipſe propheta magnus eſt qui ſurre-
Deut. 18. xit in nobis, quē olim deus pater miſſurū per Moyſen ſeruum ſuū & amicū, ſe promiſerat. Hic eſt fortis ille Dominus et potens in prælio, qui exultauit vt gigas ad currendam noſtræ ſalutis viam, et fortem illū armatum, qui
Pſal. 23. atriū ſuum cuſtodiuit, adeò quòd in pace dānabili om-
Pſal. 18. nia poſſedit, fortior eo ſuperueniens vicit, vniuerſa arma
Mat. 12. eius abſtulit in quibus confidebat, et alligauit, et confi-
Luc. 11. denter traduxit, palam triumphans eos in ſemetipſo. Vt
ſic de

sic de manu inimicorũ nostrorum liberati,seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Et si illũ generamus, tunc etiã gratia domini nostri Iesu Christi superabundat in nobis cum fide & dilectione quæ est in Christo Iesu.Nã hoc modo nos regnũ facit & sacerdotes. Incerta & occulta sapientiæ suæ nobis manifestat: Facit & nos fortiter diabolo in fide resistere,adeo quod nullũ ei locũ damus, sed semper nos eũ triumphamus in Christo Iesu,& ipse deus pacis Sathanã conterit velociter sub pedib' nostris.Et hic finis erit sermonis huius. Colos.1. Luca 1. 1.Tim.1. Apoc.1.

SERMO TERTIVS DE NATIVITATE B. MARIAE. DE diuinis attributis essentialibus.

FILII David,filij Abraham. Deus qui diues est in misericordia,propter nimiã charitatẽ suã qua dilexit nos,factus est homo. Exiuit à patre & venit in mundũ, formam serui accipiens,& seipsum humilians,vt ab ipso disceremus humiles corde esse, & verã dilectionem qua nos prior dilexit,cũ adhuc inimici eius essemus secundũ tẽpus.Vt itẽ per eius descẽsum, quomodo in deũ ascendere,& dij atq; filij altissimi fieri possemus,discere mus. Sic abũdãtes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos abũde testatus est in seculis superuenientibus. Qui in his dei imitatores sunt & ambulãt in dilectione, illud elogiũ maximi vatũ de se dictũ sciant:Ego dixi,dij estis, et filij excelsi omnes.Filij quidẽ dei nunc sumus,quãuis nondũ appareat quid erimus: cũ autẽ apparuerit Christus vita nostra,tũc similes ei erimus,et apparebimus cũ ipso in gloria.Si tamẽ hic ambulamus sicut ipse ambulauit,et imaginẽ eius portauerimus.Nã si dixerimus,quoniã societatẽ habemus cũ eo,et in tenebris ambulamus malitiæ et nequitię,mẽtimur,et veritas in nobis nõ est. At filij diaboli,tenebrarũ et Belial,quorũ sunt in tenebris opera,q patris sui diaboli desideria et opera faciũt, ab hac sunt gratia exclusi,eius sunt expertes. Obtẽperãtibus sibi,fact' est causa salutis ęternę. Nõ credẽtibus verò et q verbo offendũt,verbo dei nõ obtẽperãtibus,et in lege eius nõ ambulãtibus,est lapis offensionis,in quẽ Ephes.3. Ephes.2. Psal.81. 1.Ioan.3. Colos.3. 1.Ioan.5. Heb.5. 1. Pet.2.

1. Pet. 2. impingunt,& petra ſcandali ad quam ſe collidunt. Modò vero,quo dij,filij altiſſimi, fratres Chriſti, viua templa ſpiritusſancti,genus à deo electū, & regale ſacerdotium, gens ſancta,populus peculiaris, magno prætiô emptus, nempe,pretioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati Chriſti domini noſtri,efficimur,ex ſerie huius euāgelij (quæ ſcala cœli eſt)& patrum Chriſti catalogo,diſcere debemus. Omnia quidē ad exemplum Chriſti facere debemus, qui in monte in exemplum nobis monHeb. 4. ſtratus eſt. Quem qui imitatur in tenebris non ambulat, nō peccat,innocue viuit,fructificat deo, operatur opera dei,ambulat vt filius lucis. At,ne quis ad excuſationes in peccatis vllum malitiæ poſſet velamen obtendere,ac diIob 4. cere: Chriſtus nō homo ſolùm,ſed & deus eſt verus vnū cum patre. At,quis non ſolùm inter homines(qui habitant domos luteas,quorū caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,& nunquā non animam grauat, ſpiritúmque deprimit multa cogitantē, & ad dei voluntatē adimplēdam non ſolum infirma,ſed prorſus reproba eſt)ſed & in nubibus,& cœleſtibus ſpiritibus,vranicíſque ciuibus æquaEſai. 64. bitur domino & ſimilis erit deo in filiis dei? Dei namque Iob 15. opera perfecta ſunt,nos in multis offendimus omnes. Et Iob 9. omnes iuſtitiæ noſtræ eatenus quatenus noſtræ, ſicut Eſai. 55. pannus ſunt menſtruatæ, & facti ſumus ſicut immundi omnes. Hinc vir dolorum,ore laudatus dominico, verebatur omnia opera ſua. Hoc ipſum alio in loco Dominus ipſe teſtatur, dicens: Quantum exaltantur cœli à terra,ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitaEphes. 5. tiones meæ à cogitationibus veſtris. Nihilominus vas electionis, vt imitatores dei, ſicut filij chariſſimi ſimus, nos adhortatur. Verùm, vt nullum vel excuſationis in malitia,vel deſidiæ velamen remaneret nobis,vel impoſſibilitatis in infirmitatis obtruſione, ecce benignitas & humanitas dei,homines iuſtos, viros virtutis, amicos ſuos, qui ſal terræ fuerunt & lumina mūdi,nobis ad imiHeb. 5. tandum proponit. Qui vtique dum hic vixerunt,infirmiIaco. 1. tate circundati erant,homines ſimiles nobis, paſſibiles. Rom. 7. Et lex peccati, quæ in membris noſtris graſſatur, & eos captiuauit, & captiuos aliquādiu eos in lege peccati detinuit,donec virtute induti ex alto, & fulti adiutorio altiſſimi, iugum carnis & diaboli à ſe proiecerunt, & per gratiam dei quæ in eis vacua non fuit, ſed cum ea ſalu-

tem

tem propriam cum metu & tremore operari cœperunt, vincula eius diruperunt,& spiritu ambulare, & in spiritu deo seruire,& quæ spiritus sentire,amare & operari elegerunt. Carni & sanguini non acquieuerunt, sed eam cum vitiis & concupiscentiis crucifixerunt. Ecce, in carne ambulauerunt, attamen non vt carnales secundum carnem militauerunt, curam carnis in desideriis non fecerunt. Neque fortitudo eorum, nec caro eorum ænea erat,sed vim sibi fecerunt,seipsos abnegauerunt, crucem suam quotidie tulerunt, & Christum imitabantur sine defectione,quocunque iuit: ideo memoria eorum in benedictione est,& cum laude.Eorum igitur exitum intueri debemus, & eorum quam in finem vsque tenuerunt perseuerantiam in bonitate, imitari. Hinc rursus ait,ad sanctorum exempla, & virtutes imitãdas nos prouocãs: Cupimus vnumquemque vestrum, vt eandem in exhibẽda charitate sollicitudinem singuli pro se quisque pergatis exhibere. Vt plena fiat spes vestra(iuxta illud : Spera in deo,& fac bonitatem)perseuerando vsque in finem,ne forte remissi & tardi efficiamini,vel persecutionibus fracti,vel longa expectatione defatigati.Verum imitatores studete esse patrum vestrorum,qui per fidem & patientiam,meruerũt accipere promissiones diuinas.Hinc beatus Iob ait de seipso:Ipse scit viam meam & probauit me quasi aurum,quod per ignem transit. Vestigia eius secutus est pes meus,viã eius custodiui. Et Hieremias: Ego non sum turbatus,te pastorem sequens. Sic & apostoli, relictis omnibus secuti sunt Christum.Propter quod frater domini Iacobus ad eorum æmulanda vestigia nos adhortans,ait : Sint vobis pro exemplo fratres prophetarum affectiones & sufferentiæ,etiam vsque ad ignominiosæ mortis exitum, vna ex parte. Et contra hæc longa nimis illorum patientia:qui tamen tam insigni erãt sanctitate(vt ore ad os,sicut amicus cum amico,cum domino sermonem miscerent) vt prædicerent futura. Scitis quod dilecti deo & hominibus sunt, & beati prædicantur quos probauit sufferentia. Nemo vestrum est qui ignoret insignem patientiam beati Iob : cognoscitis itẽ, quo fine & mercede dominus patientiam eius remunerauerit,in vita etiam quæ nunc est reddẽs ei dupla omnia,vt taceã de futura vita,in quã centuplum accepit, & super omnia bona domini est constitutus. Quoniam

Rom. 8
1.Cor.10
Heb. 3.
Psal. 36.
Iob 3.
Hiere.17.
Iac. 5.
Iob 42.

misericors natura est, & misereri semper solitus deus
Heb.12. noster. Cum igitur tam copiosam habeamus fidei nostræ testium multitudinem, quos velut per transennam Apostolus ad Hebræos ostendit & in fascem ex parte constrinxit, nobis in exemplum ambulandi & placendi deo propositam. Æquum est, vt abiecto omni concupiscentiarum pondere, omníque peccato, quod vndequaque nobis, quasi de proximo imminet, prorsus abdicato, curramus nunc viriliter & fortiter agentes, ad certamen fidei quod nobis pro nomine Christi modo proponitur, & legitime certantes, per pacientiam à semel suscepta fide nunquam discedentes, mentis oculos fixos tendamus in Iesum Christum, qui est nostræ fidei author & cõsummator, alpha & omega, principiũ & finis, dator & remunerator. Qui cũ potuisset solo gaudio frui, nec necesse habuit vllam perpeti miseriam, voluntarie tamen ex charitate qua nos dilexit, ne nos damnaremur, magis elegit sustinere crucẽ, confusione contempta. Atque ob illam insignem obedientiam, in dextera sedis dei sedet. Hinc monet vt recogitemus eum, & semper eius exemplum ante oculos quasi appensum quid, ob recordationem & in manu nostra sit, & nos eadem cogitatione armemus, ne fatigemur animis nostris deficientes. Et si supra vires nostras eius exemplum sequi per omnia diffidimus, vel impossibile nobis astruere vellemus, vel alios sanctos patres, ex quibus est Christus secundum carnem, in bono semper imitari studeamus. De quibus hic dicitur, Filij Dauid, filij Abraham. Deus igitur solus bonus, qui omnia creauit per potentiam, per sapientiam, à fine vsque in finem attingit fortiter, & omnia suauiter gubernat & disponit, & per bonitatem suam abyssalem, omnia ordinat in gloriam suam & salutem nostram, cum propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, misit filium suum vnigenitum in mundum, vt omnis qui cre-
Ioan.3. dit in eum non periret, sed haberet vitam æternã. Eum modum in hoc maximo pietatis sacramento seruauit, qui magis saluti nostræ congruebat, & in quo maxime potentia sua insuperabilis, sapientia sua ineffabilis, bonitas sua abyssalis manifestabatur. Quid autem potentius, quàm principium vnire cum fine? Primũ & nouissimum, vt fieret deus homo: creator, creatura: summus, infimus: maximus, puer paruulus: impassibilis, vir dolorum. Quid

sapientius, quàm de morbo facere medicinam: de morte vitam: de tenebris, lucem, de malitia, bonitatẽ? Quid sapientius, quàm diabolum vincere in quo vicit, & fortissimum vincere per infirmitatem, prudentiam, & astutiam serpentis confundere per stultitiam Dei? Mendaciũ Satanæ per gratiam dei perdere? Vel potius peccatum per peccatum damnare, tenebras fugare per lucem, reatum per innocentiam in nihilum redigere, inobedientiã Adæ per Christi obedientiam expiare, vulnera nostra quæ ad mortem erant, vulneribus & liuoribus eius sanare? Damnatione sua in mortem, damnatos redimere, vinculis suis vincula nostra dirumpere, mortis denique chirographũ, per innocentis damnationem abolere & affigere cruci? Omnia enim in sapientia fecit, & hoc modo prudentia dei, percussit & vicit superbum. Quid benignius, quid ad charitatem dei in nobis accendendam, augendã & consummandam efficacius, quàm quod dominus vniuersorum, propter seruorum salutem formam serui accepit? Quòd rex regum, solus potens & omnia portans verbo virtus suæ infirmus factus est, & quatenus nos à peccatis nostris lauaret in sanguine suo, peccatum est factus? Quia pater misericordiarũ eum qui peccatum non nouit, peccatum non fecit, in quo princeps mundi nihil habuit, pro nobis peccatum fecit. Et quatenus nos liberaret à maledicto legis & damnationis, factus est pro nobis maledictum. Sic benigne fecit in bona voluntate deus Sion. Sic prior nos dilexit. Iam tecum reputa obsecro, potentiæ sacramenti huius magnitudinem, altitudinem sapientiæ, charitatis abyssum. Expende bonitatis huius dulcedinem, misericordiæ tantæ viscera, pietatis abyssum, bonitatis huius exuberantiam, gratiæ huius diuitias, & esto gratus. Ad quod non solum inuitat, sed & vrget nos charitas Christi. Alioqui time pœnas æternas quæ manent ingratos. Venit fortis & potens in prælio, & fortem illum triumphauit in semetipso, vt & tu fortiter in fide diabolo resistas, nullum ei locum des, & stes in omnibus perfectus. Venit sapienter, vt & tu in sapientia dei ambules, & in cunctis quæ agit exemplo Ezechiæ sapienter te habeas. Venit in charitate, vt & tu deum diligas & proximum, & omnia opera tua facias in charitate ad gloriam eius.

Rom. 8. Rom. 5. 1. Pet. 2. 2. Cor. 5. Ioan. 14. Gala. 3. Esa. 50. 2. Cor. 5. Col. 2. 1. Cor. 1.

SERMO QVARTVS DE NATIVIT. B. MARIAE.

FILII Dauid, filij Abraham, hoc est: Qui secundum humanam naturam filius est Dauid, & secũdum diuinitatem est dominus illius. Iuxta illud paranymphi cœlestis elogiũ: Dabit ei dominus sedẽ patris
Luc. 1. eius. Et Apostolus: Factus est ei ex semine Dauid secun-
Rom. 1. dum carnem. Horum duorum filius Christus Iesus specialiter vocatur. Tum quòd deo acceptissimi fuerunt, quia
2. Re. 13. Dauid erat vir secundum cor dei, & fecit omnes volun-
Actu. 13. tates eius. Abraham vero amicus dei appellatus est, & ore ad os cum deo locutus est, sicut loquitur amicus cum amico suo. Dauid item inter reges, Abraham verò inter patriarchas primatum tenet. Tum quòd præ cæteris omnibus Christo conformiores in vita fuerunt, & perfectius clariúsque eum præfigurauerunt. Tum quòd ad hos crebrior quàm ad alios facta est de Christo re-
Psal. 131 promissio. Ad Dauid: De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam. Et rursus; Semel iuraui in sancto meo, si
Psal. 88. Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit &c. Et rursum: Ego ero illi in patrẽ, & ipse erit mihi in filiũ &c.
Gene. 15 Ad Abraham: In semine tuo, quod est Christus, benedi-
Gala. 3. centur omnes gentes. Dicitur & horũ filius, eo quòd nõ simplici promissione, sed sub iureiurando eis est promissus: quod nõ est factũ aliis. Iurauit enim dñs Dauid & nõ
Gene. 22. frustrabitur eũ &c. Ad Abrahã autẽ: Per me metipsum iuraui, dicit dominus &c. Postremò, eorũ filius vocatur Iesus Christus specialiter, & speciali modo, vt ex hoc dicamus, ꝙ si filij dei & fratres Christi, matres itẽ eius & sorores esse cupimus, vel alios per euangelium, quod est semen incorruptibile dei viui & permanens in æternum,
1. Per. 1. deo gignere volumus, quod horũ patrũ Christi virtutes, gratias & merita æmulari debemus, & opere & veritate
Gala. 4. exprimere in nobis. Has in se Apostolus habuit, qui Galatas iterũ parturiuit, donec in eis Christus formaretur. Qui facit hæc suo modo, pater & mater Christi dici meretur, & est in spiritu & veritate. Non tamen diffitemur quin & aliis de Christo facta sit repromissio, sed nõ tam crebra atq; his duobus, nec sub iureiurando. Vnde non solũ Dauidis & Abrahæ, sed & omniũ & singulorũ in hac

serie

ſerie generationis poſitorum filius dici poteſt Chriſtus. Sic & Iacob patriarchæ hanc eandē promiſſionē dominus fecit, dicens: Benedicētur in te & in ſemine tuo cūctæ tribus terræ. Eadē promiſſio & Iſaac facta eſt. Præterea, Iacob patriarcha, manifeſte prædixit Iudæ, quòd de ſemine eius naſceretur Chriſtus, expectatio gentiū, & deſideratus cunctis gentibus. Neq; vrgeo cur ordine præpoſtero Dauid Abrahæ præponitur, quando hoc ſeries poſcebat, vt nemo non videt ratione vteps, generationū catalogū intuenti. Et ratio id poſcebat, eo, quòd Dauid regū maximus, acceptiſſimúſque deo cōprobatur. Nec ſine maximo ſpiritusſancti conſilio factum eſt, quòd in ſcala cœli, in ſchola virtutū, regula vitæ, ſpeculo ſanctitatis, libro ſapientiæ: nempe, hac ſacra generationis Chriſti ſerie, parentum Chriſti catalogus ponitur, & nomina exprimuntur. Eſt namque ſacra hæc parentum Chriſti, ſi penitius inſpicitur, ſcopus ſcripturæ, gratiæ ſpectrum, miſericordiæ dei mare exuberans, bonitatis illius fons viuus, pietatis præconiū, exēplar placendi deo, forma viuendi innocuè, charitatis fornax, fidei radix, ſpei robur. Eſt etiam damnatio culpæ, malitiæ execramentum, iudicij iuſti interminatio, terror his qui ambulant per vias nō bonas, peccant ſine omni timore, & inique agūt vſquequaque. Eſt inquā ſchola virtutū, nā viros virtutis plures recenſet ex nomine, qui virtutibus haud ſecus adornati fuerunt, quàm cœlum varietate ſtellarum, pratum diuerſitate florum, hortus deliciarum areolis aromatum conſitus, paradiſus voluptatibus fructiferis arboribus plenus, vas auri ſolidum, varietate gemmarum & lapidum prætioſorum. Et quamuis multis imo omnibus virtutibus ſinguli fuerunt adornati, qui deo placuerunt, in vna tamen aliqua præcellentes fuerunt ſinguli, & magis ſe exercuerunt, in qua nō eſt inuentus aliquis alius ſimilis illi. Quę dum nos legimus, audimus & recogitamus, quaſi in viua lege domini et virtutum ſchola ad eorum chariſmata optima ęmulanda prouocamur. Attente proinde ſcrutemur vias eorum, et virtutes eorum, quibus deo placuerunt ſcrutemur et imitemur. Imitemur ergo Dauidis ſanctitatem ac perfectionem, Abrahę obedientiā et fidem, ſpem Iſaac, charitatem, Iacob, Iudę confeſſionem. Et vt magis notos perſtringam, imitemur humilitatem Dauid, ſapientiam Salomonis, zelum Aſę,

Gene. 28.

Gene. 49.

iustitiam Iosaphat, bonitatem Ezechiæ, innocentiam & religionem Iosiæ, pœnitentiam Manasses, perfectionem Ioseph, Mariæ gratiã, & ambulemus sicut Christus ambulauit. Et tunc generatio Christi, nobis est schola virtutum. At contrà, est nobis occasus & interitus vitiorum, iudicij terror, interminatio damnationis æternæ. Nam dum recogitamus, quomodo deus adulteriũ David, & numerationem populi vindicauit, quis non pertimescit, & cuius carnem tremor non concutit? Quis sine tremore Salomonis infatuationem rememorari potest in senectute, qui plenus dierũ maculã posuit in gloriam suã, nulla oblitione abluendã? Cum prius amabilis domino vocaretur & esset. Quis Iudæ & fratrum suorum zelum amarum contra Ioseph dilectum deo & hominibus non expauescit? Nã dũ diuinæ voluntatis beneplacitũ in Ioseph impedire cũ inuidia tabescente iter habendo nitebantur, non quod quærebant, sed quod impendere moliebantur, bonũ promouerunt nescientes & inuiti. Nã illi cogitabant de Ioseph malum, sicut & Iudæi de Christo, sed deus hoc conuertit in bonũ. Quis sibi non timet, dum secum reputat, quomodo deus mulctatus est Asæ regis diffidentiã, ingratitudinem Ioas, temeritatem Oziæ, scelera Achas, impietates Manasse, malitias Amon, infidelitatẽ Zedechiæ, & id genus impietatũ aliorũ in hac serie positorum, qui de industria à deo recesserunt, & Deo odibilia opera fecerunt. Profecto si sapimus, ex eorũ casu contra casum confirmamur in bono. De eorũ vulneribus sanamur, ex eorũ tenebris illuminamur, in fœcibus & stercore eorũ mundamur, de eorũ morte viuificamur, de eorũ dãnatione saluamur, & lauamus manus nostras in sanguine peccatorum. Hoc enim modo diligentibus deũ omnia cooperantur in bonum, etiã impiorũ impietates & facinora infanda. O mira circa nos diuinæ pietatis dignatio, quæ causam reproborũ, resurrectionẽ efficit electorũ, & ex malitia subuersorum, malagmata conficit amicorũ suorũ. Soluit compeditos prædestinatos ex funibus peccatorum, eorum qui de industria recedunt à deo, lætantur cum malefaciunt, & in rebus pessimis exultant. Hæc & iudicij terrorem nobis incutiunt, dum recogitamus quàm seuere deus etiã illos ex quibus secundum carnem natus est, & qui patres eius vocantur, puniuit. Neq; enim vlla est personarũ acceptio

Margin notes: 2.Reg.11 (beside "uid, & numerationem populi"); 3.Reg.11 (beside "tremore Salomonis"); Gene.37. (beside "bus non expauescit"); Gene.45. (beside "ti. Nã illi"); Sap.12. (beside "runt, & Deo odibilia"); Roma.8. (beside "mus manus nostras"); Prou.2. (beside "prædestinatos"); Act.10. (beside "tres eius vocantur")

acceptio apud deũ,& ſicut in omni gente qui timet deũ & operatur iuſtitiã acceptus eſt ei,ſic omnis iuſtus auer tens ſe à iuſtitia ſua,& odibilia deo opera faciens, ab eo deſeritur,ſpernitur,reprobatur. Et ſi non reſipiſcit à diaboli laqueis in tempore accepto & in diebus ſalutis, digniſq; pœnitentiæ fructibus commiſſa piacula nõ ablue rit,cum operantibus iniquitatem adducetur in obligationes æternas,vbi ignis eorũ non extinguitur, & vermis eorum non moritur. Vbi mors quæritur & non inuenitur,deſiderabunt mori & fugiet mors ab eis.Iſti videlicet qui hic oblatã gratiã dei neglexerunt, vel acceptã abiecerunt,neq; cũ ea ſalutem ſuã cũ timore & tre more operari voluerunt. Miſericordiarũ dei quarũ nõ eſt numerus nec modus nec terminus,hic nobis firmamentũ,fiducia & ſpes ingeritur, ne deſperemus ſi à deo receſſerimus,& ad tẽpus diabolo,in luto luxuriæ,in palea ſuperbiæ,in lateribus duris auaritiæ,ſeruierimus. Si peccauerimus in cœlum & coram eo,adeò quòd peccata noſtra ſunt ſuper numerum arenæ maris. Tunc rememorantes quomodo deus ſecundũ magnã miſericor diã ſuã miſertus eſt Dauidis & Manaſſes, & omnes iniquitates eorum deleuit, omnia peccata eorum remiſit, texitq;,ampliúſq; eorũ non eſt recordatus.Tunc & nos ad miſericordiæ eius thronũ confugimus cũ fiducia,veniã poſtulamus & obtinemus.Scientes ergo quoniã benigna,ſuauis,mirifica & pia eſt miſericordia eius,magna eſt,æterna eſt,longa,lata et immenſa,ideo in miſericor dia eius ſuperſperare debemus. Quoniam etiam cũ iratus fuerit, miſericordiæ recordatur,et non poteſt,vt hic cernimus in ira ſua continere miſericordias ſuas. Quia miſericordiam vult & non ſacrificium, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Eſt deniq; nobilitatis veræ ſchola et magiſterium.Nobilitas vera,non ex parentum gloria,potentia,diuitiis et ſtemmate metienda eſt: ſed ex virtute propria,præclariſq; vitæ facinoribus. Inane futiléq; nobilitatis nomen et gloria eſt,aliena virtute aut fama partũ: Nam nobilem te ſi tuam non habes, aliena claritas non efficit.Quare ſi quid eſt in nobilitate carnis et mundi bonum,id eſſe ſolũmodo arbitror,vt impoſita nobilibus neceſſitudo videatur ne à maiorum ſuorũ virtute degenerent. Sola apud deũ libertas eſt nõ ſeruire peccatis.Summa apud deũ nobilitas eſt, clarum

Ezech. 18
Eſa. 66.
Apoc. 9.
Philip. 2.
Heb. 4.
Pſal. 51.
Oſee 6.
Pſal. 144

esse virtutibus. Ille clarus, ille nobilis, ille sublimis, ille tūc integrā nobilitatē suā putet, si dedignetur seruire vitiis, & ab eis nō superatur: neq; cōcupiscentiis seruit, sed
Luc. 15. iustitiæ in acquisitionē vitæ. Si ego paternā substantiā cū meretricibus profudi viuendo luxuriose, & iā ad extremā redactus paupertatē, fame pereo, non possum propter parentū meorum infinitas diuitias dici, quòd diues sim: Neq; sanus quia parētes sanos habui, vel ipse prius sanus fui, & iā aduersa valetudine laboro & ingrauescētibus morbis duros corporis sustineo dolores. Nec liber dici possum, quia liberos habui parētes, & ego iā ab inimicis captus in exteras terras & regiones deportatus, dura seruitute premor, nec die nec nocte vlla mihi requies datur vel parua. Sed ego talis pauper sum nō diues: Infirmus sum, nō vegetus aut sanus: Seruus sum, nō liber, quātūlibet parētes liberos habuerim & ingenuos. Infirmus sum & pauper. Pari modo si parētes quis nobiles habuit & illustres, si ipse à maiorū claritate degenerat, falsè nobilis dicitur, & mēdaciter se de parentū glo-
Ioan. 8. ria(q̄ nō imitatur)iactat. Quid prodest gloriari patrē Abrahā habere, & Abrahæ opera nō facere, sed diaboli? Filij sanctorū sunt, qui exercent opera eorum. Filij diaboli sunt, qui desideria & opera diaboli faciūt. Hinc irrefragabili cōsequentia cōcluditur, quòd Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, piscatores, Amos pastor armētarius, Dauid pastor ouiū, ex parētibus iuxta seculi vanitatem nullis, & cōditionis infimæ et despectis, et quoquot voluntatem dei faciūt corde magno et animo propenso, immaculato se custodiunt ab hoc seculo, veri nobiles sunt corā deo, qui iudicat secundū veritatē. Nā sic faciēdo, sunt filij altissimi, amici dei et domestici, fratres Christi, ciues sanctorū, et hæredes regni cœlorū. Illis nihil nocet quòd despecti fuerūt parentes eorū in hoc mundo.
Psal. 119. Vel quod ipsi opprobriū hominū fuerūt et despectio su-
1. Cor. 1. perbis. Videte vocationē vestrā ait Apostolus: Quia nō multi sapiētes, secundū carnē, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit deus, vt confundat sapientes. Et infirma mundi elegit deus, vt confundat fortia. Et ignobilia mundi et contemptibilia elegit deus, et ea quæ nō sunt, vt ea quæ sunt destrueret, et non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ideo qui gloriatur, in dn̄o glorietur. Sic oēs apostolici amici dei

facti

facti sunt, lumina mũdi, iudices seculi, & sal terræ, nõ propter generis nobilitatẽ, sed quia relictis omnib. Christum secuti sunt, fecerunt patris cœlestis voluntatem, & cum Christo permãserunt in tentationibus suis. Sic Abrahã, sic Isaac, sic Iacob amici & dilecti dei facti sunt, non propter generis claritatem, sed propter fidem per dilectionem operantem. Et quia cum deo ambulauerunt, & erãt perfecti in amore & timore dei. At contra, frustra Ismael de Abrahæ fide, frustra Esau prophanus de Isaac bonitate, frustra Amon, Achaz, Roboam, Iechonias, & id genus serui peccata filij diaboli, vasa iræ de generis sui nobilitate gloriantur, quam moribus & vita non referebant, superuacue de generis & nobilitatis sui fastigio tument & se iactant. Serui sunt omnes peccatores terræ etiam si regnent & totum mundum habeant subiectũ. Nec vnius sunt homines serui, præuaricantur & iniquè agunt, sed quod grauius est, tot dominorum, quot sunt vitiis innodati & peccatis rei. Ignobilior, abiectior, dedecorosior atque infamior est peccator, quantumlibet nobilis vana attauorum claritate censeatur, quàm filius pauperrimi & despectissimi hominis secundum seculum, qui timet deum & facit eius voluntatem. Imo hic illum in infinitum excellit quantum distat ortus ab occidente, cœlum à terra, lux à tenebris, Christus à Belial, iustitia ab iniquitate. Et nulla inter eos est comparatio.

Te licet veteres, exornent vndique ceræ *Iuuenal.*
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus. *Et iterum*
Libera si dentur populo suffragia, quis tam
Perditus, vt dubitet Senecam præferri Neroni: *Rom. 9.*

Hinc Apostolus ait: Nõ omnes qui ex circũcisione sunt, hi sunt Israelitæ, neque semen Abrahæ sunt omnes, qui carne ab eo descenderunt: sed veri filij Abrahæ sunt hi soli, qui eius fidem imitantur, & desideria eius quę sunt omne bonum, & opera faciunt. Videte tandem in hac Christi genealogia debemus bonitatem & seueritatem dei: in bonis & rectis corde bonitatem dei, dum permanserunt in bonitate: sperauerunt in deo & fecerunt bonitatem. Aut si legem dei aliquando dereliquerunt, & in iustitiis eius non ambulauerunt, vt Dauid fecit, adulteriũ comittendo, optimum militem Vriam proditorie occidẽdo, iuramentum quod Ionathæ fecerat, violando, & populum ex fastu mentis numerãdo. Sic Iosaphat arguitur,

quod

quod impio prebuit auxilium & his qui oderunt deum, amicitia iungebatur, Ezechias offendit, nuntiis regi Babylonis omnia secreta domus domini, & regis ostendendo: Manasses omnes reges in impietatibus superauit, & innoxij sanguinis effusione. Ecce, cũ sic iustitias dei pro-
Psal. 88. phanauerunt, & mandata eius non custodierunt, tunc visitauit in virga iniquitates eorum, in virga vtique paternæ correptionis qua eum quem diligit castigat, & flagel-
Apoc. 1. lat omnem filium quem recipit. Neque tamen sic miseri-
Heb. 12. cordiam suam ab eis disperdit, sed magis sic eis ostendit,
Sap. 12. multiplicat & super eos confirmat. Sic enim admonet eos, vt relicta malitia ad eum reuertantur, & sanentur à peccatis suis, O quam bonus est deus, bonis & his qui
Psal. 72. recto sunt corde, si sic benigne facit in bona volũtate sua his qui aberrant à via veritatis. Hos paternè corripit, &
Ezec. 18. de quibus peccant admonet vt pater misericordiarũ, qui non vult mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant Et alloquitur, vt relicta malitia credant in eum. Sic omniũ miseretur quibus vult, & misericordiam præstat cui placet ei misericordiam exibere. Et hoc facit, quia omnia potest, & dissimulat peccata hominũ propter pœ-
Rom. 9. nitentiam. Quam etiam faciunt, omnes qui præordina-
Act. 13. ti sunt ad vitam æternam, & quos elegit ante mundi constitutionem, vt sancti & immaculati essent in conspectu eius in charitate. In reprobis vero seueritatem dei hic vide: Nam sicut reprobi deum derelinquunt, audacter eũ prouocant ad iracundiam, in lege eius ambulare nolunt, & quæ odit opera faciunt, sic viceuersa, deus eos derelinquit & dimittit secundum desideria cordis eorum, et eũt in desideriis et adinuentionibus suis pessimis. Proiicit
1. Reg. 16 eos à facie oculorum suorum. Dat eos in reprobum sen-
Exod. 4. sum, indurat eos vt Achaz et Pharaonem, reprobat vt Esau, maledicit vt Cain, abiicit vt Saulem, ab eis abscondit faciem suam, iurat eis in ira sua quod nunquam introibunt in requiẽ eius, nec cœnam illius gustabunt: Sed et in interitu eorũ ridet, et cum eis id quod timebant aduenerit, tunc eos subsannat. Væ igitur impiis qui dereliquũt legem altissimi. Nam cũ nascuntur, in maledictione nascuntur, et cum moriuntur tunc in maledictione et inter maledictos est pars eorum. Ibi reddit illis iniquitatem in
Psal. 93. caput eorum, et in malitia eorum disperdit eos dominus Deus noster. Intelligite hæc insipientes in populo,

et

& hæc ſtulti aliquando ſapite. Reuera, ſi deus naturali-
bus ramis non pepercit, & amicis ex quibus natus eſt ſe- Rom. 11.
cundum carnem, dubio procul nec nobis parcet ſi tranſ-
gredimur leges eius. Ira & furor eius nulli parcet pecca-
tori in die vindictæ. Rurſus dico: ſi amicis non parcit, nec
parcet inimicis: Si non parcit notis, nec ignotis parcet,
Si damnat domeſticos, multo magis extraneos ſi pecant. Pſal. 100
Igitur miſericordiam & iudiciũ terribile in hac ſacra ge-
nerationis Chriſti ſerie domino decantabo.

SERMO QVINTVS DE NATIVITATE VIRGINIS MARIAE

FILIVS Dauidis ante omnes dicitur,
Chriſtus. Olim ad Samuelem dominus
dixit: Quicũque honorificauerit me glo- 1. Reg. 2.
rificabo eum: qui autem contemnũt me
erunt ignobiles, & gloriam eorum in i-
gnominiam cõmutabo, iuxta quod mihi
peccauerunt. Sic ſecundum gloriam eorum multiplica- Oſea 4.
tur ignominia eorum, & ſublimitas eorum conuertitur
in luctum. Hinc Eſa. ait: Dominus exercituum cogitauit Eſa 23.
hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ, & ad ignomi
niam detraheret vniuerſos inclytos terræ. Eos inclytos
accipite qui cum ſint miniſtri regni dei, non recte iudi-
cant, nec cuſtodiunt legem iuſtitiæ, neque ſecundum vo
luntatẽ dei ambulant. Eorumq; gloria eſt ſtercus & vermis.
Hodie extollũtur, & cras non inueniuntur, conuerſi in 1. Mac. 2.
terram ſuam, & cogitatio eorum perit & fruſtratur. Vt in
Pharaone, Sennacherib, Amon, Abſalon, Antiocho, Ni-
canore, & aliis multis cernere eſt in literis ſacris. Reple-
ti ſũt ignominia pro gloria. Propter dolos poſuit eis finẽ Abac. 2.
deiecit eos dũ alleuiarẽtur. Facti ſunt in deſolationẽ, ſu-
bito defecerũt, perierũt propter iniquitates ſuas. Velut
ſomnium ſurgentiũ, ſic in ciuitate Dei imago eorum ad
nihilum redacta eſt. Et periit memoria eorũ cum ſonitu.
At cõtra nimis honorantur amici Dei, nimis confortatur Pſal. 138
principatus eorũ. Laus eorum, iuſtitia eorũ manet in ſe-
culũ ſeculi, cornu eorũ exaltatur in gloria. Hinc Chriſt9 Ioan. 12.
ait: Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater
meus, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Ad hæc
gloria & honore coronabo eũ, & conſtituam eum ſuper Pſal. 8.
omnia bona mea. Atq; omnia ſubiiciã ſub pedibus eius.

Vae

Vno tantũ regni solio eũ præcedam. Hoc honore condignus est quẽcunque rex voluerit honorare. Hos hic prævenit in benedictionibus dulcedinis, & diuites in omni gratia facit, sed & ponit super caput eorũ (quod mẽs est) coronã de lapide ꝑtioso, vel Christo, vel charitatis. Et cũ fides Christi xij. articulos habeat, & charitas omnia credat. Ideo corona aurea ista in capite iusti xij stellis, hoc est, xij. articulis fidei, quasi xij. lapidibus pretiosis est adornata. Vitã quoque petit iustus à domino quæ fine caret, & tribuitur ei longitudo dierum in seculũ seculi, & vita æterna. Omnis autẽ potentatus huius seculi vita breuis.
Eccl. 10. Et qui hodie rex est, cras moritur. Vbi sunt principes gẽtium? Exterminati sunt, & ad inferos descenderũt, & alij
Baruc 3. in locum eorũ exurrexerunt. At contra: Magna est iusti gloria in Christo salutari suo, & ille gloriã & magnũ decorem imponet super eũ, cum apparuerit in gloria. Quia tunc iustus etiã quisque cũ eo in gloria apparebit, & om-
Phil. 3. nes ei similes erũt. Sed & dabit eos in benedictiones in seculũ seculi, & lætificabit eos in gaudio cum vultu suo, quia videbunt eũ sicuti est, facie ad faciem. Sic benedicitur homo qui timet dominũ, & in sanctitate et iustitia ei seruit coram ipso, omnibus diebus suis. Hoc Dauid fecit. Ideo primum locum hic in sancta Christi generatione est sortitus. Sed & vel super omnes vel inter præcipuos, Christi typum in omnibus quæ passus est & gessit, seruauit. Atque vix alter tam manifestam viam nobis in seipso ostendit, quomodo ambulare debemus coram deo & ei placere, vt magis abundemus, & instar lucis splendẽtis prospere ꝓcedere & crescere, eundo de virtute in virtutẽ vsq; ad perfectũ diẽ. Christus Iesus igitur Dauidis filius ante omnes, dicitur & scribitur, quia instar Dauid à deo dilectus & deo dilectus fuit, vir secũdũ cor dei, qui fecit omnes volũtates eius. Fuit instar Dauid (ꝙ nominis Dauid ratio præ se fert) manu fortis & vultu desiderabilis. Fuit manu fortis & potens in prælio contra fortẽ illũ qui in pace damnabili totũ mundum possedit, quẽ
Matt. 12. vicit, alligauit, in seipso triũphauit, spolia eius diripuit, et ipsum cõfidenter traduxit. Fuit et est vultu desiderabilis, speciosus forma præ filiis hominũ, speculũ sine macula,
Psal. 44. imago bonitatis dei. Et super omnẽ dispositionẽ stella-
Sap. 7. rũ, luci cõparatus inuenitur purior. Quia figura substantiæ paternæ est et splendor gloriæ eius. Et ideò angeli,

In eum prospicere desiderant, eo quod facies eius plena est gratiarum. Hinc est quod Dauid saluator noster crebro vocatur in prophetis. Hoc Hieremias attestatur dicens: Seruient domino deo, et Dauid regi suo quem suscitabo eis. Et alibi: Suscitabo Dauid germen iustum (vt sit appositio) et regnabit rex et sapiens erit, et faciet iudicium et iustitiam in terra. Et Ezechiel ait: Suscitabo super ea pastorem vnum qui pascat ea, seruum meũ Dauid, ipse pascet pecora mea. Et rursus: Seruus meus Dauid erit rex super eos, pastor vnus erit omnium. Et ibidem: Seruus meus Dauid erit princeps eorum in perpetuum. Sic et legimus in Oseæ: Post hæc reuertentur filij Israel et quęrent dominum deum suum, et Dauid, vel Messiam, vt translatio Caldaica habet, regem suum. Sed vela sunt contrahenda, et, laconismo vtens dico, quod Christus Iesus Dauid dicitur et filius eius vocatur, eo quod sicut Dauid stetit ante regem in terris, sic Christus vt aduocatus astat nunc vultui dei pro nobis interpellans et pro sua reuerentia exauditur. Saul Dauid nimis dilexit, sic et pater filium, et omnia dedit in manu eius. Dauid cum cithara, Christus cum oratione, imperio et crucis trophæo dæmones expulit. Breuiter Christus Dauid est et filius eius, quia sicut Dauid et multo sublimius fratrum improperia sustinuit, in aduersis patiens fuit, æmulationes pertulit, iræ locum dedit, pro bonis mala suscepit, in bono malum vicit, iniuriæ memor non fuit, hostibus pepercit, fuge præsidium arripuit. Nec benedictione, nec malefactione mutatus fuit, ex charitate omnia sustinuit, lõganimiter diuinas laudes auxit, dominũ in omni tẽpore benedixit, laus dei semper in ore suo fuit, inimicos dilexit, odientib. benefecit, pro calumniatoribus & persecutoribus, imo pro crucifixoribus orauit, preces fudit & lachrimas, hostes vicit, superbum Goliad mucrone proprio occidit, sanguinem nullum fudit, in omnibus ad quæ mittebatur prospere egit, malos perdidit, peccatores terræ interfecit, hostes suos luxit, mansuetudinis lenitatem vbique seruauit, leones vicit, vrsos fugauit, raptas oues ex ore eorũ eruit, pacem seruauit, leges iustas sanxit, pios protexit, nocuit nemini, profuit omnibus. Nũquam suam, sed semper dei voluntatem fecit, in via testimoniorum dei delectatus fuit, ab eis in minimo non deflexit, Humilis corde & mitis fuit, in desertis locis habitauit,

Heb. 1. 1. Pet. 1. Hier. 50. Ezec. 34. Ezec. 37. Osea 3. Heb. 7. & 9. Heb. 5. 2. Reg 14. 2. Reg. 17.

habitauit,lachrymis assuetior,orationi instantior, iniuriæ immemor,doli nescius,misereri propensior,suos de-
2.Reg.2. fendit,captos liberauit,regnũ suũ dilatauit,belli finẽ,victoriã vbiq; regerebat,in pace requieuit,sepulchrũ quoque eius fuit gloriosum, optima præcepta Salomoni filio suo in fine vitæ dedit. In his figura & typus Christi fuit,& nobis exẽplum quod imitemur,dedit. Rursus,vt nemo dicat in abundantia suæ deuotionis, non moue-
Psal.29. bor in æternũ à iustitia: & se putet aliquid esse & posse
Galat. 6. sine dei ope.Ideo proponitur nobis in exemplũ, vt nos instanter in timore dei teneamus:alioqui citò subuertetur domus nostra.Vt qui stat,non altũ sapiat,sed videat ne cadat.Et si peccamus, sicut & sapiens septies cadit in
Hiere.4. die. Modũ verũ quo à mortuis resurgamus,& à diaboli laqueis resipiscamus, ac dignis pœnitentiæ fructibus à malitia lauemus corda nostra,in Dauid discimus & videmus.Sed non prosequor,gratia breuitatis.Et nos fratres
Gal. 3. filij Dauid sumus,si opera eius facimus. Filij Abraham,
Roma. 4. quia semen Abrahæ Christus est, in quo benedictæ sunt omnes gentes. Fuit & virgo Maria per generationis li-
Gal. 1. neam, & per virtutum eius imitationem, filia Abrahæ. Sed ex quo ipse est pater credentium, ideo operæpretium arbitror vt virtutes nonnullas in quibus eum sicut
Gen.12. filij charissimi debemus imitari perstringam. Ipse amicus dei,carni & sanguini non acquieuit, sed patrem & matrẽ perfecto odio odiuit,& reliquit, vt deum in quem credidit colere posset. Reliquit domum & omnia, & secutus est deum. In omnibus deo obediuit,peregrinus in terra aliena fuit,pericula horrenda sustinuit,victos & captos liberauit,signum circuncisionis accepit,innocue vixit,coram deo ambulauit,& perfectus in omni bono fuit. Et nos filij Abrahæ si esse volumus,opera Abrahæ faciamus,& fidem eius habeamus. Et tunc cum fideli Abraham benedicemur,& benedictionem hæreditate capiemus. Abraham genuit Isaac filium gratiæ & electionis, cum iam centum esset annorum de libera,Ismael hic tacetur,quia secundum carnem natus est, vixit secundum carnem,carnis opera fecit in cura & desideriis Sed & eũ qui secundum spiritum natus est & vixit,cum inuidia tabescente iter habens,persequebatur iniuste,vnde merito reprobatus fuit.Isaac autem ad nostram instructionẽ hic ponitur,quia fidei paternæ imitator, bonitatis æmulator

Jator, operum eius operator & benedictionis hæres fuit. Hæc parabola siue similitudo temporis est præsentis. Quot sunt in ecclesia & religionibus, qui in patribus suis, imo in Christo gloriantur, sicut Iudæi perfidi in Abraham & Moyse? At sicut Iudæorum impiorum gloriatio & spes, qui Abrahæ opera non fecerunt, & Moysi nō crediderunt, exclusa & vana est, sic etiam qui non ambulant sicut Christus & sancti eius ambulauerunt, frustra in Christo & patribus gloriantur. Sic Apostolus imitabatur Christum, ideo recte gloriabatur in Christo Iesu & deo, cuius voluntatē fecit. Hic sufficiat aparuisse fenestrā & præstruxisse viā. Filij lucis & gratiæ, vestigia patrū suorū sequuntur, ab eis neq; ad dexterā neq; ad sinistrā deflectunt. Sic Rechabitæ laudem & benedictionem à deo acceperunt, quia patris sui præcepta tenuerunt. Asa rex, Iosaphat, Ezechias & Iosias laudibus efferuntur maximis, quòd in viis patris sui Dauid ambulauerunt. Et cōtra, multi reges Iuda arguuntur quod in viis Dauid non ambulauerunt, & omnes reges Israel siue decem tribuū, reprobantur & damnantur, eo quod in viis Hieroboam siue Achab & aliorum profanorum ambulauerūt. Ideo non in multitudine, sed in bonitate filiorum & prolium est gaudendum. Melior enim est vnus filius timens deū, quàm mille filij impij. Ismahelitæ, sunt semen nequam, filij scelerati. Isaac sunt filij regni, filij dei & lucis, generatio rectorum quæ benedicitur. Hic vtrorumque opera prosequi oportet. Hic boni parentes attendant, quòd non est nouum quòd aliqui filij eorum degenerant, in arcum prauum conuertuntur, documenta salutaria contemnunt, maculam ponunt in gloriam eorum. Sic Cain in domo Adā, Chā in domo Noe, Ismahel in domo Abrahæ, Esau in Isaac, Absalon et Ammon in domo Dauid, Iudas filius sceleratus et diabolus est in schola Christi etc. In hoc manifesti sunt filij dei, lucis, et sanctorum, nempe in fructibus bonis, et filij diaboli in malis. Isaac genuit Iacob patrem duodecim patriarcharū, et profanum Esau. Illum deus dilexit, hunc odio habuit. Ille deū timuit, ab omni via mala pedes suos prohibuit, in omni opere bono fructificauit, parentibus morigerus fuit, vir simplex vt columba, in diem vixit, in tabernaculis habitauit. Iste nec deū timuit, nec hoīes reuerebatur, parentes contristauit, fratri mortē intētauit,

Heb. 9. Roma. 4. Hiere. 35. Esaie 1. Psal. 111. Gene. 4. Gen. 9. Gene. 19. Gene. 25. 1. Reg. 15 Gene. 25. Rom. 9.

venationibus intentus fuit, primogenita sua pro nihilo habuit & vendidit vilissima pro mercede. Ad finē propero. Iacob Iudam genuit & fratres eius xij. patriarchas, quorum gesta tum bona tum mala, in Genesi sunt digesta. Multos data opera transeo. Iesse genuit Dauid regē, quem nō stemma proauorū, sed gratia dei & virtus propria fecerunt nobilē & præclarum. Facinora eius præclara partim superius retulimus. Discamus ab eo peccata nostra non excusare & confiteri. Non irasci iustis cum nos corripiunt in misericordia, sed diligere, & morē gerere salutaribus eorum institutis. Discamus dolore cor cōtritum & humiliatū deo offerre, lachrymis stratū rigare, cinerē tanquam panem manducare, poculū nostrū cum fletu miscere, custodire vias duras, orare sine intermissione. in psalmis, hymnis, & canticis deum promereri. Quicquid mali patimur boni cōsulere, patiēter sufferre, peccatis deputare, longanimiter consolationē dei expectare. Discamus item, vt impios quos operando iniquitatem scandalizamus, bonis exemplis, & operibus conuertamus, vt salui fiant. Discant parentes eius exemplo per bonos didascalos, & pios, proles suas in pietatis doctrina & disciplina domini institui, atque eos sanis sermonibus & sanctis exemplis, ad obseruātiam omnium quæ Christus nobis præcepit, exhortentur & prouocent. Discant & vitā suam finire in bono & in pace. Dauid vir secundū cor dei, genuit Salomonem. Discāt hic, quòd coram deo non parentū infamia vel peccata, sed mala propria quæ fecimus nobis obsunt. Salomoni non vertitur vitio, vel patris adulterium vel matris, quo minus regnet post patrē. Ipse ad regni solium propter suam sapientiam & eximias virtutes sublimatus est, aliis filiis Dauid in sorte sua dimissis. Hic videmus quòd natura omnes filios Dauid, sicut & omnes homines, pares generat. Sed aut vitæ meritum, aut vitiorum corruptio alterū alteri præfert. Vbi ergo vitiū rectorem damnat, quomodo alterius labem purgat? Aut qui seipsum regere iuxta dei voluntatem aut nescit aut recusat, quomodo alios dirigere potest in viam euangelij pacis & salutis æternæ? Discant potestate præditi sapientiam à deo veram petere (non potentiam, non inimicorum vel mortem) per quam iuste subditos suos secundum deum possint regere, & ad regnum perpetuum cum eis peruenire. Ad calcem propero.

Gene 25. 2. Reg. 11 Psal. 31. Ephe. 5.

pero. Salomon omnium ſapientiſſimus qui templum dei ædificauit,& amabilis domini dictus eſt. Hic genuit Roboam,gentis ſtultitiam, qui in ſtultitia ſua populũ perdidit. Hic ſtetit in loco eius,homo certe viliſſimus & indignus,honore regio: Sed dignũ patella operculum. Nam cum Salomon in ſenectute ſtultus apparuit, impie egit, fœminis femora ſua inclinauit, maculã in gloriam ſuam poſuit,ſtulte vtique egit. Adeo quòd diceret de ſeipſo, ſtultiſſimus ſum virorum, & ſtultitiæ ſuæ hunc filiũ poſt ſe reliquit hæredem. Horror eſt comminiſci, quomodo mutabile vulgus ſub eo ad idololatriam defluxit. Roboã genuit Abiam qui ei ſimilis fuit: Hic genuit Aſa. Aſa ex Abia quaſi roſa rubens & fragrans de ſpina ortus eſt, hic bonitatis æmulator extitit, lucos demolitus eſt: & matrem impiam à nefandis Priapi cultibus amouit,nefas ducens, parentibus deferre cõtra ſanctiſſimas dei leges. At heu in ſenectute deum dereliquit vt Salomon,& fine malo bonam vitam finiuit. Et hic finis ſit ſermonis vitandi tædij gratia. Nã facile eſt cæteros reges qui maxima ex parte impij idololatræ fuerunt, ex libris regum adſcribere cum impietatibus ſuis. Verùm & hoc ſpem nobis obtinendæ miſericordiæ præſtat, ſi relicta malitia reuertimur ad deum in toto corde noſtro. Quoniam qui etiam ex malis parentibus naſci dignatus eſt, peccatores non abiicit,ſed benigne ſuſcipit,cum ad eum reuertuntur. Soli deo laus & gloria.

Eccle.74. Prou.30.

DE SANCTO MATTHAEO APOSTOLO ET EVANGElista, Sermo vnus.

EXIENS Ieſus vidit hominem ſedentem in teloneo. Clara eſt quæ nunquam marceſſit ſapientia. Præoccupat eos qui eam cõcupiſcunt, et illis ſe prior oſtendit, ſed & dignos ſeipſa circuit quærens, & in viis ſuis quæ ſunt præcepta & euangelij conſilia,oſtendit ſe illis hilariter,& in omni prouidentia occurrit illis, vt eos ab hoſtibus eripiat, vincula peccatorum quibus constricti erant ad voluntatem diaboli faciendã,dirumpat. Vt eos amplexetur cum filio prodigo, & virtutum indumentis, ſtola gloriæ,confeſſione peccatorum, ornamento iuſtitiæ, lumine ſanctitatis adornet. Vt in fide eos ſibi de- Sapien.6.

ſponſet. Vt eos calceos exemplū præcedentiū ſanctorū induat,& parati ſint ad ambulandum in lege domini. Vt eorū intueantur exitū & conuerſationis eorū fidē imitentur.Sic igitur electio,prædeſtinatio, iuſtificatio,magnificatio,& glorificatio hominis, non eſt ex nobis, ſed dei donū gratuitū eſt,ne quis glorietur.Nemo igitur dicat,promerui,& ideo accepi. Non putes te promerendo accepiſſe.Gratia præceſſit meritum tuum,alioqui gratia nō eſſet gratia. Hoc tamē de prima gratia accipiendum eſt,quæ præueniens peculiari nomine à ſanctis vocatur.
Pſalm.58 De qua ſcriptum eſt:Miſericordia eius præueniet me. Et
Pſal. 20. iterū:Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis:Nā
Ioan. 15. ſine gratia iſta,nihil boni quod deo placeat poſſumus facere: Imo,non ſumus ſufficentes aliquid boni cogitare. Non gratia ex merito,ſed meritū ex gratia:nam ſi gratiam ex merito emiſti,nō gratis accepiſti. Omnia igitur
Ephe.2. merita præcedit gratia.Ne quis glorietur in ſe & ſua iuſtitia, quaſi ex ſe & non ex dei gratia orta & accepta. Sed ne errore deceptus arbitreris cum Lutheranis, bona opera ex charitate in gratia facta inania eſſe apud
2.Cor.13 deum,ait Apoſtolus: Ipſius enim factura in eſſe naturæ
1.Tim.4. ſumus,creati in Chriſto Ieſu in eſſe gratiæ.Non vt negli
Phil. 2. gamus gratiam dei quam accepimus & habemus.Neque vt eam in vacuum recipiamus, aut ei deeſſe debeamus, ſed multo magis vt cum ea ſalutē noſtrā operemur cum metu & tremore, in omnibus operibus bonis fructificādo,quæ præparauit deus vt in illis ambulemus,vt per ea
Col. 1. luceamus coram hominibus ad gloriam Dei patris:vt in
Rom.9. eis diuites in deo & in omni gratia fiamus. Vt per ea certam noſtrā vocationem & electionē faciamus, vt per
Matt. 5. ea teſtimoniū bonum habeamus.Non eſt ergo currētis
2 Pet. 1. neque volentis ſalus noſtra, ſed principaliter & origina-
Sap.11. liter dei miſerentis:Qui miſeretur omniū quæ ſunt,quia omnia poteſt,& diſſimulat peccata hominū propter pœ-
2. Pet.3. nitentiā Hinc vertex ait Apoſtolorum:Non tardat deus promiſſionem ſuam ſicut quidam exiſtimant, fallentes ſemetipſos. Et ideo à iudiciis dei non timent, addentes præuaricationes, & ſine omni timore perpetrant mala. Sed patienter expectat & agit, iudiciū & vindictā differendo propter nos,nolens aliquos perire, ſed omnes ad
Rom.2. pœnitētiā reuerti.At multi heu diuitias bonitatis & patiētiæ & longanimitatis eius cōtemnunt. Ignorantes & ſcire

ſcire nolentes, quòd benignitas dei ad pœnitentiam ad-
ducit.Ideo ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens,
theſaurizant ſibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iu-
dicij dei, quando reddet vnicuique ſecũdum opera eius.
In hoc manifeſti ſunt filij dei & filij diaboli,vaſa electio-
nis,miſericordiæ,& vaſa contumeliæ, iræ & reprobatio-
nis.Illi enim audientes vocem & verbũ dei gaudẽt, ver-
bum dei glorificant,relicta malitia in deum credunt,in-
grediuntur ſine macula & operantur iuſtitiam, deo ad-
hærent, Chriſtum quocunque ierit ſequuntur. Hi verò
ſermones dei retrorſum proiiciunt,contradicunt ſermo- 2.Ioan.5.
nibus veritatis,fit illis in opprobrium,diſplicet eis. Deo
dicunt,ſcientiam viarum tuarum nolumus. Hæc autẽ in
euangelio hodierno nobis differentia, nempe electorũ
& reproborũ,proponitur manifeſte.Cum dicitur. *Exiens
Ieſus*,de ciuitate in ciuitatem,de loco ad locũ.Iuxta illud *Act.* 10.
diui Petri teſtimonium:deus vnxit Chriſtum ſpirituſan-
cto & virtute,& pertranſiit benefaciendo & ſanãdo om-
nes oppreſſos diabolo.Exiuit inquam ſeminando ſemen *Marc.* 1.
ſuum,quod eſt verbum Dei. Sic teſte Eſaia,ſpiritus Do- *Eſa.*61.
mini ſuper eum requieuit,& eum oleo lætitiæ præ parti-
cipibus ſuis vnxit. Euangelizare eum pauperibus miſit,
ſanare contritos ſiue vulneratos corde. Nam qui peccat *Luc.* 4.
in deum, lædit animam ſuam.Prædicare captiuis in pec- *Prou.*5.
catis,iuxta illud:Iniquitates ſuæ capiunt impium, & fu-
nibus peccatorum ſuorum conſtringitur, remiſſionem,
cæcis,id eſt,infidelibus,ignorãtibus, ſiue quos excæcauit
ſua malitia ſiue auaritia,ſiue mundana ſapientia,ſiue ar-
dor luxuriæ,vt patet in Sodomitis,viſum , hoc eſt verãm *Sapien.*2.
dei & ſui cognitionẽ per fidem.Et dimittere in pace con *Gen.* 19.
fractos,onere legis importabili preſſos, in remiſſionem,
per gratiam & in quam poſiti ſumus per Chriſtũ,& vin-
dicati in euangelicam libertatem. Prædicare annũ do-
mini acceptum , & diem retributionis vnicuique ſecun-
dum opera ſua. Exiuit ergo Ieſus vt quæreret & ſaluum *Luc.*19.
faceret quod perierat,*vidit*,oculo clementiæ, pietatis &
miſericordiæ,quomodo Petrum vidit in prætorio,Latro
nem in crucis patibulo, Magdalenam in conuiuio.Vidit *Mat.* 26.
dominus humilitatem eorum & laborem quem in pec- *Luc.*23.
catis habuerunt,& dimiſit omnia peccata eorum. Hinc
Pſalmiſta ait:Aſpice in me & miſerere mei, ſecundũ iu- *Pſal.*14.
dicium diligentium nomen tuum, *hominem*,graui corde,

Psal. 118 diligentem vanitatem & quærentem mandacium. Hominem inquam vanum, vanitati similem, cuius dies velut vmbra præterierũt. Nam vniuersa vanitas omnis ho-
Psalm. 8. mo viuens. Vidit inquam Iesus hominem qui in hanc vsque horam nõ posuit deum adiutorem suum, nec sperauit in deo salutari suo, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua. Putauit au-
Iob 31. rum robur suum, & obriso dixit: fiducia mea. Vidit homi-
Abac. 1. nem de terra plasmatum, terrena, caduca, vana affectan-
1. Tim. 6. tem, densum contra se lutum congregãtem: Cupiditate,
1. Tim. 6. quæ radix est omnium malorum, æstuantem, diuitias sitientem, ac per hoc in tentationes & in laqueos diaboli & desideria multa & inutilia & nociua quæ mergũt homines in interitum & perditionem, lapsum, multis item
Luc. 8. doloribus implicatum. Nam falsæ diuitiæ vel huius mundi, vt eas dominus appellat in euangelio, sollicitudinem milléque pericula habent in acquirendo, timorẽ in possidendo, dolorem in amittendo, extremam egestatem post huius vitæ momẽtaneam, breuẽ & mœroribus plenam possessionem & fruitionem. Nihil enim inueniunt post vitæ huius tempus incertum, omnes diuitiarum viri
1. Tim. 6. in manibus suis. Relinquit alienis diuitias suas. Nam si-
Luc. 16. cut in hunc mundum nihil intulimus, sic dubio procul nihil nobiscum auferemus. Sic ille nec aquæ guttam ha-
Iob. 20. buit, qui copiis auri & argenti in delitiis quotidianis affluere solebat. Hinc beatus Iob ait: Cum diues saciatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet in eum. Vel hominem appellat eum, id est, hominem vidisse Iesum dicit, perinde ac homo prius nõ fuerit, nec hominis aliquid habuerit & fecerit quicquã, priusquã à Domino Iesu respectus fuisset. Homo siquidem animal rationale diffinitur. Rationale vero id esse comprobatur quod ratione vtitur, quod rationis quæ ad optima quæque de-
Eccle. 8. precatur, iudicium & ductum sequitur & facit. Per so-
Rom. 13. lam rationem homo ab aliis bestiis secernitur, quam si non sequitur, bestiis similis, imo peior omni bestia comprobatur. Sic ostendit deus filios hominum similes esse
Gen. 6. bestiis. Et nihil habet homo (carnis curam in desideriis faciens, ventri seruiẽs, pronitati sensuum cogitationúmque quæ ad mala ab incunabilis propensa sunt obtemperans) iumento amplius. Imo peior est omni bestia. Nam bestiæ vno aliquo vitio obnoxiæ sunt, homo autem

autē malus omnibus ſceleribus eſt plenus. Ac plura ma la facit homo malus quàm beſtia vlla. & Pſalmiſta ait: Homo cum in honore eſſet, non intellexit, ideo comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. *Pſal. 48.* Peius autem eſt comparari quàm naſci. Siquidem natu raliter carere ratione tolerabile eſt, cum id habeat ordo naturæ. Hominē vero ratione decoratum (quæ iuxta diuum Aurelium, eſt oculus mentis, bonum malúmque diſcernens, & virtutes eligit, deum diligit, odit malum & omnem viam iniquitatis) irrationali naturæ comparari, voluntatis peruerſæ crimen eſt vltricibus gehennæ flāmis vindicandum. *Pſal. 118* Hinc ſacer ait Boëtius: Quare cōuerſi in malitiam, humanam quoq; amiſere naturam. *4. de conſolatione.* Euenit ergo vt quem transformatum vitiis videas, hominē æſtimare non poſſis. Auaritia feruet alienarum opum feruens raptor, lupum appelles rapacem, ferax atq; inquietus linguam litigiis exercet, canem voce latrantem. Inſidiator occultus ſurripuiſſe fraudibus gaudet, vulpis doloſa eſt cenſendus. Et id genus multa alia tibi Boëtius recenſet, quæ tranſeo gratia breuitatis. Similiter & Chryſoſtomus ſuper Matthæum: Quando vt aſinus calcitras, *Homi. 4.* vt taurus ſuperbis, quando in epulis vrſorum imitaris voratum, & pinguedine corpus burdorum more diſtendis: cùm malitia camelum, lupum imiteris rapina, cū iraſcaris vt ſerpens, noceas vt dipſas, inficias vt ceraſtes, venena effundas vt ſcorpius, percutias vt vipera, inſidieris vt coluber, cum ſis vulpe fraudulentior, anguilla magis lubricus, lepore timidior, equo laſciuior, teſtudine tardior, glire ſomnolentior, ſiue immundior, aſello ſtolidior, hydris inimicior, hirundine bibatior, ſimiis adulātior: Imo: cū inſtar diaboli ipſe cōtra fratres crudelia bella ſuſcipias, quonam vnquā modo, qua ratione, in hominum te poſſum numero collocare, nulla in te cernens humanæ ſigna naturæ? Hinc eſt quod tā appoſite ſacra ſcriptura ſceleratos quoſq; ferarū beſtiarūq; nominibus appellat. Sic vt ex multis paucos cōmemorē: Iudas, leo: Iſachar, aſinus fortis: Dā, coluber in via, ceraſtes in ſemita. Neph thalim, ceruus: Bēiamin, lupus rapax: *Gene. 49.* Obſtinati Iudęi, ſerpētes & genimina viperarū: Hæretici, lupi rapaces, vulpes vineā dñi demoliētes: Apri itē de ſilua & ſingulares feræ vocātur. Canes item impudētiſſimos vocat ſcriptura edones & bibones. Sed quid de beſtiis multis moror,

 quando

Ioan.6. quando diabolũ vocauit Christus Iudã,& diuum Petrũ,
Mat. 16. non secundũ scientiam zelantẽ pro Christo,vocauit Satanã. Sic Elimã magum,filiũ diaboli nominat tuba euãgelij Paulus. Et adsertor noster piissimus,filios diaboli dicit Iudæos,opera & desideria patris sui diaboli facietes.
Act.13.
Ad scopũ autem reuertendo, Matthæus iam homo dicitur,perinde ac à bestiarũ natura facta manu domini super se iterũ ad suam mentẽ,rationis vsum,viteq; euangelicæ perfectionẽ reductus est ac reformatus. Hæc mutatio dexteræ excelsi. Vidit ergo hominem de errore ad viã rectam reductũ, & ad omnia dei beneplacita absoluenda paratũ. Sed vidit hominẽ istum *sedentẽ* ociose,nihil boni operantem, vana securitate torpentẽ. Sedebat
Heb.11. manducare & bibere sicut populus exasperans in deserto,& diuitũ more forsitan animã suam,nihil prohibuit,
Eccles.2.
quin omni voluptate,quoad eius sibi possibile fuit,frueretur. Sedebat,non stabat in fide,nec in iustitia, nõ stabat indutus armaturam dei,fortis contra omnes insidias inimicorũ & diaboli. Non eis restitit,sed diuitiis augendis dans operã,cupiditatis vinculis ferreis ab eis tenebatur constrictus. Sedebat,manus remissas & soluta genua
Heb.12.
non erexit,rectos gressus pedibus suis non fecit,non laborat vt bonus miles Iesu Christi,non iuit de virtute in virtutẽ,nõ ambulauit in lege domini,viã mandatorũ dei non currebat. Sed deerat gratiæ dei,& salutem suam neglexit operari. Nec minus periculi in eo est quod sequitur. Nam sedebat *in teloneo*. Ecce locus terræ desertæ ab omni cultura dei, horroris,pie in Christo viuere anhe-
Luca 19. lantibus,& vastæ solitudinis. In quo qui inhabitant,aut sedent aut ambulant,latronũ insidiis sunt semper expositi. Atq; in eos incindunt,ab eis vulnerantur, omnibus bonis spoliantur,capiuntur,incarcerantur. Nã quãuis lachrymas ibi forsitã aliqui effundunt, neminẽ tamen ibi
Eccl.4. consolatorem,adiutorem & defensorem inueniunt. Nec latronum ibi possunt violentiæ resistere, quia cunctorũ sunt auxilio destituti. Væ ergo soli. Teloneum est sedes
Mat.1. Satanæ & spoliũ iniquitatis. Locus aridus & inaquosus, per quem diabolus ambulat,et quã quærit requiem inuenit in eo. Sed quid de teloneo longũ sermonẽ texo, cũ his malis diebus et tẽpore periculoso oẽs potestates prædití,omnes in officiis cõstituti,in eadẽ sint dãnatio-
Philip. 2. ne? Quæ sua sunt iã oẽs quærunt, nõ quæ Iesu Christi.

Principes

Principes nostri heu sunt infideles & socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Moyses Esa. 2.
talis non erat, nec Samuel, nec apostolus Paulus. Caete Psal. 14.
ri autẽ munera super innocentes accipiunt, & peruertũt
semitas iudicij. Iustificant impios pro muneribus, & iu- Esa. 5.
stitiã iusti auferunt ab eo. Condunt leges iniquas, & scri
bentes iniustitias scribunt, vt opprimant pauperes in iu- Esai. 10.
dicio, & vim faciunt causae humilium, & viduae & pupilli
sunt praeda eorũ. Ideo sunt maledicti, vt in Deut. domi- Ezech. 22
nus dicit. Et Ezechiel ait: Principes eius in medio eius,
quasi lupi rapientes praedã &c. A minore quippe vsq; ad
maiorem omnes auaritiae student (quae radix est omniũ 1. Tim. 6.
malorũ,) & quod dolendũ est, à propheta vsq; ad sacer
dotẽ, cuncti faciunt dolum. Omnes in viã suam declina- Esa. 56.
uerunt, vnusquisq; ad auaritiã suam à summo vsq; ad no
uissimum. Venite, mutuo se exhortãdo dicunt, sumamus
vinũ, impleamur ebrietate &c. Sicut nouacula acuta fa- Sap. 16.
ciunt dolũ. Lusum aestimant vitã nostram, & conuersa-
tionẽ vitae compositã ad lucrum, & oportere vndecunq; Esa. 1.
& ex malo acquirere. Sic à planta pedis vsq; ad verticẽ
capitis in corpore & mẽbris ecclesiae, nulla est sanitas.
Sequitur *Matthaeum*. Marcus & Lucas dicunt: *Leui nomine*. Matthaeus donatus: Leui, additus vel assumptus interpretatur. Donatus quia de plenitudine gratiae Christi
magno est gratiae munere ditatus, & vbi prius delictum Rom. 5.
abundauit, iã & gratia dei exuberans abundat. Leui au- 2. Cor. 1.
tem, quia pater misericordiarum, & omnis consolationis
deus, sicut elegit eũ & praeelegit ante mundi cõstitutionẽ, sic in plenitudine temporis eum assumpsit de aquis
peccatorũ, & extraxit eum de aquis populorũ. Siue de
aquis luxuriae, auaritiae, societatis prauae, siue persecutorũ, quae alluuione sua etiam altas domos subuertunt, su
per arenã fundatas. Et dicuntur aquae multae, quia mul- Psal. 33.
tae tribulationes iustorum. Sed & eum senatui apostolorum, principibus terrae, iudicibus seculi, amicis suis secretissimis addidit. Ipse humiliter sentiendo de seipso nominat se Matthaeum publicanum, vt nemo de salute sua Mat. 10.
& benigna dei misericordia desperet. Ac si diceret cum
euangelij tuba, Superabundauit gratia domini nostri Ie 1. Tim. 1.
su Christi in me cum fide & dilectione. Ipse enim venit
in hunc mundũ peccatores saluos facere, quorũ primus
ego sum. Sed in eo misericordiam consecutus sum, vt in

me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiã, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitã æternam. Alij verò euangelistæ deferentes gratiæ dei & officio apostolatus ad quod gratuita bonitate eũ Christus elegit, fauorabili & digno functioni apostolici culminis nomine, Leui videlicet eũ appellãt. Et appositè no-
Ioan. 10. men eius hîc exprimitur: Quia Christus eũ ex nomine
Philip. 4. nouit, & de quibus suis fuit, quas vocat nominatim. Et quia nomẽ eius erat scriptũ in libro vitæ, hinc Apostolus ipse dixit: Gaudete quia nomina vestra scripta sunt
Luca 10. in cœlis. Hinc de reprobis Psalmista ait: Deleãtur de li-
Psal. 68. bro viuentiũ, & cũ iustis nõ scribantur. Ex hoc loco salutare documentũ hoc accipimus, quod ipsi semper debemus viliores fieri nobis quàm fuimus, & plus humiles esse in oculis nostris. Vt cũ profectu gratiæ, vitæ & meritorũ, ipsa quoq; augeatur in nobis humilitas vera. Sed
1. *Reg.* 26 & humilia de nobis loqui debemus. Sic Dauid canẽ mortuũ se vocat & pulicẽ. Sic Apost. appellat se abortiuum,
1. *Cor.* 15. ecclesiæ persecutorẽ, blasphemũ, minimũ apostolorũ, &
1. *Tim.* 1. et qui nõ sit dignus apostolus vocari, nouissimũ vel minimũ sanctorũ. Nos tamen honorabili sermone proxi-
Ephes. 3. mos debemus adoriri et cõpellare, atq; honore inuicem
Philip. 3. præuenire. Nec nõ ex humilitate nos superiores inuicẽ arbitrari ac deo acceptiores. *Et dixit illi:* Vita videlicet, verbũ vitæ æternæ. Quod qui audit, et si mortuus est in delictis et peccatis suis, viuit, et habet vitã æternã. Dixit
Ioan. 5. illi lux mũdi, qui et illuminauit abscondita tenebrarum cordis eius, fecitq; de tenebrarũ filio filiũ lucis et Dei. Fuistis aliquãdo tenebræ, nũc autẽ lux in Domino, vt filij lucis ambulate: Verbũ enim Domini, lux est. Iuxta illud: Mandatũ lucerna est, et lux. Et sicut verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorũ, sic cœli apostoli, qui enarrauerunt gloriã Dei, verbo verbi, sapientia sapientię, lumine luminis, facti sunt in intellectu: Et ex spirituſancto omnis eorum ornatus in
Iob 28. gratia, in virtutibus et operibus bonis. Spiritus eius, ait
Psal. 8. Iob, ornauit cœlos. Dauid ait: Videbo cœlos tuos, opera manuum tuarum, lunam et stellas quę tu fundasti. Nec verbũ hoc inane quod fuit, quale ego et tu nonnunquã
Psal. 67. proferimus in vẽtum. Sermo iste potestate plenus fuit. Dedit voci suę vocẽ virtutis, ipse virtus et sapiẽtia patris Christ' Iesus. Ideo vox illa cor eius emolliuit, et fiebat

sicut

ſicut terra liquescens, quod prius adamante & lapide durius erat. Et dixit anima mea liquefacta eſt, vt dilectus meus locutus eſt. In verbo iſto gratiæ manus domini facta eſt ſuper eum, & in virum alterum eſt mutatus. Verba mea ait dominus, ſunt quaſi ignis, quia infrigidata corda per malitiam in amore dei accendunt, inflammant & æſtuare faciunt, vt de diſcipulis Emaus oppidum contendentibus Lucas euangeliſta refert. Ignitum eloquium tuum vehementer ait vir ſecundũ cor dei. Et ſermo meus quaſi malleus conterens petras, hoc eſt, eos qui facies ſuas indurauerunt ſupra petram. Et eã poſuerunt vt adamantem. Locutus proinde eſt ad cor eius, ſed quid dixit illi *Sequere me.* Hoc eſt verbum abbreuiatum & conſummans quod dominus fecit ſuper terram. Breue in literis & ſyllabis, ſed longum & plenum in ſententia, & omnem gratiæ virtutum vitæq; perfectionem cõplectens. Sequere me: Ambula ſicut ego ambulo, imitare deum ſicut filius chariſſimus & ambula in dilectione. Veſtigia mea ſequatur pes tuus, vias meas cuſtodi, & non declines ex eis. A mandatis labiorum meorum ne recedas. Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem & perſequere eam. Quę beneplacita ſunt patri meo, meo exẽplo fac ſemper. Cibus tuus ſit (quo animam tuam ne moriatur paſcas, vel quo male habentem ad ſanitatem reuoces, vel mortuam ad vitam deo dignam reſuſcites,) facere voluntatem patris mei qui miſit me. Sequere me, non diabolum, eius ſuggeſtionibus conſentiendo, deſideria eius & opera (quæ peccata ſunt) adimplendo. Noli item ſequi prauorum exempla, & noli ęmulari vt maligneris, nec videndo furem curras cum eo, neque cum adulteris portionẽ tuam ponas. Ne cęcos duces ſequendo cum eis cadas in foueam damnationis æternæ. Sed me ſequere, ſicut filius obediens ſuum patrem, ſicut ſeruus fidelis ſuum dominum, ſicut ſponſa ſuum ſponſum, ſicut ouis ſuum paſtorem, ſicut miles bonus ſuum regem & ducẽm. Sicut liberatus ſuum redemptorem, ſicut diſcipulus docilis ſuũ magiſtrum ſiue doctorem, ſicut pupillus & orphanus ſuum tutorem, ſicut cæcus ſuum in viis vitæ ductorem, ſicut infirmus ſuum medicum, ſicut egenus & inops, liberaliſſimum bonorum ſuorũ diſtributorem, ſicut inermis ſuum fortiſſimum inſultibus propugnatorem. Ego enim ſum pater tuus, qui poſſideo te, & feci te & creaui te. Ego ſum

Hier. 1[illegible] *Luca 24* *Hier. 20.* *Eſa. 10.* *Ioan. 2.* *Ephe. 5.* *Pſal. 1[illegible]* *Ioan. [illegible]* *Mat. 16.* *Deut. 32.*

ſum dominus dominantium,& dominus vniuerſæ terræ. Ego ſum pater qui amo filios meos & hæreditatem regni cœleſtis tribuo illis. Ego ſeruos meos ſuper omnia bona mea conſtituo, & tranſiens eis miniſtro. Ego ſum ſponſus ſanguinum.Ego ſum paſtor bonus, & vos oues paſcuæ meæ.Ego ſum rex regum,princeps regum terræ,
Ioan.12. dux & præceptor gentium.Ideo qui ſequitur me nõ ambulat in tenebris peccatorum , infidelitatis vel obſtinationis,ſed habet lumen gratiæ fidei,et verbi dei. Ego redemi Irael ex omnibus iniquitatibus ſuis,et de poteſtate tenebrarum.Ego ſum magiſter bonus et verax , viam dei in veritate docens et vtilia. Ego ſum pater orphanorum,et pupillos et viduas in meam protectionem ſuſcipio.Ego ſum lux mundi,lumen oculorum,via vitæ,et ductor in vaſta ſolitudine huius mundi. Ego ſum medicus, omnes et corporis et animæ infirmitates ſanans imploratus.Ego do omnibus afluenter,aperio manum meam,
1.Cor.10 et impleo omne animal mea benedictione.Ego ſum propugnator ad ſalutem, et neminem tẽtari permitto ſupra id quod poteſt.Manus mea me ſequentes auxiliatur , et brachium meũ eos confortat ſiue confirmat in omni opere et ſermone bono.Ideo nihil proficit inimicus in eis et filius iniquitatis non apponet nocere eis. Non dicit,
Iob 7. non tentabit,quia tentatio ſiue militia eſt vita hominis ſuper terram,et iugis cum hoſte vigili pugna. At diligentibus deum et Chriſtum ſequẽtibus,omnia cooperantur in bonũ.Sequere me affectu cordis,profectu gratiæ, o-
Ioan.6. peratione bonitatis.Vox iſta tractus eſt patris,quẽ Matthæus ſequens venit ad Chriſtum. Clamor eſt et vox
Prou.1. ſapientiæ æternæ et pulſus ad ianuam cordis. vocem hanc Matthæus obtẽperando audiuit,et ſurrexit à ſomno ocij et à morte peccati,atque aperuit cordis ſui oſtiũ dilecto.Nec non oſtij ſui peſſulum amouit.i.liberi arbitrij ſui diſſenſum,et omne gratiæ dei et ſalutis obſtaculum amouit,à ſe excluſit,abdicauit, reliquit.Eſt et oblatio gratiæ ſpiritus ſancti,vocatio ad cœnã agni, cõductio in vineã,inuitatio ad nuptias regis magni.Vide obſecro in vocatione Matthęi,diuitias gratię et bonitatis Chriſti In exeundo et trãſeundo laborẽ ſedulitatis,quod eſt fortitudinis inſigne. Pauper enim fuit,et in laboribus à iu-
Pſal. 87. uentute ſua.Nos eum laborare fecimus,ſiue laborem ei prebuimus in iniquitatibus noſtris,et ſeruire eũ fecimus

in

in peccatis nostris.In visu dignationem bonitatis & charitatis gratuitam præuentionem.Ipse enim prior dilexit nos, & cum adhuc secundum tempus inimici eius essemus.Nā in charitate perpetua dilexit nos, Ideo attraxit Matthæum in vinculis charitatis, attraxit & misertus illius.Et verum modum placendi deo vno verbo expressit dicens: Sequere me. quod est sapientiæ æternę beneficium.O potentiam,o bonitatem,o sapientiam,o viscera miserationis,o abyssus pietatis dei nostri.Merito sine vlla miseratione pereunt qui maiestatis diuinæ potentiam non expauescunt,qui diuitias bonitatis cōtemnunt, qui sapientiæ patris consilia & documenta aspernantur. Hier.31.

SERMO SECVNDVS DE SANCTO MATTHAEO APOSTOLO.

IAM videamus quomodo Matthæus, factor verbi factus est,non auditor obliuiosus tantum,fallendo semetipsum. Videamus quomodo audiuit verbum dei & custodiuit siue fecit illud, & ideo beatus. Videamus quomodo semen verbi dei in agrum bonum & optimum cordis eius cecidit, & illud retinuit, & fructum attulit plurimum qui permanet in vitam æternam in patientia.Videamus quomodo omnem nauabat operam,quòd volucres, id est, dæmones non tollebant illud, ne credendo & operando siue diligendo saluus fieret:ne item induraret cor suum instar petræ, & in tempore tentationis recederet à Christo.Omnem item curam subintulit,ne à curis,sollicitudinibus,diuitiis & vitæ voluptatib⁹ verbum dei in corde eius suffocaretur.Et ideo iam nobis Matt.apostolus cū apostolo Paulo dicit:Imitatores mei estote sicut & ego Christi.Nec solū mei imitatores estote, sed & eorū qui ita ambulāt sicut habetis formā nostram.Cupimus enim vnūquemq; vestrum eandē ostentare sollicitudinē ad expletionem spei vsq; in finē, Quæ spes est certa expectatio futurę beatitudinis ex gratia dei & meritis proueniēs.Vt nō segnes efficiamini,verū imitatores eorū qui fide & patiētia hæreditarūt promissiones dei.Eorū & meum intuemini exitū,& cōuersationis nostræ fidē imitamini. Sequit̄ iā obediētia Matthæi multis adornata,comitata & fulta virtutibus.Et *surgens*. ecce promptitudi- Luca 11. Mat.13. 1. Cor.4. Philip.3. Heb.6.

prõptitudo. In auditu auris obediuit ei, mox enim vt christus dixit: sequere me, ille surrexit de peccato ad gratiã, de loco offensionis & teloneí, ad portũ salutis, de cupiditate omniũ malorũ radice, ad paupertatem spiritus cõfugiens & fundamentũ euangelicæ perfectionis. Surrexit de ocio ad laborẽ, & funes peccatorum quibus erat constrictus cõfregit. Surrexit à terra, hoc est, à terrenarũ rerũ affectione, à mundi negotiorũ occupatione. Et ideo
Philip. 3. quę prius ei lucra fuerũt, hęc iã detrimẽta despexit propter Christũ, ac velut stercora arbitrabatur propter eminentẽ scientiã Iesu Christi, in verbo isto sequere me, audi-
Psal. 1. tã. Surrexit ab bella domini bellãda, & legitime certãdũ, sicut bonus miles Iesu Christi. Surrexit, vt ambula-
1. Reg. 5. ret in lege domini. & curraт viam mandatorũ, qui hactenus in cathedra pestilẽtiæ sedit, & iacuit instar Dagõ in terra, terrenus, & animalis, nõ percipiens ea quæ sunt spiritus dei. Hęc enim ei stultitia hactenus fuerũt. Surrexit, & cordis sui ostiũ dilecto aperuit, vt dictũ est prius. *relictis omnibus*, vt Lucas habet. Ecce impedimentorũ salutis & sequelę Christi, exclusio, omnimoda abdicatio. Reliqt ergo omnia quæ habuit, reliquit & voluntatẽ habendi, &
Matt. 8. nudus nudũ, et pauper pauperem sequabatur crucifixũ, qui non habuit vbi caput suum reclinaret. Sic Petrus et Andreas, sic Iacobus et Ioannes relictis omnibus secuti
Matt. 4. sunt Christũ. Sic apostoli omnes, omnia reliquerunt et
Matt. 19. secuti sunt Christũ: Nempe, parentes, proles, fratres, sorores et agros. Sed parua sunt hæc. nisi homo reliquerit et abnegauerit semetipsum, et oderit animã suam in hoc
Luca 14. mundo, hoc est, vitam carnalẽ siue animalem, quæ Apo-
2. Cor. 8. stolo teste caro vocatur, dum dicit: Caro concupiscit ad-
Gal. 5. uersus spiritum. Tunc autem animã nostrã recte odimus, cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, sed eã
1. Cor. 9. cum vitiis et concupiscentiis suis crucifigimus, cum castigamus corpus nostrum et in seruitutem redigimus et
Rom. 8. spiritus et dei. Non sumus debitores carnis, vt secundum carnem viuamus, nam si secundum carnẽ vixerimus moriemur. Sic quę in delitiis vidua viuit mortua est, quãuis
1. Tim. 6. nomen habeat quod viuat, Si autẽ spiritu facta carnis et eius cõcupiscentias mortificamus, viuimus in fide filij dei
Gal. 8. Et sic nobis Christus viuere est, sic necesse est vt peccatis mortui simus et iustitię viuamus. Sic õn desideriis homi
1. Pet. 4. num, sed volũtate dei quod reliquũ est in carne tempus

 viuere

viuere debemus,et viuere secundum deum in spiritu. At quotusquisque obsecro est, qui sic relinquat et abneget semetipsum,vt totus ex Christo pẽdeat, vt in nulllo suũ beneplacitum,suã inclinationem, suum velle aut nolle, suum desiderium quærat, velit,optet, sequatur et faciat? Sed semper paratus sit et nõ sit turbatus vt custodiat mã data dei.Et nõ quod ipse vult cupit et desiderat,sed quod pater cœlestis vult quantumlibet durũ, graue et amarũ sit,faciat animo prospenso,Qui nõ quærat quæ sua sunt vel in minimo,sed quæ sunt Iesu Christi, et quæ sunt aliorum vt salui fiant. Sic abnegare semetipsum et tollere crucem suam hanc quotidie post Christũ,filiorum dei insigne est et gloria,et eorum qui apostolico more gloriantur in tribulationibus et cruce domini nostri Iesu Christi:Per quem illis mundus,et ipsi sunt mũdo crucifixi:Qui gaudent quod digni sunt pro nomine Iesu cõtumelias et scõmata pati.Nemo potest perfectam cordis pacem,spiritus libertatem possidere, nec quocunque agnus ierit eum sine impedimento sequi,nisi totaliter abnegauerit semetipsum Compediti sunt,ligati sunt funibus desideriorum fortissimis,omnes proprietarij & suiipsius amatores et mundi.Nõ est pax impiis,cor eorũ sicut mare feruens est, quod quiescere non potest,qui seipsos quęrũt.Quęrunt pacem vbi est turbatio,requiẽ vbi est inquietudo..Quærũt dulcedinẽ in amaritudine,gaudium in mœrore,in tenebris lumẽ,in morte vitã, in malitia bonitatẽ,cõsolationem in afflictione,in vanitate stabilitatẽ,in mendatio veritatem, Sed vanitas vanitatum et omnia vanitas, quod nõ est ex ipso et per ipsum et in ipso,et afflictio spiritus.Ideo finem dicendi pariter omnes audiamus. Relinque omnia, et inuenies omnia, et requiem opulentam dabit tibi dominus deus tuus semper et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua, id est,virtutes liberabit à corruptione vitiorum. Quantum das,tantũ accipis.Quantũ teipsum euacuas,tantũ gratię accipis,et non plus.Qualẽ te offers deo et quomodo te habes ad deum,taliter se habet deus ad te.Hæc tecũ reputa quam diligentissime,et cum ea impleueris, omnia intelliges.Manna absconditũ est,quod nemo scit nisi qui accipit. Non est hoc opus vnius diei, nec ludus aut lac paruulorum:perfectorum solidus cibus est, qui pro consuetudine exercitatos sensus habent ad discretionẽ boni

Psal.118 | 1.Cor.3. | Rom.5. | Act.5. | Esa.57 | Esa.58 | Heb.5.

& mali. Nec pusillo animo esse debet, nec desperare qui culmen hoc perfectionis necdum est assecutus: sed quæ retro sunt obliuiscatur, ad ea verò quæ ante sunt exten-
Phil. 2. dat seipsum ad destinatum, & prosequatur ad brauium supernæ vocationis dei in Christo Iesu. Sic facientibus benedictionem dat legislator, & eunt de virtute in virtutem
Psal. 83. donec deus deorum in Sion videatur. Da operam ne teipsum ames: & ad imperium dei & potestate præditorum pure sis resignatus, tunc deo places & tota vita tua in gaudio spiritus sancti & pace Christi que omnem sensum exuperat, transit. Habes proinde miles Christi multa ad relinquendum, quæ nisi mihi ex integro resignaueris, non acquiris quam desideras veram cordis pacem. Aspernare terrenam sapientiam, mundi amicitiam, humanam cõplacentiam, propriam voluntatẽ, carnis oblectamenta, futilẽ gloriã, perinde atq; stercus. & detrimentũ reputa, & tũc (quæ obliuioni ferme data est & corruit in plateis & stultitia reputatur) sapiẽtia vera & cœlestis dabitur tibi. Hanc multi stentoria voce & ore prædicãt, sed vita impugnant. Matthæus autem laudem habet ab euangelistis, maxime Luca, quòd omnia reliquit. Nec id solũ. Nã Socrates philosophus & multi alij diuitias reliquerunt, vt animum suũ citra omne impedimentũ ad mundanã sapientiam, quæ stultitia est apud deũ, transferrẽt. Et quantũlibet in ea profecerint, euanuerũt nihilominus in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes se sapientes esse, & alta sa-
Rom. 1. piẽtes, stulti facti sunt. Huius causa fuit, quia cum deum cognouissent ex creaturis, non sicut deum glorificauerunt aut gratias egerunt, nec quod electorum est insigne, secuti sunt Christum. Vnde sequitur de apostolo Matthæo, *secutus est eum*, sicut discipulus magistrum, infans matrem, seruus dominum, miles ducem, stella solem &c. Hoc philosophi non fecerunt, ideo cum sapientia sua vana & inflata reprobati sunt. Secutus autem est Christũ velociter, integraliter, stabiliter. Velociter, quia ad vnam vocem surgens secutus est eum. Nescit tarda molimina spiritussancti gratia. Non tardauit conuerti ad dominũ, nec distulit de die in diem. Sic multi cum coruo cras dicunt, & cum rustico donec amnis defluat expectant, donec improuisa mors venit, sicut aqua diluuij tẽ-
Horatius. pore, & perdit omnes. Qui non est hodie, cras minus

aptus

aptus erit.De his dicitur in Sopho.Vox cantantis in fe- *Soph.2.*
nestra, & coruus in superluminari. Hinc dominus eum *Mat 8.*
qui prius voluit sepelire patrem suum,& postea eum se-
qui,nō permisit,sed mox iussit vt sequeretur. Et hoc me-
ritò,nescimus enim quando dominus venturus sit, sero,
an gallicantu,an media nocte,an mane. Vt cum venerit
paratos nos inueniat.Hæc eum decepit cogitatio qui in
multos annos frumenta se accepisse æstimauit ad volu-
pe viuendum.At eadē nocte dæmones animam eius ra-
piebant ad tormenta inferni. Integraliter,quia omnia
quæ ei in via Dei impedimento esse poterant,reliquit.
Reliquit mundū & concupiscentias eius, reliquit sua &
suos & seipsum. Et obtulit deo corpus suū in hostiā vi- *Rom. 12.*
uentem,sanctā,deo placentē, rationabile obsequiū suū.
Nec conformauit se huic seculo,verùm reformauit se in
nouitate sensus sui, & probauit quæ esset voluntas dei
bona,beneplacens & perfecta.Mox deposuit veterē ho- *Ephes.4.*
minē,qui corrumpitur,secundū errores, iuxta pristinam *Colos.1.*
conuersationē,cum omnibus actibus suis, & induit no-
uum,qui secundū Deum creatur in iustitia & sanctitate
veritatis.Reliquit & deposuit mox omne pondus & cir- *Hebr. 12.*
cumstans peccatū,nempe,officiū,locum,socios,consue-
tudines,& id genus omnia alia impedimenta salutis, &
per patientiā currebat ad propositum ei certamen fidei,
aspiciendo in auctorē fidei & consummatorē Iesum,quē *Mat.7.*
sequebatur corde perfecto. Stabiliter,in finē vsq; per-
seuerando.Vnde nec vi ventorum, nec alluuione aqua-
rum, nec impetu pluuiarum domus mentis eius potuit
euerti,nam supra firmā petram erat ædificata.In charita- *Ephes.3.*
te Christi radicatus erat & fundatus, quæ fortis est vt *Cantic.8.*
mors,& dura sicut infernus. Vnde aquæ multæ eam non
potuerunt extinguere,nec flumina peccatorū illā obrue-
re valebant,cum esset patiens,& omnia sufferret & susti- *1.Cor.13.*
neret.Non abiit retro post Satanā,non rediit ad vomi-
tū instar canis, carnis spurcitiis,mundi vanitatibus pel-
lectus,aut Satanæ molestiis fractus. Verùm cum Chri- *Luca 23.*
sto in suis tētationibus mãsit in fide fundatus,& stabilis
& immobilis à spe euãgelij,quod ex ore Christi audiuit,
per charitatē abundans in omni opere domini semper.
Per multas tribulationes quidem sicut aurū in fornace *Sap.3.*
deus illū probauit,& quasi holocausti hostiā accepit eū,
& per hæc inuenit eū dignum se.Nam postquā probatus

fuit,dedit ei coronam vitæ & iustitiæ, deum diligentibus
Iaco. 1. & legitime certantibus repromissam & paratam.Currite
& vos vt comprehendatis brauium & coronam incorruptam.Estote fideles vsque ad mortem,nolite scandalisari
Apoc.3. in Christo:tenete quod habetis, & tunc dabitur & vobis
corona vitæ:Alioqui,alius accipiet coronam vestrã. Isti
sunt amici secundũ tempus & socij mensæ,sed nõ permanent in tempore tribulationis & necessitatis. Incipiunt
multi,pauci perseuerant in bonitate vsque in finem. Sic
Salomon,sic Asa deo amabiles erant, sed dum à iustitia
in senectute deflexerunt,omnes iustitiæ eorũ quas fecerunt non recordantur,in peccatis suis mortui sunt. Hinc
Ezec.18. cõsequens est,quòd asque perseuerantia nec qui pugnat
victoriã,nec palmã victor consequitur.Nutrix est ad meritum,mediatrix ad præmium,soror patientiæ, constãtiæ
filia,amica pacis,amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum,sanctitatis propugnaculũ.Tolle perseuerãtiam, nec
obsequium mercedem habet,nec beneficiũ gratiam,nec
laudem fortitudo.Sola est cui æternitas redditur,vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente domino:
Qui perseuerauerit vsque in finẽ saluus erit.Iam in apo-
Matt.10. stolo Matthæo fidẽ electorum dei deprehendimus, quia
credidit verbo dei.Ideo surrexit.Spem piorum in eo cernimus, dum terrena omnia reliquit propter spem quam
repositam habuit in cælis,& velut stercora & detrimentum despexit. Charitatẽ eius probat perfecta imitatio
Christi. O fides viua & vera, quæ talem surrectionem,o
spes firma quæ tam absolutã omniũ abdicationẽ, o charitas ardens,& syncera,quæ tam laudabilẽ est in eo operata Christi imitationem,conformationẽ, siue Adæ cœlestis imaginis portationem. Per fidem hãc electionem
filiorum dei est assecutus.Per spem istam, reuelationem
filiorum dei per patientiam expectauit. Per charitatem
istam assimilatus est filio Dei,& omnem dei voluntatem
fecit.Si in istis virtutibus eum fuerimus imitati,tunc re-
Eccle.22. cte & meritorie eius festum celebramus.Alias sicut pigri
lapidandi sumus de stercore boum, & sicut neglectores
& contemptores oblatæ gratiæ & salutis, cœnam agni
non gustabimus in æternum.

Appendix.

¶*Surrexit*, Ecce obedientia per quam eliminatur superbia & viuitur pie.Reliquit omnia,ecce paupertas,qua
exclusa

Exclusa est concupiscentia oculorum,& viuitur iuste. Secutus est eum. Ecce castitas,qua damnatur concupiscentia carnis & viuitur sobrie. Vade ergo & fac tu similiter, & insta orationi,da eleemosynas,ieiuna frequenter. Hæc proprium exposcerent syntagma.

SERMO TERTIVS, DE S. MATTHAEO APOSTOLO.

CVM populus electus,vocante deo exitum moliebatur de Ægypto, ira efferbuit rex crudelis,& iugũ aggrauauit. Cum autem exirent,ad arma rex impius cõfugit,coegit exercitũ,fugientes sequebatur, reducere eos in ditionẽ suam omni data opera meditabatur. Hæc illis cõtingebant in figura nostri. Mox enim vt deo vocante ex huius mũdi Ægypto,tenebris & laboris pleno, per vitæ emendationem proponimus, & vias vitæ intramus,dirigendo pedes nostros in viam pacis, statim ecce draco magnus,princeps huius mũdi,rex filiorũ superbiæ excandescit,& tanquã leo rugiens circuit quærendo, vt fugientes reuocet,ad opera sua absoluenda cogat: nẽpe, vt operentur in luto luxuriæ, in palea vanitatis & superbiæ,in latere duro auaritiæ. Sed & omnes filios Belial, satanæ synagogam,ecclesiã malignãtium, gẽtem peccatricem,populũ grauem iniquitate,semen nequam, filios sceleratos in expeditionẽ suam cogit, vt contra electos pugnẽt,vel seducant in desideriis carnis,vel falsam eis libertatẽ spondeant,cũ ipsi sint serui corruptionis, vt omnis scriptura testatur, & præsens euangeliũ affatim refert. Sequitur in Luca: *Et fecit ei*, Christo *Leui*, Matthęus, *conuiuium magnum in domo sua*, ad literã. Et bene magnũ, quia ex magno affectu & amore. Tum quia magnus dominus & laudabilis nimis,cum apostolis, quos constituit amicos suos,iudices orbis,principes terræ,ibi fuit. Tum quia magna ibi facta fuerũt: Nẽpe, conuersio peccatorũ, quod maius est teste Aurelio, quàm creare cœlũ & terram. Fecit pharisæus dño cõuiuium,sed nõ magnũ,quia corporale tantum, sed Magdalena spirituale. Ideo Magdalenæ conuiuium Pharisæi conuiuio longe antefertur. Euãgelista autẽ & corporale & spirituale in præsentia rñ domino fecit, vnde meritò dicitur conuiuiũ magnũ. Et

Exod. 5. *Exod. 14.* *1. Pet. 5.* *Esaia 1.* *2. Pet. 2.* *Psal. 94.* *Luca 7.*

Luc.15. Magnũ adeo, vt de eius reliquiis etiã angeli sint refecti, cum gaudeant de peccatoribus dignos pœnitentiæ fru-
Apoc.3. ctus agentibus. Insuper cũ etiã in domũ cordis sui Chri-
Prou.8. stum receperit, vtique Christ⁹ cũ Apostolo & apostolus
Prou.23. cum Christo cœnauit, cũ eius delitiæ sint cum filiis hominũ esse. Et iterũ: Fili præbe mihi cor tuum in habitaculũ. Ipse enim de peccatorũ conuersione lætatur, vnde dixit: Congaudete mecũ. Et peccator cõuersus gaudens
Luc.15. gaudet in Domino, & exultat in deo Iesu suo. Secura mens & conscientia, quasi iuge conuiuiũ. Et illud conuiuium Leui fecit in domo sua siue cõscientia, cõtra illos,
Roma. 2. qui docent alios & seipsos nõ docẽt: Qui dicũt & non fa-
Matt.23. ciunt, qui plurimos lucrãtur verbo prædicationis, officio dispensationis mysteriorũ dei, & animæ suæ detrimentũ patiuntur insumẽdo in suis peccatis, & iumentorũ instar
Mat. 16. cõputrescendo in stercoribus suis. Nam dum alios iudicant, seipsos cõdemnãt, agẽdo eadẽ quæ iudicãt. Medicũ ergo oportet vt primùm curet semetipsum, *& factum est*,
Rom.2. Christo illud sic ordinãte, *discumbente eo in domo*, Matthæi
Luc. 4. externa, quo ad corpus & humanitatẽ, & in domo conscientiæ illius quo ad diuinitatẽ: *ecce*, mirũ quid, magnũ, & dignationis plenũ. *Multi*, quorũ corda tetigerat deus, quos misericordia dei præuenerat, quos pater ad filium traxit, qui aures habuerunt audiendi, & audierũt quid in eis loquebatur deus, *publicani*, officia periculis plena administrantes, quæ vix aut rarò sine culpa absoluuntur, *& peccatores*, manifesti, *venientes*, cum corde contrito & humiliato, in Christi pietate & misericordia fiduciã habentes. Scientes quòd non vult mortẽ peccatorũ, sed vt cõuertantur & viuant. Hinc cum fiducia adierunt ad Chri-
Ezec. 18. stum verũ thronum gratiæ dei, vt ibi misericordiã cõsequerentur, & gratiã inuenirent in auxilio opportuno &
Heb.4. tempore acceptabili, nec non in diebus salutis. Accesserunt ad sacerdotem magnum cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & tenebant
2. Cor.6. spei suæ indeclinabilem cõfessionem. Viderant enim pu-
Heb.10. blicanum à peccatis ad meliora conuersum, & pœnitentiæ inuenisse locũ, ob id ipsi non desperabant, sed velut pœnitentes veniebant vt audirent verba vitæ & consilia caperent salutis. Iesus autem vberes hospitij sui fructus cognoscens, iuit ad conuiuia peccatorum, vt occasionem docendi haberet, & spirituales cibos quibus anima pa-

scitur,

ſcitur,verbi ſui,inuitatoribus ſuis præberet,& aquam ſapientiæ ſalutaris qua in ſuis fons viuus fit ſaliens in vitã æternam, *diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis eius*, Hæc eſt menſa domini & conuiuium regale, quod nemo dignis poteſt laudum præconiis efferre. Apparatum,magnificẽtiam,& diuitias eius,quis poteſt verbis aſſequi? Sed his breuitatis gratia conſilium putaui ad præſens non eſſe immorandum. Et quid prohibet quin putemus hos inuitatos eſſe ab apoſtolo Matthæo,vt eos haberet ſocios in pœnitentia,quos habuit ſocios in culpa? Hinc Ioannes ait: Qui audit vocem ſponſi & ſponſæ atque fecit Matthæus,dicat, Veni.ſic iam incipit bonus diſpenſator eſſe & domini ſuum talentum dare ad vſuram,hoc eſt conuiuium quod pater miſericordiarum filio prodigo reuerſo iuſſit inſtaurari. Illi ſimul diſcumbentes, quia Matthei miſertus fuit.Seruator,ſicut pater miſeretur filiorũ,viſo, dum relicta malitia conuerſus fuit ad dominum, & locũ inueniſſe pœnitentiæ, ob hoc & ipſi ſpem bonam de ſalute aſſequenda & miſericordia dei conceperunt. Secum enim reputabant diuitias gratiæ eius abundãtes, & quia benigna eſt miſericordia eius. Ideo omnes qui erant in anguſtia cõſtituti timoris iuſtorum iudiciorum dei, oppreſſi ære alieno, Deo debentes decem milia talenta,& proximis multa nimis.Et ob id amaro animo, per cordis contritionem & triſtitiam ſecundũ Deum,qui pœnitentiã ſtabilem in ſalutem operatur, hic ad verũ Dauid conuenerunt. Acceſſerunt ad eum & ſunt illuminati, & facies eorũ non ſunt confuſæ:Quia nõ improperauit,nõ repulit eos,facies eorũ non cõfudit, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. *Et videntes phariſæi*,ecce cæca æmulatio inuidiæ,quæ iuſtorũ facta,vel damnat,vel ſuggillat,vel extenuat.Et ſi non poteſt opus vel modum quo fit, vel intentionem damnat facientis. Sic impij Phariſæi,dum nõ potuerunt negare ſanitates quas dedit Chriſtus,vel eius doctrinam, modum calumniabantur, blaſphemantes quòd in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia eiiceret. Sic & hic pietatis & miſericordiæ eius opus calumniantur,non recte cogitantes apud ſemetipſos,quòd multis gratiarum actionibus, ſi ſapuiſſent,proſequi debuerant.Sed quid reprehenderunt?Quòd peccatores ſuſcepit,& cum eis ex miſericordia mãducauit & bibit. Dicit ergo: *& videntes*, oculo liuido & indignationis facta

Ioan. 4.
Apo. 22.
1. Pet. 4.
Matt. 15.
Pſal. 102
Sapiẽ. 12.
Ephe 2.
Pſal 30.
Pſa.. 50.
Pſal. 33.
Luc. 11.

aliorum, non sua, sicut scriptum est: Peccator videbit iustorum laude digna opera, & irascetur. Nequam est oculus liuidi. Et sicut oculus menstruatæ mundissimum speculum, sic ille maculat sancta sanctorum facta, & bona in
Esai. 1. malum conuertit. Dicit bonum malum: & malum bonũ: ponit lucem in tenebras & tenebras in lucem: dicit dulce amarum & amarum dulce, *scribæ*, qui gloriabantur in in lege & sciebant voluntatem dei, sed nõ faciebãt quod docebant, & *pharisæi*, in quibus erat apparens excellẽtia
2. Tim. 3. sanctitatis. Speciem pietatis habebant, & virtute eius
Mat. 23. exortes fuerunt. Parietes dealbati, & sepulchra foris varietate picturæ oculos intuentiũ pascentia, & fuco mentitæ bonitatis. Intus autem pleni erant fetore luxuriæ, vermibus inuidiæ, ossibus mortuorum, pertinacis audatiæ, hypocrisis & iniquitatis, & omni spurcitia malorum affectionum, prauarum molitionum, machinationũ pes-
3. Esa. 9. simarum. Isti scribæ & Pharisæi, vasa iniquitatis bellan-
Danie. 13 tia, & non populus communis, semper contentiose egerunt, semper sermonibus veritatis detraxerunt, semper veritati restiterunt, & inique agebant vsquequaque. Sic à principibus & qui populum dei regere debẽt, omnis, heu,
Psalm. 7. iniquitas egreditur. Sic igitur peccauerunt in corde mala cogitando. Parturiendo iniustitiam, concipiendo dolorem, & iam pariendo iniquitatem. Nam cum mali essent, non poterant non male loqui de Christo. Ex abun-
Matt. 12. dantia enim cordis os loquitur. Sequitur: *dicebant discipulis.* Mos detractorum est loqui, de aliis coram aliis, nõ
Eccle. 10. in faciem, dicente Salomone: Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Vnde quando discipuli falsò eis peccare videbantur, alloquebantur magistrũ dicẽtes: Quare discipuli tui, &c. Quando autem magistrum calumniari nequiter volebant, discipulos alloquebantur nonnunquam, vt hic. Volentes sic Christum peccati arguere & transgressionis legis no tam inurere, & per consequens Matthæum & alios ab eius sequela reuocare. *Quare cum publicanis & peccatoribus*, quorum contagiosa est conuersatio, iuxta il-
Psal. 17 lud: Cum peruerso peruerteris. Hinc Salomon ait:
Prou. 24. Nec æmuleris homines malos, nec desideres esse cum eis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Et qui graditur cum sapientibus, sapiens efficitur, & cum bonis bonus: amicus

autem

autem ſtultorum ſimilis eis efficitur. Et id genus dicta & ſententias multas pro ſe militare putabant in vteri teſtamento. Sic Apoſtolus ab omni fratre inordinate ambulante cauendum cenſet, nec vult fideles iugum ducere cum infidelibus. Nulla enim participatio eſt iuſtitiæ cũ iniquitate, aut ſocietas lucis ad tenebras. Et cum auaris, raptoribus, &c. cibum ſumere prohibet. Quare ergo cum publicanis & peccatoribus *manducat magiſter veſter?* Cogitauerunt ecce prius, & poſtea locuti ſunt nequitiã. Sed quod viderunt patrem ſuum facientem, & ipſi faciunt. Diabolus pater eorum, cum ſcripturis perperam citatis, & per capillos tractis, Chriſtum tentauit in deſerto. Sic & illi ad nothum intellectum ſcripturas trahebant: Nam ſcripturæ iſtæ de puris hominibus, ad malum pronis, qui ſeduci & malis exemplis ac prauis collo quis corrumpi poſſunt, accipiendæ ſunt. Non autem de Chriſto, qui ſuo conuictu ad iuſtitiam erudiuit plurimos, vocauit auerſos, obſtinatos emolliuit, iuſtificauit conuerſos, confirmauit dubios, omnes ædificauit. Dupliciter item peccabant murmuratores iſti, & errabant ſicut oues quæ perierunt. Iactabant ſe iuſtos eſſe, cùm eſſent ſuperbi & inuidi, & alios iudicabant & condemnabant temere reos eſſe et peccatis obnoxios, cum eſſent pœnitentes et miſericordiam conſecuti. Similes erant illi phariſæo, qui ſeipſum iuſtificauit, et publicanũ condemnauit. At Dominus populum humilem ſaluum facit, et humiliat peccatores et oculos ſuperborum vſque ad infernum. Sic deus plus diligit peccatorem pœnitentem, quàm ſuperbum iuſtum, merita ſua iactantem. *Et reſpondens Ieſus*, vt ora loquentium iniqua obſeraret, et vocatos, ad ſe in omni opere et ſermone bono confirmaret vſq; ad finem. *dixit*, manſuete, humiliter et pacifice, pro ſe et diſcipulis ſuis. Nam teſte Luca, etiam dixerũt, Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis. *ad eos*, cum modeſtia. Vnde Apoſtolus ait: Seruum Dei nõ oportet litigioſum eſſe vel litigare, ſed manſuetum ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati. Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, et reſipiſcant à diaboli laqueis, inſtruendi ſunt eiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Verùm reſponſionem hanc in alterum ſermonem reſeruemus.

2. Theſ. 3 — 2. Cor. 6. — Ioan. 4. — Mat. 4. — Luc. 18. — 2. Thſe. 2. — 2. Theſ. 2 — Galat. 6. — Rom. 15.

SERMO QVARTVS, DE SANCTO MATTHAEO APOSTOLO, & Euangelista.

Mat. 12. DISCITE à me ait Sapientia & virtus dei, Christus Iesus, quia mitis sum & humilis corde. Mitis exterius in moribus, humilis interius in affectibus, corde, id est, in veritate, & non fictus pro humanis laudibus. Tria in me imitemini sicut filij charissimi. Mititatē in conuersatione, ne sitis duri & pessimi & malitiosi viri Belial, ita vt nemo possit vobis loqui. Humilitatē in cogitatione, vt humiliter sentiatis de vobis, sicut pueri par
uuli, ac humiles sitis in oculis vestris. Nō alta sapientes,
2. Reg. 25 sed humilibus cōsentientes. Veritatē in intētione. Sunt enim qui nequiter se humiliāt, sed interiora eorū & intētio plena sunt dolo & malitia. Mitis sum, quia neminē lædo: humilis, quia nullū despicio, sed corde, quia nullū
Act. 1. decipio. Verū cū facere cœperit Christus & docere, iā vi
demus quomodo in his forma factus sit gregi suo ex ani
1. Pet. 5. mo, in ista quā nunc dat malitiosis responsione. In ea siquidē suauis & mitis dominus falsam calumniā modeste explodit ratione, auctoritate scripturæ, & sui aduentus dispēsatione. Iesus igitur audiens verba mallignantium, pro se & suis discipulis ait: *Non est opus*, id est, necessarius, *valentibus*, sanis & bene habentibus, *medicus*. Et hoc verū est ad reddendā sanitatem, sed bene est eis ne cessarius ad bonum regimen, & sanitatis conuersationē,
Luc. 10. *sed male habentibus*. Ratio talis est: Medicus bonus magis cōmunicat ægris quàm sanis, sed ego sum medicus & verus Samaritanus, ergo sine causa, imo pessime me calūniamini, quòd misericordiam facio ægrotis & eis appropinquo, q mea opera indigēt, & me præter nullū adiutorem aliū habent. Vos vulneratos præteritis, vulnera eorum non alligatis. Ideo vulnus & liuor & plaga tumens non circūligatur, nec à vobis curatur medicamine, nec
Esa. 1. oleo fota est. Hanc ob causam & omne caput languidū, & omne cor mœrens. A planta pedis vsq; ad verticē capitis, nō est in corpore ecclesiæ sanitas. Pharisæi duo mo liebantur subdole expiscari à Christo, nēpe, quare cum publicanis & peccatoribus commedebat, qui iusti non erant, & non secum, quia se iustos & putabant & dice-

bant.

bant. Hanc nihilominus vltimam partem subticebant, ne arrogantes viderentur & superbiæ insimularentur. At Luc 16. dominus agnitor cordium & renum scrutator, illi parti Hebr. 4. quā tacuerunt primò respondet dicens: quasi ironicè eos arguendo, Nō egent qui sani sunt medico, sed male habentes. Vos sani estis reputatione vestra, & iustificatis vos coram hominibus, licet deus nouerit corda vestra. Ideo visitatione & opera mea non indigetis: sed isti qui infirmos & peccatores se sentiunt & confitentur. Vos dicitis illud Apocalypsis: Diuites sumus & nullius indigemus. Eccles. 16 Illos iuuo, quia pœnitendo dant locū gratiæ, & opē Mat. 11. meā implorant, dicendo: Miserere mei deus secundū magnā misericordiam tuam: Psal. 50. Et illud: Miserere mei domine quoniā infirmus sum, sana me domine, quoniā conturbata sunt omnia ossa mea. Psal. 6. Se autem medicū dicit, iuxta illud: Spiritus domini super me, eo quòd vnxerit me. Et sequitur: Vt mederer contritis corde. Auctoritate itē scripturæ eorū calumnias euertit. At ne per impatientiā loqui videatur, et eos voluisse confundere, redderéq; malū pro malo, dulci sermone dulcis ipse et suauis eos demulcet, dicens: *euntes autem*, à temeritate vestra, superbia et ignorantia, ad verū scripturæ huius intellectum. Quē si haberetis, nequaquā condēnaueritis innocentes hos et vere pœnitentes, imo vosipsos iudicaretis, ipsos laudibus cumularetis, eorū exēplo dignos fructus pœnitentiæ faceretis, vosipsos reprehenderetis, et pœnitentiā cum beato Iob et Niniuitis in cinere et cilicio ageretis. Iob 42. *discite*, humiliati, quia deus verum intellectū dat paruulis. Discite inquā scripturas scrutando, veritatē inquirendo, spiritum viuificantē, non literā occidentē sequendo. *quid est*, id est, quid velit et contineat et significet, et quo modo intelligi debeat illud quod dicit Osee afflatus spiritusancto, *misericordiā volo*, per peccatorū vocationem, receptionē, consolationē. Eis cōpatiendo et subueniendo. *& non sacrificium*, per holocaustorū oblationem. Per Rom. 2. hoc eos ignorantiæ arguit, quòd non intellexerunt legem in qua gloriabantur stentorea voce. Nam ipse hoc propheticum oraculum in peccatorum receptione impleuit, et de se hoc dictum asseruit. Quod dum ignorarent aut scire et intelligere nollent, pessime et ipsum et discipulos eius calumniabantur. Innuit item, quòd ipse non est sacerdos secundum ordinem Aaron et legem Galat. 4.

Mosi, quorum ministerium circa hostias & sacrificia & circa infirma & egena elementa, quæ non potuerunt,
Heb.10. iuxta conscientiam, perfectos facere seruientes, sed solummodo sanctificabant ad emundationem carnis. Ideo vsq; ad tempus correctionis instituta erant. Hinc per ipsum ea sacrificia iam reprobanda erant, propter eorũ infirmitatem & inutilitatem, introduxit meliorem spẽ per quã approximamus deo. Et quę melior est ista spes? Vtique abyssalis pietas & viscerosa misericordia Christi.
Psal.118. Ego autem in misericordia tua supersperaui, ait vir secundum cor dei. Nam sacrificium & oblationem noluisti, & holocaustis non delectaris. Sperantem vero in domino,
Psal.119. misericordia eius circundat. Sic scribarum, pharisæorum,
Hebr. 10. & sacerdotum gloriatio & ministerium per Christũ qui sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, & legem fidei, spiritus vitæ, clementiæ item & libertatis, est exclusa, et misericordia domini iam plena est terra, et omniũ miseretur, quia omnia potest, et dissimulat peccata homi
Sapien.11 num propter pœnitentiam, et manet ab æterno in æternum super timentes eum. Hinc expectat vt misereatur. Misericordia eius præuenit peccatores, vocãdo, inspirando, trahendo clamando, pulsando, gratiam offerendo, veniã promittendo et gloriã, sed et eos subsequitur omni-
1.Tim.1. bus diebus vitæ eorũ. Præuenit eos in benedictionibus dulcedinis suæ et clementiæ. Idq; volens facit, quia vult omnes hoĩes saluos fieri. Nõ est voluntas eius mors im
Ezech.18 pij, sed vt cõuertatur per pœnitentiã et viuat. Igitur vult misericordiã, vult misereri, nisi peccata nostra, obstinatio et præsumptio pessima, quæ aridã cooperit, excusat, defendit, flocci facit misericordiã, bonũ ei⁹ prohibeat à nobis. Vult nos sub alis suæ misericordiæ colligere, fouere, à facie impiorũ qui nos affligunt, sicut pupillã oculi sui defendere: sed nos nolumus pœnitere, et relicta malitia ad eũ reuerti. Verũ de misericordia quã vult deus paulò inferius plusculũ quid tangemus. Idipsum et dispensa-
Ioan 3. tionis suæ munere confirmat dicens: Pater meus me misit, vt mundus per me saluetur, vt omnis qui credit in me non pereat, sed habeat vitam æternam. Et iterum: Non est voluntas ante patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Et ipse de seipso ait: Fi-
Luc.9. lius hominis non venit animas perdere, sed saluare, quæ-
Luce 19. rere et saluum facere, quod perierat. Et hoc est quod

hic

hic dicit: *non enim veni*, in hunc mundũ, *vocare iustos*, scribas videlicet, pharisæos, qui falso se iustos dicebant, & se coram hominibus iustificabant: Ignorabant etiã dei iustitiam, quæ est per fidem Christi, & suam legalem iustitiam volebant constituere, & ex ea iustos putabant sese, licet falsò, quia ex operibus legis nemo iustificabatur. Ideo eos non vocauit per salutarem efficientiam & salutis consecutionem, quamuis eos & per seipsum & per apostolos suos vocauit ad nuptias, & pœnitentã per euangelij et fidei annuntiationem. Ipsi enim neglexerunt salutem oblatã, venire noluerunt per verbi Dei obseruantiam & obedientiam, per salutis propriæ orationem, per omnium impedimentorũ salutis abrenuntiationem, & dignorum fructuũ pœnitentiæ operationẽ. *sed peccatores*, ad pœnitentiã vt dicit Lucas. Peccatores, publicanos vocat & humiliter pœnitentes, qui iniquitates suas cognoscũt & quorum peccata contra ipsos sunt semper. De quibus alibi dixit, Publicani & meretrices præcedent vos in regno dei, quia pœnitentiã egerunt, & crediderunt Ioãni. Et apo. ait: Christus Iesus venit in hunc mundũ peccatores saluos facere. Et sic muta facta sunt labia dolosa, ora loquẽtium iniqua, his sermonibus veritatis sunt obstructa. Idque respõso trifurco, proinde ac funiculo triplici, qui difficulter rũpitur. Etenim ei nõ potuerunt resistere & contradicere omnes aduersarij eius. Nõ tamen est emẽdata & correcta, quia ex malitia & de industria peccabãt. Peruersi autẽ difficile corriguntur. Venit igitur Christus omnes vocare, peccatores ad pœnitẽtiam, iustos autẽ ad profectum in gratia & sapientia & meritis, vt & eant de virtute in virtutem, quia iustorum semita, quasi lux splẽdens est, præcedit enim & crescit vsque ad perfectum diem. Dixi autem paulò latius de misericorddia quam deus vult, & quòd scribæ pharisæique pro minimo habuerunt, dicere institui. Vult deus triplicem misericordiam. Vult nostri misereri, vult vt nostri misereamnr, vult vt proximis simus misericordes. Vult nostri misereri, Ideo nihil deo gratum facimus ac facere possumus, quàm quòd locum misericordiæ eius in nobis damus. Ipse enim miseretur nostri sicut pater filiorum. Hinc, Cain & Iudas grauius peccauerunt de dei misericordia desperando, quam ille fratrem occidendo, hic filiũ dei tradẽdo. Vult ergo misericordiã & misereri nostri quia

Phil. 3.
Psal. 50.
Matt. 21.
1. Tim. 1.
Matt. 10.
Prou. 4.

Psal. 102 quia diues est in misericordia,& proprium eius est mise-
Ephes. 2. reri & parcere. Et tanta est eius misericordia quòd obliuione non deletur.Nõ enim obliuiscitur misereri deus. Sed & cum iratus fuerit,misericordię recordatur, & non
Psal. 118. potest ira sua continere misericordias suas.Nec tempore finitur,quia misericordia eius ab æterno vsque in æternum super timentes eum.Nec loco clauditur,quia mise-
Rom 9. ricordia domini plena est terra, imo & cęlum.In ęternũ
Luca 1. enim ędificata est in cęlis.Nec coactione arctatur, quia
Phil. 2. cuius vult miseretur.Nec multitudine lassatur,quia est à
Psal. 114 progenie in progenies super timentes eum. Nec inopia impeditur,quia diues est in misericordia : Nec à maiore superatur,quia miserationes eius super omnia opera ei᷑: Nec à deo separatur, quia propriũ eius est misereri:Nec tamen indiscrete communicatur, loquẽdo de misericordia saluante,quia quibusdam miseretur, quibusdam non.
Matt. 10 Miserebor cui voluero,& clemens ero cui placuerit mihi. Hæc vobiscum reputate, & digitum ponite super ora vestra.Ego volo misericordiam,misericordiam meã implorantibus facere. An ideo oculus vester nequam est,quia ego bonus sum?An non licet mihi facere quod volo?Vos
Esaia. 1. ordine præpostero agitis , vultis ante obtentam misericordiam offerre sacrificia. At hęc molesta sunt mihi, abominor dona iniquorum.Verum ante sacrificia lauami
Eccl. 39. ni,mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarũ ab oculis meis,qui video occulta cordiũ. Vult item vt homo misereatur sui, iuxta illud:Miserere animæ tuæ placens deo.Esurientem ciba pane verbi dei. Sitientem pota aqua sapiẽtię salutaris,hospitẽ Christũ collige in cordis tui domo,vel vagã & errantẽ animã tuã collige in domũ ecclesiæ,vel vitæ æternæ, nudã Christo indue & iustitia & omniũ virtutum varietate vestire.Infirmã in fide & ad bona opera,sana multiformi malagmate gratię dei & visita ad cor redeundo,imperfectũ tuũ vidẽdo;super custodiã tuã stando,vias tuas cõsiderãdo.In carcere diaboli quæ rea & obstinata cõscientia est, inclusam,in iniquitatibus suis captã, & funibus peccatorũ suorum constrictã, require,& libera per pœnitentiã verã *qua salutem stabilem operatur*,& vindicationem in libertatẽ glorię filiorũ Dei. Sic itẽ eam rege,vt post mortem in terra viuentiũ sepeliatur. Et bonis operibus eam sepulturã sibi emat absque auro et argento. Hanc misericordiã volo et non sacrificia

crificiā vlla,nisi misericordia illa præcedat:Alioqui sacrificiis non delector.Sacrificium verò deo accceptum, cor contritum & humiliatū & spiritus cōtribulatus est,& vera pœnitentia.Quo oblato,tunc acceptat deus sacrificia iustitiæ, oblationes corporum & holocausta votorū perpetuorum,& vitulos labiorum,&c.Hoc obstinati non fecerunt,ideo misericordiam hanc ab eis exegit.Vult item misericordiam erga proximos , quia beati misericordes, quoniam ipsorum deus miseretur:Sic iudicium sine misericordia eis erit,qui misericordes nō fuerunt Illis opera misericordiæ & corporalia & spiritualia facere debemus. Scribæ autem & pharisæi operib. misericordiæ neglectis,sacrificiis legalibus deum promereri,fallendo semetipsos,volebant. Verum,hoc veritas hic explodit &c. *Matt.5.*

IN DIE S. MICHAELIS ARCHANGELI, ET OMNIVM Angelorum,in epistolam exegesis.

IN *diebus illis*.Sicut Ioannes apostolus,magni consilii angelus fuit & angelum vixit, sic angelorum dominus ei incerta & occulta sapientiæ suæ per angelum manifestauit. Nā totum decursum ecclesiæ vsque ad finē mūdi,in hoc libro descripsit:sed beatus qui intelligit, quia signati sunt sermones. Ideo nemo illos intellectus sui potest acrimonia penetrare , quantumlibet etiam super senes(in quibus est sapientia)intelligat, nisi cui ostiarius eos aperuerit, qui clauem Dauid habet, qui solus aperit mysteria pie agētibus,& nemo claudit,claudit sapiētibus & prudētibus in oculis suis & nemo eis aperit. In diebus illis quādo Ioannes fuit in Pathmos insula relegatus,*significauit deus*,qui reuelat mysteria,*per angelum suum*,bonum,qui apparuit Ioanni & loquebatur illi ex parte dei, *seruo suo Ioanni*,quia Ioānes in spiritu Deo seruiuit,simul & in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis.Seruus fuit non peccati,qui non manet in domino in æternum, sed iustitiæ,quæ summa libertas & ingenuitas est.Illi inquā Ioanni,*qui testimonium perhibuit verbo dei*,missus Romæ in feruentis olei dolium , ex quo tam exiuit illæsus, quàm erat in fide stabilis & immobilis,& in omni verbo & con *Apoc.1.* *Dan.12.* *Iob 32.* *Esa.22.* *Matt.11.* *Dan.2.* *Phil.3.* *Ioan.8.* *Rom.6.*

acrsatione

uersatione sua syncerus & iustus. Malebat dilectus ille discipulus Iesu quiduis sustinere, etiam mortem oppetere,
Act. 6. quàm Christum Dei viui filium negare. Nouerat se à Christo vocatum ad munus apostolicum, vt nomen eius portaret coram regibus & filiis Israel. Verbo Dei testi-
1. Tim. 4. monium perhibuit, quando verbo prædicauit & postea
Act. 4. scripsit verbum quod caro factum est, Iesu Christo testimonium perhibuit, docendo quod est saluator omnium hominum maxime fidelium, & quòd non est in alio aliquo salus. *quæcunque* vidit, in eius conuersatione, miraculorum operatione, morte, resurrectione ac ascensione. Beatus proinde omnis ille homo *qui legit*, quantum ad doctos, *& qui audit*, vt indocti & idiotæ, homines sine literis, *verba* profunda *prophetiæ huius*, quia verba dei sunt, *& seruat ea*, opere adimplendo. Nam iste vir
Mat. 7. sapiens est, & beatus est in suo facto. Vnde scriptum est,
Luca 6. Beati qui audiunt verbum dei & custodiunt illud: Qui
Iac. 1. autem perspiciunt in lege perfectę libertatis, & non faciunt quod sciunt faciendum, isti sunt viri stulti, cadunt in gehennam, & fit ruina domus illorum magna. *quæ in ea scripta sunt*, tribulationes futuras patienter sustinendo, cuius subditur ratio, *Tempus enim prope est*, id est, cito transiens, quasi dicat: Tempus patiendi, & labor pacientiæ breuis, & præmium beatitudinis æternum. Nam
2. Cor. 4. id quod in pręsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur, in bonis & rectis corde. *Ioannes* sol terræ, lux mundi, ciuitas supra montem posita, & lucerna supra candelabrũ, lucẽs omnibus qui in domo dei sunt, quę
Mat. 5. est ecclesia sanctorũ. *septem ecclesiis quæ sunt in Asia.* Per hunc septenariũ numerum intelligitur consequenter vniuersitas ecclesiarũ in orbe constitutarũ. Nam sicut septẽ diebus omne tẽpus comprehẽditur, recte septenario numero vniuersitas figuratur: *Pax vobis*, sic bonus homo de
Phil. 4.
Psal. 75. corde suo bono eructauit verba bona. Pax dei, quę omnẽ sensum exuperat, filios Dei constituit, in qua Dominus populo suo benedicit, quæ locum Deo facit, & ad Deum facie ad faciem videndum perducit, quam omnes morta-
Rom. 8. les optant. *& gratia*, quæ est vitæ æterna, *ab eo qui est*, id est. à Christo, vel à deo, *& qui erat*, antequam mun-
Mat. 25. dus fieret, *& qui venturus est*, in maiestate sua & gloria, cum omnibus angelis suis, vt reddat vnicuique, secundum

secundum opera sua. Si vero ad deum refertur, tunc in istis verbis æternitas eius exprimitur per differentias tẽporum, sicut à nobis intelligitur, Cum in se, apud deum non sit transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *& a septem spiritibus*, id est, ab vniuersitate angelorum, qui omnem salutem nostram desiderant, & in ministerium nostrum mittuntur, qui hæreditatem salutis sumus capturi, *qui in conspectu throni eius sunt*, parati eius exequi voluntatem, *& à Iesu Christo*, filio Dei viui vnigenito, qui est paternæ splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, *& testis fidelis*, quia se esse deum, nec pro imminente morte negauit *primogenitus mortuorum*, quia primus à mortuis resurrexit non visurus iterum corruptionem, & cui mors vltra nõ erat dominatura Surrexit ante ipsum Lazarus, archisynagogæ filia annos nata duodecim, et desolatæ viduæ filius adolescens in porta ciuitatis excitatus. Sed illi surrexerunt ad vitam mortalem, quæ mors potius est dicẽda quàm vita, et iterũ in domino obdormierunt, sed Christus viuit in secula seculorum. *& princeps regum terræ*, quia data est ei omnis potestas in cœlo et in terra, et omnia subiecta sunt pedibus eius. Ipse dominatur super regnum hominum, et cuicumque vult dat illud. Et iuxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ: et nemo est qui resistere possit manui eius. Sapientia nãque et fortitudo eius sunt, et ipse mutat tẽpora et ætates. Trãsfert regna à gente in gentẽ propter peccata, et constituit. Deponit potentes de sede, et exaltat humiles, vt soliũ gloriæ teneant. Gradientes autem in superbia humiliat, sicut frustra inflatus sensu carnis suæ. Nabuchodonosor expertus, confitebatur. Igitur humiliemus nos sub potenti manu eius, vt nos exaltet in die visitationis. Est & princeps regũ terræ id est, electorum omnium, qui vitiis omnibus & animo suo dominantur, quod est insigne fortitudinis. Vnde scriptum est: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, sic quod nulla tibi dominetur iniquitas, & dando operã, ne peccatum vllum regnet in tuo corpore, vt obedias concupiscentiis eius. Isti soli reges sunt in veritate, non in sermone, Est namque iustitia & pax & gaudium, in spiritusancto. Hoc regnum aduenire petimus in oratione dominica, in qua gratia per iustitiam regnat in vitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum.

Iac. 1. Heb. 1. Rom. 6. Ioan. 11. Matt. 6. Luca 7. Mat. 28. Psal. 8. Dan. 4. Dan. 2. Eccl. 18. 1. Pet. 5. Prou. 1. Gen. 4. Psal. 118. Rom. 6. Luca 17. 1. Cor. 4. Rom. 14. Mat. 6. Rom. 5.

Isti

Isti cum rege regum regnabunt in æternum,& regni talis non erit finis. *Qui dilexit nos* prior,cum adhuc inimici eius essemus,amore prorsus gratuito,immẽso & æterno,*& lauit nos*, ex sola charitate, & non propter opera
4.Cor.7. iustitiæ nostræ quæ nos fecissemus, *à peccatis*, nostris,& omnibus inquinamentis carnis & spiritus,& super niuem nos fecit albiores. Non in aqua & nitro, *sed in sanguine suo* precioso & roseo. Sacramenta enim baptismi & pœnitentiæ, quibus deletur originale peccatum & actuale, à sua benedicta & amara passione habent efficatiam. Et in hoc quod in suo sanguine nos lauit, suum erga nos amorem incompræhensibilem ostendit,fundens pro no-
Psal. 68. bis filiis iræ & maledictionis, roseum sanguinem suum, ac pro nobis quæ non rapuit exoluens, quæ non commeruerat sustinens, quæ non fecerat luens, dirissimis & atrocissimis cruciatibus,ipsi à filiis sceleratis,populo gra
Isa.63. ui iniquitate,progenie viperarum,quos creauerat, quos redimere venerat irrogatis. *Ipsi gloria*,pro inenarrabili dono eius, *& imperium*,super omnia alia, *in secula seculorum*, in æternum & vltra,Amen.

DE SANGTO MICHAELE ET ANGELIS SANCTIS,

Homilia prima.

IN *illa hora accesserunt discipuli ad Iesum &c.*
Isa.63. Miserationũ domini recordabor,ait Iudæorum euangelista, laudem reddam domino pro omnibus quę redidit nobis,& super multitudine bonorum Israel quæ largitus est eis,secundum indulgentiam suam.Maximum autem misericordiæ dei opus illud arbitror,quòd deus sic mundũ
Ioan.3. dilexit,quòd filium suum vnigenitum nobis dedit vt saluaretur mundus per ipsum. Sed hoc fecit in fine seculorum vergente mundi vespere,& quando venit temporis plenitudo. Hoc enim modo priorem misericordiã,poste
2. Pet.1. riore superauit. Nec dubium,quin omnia diuinæ virtutis suæ charismata, quæ ad vitam deo & euangelio dignam & pietatẽ nobis vtilia & necessaria sunt,pater no-
Roma.8. bis cum filio abundantissime sit largitus. Per quæ diuinę consortes naturæ effici possumus,& fugere eam,quę in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Ingratus

namq;

namq; homo magna opera domini habuit pro nihilo. Nempe, quòd omnia fecerat propter eum, quæ cœli & terræ ambitu continentur. Nec posuit super cor suum, quòd ciues vranicos omnes administratorios spiritus fecit hominis, & in ministerium misit eis qui hæreditatē capturi sunt salutis, & præordinati sunt ad vitā æternā. Sed quid dico, de cohæredibus Christi in vita æterna, cum deus qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & benignus est super ingratos & malos adeò diues sit in misericordia, quòd etiam malis dat angelos custodes, quantūuis indurati sint & obstinati in malo & in reprobū sensum dati, imo, vt sancti doctores dicunt, etiam radix peccati, filius perditionis, cuius, aduentus erit secundū operationem Satanæ, qui extolletur super omne quod colitur & dicitur deus, suum habiturus sit angelum bonum. Quis ergo diuitias bonitatis diuinæ erga genus humanū verbis assequi potest? Nā ô homo, sic deus diligit te quod angelis suis mandauit de te, vt custodiāt te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidē pedem tuū. Sed neq; inimicus & filius iniquitatis quicquam tibi nocere poterit, nisi angeli tui boni nolueris acquiescere cōsiliis & ductum sequi, & data opera dederis diabolo locū. Sed eius ope super aspidē & basiliscū ambulabis, & conculcabis leonē & draconē. Et alibi dñs ait: Ecce ego mittā angelū meū, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducet in locū quē præparaui tibi ab initio mūdi: nēpe, in terrā viuētiū, lacte humanitatis & melle diuinitatis manātē. Quia ibi inebriātur ab vbertate domus dei, quæ est humanitas siue corpus Christi. In quo diuinitatis plenitudo omnis corporaliter inhabitauit, & mūdū sibi recōciliauit. Et torrēte voluptatis suæ diuinitatis potat eos, qui hic per angelos bonos deducti sunt in via recta & in semitis iustitiæ, & instinctus illorū habenas sunt secuti. Nā eos dū moriūtur, portāt in sinū Abrahæ, & pacē æternā, in qua Simeō rogauit dimitti. Et ibi recūbūt cū Abrahā, Isaac & Iacob, in regno cœlorū. Isti in pace dei quæ omnē sensum exuperat, de corporis proprij & mūdi hui⁹ carcere & exilio exeūt in lætitia, & in pace Christi deducūtur in montē sanctū dei, & in tabernacula eius, vbi melior est dies vna super millia oīa in hoc seculo. Mōtes insuper, q̄ sunt angeli maiores, & colles q̄ sunt angeli inferiores, cātāt tūc

Hier. 1. | Rom. 1. | 2. Thes. 2 | Psal. 90. | Luc. 16. | Luc. 2. | Psalm. 83 | Esaia 55.

corã iustorũ animabus quãdo eas introducunt in cœlũ, laudes dei. Ex hoc loco etiam inoleuit cõsuetudo in ecclesia, quod nos ante corpora sanctorum quando ea deferimus ad sepulchra, hymnos, psalmos, & cantica spiri-
1.Cor.15 tualia decantamus. Magnifice domino gratias agentes, quòd defunctum in fide catholica custodiuit stabilem & immobilem, & in morte suis muniuit & consolatus est sacramentis, & misericorditer de mundi eduxit naufragio, & sanctorum suorum in cœlis iunxit cõsortio. Vel si quæ animæ sunt dignæ cruciatibus culpæ, vt dominus Iesus Christus gratia lenitatis suæ, & amarissimæ passionis suæ merito, eas indulgeat, nec nõ in pacis ac lucis regione per sanctos angelos suos constituat. Sic ante animas iustorum, angeli sancti laudes dei cantant, & nos ante corpora eorum, quæ fuerunt templa spiritussancti, arma iustitiæ, gratiæ dei cannales siue aquæductus, & vasa in honorem sanctificata, vtilia domino, & ad omnia
Gala.2. opera bona parata. Sic corporibus iustorum honorem deferimus, in quibus dum vixerunt in fide filij dei, mortificationem Iesu Christi circuntulerunt, & in quibus vita Iesu fuit manifestata. Honoramus corpora & cum honore ad sepulchra portamus, quæ glorificauerunt & por-
Rom.16. tauerunt in se deum, dum vixerunt. Quæ hic Christo cruci confixa erant, & cum vitiis & concupiscentiis cru-
2.Cor.6. cifixa & mortificata tota die, & in seruitutem spiritus re-
Phili.1. dacta. Quidni? cum honore Christianorũ corpora sunt sepelienda, quæ sunt membra Christi, & corporis eius, in
Rom.12. quibus Christus est magnificatus, tum per vitã, tum per mortem, in multis sanctis martyribus, quæ sancta obtulerunt Christo, hostias viuentes, sanctas, deo placentes.
1.Cor.14 Quæ etiam resurgent in incorruptione & immortalia,
Phil.2. iuxta illud: Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis no-
Titi.2. stræ configuratum corpori claritatis suæ. Hoc modo qui in domino mortui sunt, beatam spem expectant, & aduentum gloriæ magni dei. Saluatoris nostri Iesu Christi. Sic omnes qui hic portauerunt in carne sua mortali
1.Ioan.2. imaginem Adæ cœlestis, & vixerunt sicut ille vixit, vel ambulauerunt sicut ille ambulauit in dilectione, vtique in nouissimo die de terra resurrecturi sunt, & in carne
Eccle 12. sua deum videbunt saluatorem suum. Nec te mouerit,
1.Cor.15 quòd terra iam in puluerem suum reuertitur, & abomi-
na

nabilis est oculis omnium. Seminatur namque corpus & moritur in corruptione, sed resurget in incorruptione & immortale. Ecce impassibilitas. Seminatur & sepelitur in ignobilitate & vilitate, sed resurget in gloria & maxima claritate. Ecce claritas. Seminatur & concipitur in infirmitate, & patiendi necessitate, sed resurget in virtute, id est, viuum & agile. Ecce agilitas. Seminatur & corrumpitur corpus animale, sed resurget corpus spirituale. Ecce subtilitas. Custodit proinde dominus omnia *Psal. 33.* ossa eorum, vnum ex eis non conteritur. Et quid de ossibus eorum dico, quando capilli capitum eorum omnes numerati sunt, & vnum ex illis non peribit: Corpora *Matt. 10.* proinde electorum in pace sepeliuntur, & nomen eorũ *Luc. 12.* viuit in generatione & generationem. Ideo Tobias inter *Eccle. 44.* alias virtutum suarum insignia laudatur, quòd mortuorũ *Tob. 1.* corpora sepeliuit. Et tyramni impietatis arguuntur quòd seruorũ dei morticinia posuerũt escas volatilibus cœli, carnes sanctorum dei, bestiis terræ. Effuderunt sanguinẽ ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Sed Lotherani qui futurorum bono- *Ephe. 4.* rum spem non habent, qui hic contumeliis sua corpora afficiunt & bestias viuunt, peccant sine omni timore, & instar gentium ambulant in vanitate sensus sui, & desperantes semet ipsos tradunt se impudicitiæ in operationem omnis immũditiæ in auaritia. Et quid mirũ, si mortuos suos sicut bestias sepeliunt, cum sint ipsi malæ bestiæ, ventres pigri, mendaces. Vnus eorum & iumento- *Titi. 1.* rum est interitus & æqua vtrorumque conditio. Nã resurrectio illis ad vitam cœlestem non erit, vt ille beatæ memoriæ adolescens ad impium dixit Antiochum: Se- *1. Mat. 6.* pultura asini suos sepeliunt. Sic & inter alia Hieroboam impio regi comminatur à deo, quòd qui morientur de eo in ciuitate, commedent eos canes. Qui autem mor- *1. Reg. 14* tui fuerint in agro, vorabuntur ab auibus cœli. Sic Iason. scælestus, illamentatus & insepultus est abiectus, & sepultura neque patria vsus, neque patrio sepulchro participans. Nam sine omni timore, violant templa dei, & *3. Mat. 5.* igne concupiscentiæ incendunt sanctuaria spiritussancti. Et tollunt membra Christi, & faciunt ea membra salacissimarum meretricum. Et dum in erroribus & scele- *Ioan. 1.* ribus suis quasi in stercore boum cõputrescunt & manẽt de die in diẽ. Reuera, hac iteratione viarũ suarũ pessima-

rum supra modũ viles fiunt, execrabiles deo & incredu-
Titi.1. li, & ad omnia verba & opera reprobi. Sic exhibẽt mẽ-
bra sua seruire immunditiæ & iniquitati, & peccatum re-
gnat in corporibus eorum, & obediunt concupiscentiis
Rom.6. eorum. Et hanc ob causam corpora eorum sunt spelun-
ca latronum, & habitaculum septem spirituum nequio-
rum, qui in ea ingressi habitant ibi. Quid mirum, si suo-
rum mortuorum corpora sine honore sepeliunt? Nã in-
glorij erant viuentes, sic viuebant, quòd nomen dei per
eos blasphemabatur inter gentes, & per legis trãsgres-
sionem deum inhonorabant. At dicis, & illi cantant an-
Ezec.36. te funera sua. Quid ergo? Cantant fateor impia, pessima
& hæretica cantica sua, per quæ deus ad iracũdiam ma-
gis incitatur, non placatur. Et cur sacerdotes Hieroboam
& vitulorum cum pueris cantant ante funera eorũ? Pro-
pter pecuniam. Sola præstigia & fascinationes sunt, vel
Sapien.2. magis simiarum ludus, & aucupationes nummorũ. Quia
vt ipsi dicunt, non est orandum pro mortuis, nihil ergo
aliud faciunt quam quod suis illudũt. Sic animalis vita,
bestialem finem habet. Hæc cogitant, faciunt, & errant,
quia excæcauit eos malitia eorum, quia nesciunt sacra-
menta dei, neque mercedem sperant iustitiæ, nec indi-
cant honorẽ animarum sanctarum, imo dicũt: Vanus est
qui seruit deo, & nullũ emolumentum est custodiẽtibus
eius præcepta, & eis qui ambulant tristes corã domino,
seminant in lachrymis, crucem suam quotidie portant,
2.Cor.11 vim sibi faciunt, & custodiunt vias duras. Ideo finis eorũ
est secundum opera eorum, interitus & ignis æternus,
Rom.16. diabolo & angelis suis paratus. Ecce dum de angelis ser-
monẽ texere auspicatus sum, præter intentũ (nõ tamen
ad insipientiam mihi spero: quoniam vtile arbitror de
hoc populum admonere, ne cassibus impiorum & dulci-
bus sermonibus & benedictionibus fascinentur, ne obe-
diant veritati) calamus ad alia defluxit, sed hic finis sit
sermonis istius.

DE ANGELIS HOMILIA SECVNDA.

Psal. 15. AD amorem suum variis modis nos prouocãs
deus, non quòd ipse bonorũ nostrorũ egeat,
aut quicquã vtilitatis ex amore nostro acci-
piat, sed vt nos volũtatem suam faciẽdo me-
liores

Nores efficiamur, & crescamus in gratia, atque diuites fiamus in bonis operibus, & salutem consequamur quæ est in Christo Iesu cum gloria cœlesti. Hinc exempla, & sua & electorum suorum nobis proponit, vt si filij dei esse volumus, Christum imitemur. Si filij Abrahæ esse volumus & cũ eo benedictionẽ accipere à deo, Abrahæ opera, & aliorũ sanctorum qui deo placuerunt ab initio, facere studeamus. Et sicut filij charissimi inter alios etiam vas electionis apostolum Paulum imitari. Dat nobis sua sancta mandata, sancta & bona, docuit nos opere & sermone euangelica consilia, pollicetur æterna premia diligentibus, inimicis suæ gehennæ inextinguibiles ignes interminatur. Nihilominus sumus adeò negligẽtes, quòd rarus sit qui exempla attendat sanctorũ, qui deo in sanctitate & iustitia seruiat omnibus diebus suis, vt meliora charismata eorum æmuletur, qui mandatis dei prouocetur ad fructificandum deo, & incedendum in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine quærela. Vel qui consilia Christi eligat & custodiat sine vlla exorbitatione manendo in bonitate, nec retrò post Satanam abeat, nec redeat ad vomitum sicut canis, & lota sus ad volutabrum luti. Quis ad bonum prouocatur, & magna multitudine dulcedinis diuinæ, quam oculus non vidit, auris nulla audiuit, nec in cor vllius hominis ascendit, quam abscondit timentibus se & promisit diligentibus se? Quis æternos ignes expauescit, qui manent eos, qui nolunt in lege dei ambulare, & deo odibilia opera faciunt & inique agunt vsquequaque? Imo qui eis parati sunt, qui etiam in vno offendunt, eo quòd sic fiunt omnium rei. Hinc, cum nolit mortem peccatorum, sed magis vt conuertantur & viuant, ideo in præsenti euangelio ponitur bona, vtilis & necessaria instructio. Deinde damnabilis scãdalorum perpetratio. Postremo, salutaris paruulorum commẽdatio. *In illa hora.* Sciendũ igitur quòd discipuli Christi ante quàm spiritumsanctum acceperũt, qui eos docuit per vnctionem suam de omnibus, & omnem veritatem, humanum quid interdum passi sunt, qui homines sine literis, simplices & idiotæ erant quando & scribæ & pharisæi doctissimi in lege ad faciendum malũ, tota via, à via veritatis errauerunt. Apostolos ergo cogitatio vanitatis turbauit, quis eorum post Christi turpissimam mortem, resurrectionẽ & ascensionẽ in cœlũ (quę

Ioan. 8. *1. Cor. 4.* *Roma. 7.* *Luc. 1.* *1. Cor. 2.* *Iac. 2.* *1. Ioan. 2.* *Act. 4.* *Hieron.*

eis in proximo futura prædixerat)inter fratres maior in
Galat. 6. honore & Christi locum tenere deberet. Et vt rarus vel magis ferme nullus est,cuius mentē cogitatio talis non titillet,forsitā multi inanis gloriæ cupidi erāt, vel quod magis cōsonat veritati, omnes affectibus seruiebant & diuisi erāt inter se.Alij Petrū,alij Ioanē, alij Bartholomæum,alij Andreā, alij Philippū hoc honore dignū decernebāt,prout quisque affectus erat. Nullus tamen in hoc quæ sua sunt quæsiuit, sed quæ sunt Iesu Christi,& omnium,vt salui fierēt:nec non,vt voluntate Christi audita,nullus contentionis aut schismatis post eius in cœlū
Matt. 20 ascensionē locus esset.Nisi Iacobum & Ioannē Zebedei
Mar. 10. filios excipere volueris. Et crebro inter lumina mundi & sal terræ,hæc occupatio tractata fuit, vt eorū imperfectione qui cum Christo ingrediebantur & egrediebātur vnusquisque aduertat, quantum sibi desit in via dei.
Luc. 9. Lucas namq; dicit,quòd intrauit in eos cogitatio, quis
Mar. 19. eorum maior esset. At latius serpsit hoc malum, nam
Ioan 6. Marco teste,de hoc disputauerunt in via.Nec sic serpen-
2.Cor.10 tis caput est contritū, sed in cœna vltima cùm pane cœli,& calice benedictionis essent dignati, & iam charitatis nouum mandatum accepissent, quæ nō est ambitiosa,nec inflata,nec quærit quæ sua sunt, & iam passionis eius hora instabat,tunc inter hos viros virtutis, principes populorum,doctores veritatis,duces exercitus Christi,& amicos,contentio facta est, quis eorum videretur esse maior.Sic ex vna scintilla augetur ignis, & malum semper proficit in peius, & diabolus capillum si habue-
Gene. 36. rit in homine,illum facit crescere in trabē:Nisi homo cū senserit se teneri in vno crine extraxerit eum, & in manu eius dimiserit & fugerit sicut Ioseph fecit, cū à salacissima muliere,ad illicita verbis procacibus incitaretur. Tandē ad magistrū quæstionē hāc referūt, ex quo pēdebāt omnes,vt eius volūtate audita,nec minima post hoc cogitatio eos titillaret,& nullus locus diabolo in posterū relinqueretur. In illa hora cū in via de primatu dispu
Luc.9. tassent,vt Lucas ait,& in domo esset,*accesserūt* humili & syncero corde *ad Iesum*,summū magistrū,qui viam dei in veritate docuit,ad fontē sapientiæ, & ipsissimam sapientiā patris,vt illuminarentur, vt doceret eos voluntatem suam.Certū quòd beati sunt quos ille erudit, & de lege sua edocet. Accesserunt ad eū sicut discipuli veritatis ad magistrū,

magiſtrũ,ſicut ſubditi ad iudicẽ æquitatis,ſicut familiares ad dominum maieſtatis, *dicentes: Quis putas maior eſt,* nõ in terra,vbi in veritate nemo infelicior,nemo miſerabilior,nemo in maiori periculo, nemo magis grauatus eſt & inquietior,quã qui in poteſtate cõſtitutus eſt, & aliis in ſollicitudíne præeſt,ſed *in regno cælorum*, quod vt habere poſſimus, reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Vide ergo quòd de primatibus terrenis non contendũt (vt dicit Chryſo.nos autem neq; ad eorum infirmitatẽ peruenimus.Non enim quærimus quis maior eſt in regno cœlorum.At magiſter verus,pater pius,paſtor bonus,conſolator ſummus,audiens eos ſecundum deũ petere & quæ ſalutis ſunt,mox docuit eos vtilia. *Et aduocans Ieſus paruulum*, & malitia & ætate,humilem ſpiritu, quẽ ſanctus Bonauentura & alij multi doctores,ſanctũ Martialẽ fuiſſe ſcribunt, qui poſtea Epiſcopus Lemouicenſis fuit.Sic mitis & humilis magiſter,mitẽ & humilẽ paruulum amplectitur,vt omnis caro ad ſimilẽ ſibi coniungitur:ſic omnis homo ſimili ſibi ſociatur. *ſtatuit eum in medio*, vt ab omnibus videretur. Prius docuerat eos humilitatem verbo,dicens:Diſcite à me,quia mitis ſum & humilis corde.Et beati pauperes ſpiritu.Exemplo,dũ fugit quando eum regem facere ſuper ſe voluerunt. Iã paruuli paradigmate eos docet viam excellentiorem & arctam,quæ ducit ad cælum.In quo is maior erit,deo ſimilior, & in gloria excellentior, qui hic paruuli iſtius exemplo humilior & abiectior eſt in oculis ſuis,innocentior,mitior,tractabilior,& ſimplicior in malo. O humilitas quanti te facit altiſſimus,& quàm es accepta in oculis eius.Neminẽ diligit deus,niſi humilis corde ſit,& ſpiritũ contritũ habuerit,& tremuerit ſermones eius.Ideo eius hic verba notatu digna ſunt de humilitate. Habet familiaritatẽ ad Chriſtũ,ideo paruulũ ſimilẽ ſibi,aduocauit: Sic & humilem matrẽ elegit.Habet ſtabilitatẽ & infirmitatẽ,à ſe videlicet & in ſe,ideo ſtatuit eũ.Humilitas enim non habet nec vnde,nec vbi cadat,quia caſus eſt de alto in profundũ:Sed humilitas in infimo loco recũbit,humi iacet,omnibus ſe inferiorem reputat in ſuo corde.Habet & protectionẽ,ideo dicitur in medio:Quia humilitas eſt quaſi in cẽtro,vt fulciat alias virtutes. Nulla enim virt⁹ ſtabilis eſt,niſi ſuper hãc firmã humilitatis petrã ædificetur,& ab ea fulciatur. Ad caſum erigitur,in

Marc. 11
Marc. 9.
Ioan. 6.
Roma. 12
Luca 1.
Luc. 14.
Philip. 2.

Luc 6. arena ædificatur omne opus bonũ,omnis virtus,quæ in
Mat.7. humilitate non fundatur. Deiicitur à vento superbiæ, subuertitur à pluuia cupiditatis & auaritiæ,in terrã prosternitur & cõsumitur alluuione aquarũ luxuriæ. *& di-*
Ephes.4. *xit* verbũ sale conditũ,quod gratiã & ædificationẽ in fide adfert omnibus,qui illud suscipiunt in cordis sui bona & optima terra, & fructũ eius referunt in patientia. *Amen*, id est,vere.iurat per veritatem,quæ ipse est,quia
Heb.6. maiorẽ se nõ habet. Quatenus sic apostolos paruulos, attentos redderet,atq; omnes: quoniã quod illis dixit, omnibus dixit. Audite ergo me,quoniam de rebus magnis locuturus sum.Nã & vos quæritis quis maior sit in regno cælorum. *dico vobis* & omnibus,qui per vos in me sunt credituri, *nisi conuersi fueritis* à vestra disputatione, cõtentione,& si quæ adhuc in vobis est elatione,& ambitione, *& efficiamini sicut paruuli* in sensu & corde vestro, *non intrabitis in regnũ cælorũ.* Quia nec in ecclesiã per meritũ,nec in scripturã per sanum intellectũ,nec in gloriã per premiũ. In omnibus nãq; istis regnis Christus humilis est ostium, & ipse aperit & nemo claudit, quia clauẽ Dauid habet.Aperit ianuã ad ecclesiã, quia
1.Petr.5. humilibus dat gratiã ad meritũ,& resistit superbis. Intellectũ bonũ scripturæ solis paruulis dat, quia vbi humilitas,ibi sapiẽtia est,quæ de sursum à patre luminum descẽdit.Superbi vero semper discũt,& nunquã ad sciẽtiã veritatis perueniũt.Et euanescunt in cogitationibus
Rom.1. suis,& obscuratur insipiẽs cor eorũ.Et dicẽtes se esse sapiẽtes,stulti fiũt.Sed nec intelligũt,neq; loquũtur,neq; de quibus affirmant. Sed & qui se humiliat in via,exal-
Prou. 29. tabitur in patria,iuxta illud:Humilẽ spiritu suscipit gloria,& superbũ sequitur humilitas.Sic claudit regnũ cælorũ superbis,& nemo illis aperit. *Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste.* Pẽsanda sunt verba singula, quia succi et eruditionis maxime sunt plena.Nã via cæli humilitas,omnibus aperta est,vt omnes eam ambulare
Psalm 48 possint,qui volũt.Nõ excluduntur diuites,nõ pauperes, nõ magni,nõ parui,nõ iuuenes,nõ senes. Nullus terrigena et filius hominũ,quia nihil ad humiliationẽ requiritur nisi volũtas,quã etiã infirmi habẽt,et qui omnium mẽbrorũ corporis officiis sunt expertes.Vnde dicit:Qui
Iob 15. cũq;,nemine excluso, etiã illo qui semper ambulauit in
Esa.15. magnis et in mirabilibus super se,vel qui toto tẽpore vi

tæ suæ

tæ suæ cõtra deũ cucurrit erecto collo, et quasi vinculũ plaustri traxerit peccatũ in funiculis vanitatis. Humilitatis verũ actũ etiã exprimit, per verbũ cõiunctiui modi, quod à præterito perfecto descẽdit, vt etiã pueri sciũt, in quo notatur veritas, perfectio & stabilitas humilitatis, et perseuerãtia in humilitate. Dauid quidem humilis fuit et placuit deo, verũ, dũ in humilitate nõ mãsit, atq; ex elatione populũ numerari iussit, ostendit grauiter, et nisi adiecisset vt resurgeret, et rursus sub potenti manu dei se humiliasset, actũ fuisset de eius salute. Debitã materiã substituit dicẽs: Nõ qui se humiliat, & despicit siue confundit aliũ, peccat. Quanto maior es, ait sapiens, humilia te in omnibus. Nec quẽ deus humiliat. Ipse nanque oculos superborũ humiliat in brachio virtutis suæ. Ipse superbos in furore suo dispergit, et confundit eos et omnes arrogãtes humiliat. Et omnes peccatores humiliat vsq; ad terrã. Formã et modũ verũ humiliationis addit, dicẽs: Sicut paruulus iste, quẽ hic vobis propono. O sapiẽtia quæ ex ore altissimi prodisti, qua pulchro exẽplo omnẽ, si quis erat in cordibus discipulorum, fastũ et ambitionẽ excludis, arguis damnas. Et quã breui verbo ferme omnẽ euãgelicæ perfectionis doctrinã apostolis, et nobis, ob oculos propõnis, quæ in puero paruulo eluceffit. Audite hæc duro corde. Paruuli nãq; sunt humiles, credũt omni verbo, simplices sunt in malo sicut colũbæ, cultũ vestimentorũ negligunt et nesciũt, vno verbo placantur, innocentes manibus sunt et mundo corde, nullus sermo malus ex ore eorũ procedit, non cogitant nec machinant malũ, sunt absq; dolo, fraude, inuidia, ira, æmulatione et cõtentione, lac cõcupiscunt et in eo crescũt in salutẽ, non habẽt aliud corde clusum, aliud lingua promptũ, nõ simulant, nec dissimulant, non moliuntur insidias, non seruant irã, non quærunt vltionem. Amãt et sunt amabiles, non sunt luxuriosi, non superbi, non auari, non sperant in incerto diuitiarũ. In diem viuunt, non sunt solliciti de crastino, nec animæ suæ quid mãducent, nec corpori suo quo induãtur, sed sicut volatilia cœli nõ serunt neq; metũt nec cõgregant in horrea, tamẽ pater cœlestis pascit eos. Nõ cõformantur huic seculo, nõ reddũt malũ pro malo, sancte, iuste et sine querela, quantũ illas ætas permittit, omnibus adsunt, omnibus placẽt in bono, nemini dãt vllã offensionẽ, ab omni

2. Reg. 6.

Eccles. 24

Psalm. 13

1. Cor. 3.

specie mala se abstinent, ambulant in nouitate vitæ. Cōmessationes & ebrietates prorsus ignorant, scandala nulla vel dant, vel accipiunt, & id genus multas alias in paruulis virtutes vidēt, quæ longū foret per singula enumerare. At illas omnes seruator noster pius in vno verbo est cōplexus, hoc est verbum abbreuiatū, & nihilominus
Roma. 1. consummans & cōplectens omnē Christi salutarem doctrinā. quid ergo nos obstinati, indurati, superbi, elati, luxuriosi, pleni omni malitia & nequitia, fornicatione, auaritia, habentes oculos plenos adulterij, qui omnia membra nostra instrumenta iniustitiæ exhibemus & iniquita
Roma. 6. tis. Est hoc paruulū viuere? Sed firmum fundamentū dei
2. Tim. 2. stat habens hoc signaculū: Conuertitur ad Dominū in toto corde suo, & efficitur sicut paruulus omnis homo, cuius nomen scriptū est in cœlis, & qui est præordinatus ad vitā æternam. Sic humilitas humiles homines eleuat
Luca 10. in cœlum, & maior magis, & maxima super omnes eleuat & similes angelis facit. Sicut superbia de angelis dæmones fecit: & quanto fuerunt superbiores, tanto sunt profundius in infernū demersi. Multa hic de laude humilitatis possent dici, quæ sicco calamo transeo gratia breuitatis. Ergo quicunq; humiliauerit se sicut paruulus iste, *hic maior est*, coram deo omnibus electis eius, *in regno cœlorum: Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo*, suscipit affatu ad consolandum, affectu ad com-
Mat. 10. patiendum, effectu ad subueniendum, patientia ad sufferendum, *me suscipit*, & non perdet mercedem suam. Et hic sit finis huius sermonis.

DE SANCTO MICHAELE, SERMO TERTIVS.

QVAM bonus Israel deus his qui recto & humili corde sunt, ex parte in sermone priore audiuimus. Iā ordine recto quā grande nefas & morte piandū est, qui paruulum talem scandalizat, vel contemnit, explicat. Exterius malū est scandalū, interius est despectus vel contemptus, de quo ait: Videte ne cōtemnatis vnum de his pusillis. Est autem scandalum duplex: Nempe, actiuum quod alteri datur. Et passiuum siue proprium, quod aliquis ab alio accipit. Ibi: Si manus tua. Dicit ergo de scandalo actiuo, quod vnus dat alteri. Et est scandalū, dictum vel

vel factum minus rectum alteri præbens occasionē ruinæ. *Qui autem scandalizauerit*, dicto vel facto minus recto *vnum*, multo peius si plures, si innumeros, quia tot mortibus dignus est, quod vident, audiunt & cognoscunt scādala eius. Quid ergo dicemus de sacerdotibus carnalib⁹ & lasciuis canonicis, qui cum meretricibus suis diu in peccatis iacent, proles suscitant, & non verentur etiam scandalis suis filios proprios & filias occidere, vt taceam de secularibus & externis. Tandem filias tradunt nuptui, dotant egregie, ornant eas auro & argento, purpura & bysso. Nuptias vt magnificentia regia dignum est, præparant, dapibus multis mensas onerāt, vina optima & diuersa parant, aureis poculis bibitur. At hæc de patrimonio Christi, & de substantia pauperum, præda & dilapidatio ista est. At dum filiam tuam, non vis te & matrem imitari, profecto testificaris, quod reproba est vita tua. Et cur nō cessas à ludo, vt admonitus fuit episcopus Magdeborgen. Vdo *de pusillis istis*, vel pusillis & infirmis in fide, vel paruulis & humilibus in suo corde. Et apposite pusillus vocat qui scandalizatur. quia qui nō scandalizatur magnus est corā domino, fortis in fide, firmus in spe, perfectus in charitate, iste in pace multa versatur: & nō est ei scandalum, neq; actiuū neq; passiuum, *qui in me credunt*, Ergo magis est vitandū scandalum fidelium quàm infidelium, quamuis vtrumq; sit peccatū mortale. *expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris*, hoc est, multo vtilius est & innoxiū, vitā tēporalē grauissima pœna finire, quàm scandalizando fratrē mortem æternam promereri. Et hoc modo exponitur de innocente. Alio modo exponitur de nocente qui patienter pœnam sustinet pro culpa commissa, dum digna factis suis accipit. Et sic multo melius est pro culpa breuem pœnam accipere, quàm æternis seruari cruciatibus. Ergo nunc docet omnem scandalum vitare dicens: *Va mundo. i.* mundanis hominibus, mundū hunc & ea quę in mundo sunt diligentibus, & secundū principē mundi huius viuētibus. Iste mundus Christum nō cognoscit, spiritū sanctū non accipit, & iustos odit & persequitur. Væ illi quia totus positus est in maligno. Vnde Christus pro eo nō rogauit in cœna. Vę autē mūdo illi. *à scandalis*, horrēdis multis, assiduis, & maximis quę dāt pusillo gregi Christi, quibus perdūt, pro quibus passus est, & pro quibus nomē dei benedictum

Ephes. [illegible]
Ioan. 14.
Ioan. 15.
1. Ioan. 5.

benedictum blasphematur, Sed & maledictus est qui cę-cum errare facit in itinere, & qui corã cœco ponit offendiculũ. Et quis est cœcus, nisi pusillus grex Christi, simplices filij dei, indocti in plebe, literaturam non cognoscentes. Hos errare faciũt in itinere, & coram eis offendicula ponunt, qui impie agunt, diaboli opera & desideria faciunt, declinant à mandatis dei, inique agunt vsquequaque. Isti non ambulant secundum charitatem, peccãt in fratres & Christum, destruunt opus dei, conscientias percutiunt infirmorũ, perdunt animas et corpora in ge-

Rom. 18. hennam ignis cum diabolo, et sunt diabolus ipse. Sed di-

1. Cor. 14 ceres, Si tam horrendum, tam graue, tam denique damnabile malum est scandalum, quare tunc deus permittit scandala fieri? Ad hoc respondet. *necesse est enim vt scandala veniant.* Non simpliciter necesse est hoc, sed ex suppositione. Est namque duplex necessitas, vna simpliciter, vt quod ignis sit calidus, aqua humida, sol lucidus, et hoc modo nõ est necesse scandala fieri. Alia est necessitas ex

Mat. 24. suppositione, et sic est necesse. Imo impossibile est quod non veniant scandala, multa, innumera, horrẽda et infãda. Supposito enim quod charitas multorum refriguit et extincta est in cordibus multorum, et malitia abundauit, quod timor dei non est amplius ante oculos hominum, et quod nolunt intelligere vt bene agant, et deo dicunt: recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Et ignorant sacramenta dei, neque mercedem sperant iusti-

Rom. 5. tiæ, nec indicant honorem animarum sanctarum, & vani

Iob 21. reputãtur, qui seruiunt deo, et custodiunt mandata illius,

Sap. 2. ambulant sollicite cum deo, ab omni via mala pedes

Mala. 2. suos prohibent, crucem suam post Christum portant, salutem suam cum metu et tremore operantur. Ex quo item omnes quæ sua sunt, quærunt et nemo vel ra-

Rom. 13. rus, quæ sunt Iesu Christi. Item ex quo curam car-

Eccl. 2. nis in desideriis facimus, et omnia quæ desiderant

Luca 18. oculi nostri, non negamus eis, quo minus omni voluptate non fruantur. Nec deum amplius timemus, nec homines reueremur, nec erubescimus amplius de omni malitia nostra. Item quod sola fides ad salutem sufficit, et opera bona vel mala deus non attendit. Item quod opera bona nihil prosunt, et mala nihil obsunt hominibus, et quod sola infidelitas damnat, et nullum est peccatum nisi sola infidelitas. Illis suppositis, vere impossibile

impossibile est scandala non fieri. Sed oues Christi & electi non mouentur istis mendaciis, nec in errores istos inducuntur. Magis autem in veritate permanent immutabiles, vt sol. Ventus erroris, leues & instabiles paleas proiicit à facie terræ: triticum purgat, & purgatum in horrea vitæ æternæ reponitur. Sic & bonum est hæreses esse, vt probati sicut aurum in fornace, manifesti fiant. Sic nulla necessitas cogit humana corda esse iniqua, quę tamen, quia iniqua sunt sua malitia & voluntate, mouent scandala, & fructum faciunt malum, iuxta genus suum: eo quod impossibile est malam arborem facere fructus bonos. At rursus diceres: Si necesse est vt veniant scandala, ergo qui scandala faciunt non sunt puniendi? Sed mentitur iniquitas sibi. Sunt puniendi. *verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit*, Et si preter ipsius voluntatem multa bona ex hoc iustis proueniant, per dei omnipotentissimam bonitatem, qui quod scelerati cogitant ad malum electorum, hoc ipse sua bonitate illis conuertit in bonum, vt Ioseph dixit fratribus suis. Sic profani iustos omni pœnarum genere afficientes præter intentum, supra dorsum eorum dum prolongauerunt iniquitates suas, coronas iustitiæ eis fabrificauerunt, & ad regnum gloriæ eos exaltauerunt. Sic vasa figuli probat fornax, homines vero receptibiles in camino tribulationis. Sic tanquam aurum in fornace probauit eos dominus, & inuenit eos dignos se, & quasi holocausti hostias accepit illos. Væ ergo illi per quem malum quod futurum est impletur. Quia mittet filius hominis angelos suos qui colliget de regno eius omnia scãdala, & eos qui faciũt iniquitaté, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & stridor dentiũ. Ideo hoc iudicemus, ne ponamus offendicula vel scandala fratribus: neque in quo frater cõtristetur, vel infirmetur, vel moriatur in anima, & cadat à via iusta, et declinet in obligationes peccatorũ, adducendus cũ operantibus iniquitaté in fornacē ignis & sulphuris, vbi mors quæritur & non inuenitur, & fumus tormentorum ascendit in secula seculorũ. Est autem aliud scandalum: Nempe, malignorum, sicut pharisæi ex diuinis operibus Christi scandalizabatur Et postea excanduerunt, dentibus fremuerunt & contabuerunt, auditis prædicationibus apostolorum, & visis signis quæ faciebant in nomine Iesu. Illa scandala

Mat. 24. Ioan. 10. Mat. 7. Gen. 50. Matt. 13. Rom. 14. Apoc. 9. Mat. 15. Act. 4.

non

non sunt curanda,sed contemnenda.Ergo si pro veritate scandalum oritur,magis omnia vincens veritas eligenda est, & veritas liberat omnes qui pro ea agonisant etiam vsque ad mortē. Sic igitur necesse est vt omnibus placeamus in bonum ad ædificationem.Malis autē in malis nunquam placere debemus, iuxta illud Apostoli: Si

Gal.1. adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, Et deus dissipat ossa eorum, qui hoc modo hominibus placent,confunduntur,& deus spernit eos.Est tandē scādalum passiuum siue proprium, quo aliquis occasionem peccandi ab alio accipit, vel à seipso, & hoc summopere est vitandum. Et rarus est, qui in laqueo isto nunquam capiatur,qui in rete illud pedes suos non immittat, & in maculis huius scandali nunquam ambulet, qui de calice prostitutionis eius non bibat,quia dulce venenum est & malum subtile.Fauus distillans est,et dulcius melle, sed nouissima eius mordent vt coluber, et amara vt absynthium,et acuta quasi gladius bíceps.Et tanto scandalum hoc est periculosius,quanto familiarius, et magis speciē vtilitatis,consolationis, bonitatis et necessitatis habet.

Iudic.16. Ideo etiam Sampsonē decepit molestiis suis et blāditiis et nūquam dat requiem,etiam viris virtutis,vt eos prosternat,Dicit ergo.*Si autem manus tua,vel pes tuus scandalizat te,&c.* At verba hæc ad longum declaraui sermone quinto,et est sermo de Cōfessoribus,quomodo nos preparare ad cōfessionē sacramentalē debemus, ideo ad eū lectorem remitto.Lege obsecro quę ibi sunt digesta,quia vtilia et necessaria sunt multū. Ex hoc euangelio multa humilitatis colliguntur pręconia.Habet namq; excellentiā in sanctorū collegio,quia exēplar est amicorū et discipulorū Christi:Ideo paruulū statuit in medio eorū. Vnde si pudet te hominē humilē imitari,saltē deū humilem imitare.Tū in officio,quia est ostiaria paradisi cœlestis, quia nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli,nō intrabitis in regnū cœlorū.Humilē nanque spiritu suscipiet gloria.Tū in premio, quia facit magnos in regno.Vnde qui humiliat.etc. Quarto in primatu vel fa-

Matt.10. stigio,quia est vicaria Christi. Eo quod qui suscipit vnū talē,recipit Christū.Quinto in iudicie,quia precipua victrix est sui oprobrij.Ideo qui scādalizauerit vnū de pusillis illis,&c.expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius,et demergatur in profundū maris. Sexto in hoc exilio,

exilio,quia humilitas ministri et humiliũ, comites itẽ et defensores sunt vranici ciues,angeli dei sancti, castra et milites Dei.ideo sequitur:*videte*, et cauete diligẽtissime, *ne condemnetis*.corde despiciẽdo,verbis exprobãdo,criminando,obloquẽdo,operibus iniuste gradiẽdo, opprimẽdo,spoliando,male tractãdo,*vnum ex his pusillis*, vel neophitis,vel infirmis in fide,vel despectis apud cogitationes diuitũ qui ea quæ nõ sunt,et infirmos,ignobiles cõtemptibiles et indoctos,inutiles cẽsent.Ideo oprimũt paupe res iustos,nec parcũt viduis,nec veteranis,nec cano reuerẽtur multi tẽporis. Derident iustorũ simplicitatẽ, et sunt opprobriũ abundantibus, et despectio superbis.Sic ambulãs recto itinere ac timẽs deũ ab eo despicitur, qui infami graditur via.Sunt qui vidẽtes pie viuẽtes in Christo eos derident,scõmata labiis loquuntur et mouẽt capita sua,& interim nolunt secũ reputare, quod qui calũniatur pauperem, exprobrat factori suo, quia quod vni ex minimis eius fit,siue bonum id fuerit siue malum, fit Christo.Ergo omni diligentia videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.Et huius rationẽ addit,*Dico enim vobis*, ad hoc malum propensis,& qui in hoc gloriamini. quasi deo in hoc obsequium feceritis, *quia angeli eorum*, quos vos cane & angue peius habetis,vita indignos iudicatis, tanquam purgamenta mundi huius & peripsema reputatis, & onus terræ. Cum sæpe tales sunt in oculis dei, quod contubernio eorum dignus non est mundus. Angeli eorum dico qui hic eos custodiunt,qui eis ministrãt, qui eos in manibus suis portãt,*in cælis semper vident faciem patris mei qui in cælis est.* Non ergo contemnendi pusilli, quia quod non contemnitur à maximis & beatis,non est contemnendum à minoribus, à miseris & despectis. Sed paruuli non contemnuntur ab angelis beatis, sed & nec à deo & Christo Iesu, ergo nec ab omnibus infirmis, miseris & peccatoribus: Quia vt plurimum, quanto grauioribus sunt peccatis constricti & rei, tanto sunt ad contemnendum pusillos magis propensi.Maxime si potestate prediti sunt & abundant in hoc seculo: Sed non sunt contemnendi pusilli. Tum propter naturæ conformitatem, qui timetis dominum, pusilli & magni. Tum propter conditionis coæqualitatem. Pusillum, enim & magnum ipse fecit, & ex vno omne hominum genus. Tum propter peregrinationis habitationem, nam

Sap. 2.

Heb. 11.

Sap. 6.

nam animalia pusilla cum magnis cohabitant in terra deserta. Quartò propter eandem hæreditatem. Nolite ergo timere pusillus grex,&c. Tum propter redemptionis magnitudinem, in ea enim omnibus benedixit, pusillis cum maioribus. Et hîc sit finis sermonis istius.

DE SANCTO MICHAELE, HOMILIA, QVARTA DE *Angelorum custodia.*

Psal. 90. ANGELIS suis deus, ô homo, mandauit de te, vt custodiãt te in omnibus viis tuis. Qui etiam cum peccas nõ dimittit te, sed te præcedit & introducit in locum quẽ tibi præparaui in domo patris mei, vbi sunt mansiones multæ. Et hoc facit si audieris vocem meam, & feceris omnia quæ loquor. Videte ergo qualem charitatem nobis exhibuit deus: Nunquid non deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisq; fratrẽ suum, violans pactum patrum nostrorum? Christus Iesus non confunditur vocari frater noster. Ne ergo dixeris, ille faber est, ille sutor, ille coriarius, iste insipiens agricola, hic fœtens pellio, is ignobilis rusticus: ab angelis quibus
Roma. 8. commissi sunt, nobiles eos deus fecit. Tum quòd ille dignatur esse eorũ deus, & filius: & filius altissimi eos in fratres, in amicos, in filios elegit & cohæredes, quòd si adhuc in superbia tua perseueras & alios despicis, scri-
Esaia 18. ptum scias: Væ tibi qui spernis, nam & ipse sperneris, & eris ignobilis. Eadem mensura retribuetur tibi, quam
Matt. 7. aliis metiris, & addetur tibi. Vnde notandũ quod omnis homo suum proprium angelum custodem habet. Christo excepto, qui deus fuit & homo, & immediate regebatur à verbo cui homo iste erat vnitus. Tum quia verus erat comprehensor. Tum quod nullum defectum habuit nec culpæ nec pœnæ. Omnes nihilominus angelos habuit in ministros. Beata autẽ dei genitrix & semper virgo Maria, vt multi doctores volunt, angelum custodem habuit, vel vt Os aureum dixit. Infinitam militiã angelorum ad gloriosæ virginis obsequium deputatam nullatenus ambigimus, vt custodirent veri Salomonis lectulum floridum, & præcauerent ne præparatum æterni regis hospitium, hostis incenderet. Sic & Adam in paradiso

radiso angelũ bonum custodẽ habuit et Eua, sic & pueri in vtero matris ab eo tempore quo anima corpori infunditur suos habent angelos custodes: Imo, omnes pagani, Iudæi, & ipse AntiChristus, suos angelos habent. Isti angeli homines nunquã derelinquunt in vita, quantũlibet sint mali, si moriuntur homines in gratia & purgati, deferunt eas in cœlũ, vt animam Lazari & latronis dextri & Stephani. Si autẽ in gratia moriuntur & nondũ ab omni inquinamẽto corporis & animæ sunt emũdatæ. Ex quo nihil inquinatũ intrat in cœlum, tunc boni angeli eas deferunt in purgatoriũ, & cum expurgatæ sunt, eas portant in cœlũ. Si autẽ homo moritur in peccato mortali & cadit ad aquilonẽ, tunc in morte animã illã bonus angelus deserit, & malus eã ad locũ tormentorũ portat, vt patet in diuite epulone. Et alteri dictũ est: *Mat. 12.* Stulte, hac nocte, animã tuã repetent à te. Sic Iudex malũ tunc tradit ministro, qui eũ in carcerem mittit. Hinc diabolus inimicus vocatur et vltor. Inimicus homo dicitur in euãgelio, & si iustas dei leges præuaricamur, tunc vltorẽ diuinæ offensionis, & tortor crudelis eorum, qui spreto deo, sua desideria & opera fecerunt. Modus quo nos custodiunt, certe mirabilis est & dignus cuius mentio fiat cum gratiarũ actione. Custodiunt nos certę dignanter: Nempe tam felices & beati, tã miseros & infelices. Magni tam paruos, digni tã viles, pauperes & malos. Atq; in tã vili loco huius mundi, et etiã stabulo sordido, vt patet in vulnerato. Itẽ, quòd tam officiose nobis seruiunt, sicut serui emptitij die ac nocte. *Luc. 10.* Demũ quòd nec peccatores & ingratos deserunt, qui sunt in oculis eorũ omni cadauere & putredine abominabiliores. O dignatio stupenda. Custodiunt etiã nos læto animo ac libenter, vt quasi omnes clament illud: Ecce ego, mitte me. Et *Luc. 15.* hoc operis testatur testimonium et domini verbũ, quia gaudium est eis super vno peccatore pœnitentiã agente. Et gratissime, sine meriti alicuius respectu. Læte inquam, quia non affliguntur nec dolent de custoditi damnatione, et hoc, quia sunt per omnia diuinæ voluntati conformes. Custodiunt etiam nos fortiter die ac nocte, vigilantes et dormientes. Et vt paruulis lac demus *Angelorũ custodia.* suaue, exemplis et similitudinibus, quę melius in memoria retinere possunt, custodiæ angelicæ modum comparemus. Custodiunt nos sicut fidelissimi vigiles,

qui obsidionibus periculosissimis deputantur contra hostium innumerabilium & fortissimorum, & calidissimorum dolos & virtutes: Illi nos circuerunt die ac nocte, rugientes vt leones, quorũ fortitudini nulla similis est
1. Pet. 5. in terra. Obsessionem & obsidionem moliuntur, vitę nostræ insidiantur die ac nocte, rapere, perdere & mactarę nos quærunt. Contra tales nobis est colluctatio pro cœlestibus. In nobis autem non est tanta virtus, vt eis resistere vel insidias eorum euadere possemus, nisi angelorum adiutorio fulciremur & dei: quorum freti præsidiis nihil in nobis proficere possunt, nec apponere vt noceant nobis. Custodiunt nos diligentius, quàm nutrix regis vnicum filiũ, & in manibus nos portant, ne ad lapidẽ vel tantillum impingamus pedem nostrũ. Lac nobis abundanter præbent de vberibus noui & veteris testamenti, quod melius est vino & vnguentis optimis fragrantibus &c. Custodiunt nos vt medici suos infirmos, contra omnia corporis & animæ morbos pharmaca nobis prouidentes. Et si eorum consiliis acquiescimus, sanant omnes infirmitates nostras. alligant omnes contritiones cordiũ nostrorum Custodiunt nos vt pædagogus discipulũ instituendũ & erudiendum, ad iustitiam docendum, facere
2. Tim. 3. voluntatẽ Dei, ad arguendum & corripiendum cum delinquimus, vt perfecti simus homines Dei, & ad omnia opera bona instructi. Custodiunt nos sicut regis thesaurarij, regis pretiosissima vasa, margaritas, lapides pretio-
Matt. 13. sos, & deposita. Quid enim est homo nisi pretiosa margarita, pro qua dei filius omnia sua dedit & comparauit eam? Sic & thesaurus esse cõprobatur ille, pro quo emẽ-
1. Pet. 1. do itidem fecit. Redemit namque nos in sanguine suo,
2. Cor. 6. pretio vtique magno. Nos sumus vasa gloriæ eius, super aurũ & lapides pretiosos illi chariores. Illis nempe angelis deus dicit: Bonum depositum custodite, sicut pupillã oculi vestri, sicut animã vestram, quia homo quem custoditis, frater meus, filius meus, membrũ meum, hæreditas mea, cohæres meus est. Hæc omnia longius per scripturas deduci possunt. Deniq; vtiliter custodiũt nos, & modis diuersis, iuxta hominũ conditiones. Erga peccatores sic se habent, eos dure increpant de ingratitudine collati beneficij, de præuaricatione mandati diuini, & de perditione promissi præmij quod habuerũt pro nihilo. vt patet in Iudicũ libro. Impediũt eos ne peccent, vt in Balaam

laã videre eſt,& regibus qui vxorẽ Abrahæ tulerũt. Demum eripiunt iuſtos ne eos occidant,vt Dauid de manu Saul vicibus multis. Sic & Sodomitas cæcitate percuſſerunt,&c. Circa pœnitentes & flentes ſic ſe habent:eorum oculos ſanant,vt patet in Tobia,vt videant vbi proſtrati ſunt,& doleant. Deinde labia purgãt ad confeſſionem. Poſtea eis cõgaudent in ſatisfactione. Inſuper dæmones ligãt in abyſſum, ne poſſint tentare quãtũ volunt. Tangunt femur,minuendo cõcupiſcentiam. Signãt frontem paſſionis domini memoria. Iuſtos poſitos in tribulatione,non deſerunt. Nã orationes eorum deo offerunt. Pro eis allegãt ante dominũ,& ſententiam voluntatémque domini eis denuntiauit. Ad hæc cõſolãtur iuſtos in tribulatione poſitos, vt patet in Chriſti agone: aſtant illis, illuminãt eos,excitant & ſurgere compellũt. Soluunt ligatos,educunt de carcere,liberatos relinquũt bonum vt operentur. Docent pericula fugere, vt Herodis gladium. Cuſtodiunt à læſione, vt patet in Daniele, Cibant in neceſſitate,vt in Helia manifeſtum eſt. Ac citius arenas maris,& pluuiæ guttas, ac dies ſeculi dinumerare poſſem, quam beneficia angelorum erga nos. Morientes bonos ab inſidiis diaboli cuſtodiunt,ſicut Iudith ab Holoferne. Viam eis parant, vt Iacobus & locãt in cœlo,vt Lazarum, & coram eis laudes dei cantant,vt hîc patuit ſermone primo. Et poſtea ad laudes dei & cõgratulationem, ſaluati,omnes angelos & ſanctos cõuocant,dicentes: Benedicite Deum & cantate illi. Circa purgandos ſic ſe habent: Nam ad purgatorium eos deducunt & cõſolantur. Suffragia pro eis fieri à viuis procurant,ſic Danieli de cibo. At impij tunc erubeſcent, & deducentur per dæmones in infernũ, & tunc muta fient omnia labia doloſa,& omnis iniquitas opilabit os ſuum. Et hîc ſit finis. *Dan. 14.*

IN FESTO SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI, in Epiſtolam exegeſis.

MIHI *abſit gloriari,niſi in cruce.* Sanctus Frãciſcus à ſuæ conuerſionis exordio,hoc ſolummodo quæſiuit,vt Chriſtum in omnibus, quantum fragilitati naturæ ſuæ poſſibile foret cum gratia Dei, & adiutorio

altissimi, perfecte sequi posset. Eius item imaginem portare, ipsum glorificare, & portare in corpore suo, Hinc semetipsum abnegauit, crucē suā quotidie portauit, Christum sequebatur, quocunque iuit, Semper mortificationem Iesu Christi in corpore suo circūferebat, ita quòd vita Iesu in corpore suo manifestabatur, & in carne sua mortali. Crucem amabat, crucē Christi docebat & commendabat, Christo cruci confixus erat, crucē baiulabat, crucis mysteria & thesauros absonditos super senes, & super omnes docentes se, penetrabat & cognoscebat, ideo ad tantū perfectionis culmen, ad tam altum charitatis gaudiū peruenit, & vnionem cum Christo, quòd
Ephes. 2. ipse qui per crucis supplicium, genus humanum de potestate diaboli asseruit, crucis suæ stigmatibus, quo hactenus nullū mortalium in se credentē insigniuit sanctū hunc patrem consignauit, ornauit & honorauit, palā per hoc contestans, quanto amore, Franciscum multum se amantem, amauit. Sanctus igitur Franciscus, seruus & amicus altissimi, mirabilia multa in crucis virtute (quam portabat in corpore suo, per carnis crucifixionē assiduā, cum vitiis & cōcupiscentiis, & per amorem crucis transformatiuum, gerebat in mente) fecit, mirabilis nihilominus in se & in omnibus quæ per eum dominus magnifice fecit. Fuit reuera mirabilis pater sanctus, videlicet, paupertate diues, humilitate sublimis, mortificatione viuidus, simplicitate prudens, stultitia sapiens, abnegatione sui, sui compos & dominus, honoris & gloriæ fuga, gloria & honore à domino coronatus. Hinc crucis baiulator assiduus, crucis prædicator veridicus, crucis amator cordialissimus, ad crucis amorem feruentissimum omnes gentes exhortatur, & omnes qui habitant orbē. Similiter quosque terrigenas & filios hominum, simul in vnum diuites & pauperes. Prouocat autem totum mundum ad crucis amorē, suo exemplo, crucis sufficientiam, & crucis vtilitatē, Nihil vir sanctus docuit alios, quod per ipsum prius nō effecisset Christus. Nam facere cœpit & & docere, Christi imitator perfectus. Ideo voci suæ, qua viam dei in veritate docuit, vocē virtutis dedit, quia vocem oris, signis & operibus, vitæ & executionis, conuersationis inculpatæ (qua bona sibi coram deo & coram omnibus hominibus prouidit) cōfirmauit. Hinc factū est, quòd dum paruus, mitis & humilis corde, in sua æstimatione

tione fuit,& omnium minimus, per baiulationẽ crucis, & imitationem Christi perfectam,qua sermones Christi fecit & docuit, magnus coram domino in regno cœlorum factus fuit & vocatus. Ait igitur homo Dei, omnes ad se imitandum inuitans, & dicit: Imitatores mei estote,sicut & ego Christi, & ambulate sicut habetis formã nostrã. Rogo itẽ & obsecro in domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oportet vos, per crucis baiulationem assiduã, ambulare & placere deo, sic & ambulate, vt abundetis magis,& proficiatis in sapientia, gratia & iustitia apud Deũ & homines semper. *Mihi* omnium sanctorum minimo, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Quia cum cepissem crucẽ Christi portare, mox ab omnibus malis per eam liberatus sum, & bonis omnibus repletus. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,& innumerabilis honestas per manus illius. Et vt parũ quid de cruce Christi dicam. Crux Christi est lignum vitæ in medio paradisi, propter vitæ reparationem. Lignum vitæ est his qui apprehendunt eam, & qui tenent & portant eam ; beati in facto suo sunt & viuent in æternum. Est etiam arca Noe, propter mundi saluationem,quia soli seruantur,et saluati sunt à diluuio peccati,qui fuerunt in arca crucis;cæteri omnes mortui sunt in delictis et peccatis suis. Est virga Moysi, propter miraculorum operationem,quæ facta sunt in ea,de quibus nõ est modo dicendum per singula. Crux est lignũ, qua amara dulcorantur,et tribulationes mundi,et amaritudines in dulcedinem vertuntur, adeo quòd glorian-tur in tribulationibus, et sibi complacent in angustiis,in persecutionibus et aduersitatibus omnes ; qui portant crucem Christi. Deinde crux est palus in quo serpẽs fuit suspensus per sanationem animarũ à morsibus peccatorum. Crux est clauis Dauid, quã cœlum est apertum, et liber sapientiæ salutaris. In ea sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ dei absconditi; quamuis pereuntibus stultitia putetur. His autem qui salui fiunt, est dei virtus & sapiẽtia summa. Est etiam crux ipsa sceptrũ aureum Assueri, propter clementiæ diuinæ demõstrationem. In cruce namque Christi, ira dei in misericordiam cõuersa est. Postremo, est ferculum veri Salomonis,& currus igneus Heliæ, eo quòd credentes in Christum & crucem post ipsum portãtes, per eam in cœlum deuehuntur. Mirabile

Sap 7. *Prou.3.* *Gen.6.* *Exod.4.* *Exod.15.* *Num.21.* *Ioan.3.* *1.Cor.1.* *Hest.8.* *4. Reg.2.*

quid,vbi mundi ſapientes erubeſcunt, ſcandalizantur &
1. Cor. 4. pereunt,ibi ſtulti propter Chriſtum gloriantur, reſurgunt à mortuis,& ſalutem inueniunt.Omnia verba ſucci plena ſunt, vt ſciunt ij qui mel nouerunt de petra ſu-
Pſal. 134 gere,& oleum de duriſſimo ſaxo.In cruce inquã, *domini,*
Gene. 37. cœli & terræ,propter poteſtatem,quia omnia quæcũque
Ephe. 5. vult facit,in cœlo & in terra,in mari & in omnibus abyſſis,*noſtri*,propter fraternitatem.Caro enim & frater noſter eſt. Et nos membra ſumus corporis eius, de carne
Heb. 1. eius,& de oſſibus eius. Ideo non confunditur nos voca-
Pſal. 44. re fratres.*Ieſu*,propter ſaluationem. Ieſus enim ſaluator
Ioan. 1. interpretatur, & ipſe populum ſuum ſaluauit à peccatis eorum in regnum ſuum cœleſte.*Chriſti*,id eſt,vnĉti ſpiritu ſanĉto præ participibus ſuis. Fuit plenus gratia & veritate,& de plenitudine eius nos omnes accipimus.Deus
Ioan. 3. pater dedit ei ſpiritũ,non ad menſurã. Et dicit in cruce Domini,nõ latronis dextri vel ſiniſtri. Vterque enim pro ſua culpa patiebatur, ſed Chriſtus patiebatur pro iuſti-
1. Cor. 1. tia,& pro culpa aliena.Factus pro nobis à Deo ſapiẽtia, & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio, vt nos impleret agnitione voluntatis ſuæ, in omni ſapientia & intellectu ſpiritali, efficeremur iuſtitia dei in ipſo, ſancti item eſſemus & immaculati in cõſpectu eius in charitate,participantes redẽptionis ſuæ fructus per crucis baiulationem & membrorũ noſtrorum mortificationem.In cruce
1. Col. 5. Chriſti gloriatio, in cruce latronis dextri conſolatio, in
Ephe. 1. cruce latronis ſiniſti,confuſio.In prima pœna ſine culpa, & poſt gloriatio.In ſecunda pœna pro culpa, & poſt remiſſio.In tertia pœna pro culpa, & poſt dãnatio æterna. In prima cruce charitas,obedientia & iuſtitia fuit.In ſecunda cõfeſſio peccatorũ,fides electorũ,& ſpes iuſtorũ. In tertia,obſtinatio, blaſphematio & æterna damnatio. Per *quem* Chriſtũ crucifixũ,pro omnib. mortuũ,*mihi*,qui
Gala. 2. deo viuo & Chriſto cõfixus ſum cruci,& cõfiguratus ſimilitudini mortis eius,dum venit in me Chriſtus,& ego viuo in fide filij dei,*mũdus* in maligno poſitus, qui deum nõ cognoſcit,iuſtos odit,perſequitur & occidit,*crucifixus eſt*,vt ſcilicet me nõ teneat. Sicut qui habet manus cruci affixas,nihil teneri poteſt,*& ego mũdo*,vt ipſum nõ teneã,
1. Ioan. 2. ſed dimittã.Mundus mihi totus eſt, cũ triplici concupiſcentia eius,& nullã virtutem in me habet.Et ego mundo ſum mortuus,quia nihil mũdanũ cõcupiſco & quæro.

Nam

Nā quæ mundus lucra ducit, ego detrimenta arbitror. Et quæ amat, ego vt stercora despicio. Vnde obiter notandū, quòd quidā crucifixi sunt mundo, et mūdus eis, quia à mundo contēnuntur, et ipsi mundū contēnunt. Illi videlicet, qui tanquā purgamēta mūdi huius æstimātur, et omniū sunt quisquiliæ. Talis fuit apostolus, talis fuit et sanct⁹ Frācifcus. Alij mūdo crucifixi nō sunt et mortui, sed mūdus eis, quia à mūdo non contēnuntur, sed honorātur, sed ipsi mundū contēnunt. Talis fuit Antonius magnus, Hilariō, Bernardus, Frācifcus. Alij mūdo sunt crucifixi, sed nō mūdus eis, quia à mūdo contēnuntur, sed ipsi mundū nō contēnunt, vt filij huius seculi, et omnes qui seculū hoc diligūt, et calamitatibus præmūtur, vt in filio prodigo cernere est, et militib⁹ q castra sequūtur. Quarti nec mūdo crucifixi sunt, nec mūdus eis, qa nec à mūdo contēnuntur, nec mundū contēnūt, vt diues epulo, et oēs qui in bonis ducūt dies suos, et in pūcto ad inferna descendūt. Rursus aduertendū, quòd quadruplicē gloriā dānat Apostolus, et quadruplicē cōmendat. Dānat gloriā luxuriosorū, quæ est, in corporis voluptate. Nō glorietur oīs caro corā eo. Hæc est ignominiosā, iuxta illud. Gloriā eorū in ignominiā cōmutabo. Cupidorū in terrenorū possessione. Sic diues gloriat̄ in diuitiis suis multis. At nō debem⁹ timere cū diues fit homo, et cū multiplicatur gloria domus ei⁹. Qm̄ cū interierit, nihil eorū secū sumit, neq; descēdit cū eo gloria ei⁹. Isti gloriant̄ in malitia, et qđ potētes sunt iniqtate. Et ꝑpter hāc causam deus destruit eos in finē, euellit eos, et emigrat eos de tabernaculo eorū, et radicē eorū de terra viuētiū. Superborū, in cordis elatione. Verū putredo et vermis, puluis et cinis, qd habes qđ nō accepisti: et si accepisti, qd gloriaris quasi nō acceperis: Hæc est præsumptuosa. Sic gloriat̄ securis cōtra eū, q secat in ea. Quarta gloria est in exteriori simulatione, quæ est hypocritarū, de qua ait Apost. Vt habeatis ad eos q in facie gloriātur, et non in corde. Sed oīs gloria iusti, ab intus. Ita est dolosa. Quia diligunt deū in ore suo, et lingua sua mētiuntur ei. Cor autem eorum non est rectum cum deo, nec fideles sunt in testamento eius. Verum qui gloriatur, in domino glorietur. Contra quod commendat Apostolus quadruplicem gloriam. Prima est in conscientiæ puritate, quia gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ. Hæc

Philip. 3. — 1. Cor. 4. — Iob 21. — 1. Cor. 1. — Osee. 4. — Psal. 48. — Psal. 51. — 1 Cor. 4. — Esa. 10. — 2. Cor. 5. — Psal. 44. — Psal. 77. — 2. Cor. 1.

2.Cor.1. est speciosa, quia species cœli, gloria stellarum. Probet
Eccles. 43 autem vnusquisq; opus suum, & sic in semetipso tantũ
Galat. 6. habebit gloriam, & non in altero. Secundo in malitiæ
destructione, iuxta illud: Vos estis gloria mea & gaudiũ
1.Thes.2. meum, loquitur de conuersis per ipsum. Hæc est precio-
sa, ipso Apostolo testante, cum ait: Bonum est mihi ma-
gis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Tertia
est in pœnæ toleratione. Sic gloriantur in tribulatio-
1.Cor.9. nibus pie viuentes in Christo. Quia quod in præsenti
Rom.5. momentaneũ est & leue tribulationis nostræ, supra mo
dũ in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in iu-
stis. Hæc est fructuosa. Ideo libenter Apostolus gloriaba
tur in suis infirmitatibus, angustiis & pressuris, vt virtus
Christi quæ in infirmitatibus perficitur, habitaret in eo.
2.Cor.4. Quarta est in spe gloriæ filiorum dei. Et hæc est gloria
& 12. iocunda, eo quod exultabũt sancti in gloria, & sancti om
nes cantant & exultant in gloria sua. In cruce autẽ do
mini merito est gloriandum. Tum, quia in cruce pepen-
Roma.5. dit gloria dei patris, & figura substantiæ eius. Nam filius
sapiens est gloria patris. Tum, quia per crucẽ aperta est
gloria cœli, iuxta illud: Dabo clauem domus Dauid su-
per humerum eius. Tum, quia per crucem subiecta est
Christo gloria mundi. Factus est namq; obediens vsque
ad mortẽ. Sequitur. In nomine Iesu omne genu flecta-
tur. Tum, quia per crucem euacuata est ab homine vi-
cto gloria diaboli, qui gloriabatur in malitia sua quod
Sap.14 hominẽ vicerat. Sed benedictũ lignũ per quod facta est
iustitia. *In Christo enim Iesu.* Merito in sola cruce Christi
glorior, quia hæc crux quantũuis Iudæis sit scandalũ, &
1.Cor.11 gẽtibus stultitia, ipsis tamẽ vocatis & credẽtibus est om
niũ bonorũ mare exuberans, thesaurus, & dator, & sola
sufficit ad salutẽ. Nã his qui sunt in Christo Iesu per ve-
rã fidẽ & charitatẽ, & manent in eo, & ipse in eis, *neque
circuncisio aliquid valet*, in qua gloriabantur Iudæi, imo
nihil eis prodest ad salutẽ post publicationẽ euãgelij, sed
Galat.5. magis obest. Quia si tũc circuncidebãtur in carne, Chri
stus eis nihil profuit. *Neque præputium* gentiliũ, aliquam
eis dignitatẽ contulit apud deũ, ad consecutionẽ salutis,
quæ datur per Christũ & crucis meritũ. *sed noua creatu-
ra*, id est, regeneratio per baptismum, in quo datur gra-
Tit.3. tia quæ à deo creatur, et innouat ac regenerat homi-
nem in esse gratiæ, qua fit homo nouus, noua creatura,
ambulat

ambulat in nouitate vitæ,et deo in nouitate ſpiritus,ſer uit,et in ſanctitate et iuſtitia,omnibus diebus ſuis. Iam tangit crucis vtilitaté,quam credentes in Chriſtũ ex ea aſſequuntur. Et *quicunque*, ſiue Iudæi,ſiue gentiles fue- *Luca 1.*
rint, *hanc regulam*, hoc eſt,rectitudinẽ gloriandi in cruce, et iſtã certam doctrinam. Crux enim certiſſima regula eſt vitæ humanæ,quia non deuiat ab extremis. Nam in cruce eſt vilitas,aſperitas et paupertas,quæ quẽlibet ho minem concomitantur,cum naſcitur in hunc mundũ,et cum egreditur ex hoc mundo. Naſcimur viles,immundi et filij iræ.Nihil in hunc mundum inferimus,nihil efferimus nobiſcum. Quicunq; ergo regulam hanc *ſecuti fuerint*. Nõ alta ſapiendo,ſed humilibus conſentiendo,et vi- *Roma.12*
les cũ Dauid ſunt in oculis ſuis,et carnem ſuam cum vi *1. Reg.9.*
tiis et cõcupiſcentiis crucifigunt, vias duras cuſtodiunt, vim ſibi faciunt,ſemetipſos abnegant,mortificant,et cru cem ſuam quotidie portant,ac Chriſtum in paupertate *Luc.14.*
ſpiritus quocunq; iuit,ſequuntur, huius magnum habẽt gloriationis emolumentum.Nam *pax* ſuper illos,pax in- *Luc.2.*
terna et æterna. Pax et tranquillitas mentis, temporis et æternitatis, quæ datur hominibus bonæ voluntatis, *& miſericordia*, quæ eſt peccatorum remiſſio,quia omnia peccata in baptiſmo purgantur et remittuntur. *& ſu- 2.Cor.3.*
per Iſrael dei, hoc eſt,ſuper omnes qui legem cuſtodiũt, ſecundum ſpiritum viuificantem,et non ſecundum literam occidentẽ. Non enim qui in manifeſto Iudæus eſt, *Roma. 2.*
neq; quæ in manifeſto in carne eſt circunciſio,ſed qui in abſcondito Iudæus eſt,et circunciſio cordis in ſpiritu,nõ litera:Iſti ſunt Iſrael dei. In huius epiſtolæ calce inuitat eos ad perſeuerantiam in amore et baiulatione crucis. *De cætero* poſt hoc *nemo mihi moleſtus ſit*, docendo legalium obſeruationem neceſſariam eſſe ad ſalutem cum euangelio : Nemo magiſtros mendaces in hac falſa doctrina audiat:Nemo faſcinatoribus fidem tribuat,pſeudo *Mat.7.*
apoſtolis,operariis ſubdolis,Satanæ miniſtris,qui in veſtimentis ouium veniunt, in humilitate et in religione *Coloſ.2.*
angelorum ambulant,docentes non obedire euangelicæ veritati. Hoc enim mihi ſcribendi et parturiendi vos *Galat.6.*
donec in vobis formaretur Chriſtus, laborem et mole- *1. Tim.2.*
ſtiam faceret. Ratio huius eſt,quia *ego* Apoſtolus et doctor gentium in fide et veritate, *ſtigmata Domini*, id eſt, ſigna paſſionis et militiæ Chriſti, *in corpore meo porto*,

 et non

Cantic. 3. & non in mente solummodo, vt illi quibus dilectus est myrrhæ fasciculus,& quorum inter cordis vbera,per meditationem deuotam passionis eius iugiter moratur. Alij stigmata Iesu in picturis portant, Alij in ore tantùm, dum de eis crebro loquuntur. Sed Apostolus ea portauit in corde,per amorem & meditationẽ,& in corpore,
Canti. 8. sustinẽdo liuores,plagas & vulnera pro nomine Iesu. Sic posuit Iesum,vt signaculũ super cor suum,intus per amorem,& vt signaculum super brachium suũ,foris,in corpore patiendo molestissima multa. Verũ vt prædicta teneatis vsq; in finẽ,tunc obsecro pro vobis, ô *fratres* mei dilectissimi, vt *gratia domini nostri Iesu Christi*, & veritas quæ per Iesum Christũ facta est, & non seruitus & vmbra legis,sit & maneat, *cum spiritu vestro*, quæ gratia est, & arra gloriæ, *Amen.* Gratia Dei multos habet effectus. Nã filios Dei gignit,ad esse spirituale producendo, sicut coniunx fœcunda. Sic gratia Dei sumus filij Dei, quod sumus & nominamur. Deinde genitos nutrit,dando eis lac paruulorũ & postea solidũ iustitiæ cibũ, sicut
Sap. 16. nutrix sedula. Omniũ inquit nutrici gratiæ tuæ deseruiebant. Postea erudit ad iustitiam secundum legẽ Domini, sicut sapiens mulier & magistra. Sic apparuit gratia
Titi 2. Dei saluatoris nostri,omnibus hominibus,erudiẽs nos, vt abnegãtes impietatẽ & secularia desideria,sobrie,pie & iuste viuamus. Super hæc,protegit à periculis libe-
Eccl. 24. rando,tanquam fortis armatus,& potens in prælio. Aliquotiens periclitatus sum,sed liberatus sum gratia Dei. Quintò purgat à peccatis,iustificando,mundans ab om-
2. Cor. 7. ni inquinamento carnis & spiritus. Sic super niuem deal
Roma. 3. bamur, & gratis iustificamur per gratiam Dei. Et hæc gratia,cum omnibus prædestinatis est. Sextò,iuuat in-
1. Cor. 15 firmitatem nostram in bonis collaborando,tanquam efficax socia. Plus omnibus laboraui, non ego,sed gratia
1. Cor. 10 dei mecum. Septimò,confortat in tentationibus,& neminem tribulari permittit supra id,quod potest, sed ro-
2. Tim. 2. bur & vires multiplicat,tanquam optima medicina. Tu ergo fili,confortare in gratia dei. Octauò,saluat in vi-
Roma. 6. tam æternam,tanquam fidelis aduocata. Gratia dei vita æterna. Et gratiam & gloriam dat dominus. Optimum ergo est,gratia stabilire cor. Gratia dei & misericordia in
Sap. 4. sanctos eius,& respectus in electos illius.

IN EVANGELIVM IN DIE SANCTI FRANCISCI, Homilia.

IN illo tempore respondens Iesus dixit, &c. Exuberans dei bonitas omnia propter electos facit, vt salutē consequātur in Christo Iesu, in præsenti per gratiam cum gloria cœlesti. Vtrumque enim dat dominus, vt Dauid dicit. Vnde Iohannes ait: Deus pater filium suum misit in mundum, vt saluetur mūdus per ipsum. Et filius ait: Fur non venit nisi vt furetur, & perdat & mactet. Ego veni, vt oues meæ vitam habeant & abundantius habeant. Verum cum filius hominis non veniat animas perdere, sed saluare: Et deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis peruenire, quia non est volūtas eius mors impij. Consilium autē domini stat, & omnis voluntas eius fit & impletur. Et subest ei cum voluerit, posse. Cur igitur pauci saluantur; & in tam multis voluntas dei misericors non impletur, qua nō vult aliquos, imo nec vnum perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, eo quòd amat animas? Hunc nodum Herculis hic soluit Christus ex parte, vt patebit. Et tria in isto euangelio facit. Primò gratias patri agit pro reuelatione veritatis, per quam fides infunditur in intelligentia. Deinde causa huius reuelationis substituitur: nempe, beneplacitum patris, per quam spes firmatur in memoria. Ita pater quoniam sic fuit placitum. Tertiò sequitur inuitatio benigna ad suam imitationem, per quam charitas accenditur in affectu siue volūtate, ibi: Venite ad me. Circa primum considerandum, quòd ante istud euangeliū Christus perfidis Iudæis, & obstinatis pharisæis ingratitudinem eorum dure exprobrauit: Nempe, quòd in eum credere noluerunt, cum tamen legem Moysi & omnes prophetas viderent ei testimonium ferre, similiter & Ioannem Baptistam, quòd filius dei, verus Messias, saluator mundi. & huius duplicem causam inter alias dixit fore: Malitiam videlicet & superbiam. Malitiam quia tenebras magis dilexerunt quàm lucem, cum essent opera eorum mala. At cum vitia eorum arguere cępisset Christus inuidiam conceperunt contra eum, & odio habere cępe rūt corripientem in porta. Ad hęc per malitiam sic excęcati sunt,

Ioan.3. *Ioan.10.* *Ioan.9.* *1.Tim.2.* *2.Pet.3.* *Ioan.3.*

sunt,quod apertos suos excessus & horrenda vitia,videre non potuerunt. Ideo frustra inflati sunt per scientiam literæ occidentē,& veritatem odire cęperunt,nec audire volebant vt saluarentur. Sic ergo ipsi erant sibi grauiores tenebræ. Ipsi nolebant intelligere vt bene agerent, quia malitiam diligebant.Erant rebelles lumini,semper
Iob 12. restiterūt spiritui sancto, sicut & patres eorum.Dixerunt
Act.7. deo:Recede à nobis,scientiam viarum tuarum nolumus. Cum ergo Israel contentiose semper ageret,cor induraret,frontem perfricaret,veritati resisteret, vocem domini non audiret,nec Christo intenderet, iuste dimisit eos
Psal.80. secundum desideria cordis eorum maligna,vt irent in adinuentionibus suis pessimis.At cōtra humilibus apostolis & simplicibus in malo sua mysteria reuelauit,vnde ait: *In illo tempore*,cum exprobrasset iudæis induratis & superbis, qui instar canum dirumpere veritatis doctorem co-
Mat.7. nabantur,& instar porcorum margaritas euangelicas calce abiecerunt & conculcauerunt.Et verbum domini factum esset eis in opprobrium, & non susceperunt illud. Nihilominus,his non obstantibus, sapientia æterna à filiis suis,electis & dilectis iustificabatur, magnificabatur, laudabatúrque in omnibus quæ gloriose egit & docuit.
Rom. 11. Tunc Iesus,sapientia patris,secum reputans, quanta est altitudo sapientiæ & scientiæ dei,& quàm incomprehen-
Psal. 65. sibilia sunt iudicia eius.Imo, quàm terribilis in consiliis super filios hominum, & quòd iudicia eius sunt abyssus multa.Quis enim nouit sensum domini, aut quis consiliarius eius fuit?Hoc in confesso est quòd omnia in vero iudicio nobis facit. Sed cur Christus prædicauit & corā illis miracula fecit, qui despecturi & derisuri erant eius dogmata & cōsilia,et blasphematuri suggillaturíque eius miracula,et bona in mala conuersuri:et horum nihil eis fecit quos præsciebat credituros si audiuissent vel vidissent,quæ isti viderunt et audierūt,quis inuestigabit?Hęc
Deut. 23. condita sunt apud eum,et signata in thesauris eius.In illo igitur tempore,cum sic dure Iudæos perfidos increpasset qui verbum Dei retrorsum proiecerunt.*Respondens Iesus*,tacitæ obiectioni vel cogitationi, quam perinde acsi obiiceretur ei vidit,quia cor intuetur:Nempe quod prædicauit crediturís. Vel quòd Iudæi promissum saluatorē repulerunt,quem gentiles,legem dei non habentes, vltro et cū gaudio susceperunt, *dixit* verba quę sequuntur:
Confiteor

Confiteor tibi. Triplex eſt confeſſio: fidei, laudis & peccatorum, & vna aliam preſupponit. Confeſſio fidei & dei & Chriſti fit ad ſalutem, vbi corde ad iuſtitiã creditur. Cõfeſſio laudis, ſequitur, qua dei maieſtatem & potentiam, ſapientiam, bonitatẽ & iuſtitiam, predicamus, & dominũ in idipſum magnificamus. Confeſſio peccatorum ex fide fieri debet, ad gloriam dei, &c. Sed hic confeſſio pro laude dei patris accipitur. Confiteor tibi, id eſt, gratias ago, laudo, glorifico & benedico te, Vel in te exulto in ſpiritu meo, *pater,* per æternam generationem, qui ex vtero ante luciferum me genuiſti, & dixiſti: Ego hodie genui te Pater ergo meus naturalis, & aliorũ per adoptionis gratiam, *cœli & terræ,* id eſt, cœleſtium, & terreſtrium, viſibiliũ & inuiſibilium dominator, *quia abſcondiſti hæc,* myſteria fidei, & nouæ legis gratiam, exuberantia ſacramenta, & prædicationis meæ notitiam, *à ſapientibus & prudentibus,* in oculis ſuis, & apud ſemetipſos: Nempe, ſcribis & phariſæis qui ſapientes erant vt facerent mala, bene autem facere neſciebant. Sapientes in diuinis, & prudentes in humanis. Vel ſapientibus in credendis, & prudentibus in agendis, Sciebant quidem & docebant, ſed nõ faciebant, ergo peccatum erat illis. Hęc eſt ſapientia huius mundi & prudentia carnis, quæ ſuos profeſſores decipit & ſtultos facit. Hanc deus perdit & reprobat. Hęc autẽ triplex eſt: terrena, animalis & diabolica. Siue vt Ioannes ait: cõcupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitę. De qua ſatis in pręſentiarum. Iſta prudentia imbuti, inflati ſunt, carnis ſuæ curam & in deſideriis faciunt Ventri ſuo, qui deus eorum eſt, non deo aut Chriſto ſeruiunt. Iſta ſapientia inimica Deo eſt, & mors, & legi Dei non eſt ſubiecta, atque nec poteſt. At ſapientia quæ de ſurſum eſt à patre luminum deſcendens, & prudẽtia ſpiritus, vita & pax ſunt, quæ ſpiritus ſunt ſentiunt. Væ ergo ſapientibus in oculis ſuis, & coram ſeipſis prudentibus, quoniam alta de ſeipſis ſapiũt, & humilibus qualia Chriſtus docuit, conſentire nolunt. *& reuelaſti ea paruulis,* id eſt, humilibus & ſimplicibus vt columbæ, quia vbi humilitas ibi eſt & ſapientia vera, Sic declaratio ſermonũ eius illuminat, & intellectum verum & bonum dat paruulis, id eſt, humilibus. Iſte intellectus bonus, eſt omnibus & ſolis facientibus timorẽ domini. Paruuli ſunt triplices, videlicet æſtimatione ſiue reputatione propria, ætate,

Rom. 10. *Pſal. 109* *Pſal. 2.* *1. Cor. 1.* *Iac. 3.* *1. Ioan. 2.* *Rom. 13.* *Rom. 16.* *Philip. 3.* *Rom. 8.* *Eſa. 5.* *Rom. 12.* *Prou. 11.* *Pſal. 110*

Matt. 5. ætate, bonitate. Paruuli corde siue propria reputatione humiles sunt & pauperes spiritu, & istorum est regnum cœlorum. Istis dat gratiam, et superbis resistit, eósque di-
Prou. 9. mittit inanes Hinc Sapientia ait: Si quis paruulus est, veniat ad me. Cum istis simplicib. est sermocinatio eius. Dum Saul talis paruulus erat in oculis suis, caput in Is-
Prou. 3. rael factus est. Et Salomon in exordio regni dixit: Ego
Sap. 9. sum puer paruulus etc. De istis Dauid ait: Sapientiā præ-
Psal. 18. stās paruulis. Alij sunt paruuli ætate, minores natu. Eiusmodi erat Dauid respectu fratrum suorum cum vngere-
1. Reg. 16 tur in regem. Talis paruulus natus fuit nobis, quando
Esa. 9. terra se aperuit et dedit fructū suum, germinauítque saluatorem. Hoc modo nascimur ex vtero matrum. Tertij
Esa. 65. sunt paruuli bonitate, iustitia et veritate, pueri centum
Ephes. 4. annorum maledicti, pueri sensibus vt ait Apostolus. Istī paruuli sunt fluctuantes, et circūferuntur omni vēto doctrinæ, in nequitia hominum, in stultitia, et circumuenium tur errore. Culpabiles sunt eiusmodi paruuli, quia non crescunt in viros perfectos, numquam euacuant ea quæ sunt paruulorum, nuces non relinquunt, non proficiunt in sapientia et ætate et gratia apud deum et homines. Et cum ratione annorum, aliorum magistri esse deberēt, in eodem tamen statu semper permanent, nihil serium operantur, suam salutem operari negligunt, quæ sibi noxia sunt cupiunt, scientiam salutis et sanctorum imprudēter odiunt, thesaurum sibi in cœlo non thesaurizant, tēpus non redimunt, sed lusibus et fructuosis laborib. insensatorum more infantium viuendo, perdunt. Et semper lacte vtuntur, et nunquam solido cibo. Paruuli mente, gratia exuberant. Paruuli ætate boni malíque distantiam ignorant. Paruuli bonitate, malitia et omni iniquitate cæterísq; vitiis pleni sunt, quæ Apostolus ad Rom.
Rom. 1. et Galatas alijsque in locis digessit. Super paruulos mē-
Gal. 5. te, id est, humiles, spiritus requiescit, omnem eos do-
Esa. 66. cet veritatem. Sunt docibiles dei, vnctio quam, ha-
1. Ioan. 2. bent à sancto eos docet de omnibus. Paruuli ætate, in timore dei sunt instituendi et in disciplina educandi. Paruuli bonitate et pleni omni malitia et iniquitate, reuocandi sunt, corripiendi, arguendi, et erudiendi ad iustitiam, donec relicta malitia conuertantur ad dominum, et ad omne opus bonum sint instructi et parati. O felices, et ter quaterque beati paruuli mente, et spiritu,

pauper s

pauperes,quoniam ipsorum est regnum cœlorũ,et exaltabuntur.Et hoc tantó magis,quanto hic viliores sunt et abiectiores in oculis suis. Istis magister excelsus incerta et occulta sapientiæ suæ manifestat,et illucet in cordibus eorum,ad illuminationem scientiæ charitatis dei, in faciem Iesu Christi.Sapientũ vero secundum carnem mẽtes,deus huius seculi excęcat,vt eis non fulgeat illuminatio euangelij gloriæ Christi. Sic de eadem luce veritatis,sanus oculus humilis illuminatur, et infirmus lippúsque oculus superbi excęcatur.Sic sanctis in Aegypto maxima erat lux,solis autem Aegyptiis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum æternarum, quæ superuenturę erant illis:Imo,ipsi erant sibi et sunt adhuc omnes superbi grauiores tenebræ. Nam impingunt in meridie quasi in tenebris.in caliginosis,quasi mortui. Sequitur causa siue ratio huius reuelationis. *ita pater*, scilicet factum est, quod tua mysteria et inuestigabiles diuitias gratię euangelij,abscondisti superbis,et reuelasti ea paruulis,prophetis videlicet et apostolis,*quoniam sic placitum fuit ante te*,ante quem nihil iniustũ placere potest.Cuius ergo vult miseretur,et quem vult indurat. Nullam ergo aliam rationem voluit sapientia patris Christus adferre, cur illum trahat,et illum non trahat,nisi solum beneplacitum patris, vt nemo reprehendere audeat quod non intelligit,& iudicia eius terribilia & iusta timere discam⁹, & reuereri, & nequaquam reprehendere neque scrutari, alioqui à gloria opprimemur. In istis Dei operibus nemo debet esse curiosus,nemini facit iniuriam,quia licet ei facere quod vult. Omnes natura filij iræ sumus, & nemo ei dedit vt retribuatur illi. Ideo in vasis iræ aptis ad interitum sæueritatem, in vasis autem electionis & misericordiæ, bonitatem dei videre debemus. De hac materia ad longum & luculentissime Origenem lege,in epistolã ad Ro. & libro eius tertio Periarchon. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*.Hęc est alta causa reuelationis hui⁹ mediata,q̃ Christ⁹ se esse astruit. Et duob⁹ modis text⁹ iste exponitur:vno modo,secundũ naturã eius diuinã,& sic notatur æqualitas potẽtię in filio cũ patre,per hoc q̃ dicit omnia.Sed relinqtur autoritas principij,vt patre,per hoc q̃ dicit,mihi tradita sunt à patre.Deinde,notatur æqualitas scientiæ, cum subdit: Et nemo nouit patrem. Item concorda voluntatis, cum addit

Sap.18.
Esaia,59
Rom.9.
Rom.1.

addit:Et cui voluerit filius reuelare. Per primum ostendit,quòd potest,per alterum quod scit,per vltimũ, quod vult reuelare, & illuminare omnem hominum in hunc mundum venientem, Dicit ergo:ita pater reuelasti paruulis mente & malitia incerta & occulta sapientiæ tuæ, per me filium tuum vnigenitum.*Omnia*,quæ cœli terræque ambitu continentur, visibilia & inuisibilia:Imo tota diuinitatis plenitudo. *mihi tradita sunt*,per generationem æternam,qua ante luciferum me genuit ex vtero suo, *à patre meo.* Hinc ipse filius ait; Omnia quæcunque pater habet mea sunt.Et iterũ:Mea omnia tua sunt,& tua mea sunt.Secundum humanam naturam verò dicit: Omnia pater dedit in manus filij,& subiecta sunt pedibus eius.Et data est ei omnis potestas in cœlo & in terra.Et dedit ei potestatem omnis carnis. Et si hoc parum tibi videtur, audi augustiora bonitatis eius elogia. Pater omnia nobis diuinæ virtutis suæ dona, maxima & pretiosa,ad vitam & pietatem nobis necessaria,donauit cum illo, per quæ diuinæ consortes naturæ efficimur. Hic ad electos
Philip. 4. Apostolus ait:Omnia vestra sunt, &c.vos autem Christi.Sic diuites facti sumus in illo,quod nihil nobis in vl la gratia deest.Vnde ait tuba euãgelij,diues in deo:Omnia habeo & abũdo. Potest & sic intelligi:Omnia,id est, electi.nam reprobi nihil sunt,& ad nihilum rediguntur. Omnes ergo electos tradidit pater filio,eligendos,iustificandos,erudiendos,custodiendos & saluandos,iuxta il
Ioan.6. lud:Omne quod dedit mihi pater,non perdam ex eo.Et iterum:Ego si exaltatus fuero à terra,omnia traham ad
Ioan.12. meipsum.Sic dedit ei potestatem omnis carnis,vt omne quod dedit ei,det illi vitam æternam.*& nemo nouit filium*, essentialiter, plene & perfecte. Hoc dico propter homines viatores;qui deum cognoscunt per fidem,& in speculo & in ænigmate, sed ex parte. Et beatos, tam angelos quàm homines,qui deum vident facie ad faciem,& sicuti est,non tamen comprehendunt. *nisi pater*,æternus & luminum, qui æqualis est filio in essendo & cognoscendo. Nec excluditur per hoc spiritus sanctus,quia fit exceptio essentialis, non personalis: Spiritus sanctus autem eiusdem est essentiæ cum patre & filio. *neque patrem quis nouit*,notitia plenæ & perfectæ comprehensionis,*nisi filius*, patri æqualis,consubstantialisque. *& cui voluerit filius reuelare*,per fidem in via,& per speciẽ in patria. Non tamen
Deum

Deum plene comprӕhendunt beati,quia sic sibi soli no tus est deus,pater & filius & spiritussanctus. Et sic filius ӕqualem scientiam habet,imo,eandem cum patre. Vnde consequens est,quod filius qui lux, splendor,veritas & sapientia est,causa,radix & fons est reuelationis,illucet in cordibus nostris,& illuminat tenebras nostras ad illuminationem scientiӕ claritatis dei in faciem Iesu, eiusdem est voluntatis cum patre:nam pater misericordiarum est,nolens mortem peccatorum : & ideo expectat,reuocat, suscipit peccatores à diaboli laqueis resipiscētes.Benignus quippe est prӕstabilis super malitia, nec acceptiore beneficio eum possumus demereri,quàm cùm relicta malitia ex toto corde reuertimur ad eum. *Venite ad me.* Post illuminationē intellectus per fidē, & confirmationē memoriӕ per spē,eo quòd patri complacet in vobis. Iam sequitur de suauitate misericordiӕ & bonitatis dei erga nos,per quā rectificatur,sanctificatur, ordinatur,& inflāmatur affectus noster & voluntas per syncerū amorē.Inuitat autē ad tria.Primo ad veniendū ad se,cū sit refugiūm nostrū & virtus,adiutor,defensor, protector in tribulationibus quӕ inueniunt nos nimis. Vnde ait:Venite ad me,vt per me accessum habeatis ad patrem,quia nemo venit ad patrē nisi per me.Venite ad me orandū in fide,quia per fidē accessum habemus, eo quòd accedentē oportet credere.Accedamus autē ad eū cum vero & non cum duplici corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrӕ confessionē indeclinabilem. Venite ergo & reuertimini,qui in profundū recessistis.Venite mentis conuersione,affectus immutatione per veteris hominis cum actibus suis depositionē.Quiescite agere peruersa,discite bene facere. Si hoc modo re uertimur ad Dominum,quantumlibet cum multis ama toribus fornicati fuimus, suscipit nos cum gaudio,vt in Magdalena cum filio prodigo cernere est. Christus hic suum cantat Venite, & pauci veniunt, omnes se excusant, indurant facies suas supra petram, & nolunt reuerti. At diabolus Venite suum cantat cum apostolis suis,cum filiis suis,inuitatoribus suis,& stentoris instar vocem suam exaltant, dicentes: Venite fruamur rebus siue bonis quӕ sunt, & cӕtera. & omnes post ipsum currunt, omnes se illi iungunt & agglomerant,

Hebr.10. *Esaiӕ 31.* *Ephes 4.* *Esa.1.* *Luca 7.* *Sapien.2.*

eo quòd omnes quæ sua sunt quærunt: omnes curam
Rom. 13. carnis in desideriis facere satagunt. Vide Holkoth super
isto, verbo, *ad me*, sequendum per mundi contemptum,
carnis cum vitiis & concupiscentiis crucifixionem, ad
crucem portandam post me, ad me amandum de corde
puro, conscientia bona, & fide non ficta: ad me tenendum
inseparabili amoris vinculo & colligatione, ad me
Psal. 148 lucrandum per voluntatis meæ adimpletionem: Ad me
fruendum, cum apparuerit gloria mea, *omnes*, reges terræ
& omnes populi, principes & omnes iudices terræ:
Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, simul in vnũ
diuites, pauperes. Audite hæc omnes gentes, auribus
percipite omnes qui habitatis terram, quique terrigenæ
& filij hominum, quia neminem despicio, æqualem
de omnibus curam habeo, omnibus parco, eo quod
amo animas, & nolo mortem peccatoris, sed vt conuer-
Ezech. 18. tatur & viuat. Venite ad me saluatorem omnium hominum,
qui factus sum causa salutis omnibus obtemperantibus
mihi, *qui laboratis*. Est triplex labor, spiritualis
& fructuosus, criminalis & perditus, æternalis & damnatus.
Venite ergo ad me, qui laborem spiritualem operamini,
qui permanet in vitam æternam. Ad illum homo
nascitur, sicut auis ad volandum. Vnde ociositatis
arguuntur, qui in labore hominum isto nõ sunt, & suam
salutem operari negligunt. Istorum laborum gloriosus
est fructus, & qui istum laborem non facit, non man-
1. Cor. 15 ducabit panem filiorum in regno dei: nam Deus dabit
vnicuique secundum istum laborem suum. Sic Paulus
Ephe. 5. plus omnibus laborauit, sic laborantes ad Christum ve-
Sapien. 3. nire debent, vt coronam iustitiæ & vitæ siue denarium
Hiere. 9. diurnum accipiant ab eo. Labor impiorum inutilis &
Sapien. 5. sine fructu est, de quo scriptum est: Vt iniquè agerent,
laborauerunt: Lassantur in via perditionis & iniquitatis,
& ambulant vias difficiles, seruiunt diabolo in luto
luxuriæ, in lateribus auaritiæ, in palea superbiæ, & non
dat eis requiem nec die nec nocte. Sic labor stultorum
affligit eos, sic humiliatur in labore cor peccatorum, &
infirmatur, nec est qui eos adiuuet. Deum immortalem,
quantum laborat luxuriosus in voluptatibus, auarus
in cogerendis diuitiis, superbus in vanitatibus, &
nemo eis dat desiderium cordis eorum, sed magis fame
pereunt. Re uera, in vnum laborant, & sine causa fortitu-

dinem

dinem suam consumunt. Tertius labor est damnatorum. Laborant isti in æternum, & viuent adhuc in finem. Laborantes in peccatis vocat hîc Christus ad pœnitentiam. *& onerati estis*, triplici onere: Veteris legis, quo præmebantur Iudæi, quòd adeò graue fuit quòd neque nos neque patres nostri illud portare quiuerunt. Pharisaicæ traditionis, nam isti imponebant onera grauia & importabilia. Diabolicæ seruitutis. Iniquitates meæ supergressæ sunt super caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, *& ego reficiam vos*, triplici cibo: doctrinæ, eucharistiæ & gloriæ. Dabo virtutem & fortitudinem, vt viam mandatorum meorum curratis. Et quæ nunc vobis dura videntur, fiant vobis dulciora super mel & fauum. *Tollite*, voluntarie & propenso animo iniicite pedes vestros in euangelium meum, & in torques illius collum vestrum, & subiicite humerum vestrum, & portate illud, & ne accidiemini vinculis eius, *iugum*. Ecce proprietas doni. Iugum enim à iungendo dicitur, nam lex euangelica, iungit homines cum deo, & Iudæos cum gentibus in vnum corpus Christi, in vnam fidem, spem & charitatem, & carnem spiritui subiicit, quapropter est bonum viro, cum portauerit iugum domini ab adolescentia tua. Tollite igitur iugum, non quodcunque, sed *meum*, non diaboli, cuius iugum ferreum est, & vinculum æreum est. Istud iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris istius Christus superauit, & abstulit de collo eum diligentium. Sed meum, quod ego portaui prius, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia mea, *super vos*, In quo damnantur, qui dicunt & non faciunt. Qui docent alios, & seipsos non docent: Qui aliis onera grauia & importabilia imponunt, quæ ipsi digito suo minimo mouere nolunt: Qui simulant, & non faciunt dignos pœnitentiæ fructus, non ambulant viam arctam, nec custodiunt vias duras. Laudant crucis baiulatores, vim sibi facientes, mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferentes, mundum & ea quæ in mundo sunt spernentes, quæ retro sunt obliuiscentes, semetipsos, ad destinatum currendo: Nempe, ad brauium supernæ vocationis in Christo Iesu. Isti autem sunt inimici crucis Christi, nec prohibent corda sua quin omni voluptate possibili fruantur, faciunt voluntatem carnis &

Actu. 15. *Matt. 23.* *Psal. 37.* *Esa. 9. 10* *1. Pet. 2.*

cogitationum,mundũ diligunt,æterna negligunt, & pro nihilo habent, retro respiciunt,ad vomitum reuertũtur vt canes,non tenent quod habent, & per hoc indignos se iudicant vita æterna, ideo alij accipiunt coronas eo-
Ephes. 2. rum. Ideo dicit super vos, super humeros proprios, vt
Psal. 10, Christo confixi cruci simus,viuamus deo.Nec nos viua-
2. Pet. 2. mus,sed viuat in nobis Christus. Vt hoc sentiamus, faciamus & loquamur,quod in Christo Iesu fuit.Super vos ergo tollite iugũ meum,vt stigmata domini Iesu in corpore nostro portemus, & membra nostra mortificemus, quæ sunt super terram,& nobis vim faciamus,& aliis mites simus & compatientes, & perdamus animas nostras propter eum & euangelium,& tunc in vitam æternã custodimus eas.Hinc crucem abiicienti,& in lege eius am-
Hiere. 28. bulare nolenti,populo scelerato,dicitur: A seculo confregisti iugum,rupisti vincula mea, & dixisti:Non seruiã domino, sed post cogitationes meas ibo. Tertium prouocatiuum veniendi ad Christum est,vt discamus mores eius quòd fit per imitationẽ,vnde ait: *& discite*,non mortuos suscitare, super aquas siccis pedibus ambulare, secreta cordium rimari,mundum creare, *à me*,doctore veritatis,magistro summo,æterna patris sapientia, qui doceo vtilia,qui incipio facere & docere.Discite ergo à me, sine fallacia,simpliciter intelligendo,sine obliuione, memoriter retinendo,sine intermissione opere adimplendo, *quia mitis sum*,exterius in moribus, absque ira & vllo furore arguens, & corripiens,delinquẽs in misericordia, omnem mansuetudinem ostendens.Vnde tanquam ouis ad occisionem duci me permittam, & sicut agnus coram tondente obmutescam: Non reddens maledictum, pro maledicto,nec inter passiones minas vllas intentabo, *& humilis*,interius in affectibus.Vnde quicquid ago,ad gloriam patris refero, eique omne bonum acceptum refero,nullum contemno, gloriam ab hominibus non accipio,in medio discipulorum meorum sum sicut qui mini-
Roma. 14 strat existo,& laui pedes eorum.Nec veni ministrari,sed ministrare, *corde*,non fictus,pro humanis laudibus, sicut qui nequiter se humiliant & mititatem simulant,& interiora eorũ plena sunt dolo. Ecce tria imitanda et discẽda à Christo.Mititas in conuersatione, humilitas in cogitatione,veritas in intentione. Qui in hoc seruit Christo,placet Deo,et probatus est hominibus. Propter veritatem

ritatem cordis et simplicis intentionis et mansuetudinem mitatis et conuersationis, et iustitiam humilitatis et cogitationis, quia iustum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire, necnon humiliari sub potenti manu dei. Et deducet te mirabiliter in via dei dextera tua, id est, Christus, vt dicit Hugo in expositione morali. Ne offendas ad lapidem pedem tuum. Potest et spiritus vel gratia dei non inconcinne per dexteram dei accipi. Mitis sum, quia nullum verbo vel signo, lædo. Humilis, quia nullum quantumlibet vilem, abiectum et pauperem despicio. Corde, quia nullum decipio, sed viā dei opere & sermone in veritate doceo, & cùm motus iræ & superbiæ ex me didicistis refrenare & supplantare in veritate, tunc *inuenietis requiem*, & pacem veram, siue pacem Phili. 4.
meam & dei, quæ exuperat omnem sensum, & delectabi- *Psal.* 38.
mini in multitudine pacis. Hæc autem pax est concor- *Esai.* 48.
dantium in bono ordinata tranquillitas. Hac requie & *Iob* 31.
pace, exortes sunt impij, quorum cor est sicut mare fer- *Sap.* 17.
uens, quod quiescere non potest. At contra: Cum facimus quæ placita sunt illi, tunc requiem dat nobis semper. Hinc æterna sapientia ait: Qui me audierit, obediēter ea quæ dico faciendo, absque terrore erit, in pace in idipso dormiet & requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato: Et Hier. ait. Interrogate quæ *Hier.* 6.
sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis requiē animabus vestris. O quàm bonus Israel deus his qui recto sunt corde. Hæc requies bonis et rectis corde datur in vita quæ nunc est et futura. Hanc soli iusti habent, nec participant cum eis in ea alieni. In calce subditur incentiuum ad tollendum iugum prædictum. Est enim eius duplex emolumentum: Nempe, in affectu suauitas, et in effectu lenitas. Quid ergo times charitatis vinculum? Quid legis meæ iugum expauescis? Quid onus euangelij portare detractas? Sequere me: *Iugum enim*, quod vera dilectio et charitas est, siue obseruatio præceptorū meorum in euangelio datorum, *suaue est*, amanti. Contrà, iugum legis amarum erat, tum propter cæremoniarum multitudinem, tum propter rigorem terribilem iudicialium, tum propter defectum gratiæ adiutricis sacramentorum, quia erant egena & infirma elementa, imo inutilia, & ad nihil perfectū perducentia. At non sic in euāgelio, vbi cæremoniæ paucæ, rigor iudicialium in amorē

est mutatus, & sacramenta gratiam exuberantissimam continent, & digne accipientibus suppeditant vniuersis.
Psal. 18. & 118 Hinc Dauid ait, quod præcepta charitatis in quibus euãgelium instauratur, dulciora sunt super mel & fauum, *& onus meum*, id est, obseruatio consiliorum, *leue*, in spiritu ambulantibus, & spiritu facta carnis mortificantibus, & his quos agit spiritussanctus & deducit super semitas iustitiæ in voluntate dei, in montem sanctum & in tabernaculum non manufactum, in quod Iesus introiuit per proprium sanguinem, æterna redemptione inuẽta, quod parauit his qui diligunt illum, quod & inquirunt & per spem expectant in patientia. Verùm quamuis via consiliorum imperfectis, mundi amatoribus, carnalibus, ventrem suum pro Deo habentibus, dura, arcta via & angusta porta videatur, atque sit in principio conuersionis, tamen processu temporis, cum eunt de virtute in virtutem, & crescunt in gratia, & proficiunt vsque ad perfectum diem, atque charitas Dei in eis magis ac magis abundat, ineffabili dilectionis dulcedine, quam se timentibus abscondit Deus, replentur. Et sic viam mandatorum currunt sine labore, & ambulant sine defectione. Sic in via præceptorum Dei delectantur, sicut in omnibus diuitiis. Iam tecum reputa & expende, an non onus consiliorum Christi leue. Nam humiliter obedire multo leuius est, quàm moderamina regni tenere, & in sublimitate constitutum esse. In diem viuere, omnia propenso animo relinquere, in paupertate pauperem Christum sequi, nihil appetere, præter victum & amictum, nil velle habere, oblata respuere, improperium crucis, thesauris Ægyptiorum & Crœsi diuitiis pluris facere, leuius profecto est, quàm aurum sitire, diuitias congerere, congestas custodire. Multo item leuius est propter regnum cœlorum seipsum castrare, vni deo placere, & sollicitum esse de his quæ Domini sunt, quàm vxori placere, domum regere, proles educare, tribulationem carnis pati, variis fortunæ aduersæ fluctibus agitari. Sed vela sunt contrahenda, & receptui est canendum.

Istud euangelium S. Franciscus vsque ad quadrantem nouissimum impleuit: Ideo in eius festo legitur.

* * *

IN DIE OMNIVM SANCTORVM IN EPISTOLAM Exegesis.

EGO *Ioannes vidi angelum ascendentem ab ortu solis.* Lectio hæc exuberat mysteriis & salutaribus institutis, de quibus in præsentiarum non est dicendum per singula. Nã breuitati in eius expositione intendam quantũ potero. In ea autem omnium hominũ electorum & angelorum fit mentio, ideo congrue in hac sacra die in officio missæ cantatur. Igitur ego Ioannes amicus Christi, & filius adoptiuus Mariæ, vidi angelũ quendam ascendentem & in sublime volantem ab ortu solis, quia mundo gaudia nunciauit. *habentem signum Dei viui*, quod est crux sancta, in qua Christus fortem vicit, triumphauit & palam confidenter traduxit, chirographum decreti nobis contrarium deleuit, ipsum affigendo cruci, ac principatus & potestates expoliauit. Hoc signum angeli tenebrarum fugiunt & abhorrent, eo quòd in eo victi sunt, sed angeli boni hoc venerantur, eo quòd ipsi Satanam in eo vicerunt in cœlo, & Christus per crucem eum foras eiecit, & electi quique cum cruce eum triumphant in semetipsis. *& clamauit voce magna*, stans in excelso. Voce magna, non tam clamoris vehementia, quàm diuinæ virtutis authoritate. Sic Elizabeth voce magna clamauit, non tam clamosa, quàm deuota. *quatuor angelis malis. quibus*, ad probandum & exercendum. *datum*, & permissum est à Deo, *nocere*, & affligere electos, non quantum volunt, sed quantum eis conceditur, vt patet in beato Iob, cui nihil molestiæ potuit Satanas inferre, nisi quando & quantũ illi Deus permisit, ad laudem sancti viri. Vallauerat dominus sanctũ Iob & omnia quæ habuit, ideo Satanas, nisi permissus nihil ei nocere potuit. Sic mõtes sunt in circuitu iustorum, id est, angeli sancti. Imo ipse dominus est in circuitu populi sui, ex hoc nũc & vsq; in seculum, ac eos vt oculi sui pupillam ab omni malo custodit. Et si aliquando relinquit virgam peccatorum super sortem iustorum, sicut fecit super Iob & apostolum Paulum, omnia tamen propter electos facit, vt salutem consequantur, nec non vt sic eorũ lucerna super

Apoc. 7. *Matt. 12.* *Colos. 2.* *Apoc. 12.* *Ioan. 12.* *2. Cor. 2.* *Luc. 1.* *Iob 1.* *Psal. 110.* *2. Cor. 12*

Mat.5. candelabrum ponatur, & luceat omnibus qui in domo
2. Cor.12 sunt,ad gloriam Dei. Vel ne de gratia multiplici acce-
pta extollantur,ideo crebrò à Satana colaphizantur cũ
Gene.50. Paulo. Mali spiritus quidẽ semper gressus iustorũ sup-
Roma.8. plantare moliuntur,sed Deus sua bonitate hoc eis conuertit & cooperari eis facit in bonũ,quod dæmones cogitant in malũ.Illi nocere conantur. *terra & mari*, hoc est,habitãtibus in terra & in insulis maris. *dicens:Nolite*, vos inimici hominis,seductores orbis,malorũ seminatores,pacis turbatores. *nocere*, quod semper molimini. *terra & mari,neque arboribus*, id est,iustis hominibus,qui ar
Psal.1. bores bonæ sunt, & bonorũ operum fructus bonos fa-
Roma.6. ciunt in tempore suo,secus decursus aquarum plantatę. *quoadusque signemus*, signo Dei viui,Thau,& sanctæ crucis. *seruos Dei nostri*, qui spiritu Deo seruiunt,in sanctitate & iustitia omnibus diebus suis in sanctificationẽ:Per crucem serui corruptionis & peccati, à seruis iustitiæ & Dei discernuntur.Illi crucẽ abiiciunt, fugiunt & abhorrẽt,isti in sola cruce gloriantur, & eã semper portant & honorant. *in frontibus eorum*, nõ solum in frontibus corporis, quomodo omnes renati aqua & spiritusancto signantur in baptismo, sed etiam in frontibus animæ &
Ioan.3. mẽtis. Vnde signamus crucẽ in fronte,ne erubescamus, sed ad salutẽ Christũ crucifixũ confiteamur. Ne itẽ eũ celemus in tribulatione. Signatur super pectus,vt corde
Rom.10. credamus ad iustitiã. Hinc sancta inoleuit consuetudo, quod baptizandus puer iniũgitur in pectore,vt corde credat ad iustitiã,in fronte,ne erubescat,sed confiteatur ad
Matt.11. salutẽ.In scapulis,vt onus Christi leue & iugũ illius suaue portet.In vertice,vt rationẽ conseruet,qui est vertex & caput hominis interioris.Sic dominus etiã iussit viros gementes & dolentes super impietatibus quæ in populo fiebant, iussu signo Thau signari,vt legimus in Eze-
Ezech.9. chiele. Christiani quidẽ omnes credunt in Christum & eũ confitentur, ac sic signum dei viui habent in fronte, sed non sunt prorsus liberi & securi à nocumentis diaboli, nisi illud etiam portent in mente per veram & syn-
Titi 1. ceram charitatem,quæ se manifestat in operibus bonis & lucis fructibus. Nihil igitur prodest fidem mortuam, inanem & vanam portare in ore, & verbum dei in veste, si factis deum negas,odibilia deo opera facis, & digne; deo & euangelio non viuis. Charitas autem facit bonita-

bonitatem, seruat mandata, & facit omnem dei volunta-
tem. Hæc sola inter filios regni discernit & perditionis.
Fides sine charitate deum honorat labiis, cor autē eius
longe est à deo. Eiusmodi deum diligunt in ore suo, &
lingua sua ei mentiuntur. Cor autem eorum non est re-
ctū cum deo, nec fideles sunt in testamento eius. Verū
cum fides operatur per dilectionem, tunc homines sunt Gal. 5.
secundum cor dei, & faciunt omnes voluntates dei. De- 1. Reg. 15
clinant à malo, & faciunt bonum. Tunc ambulant corā
deo in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est Esa. 38.
in oculis dei, faciunt. Placent deo, et probantur ab homi- Roma. 14
nibus. *Et audiui*, inquit Ioānes, hoc est, intellexi, quales
essent signandi, *numerum signatorum centum quadraginta
quatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israel.* Finitum
ponit numerū pro infinito, quia deus sub certo numero
omnes electos cōpræhendit. Ipse nouit bonos pisces in
vasa colligendos, nouit et malos foras mittendos: Nouit Matt. 13.
in horreo suo triticum, nouit et paleas. Scit oues, scit et Matt. 3.
hædos. Cognoscit prudentes, cognoscit et virgines stul- Eccles. 23.
tas. Domino nāq; Deo, antequā crearentur omnia, sunt Psal. 138.
agnita. Ipse cognoscit omnia nouissima et antiqua. Nu-
merus iste, à diuersis, diuersimode exponitur, et vnusquis-
que in sensu suo abundat, vt in eorum libris cernere est.
Ego autē vt breuitati studeā, per istos signatos intelligi
arbitror, omnes electos, qui fidē Iacob imitātur, in cuius Luc. 1.
domo Deus regnat in æternū, hīc per gratiā, et in futu-
ro per gloriā. Maxime illi, qui per prædicationē vocati,
et gratiā, in partem sortis sanctorū in lumine, non solū
operantur bonum, quod est necessitatis, sed etiam illud
quod est consilij, perfectionis et supererogationis. *De tri-
bu Iuda, duodecim milia signati.* Numerus determinatus
pro indeterminato ponitur, vt crebro fit in sacra scriptu-
ra, præcipue in Apocalypsi. Dan hic tacetur, eo quòd ex
eo Antichristus est nasciturus, vt per hoc significetur,
quod ex omni numero sanctorum, Antichristus cū suis
præconibus, qui veritatem dei in mendacium commu- 2. Tim. 3
tant, errando, et in errores alios ducendo est eiiciendus.
Sic Ephraim filius Ioseph, de hoc sanctorum catalogo
exclusus est, eo quod schisma in populo dei in tribu eius 3 Reg 12
introductum est, per Hieroboam qui à deo vero popu- 1. Par. 10
lum auertit, et vitulorum cultum introduxit. Transeo
multa. Pro istis duobus et loco eorum, vt completus

Num. 18. fit numerus electorum, Manasses filius Ioseph & Leui, qui aliis in tribubus Israël partem & sortem nō habuit, ponuntur, quia ciuitas est Hierusalem cœlestis, nihil detrimenti patietur ex casu malorum, sed instaurabitur numerus eius ex hominibus electis. *Post hæc* milia de domo Iacob, cuius filij omnes in sorte censentur electorum, *vidi turbam magnam*, per illos significantur illi, qui conuersi ad bonum, seruant ea, quæ necessaria sunt ad
Psal. 140 salutem, ex gentibus maxime. Numerus illorum deo certus est, qui numerat multitudinem stellarum, hominibus vero incognitus est, ideo dicitur, *quam dinumerare nemo poterat*, maxime ex gentibus cōuersi, *ex omnibus gentibus*,
1. Ioan. 3. quæ sub cœlo sunt. *& tribubus & populis, & linguis, stantes*
1. Cor. 13. *ante thronum*, deum facie ad faciem videntes, sicuti est, in gloria sua, *& in cōspectu agni*, qui tulit peccata mun-
Apoc. 1. di, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Nam sicut beati interius reficiuntur in aspectu diuinitatis, ita
Ioan. 10. exterius iocundantur in aspectu humanitatis Christi. Et sic ingrediuntur & egrediuntur oues Christi, & pascua inueniunt. *amicti stolis albis*, per gloriam animæ, quæ per stolam albam designatur. *& palmæ in manibus eorum*. in signum perfectæ victoriæ, quæ non habetur in præsenti vita, in qua homines quantumcumq; sancti, sunt semper in pugna, eo quòd militia est vita hominis super terram. Et sic non loquitur hîc de iustis qui sunt in via, sed de martyrio coronatis, qui bonū certamen certauerunt, cursum consummauerunt, fidē seruauerunt, & coronā iusti-
2. Tim. 4. tiæ acceperunt, pro qua legitime certauerunt, & ab omnibus abstinuerunt, atq; nunc regnant cū agno, & agnus
1. Cor. 6. dei cū illis. *Et clamabant voce magna*, totis animæ medul
1. Cor. 14 lis, psallentes spiritu, psallentes & mente, confitentes in
Psal. 146 toto corde suo, sic quod iocunda & decora est laudatio, qua deū in secula seculorum laudant. Ex quibus patet,
Psal. 149 quod laus dei vocalis est in cœlo. Quia exultationes dei sunt in gutture eorū. *dicentes: Salus*, quā habemus, acceptā referimus deo nostro, & agno *qui sedet super thronum*,
Sap. 12. & omnia iuste disponit, cū trāquillitate iudicat, & cū magna reuerētia omnia disponit, in numero, & mensura & pōdere. *& agno*, qui occisus est ab origine mūdi. *Et omnes angeli stabāt in circuitu throni*, tanq̄ parati ad exequendū voluntatē dei, *& seniorū & quatuor animaliū*, i. episcoporum & patriarcharū, iam in cœlo regnantiū, tanquam illorum

illorum conserui, conciues & domestici & cohæredes. & *ceciderunt in conspectu throni* humiliantes se sub potēti manu dei, *in facies suas*, gratias agentes deo pro omnibus quæ magnifice facit, & fecit vt omnes homines salui fieri possint, & ad agnitionē sui nominis peruenire. *& adorauerunt Deum*, summum bonum, à quo omnia bona procedunt *dicentes Amen*. id est, veritas sit deo. Et sic sanctorum hominum laudem, qua deum benedicunt in omni tempore, & laus dei semper est in ore eorum, confirmāt. Sed & ipsi angeli, sine intermissione deum honorāt, laudant, magnificant & benedicunt dicentes. Benedictio, id est, laudatio deo impēdatur, ab omnibus, super omnia benedictus in secula cognoscatur, *& claritas*, id est pulchritudo, syncenitas & nobilitas summa deo tribuatur. *& sapientia*, quia est essentialiter sapiens & ab eo omnis sapiētia, claritas & benedictio datur, *& gratiarum actio* pro omnibus quæ retribuit nobis, sua larga bonitate, qua diues, clemens & benignus est in omnes, & etiam super ingratos & malos. Et etiam *honor* latriæ, sicut vni soli & vero deo. *& virtus*, quia potest, & est dominus virtutum. Ipse virtutem & fortitudinem plebi suæ tribuit, *& fortitudo*, at tribuatur ei in se, & quicquid in nobis est boni & laude dignum eius gratiæ acceptum referatur. Quia ipse in nobis velle & perficere bonum, operatur. Hæc inquam omnia sint, *deo nostro, in secula seculorum, Amen*. Vt flumina ad locum vnde exeunt, reuertantur, vt iterum fluant.

2. Pet. 3 | 1. Tim. 2 | Eccle. 1 | Luca 6 | Psal. 67 | Phil. 2 | Eccl. 1

IN DIE OMNIVM SANCTORVM, IN EVANGELIVM
Homilia prima.

VIDENS *Iesus turbas ascendit in montem.* Multifariā multisque modis deus olim patribus locutus est per prophetas qui à seculo fuerunt: at cum venit plenitudo temporis, annus acceptabilis & tempus & dies salutis, tempus miserendi (in quo deus pater propter nimā charitatem suam qua nos dilexit, in charitate perpetua, vt ostēderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu) misit vnigenitum filium suum in terram, factum ex muliere in quo nouissime & nouissima hora et in fine seculorum, nobis est locutus, quæ sit voluntas sua bona, beneplacens,

Heb. 2. | Luca 1. | 2. Pet. 1. | Ephes. 2.

Iac.1. beneplacens, et perfecta. Proinde beati qui odiunt hæc, et custodiunt illa vita et operatione. Isti beati in facto
Mat.7. suo sunt, sunt viri sapientes, qui domum mentis suę supra firmam petram ædificant, fiunt proximi et amici Christi
Luca 8. iuxta illud: Qui audiunt et faciunt verbum dei, hi sunt mater mea et fratres et sorores mei. Sed quid dixerit dispiciamus. Vtique vtilia docuit quæ audiuit à patre suo. *Videns ergo Iesus*, oculo pietatis et miserationis, quo de cœlo respixit et vidit et visitauit vineam ecclesiæ, *turbas* ad se venientes, vt audirent verbum dei, vt doceret eos vias
Mat.9. suas. Vnde alibi idem ait euangelista. Videns Iesus turbas, misertus est eis, quia erant vexati per varios errores dæmonum, et iacentes.i. vana securitate torpentes, sicut oues non habentes pastorem iuxta cor dei, qui pasceret eos scientia et doctrina, Tunc *ascendit*, vt euangelizaret Sion. Ascendit docturus euangelium regni, qui descen-
1.Cor.1. dit dando legē Moysi: quia hæc terrena, illa cœlestia bona promittit, quę oculus nō vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. *in montem* Tabor, qui est in Galilæa. In montem ascendit vt innuat quod in altitudine virtutum esse debet qui regnum et euangelium dei annuntiat. Vt incipiat facere et docere. Ecce alia differētia legis et euangelij. Lex in terrore tonitrui etc. terribiliter, euangelium amicabiliter comitérque sedendo est datum. Et *cum sedisset*, tanquam magister verus et humilis corde prelatus, de rebus magnis locutus, *accesserunt ad eum*, quia verba vitæ æternæ habuit, *discipuli eius*, vt ab eo illuminarentur. Tanquam magis deuoti, tanquam familiarius dilecti, tanquā specialiter electi et vocati, tanquā plus cæteris doctrinæ illius cupidi, tanquā magis præceptis illius implendis propēsi *Et aperiens os suum.* qui prius aperuerat ora prophetarū. Aperuit os suū. vt labiis suis gratiam diffunderet, vt verba bona eructaret de corde suo, quę gratiam et ædificationē fidei audientibus darēt. Vt distincte et aperte ad intelligendum verba sua proferret. Et hæc tertia differentia est legis et euāgelij: Lex obscure et sub figuris data est, quod signatur in caligine et fumigatione montis: Sic vmbram futurorum bonorū
Heb.10. lex habuit, sic Moyses velamē super faciem suam posuit:
Ioan.1. Euangelium autem ipsam imaginem rerum habet, eo quòd gratia et veritas per Iesum Christū facta est. Ideo euangelium plane et euidenter prædicatum est, quod

signatur

ſignatur in apertione oris. Sermones legis clauſi erant & ſignati, ſed agnus iam librum aperuit, & ſeptem ſignacula eius ſoluit, quia clauem Dauid habuit, & omnia in eo ſunt conſummata. *docebat eos* vias ſuas & facere voluntatem ſuam, *dicens: Beati pauperes ſpiritu.* In qualibet beatitudine duo ponit magiſter ſummus. Primò meritum ſiue bonum opus, videlicet pauperes ſpiritu, mites, lugentes &c. Deinde ſubdit operis boni & virtutis excelſæ prę mium, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. In opere labor eſt, difficultas & amaritudo: In prę mio, quies, iocunditas & dulcedo. Vt prę mij magnitudo, laboris temperet difficultatem. Id enim quod in præſenti momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate *2.Cor.4.*
æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur. Sic amicus dei Moyſes grandis effectus, negauit ſe eſſe filiũ *Num.12.*
filiæ Pharaonis & honorem regni fide deſpexit. Magis eligens affligi cum populo, quàm temporalis peccati & faſtus & luxus habere iocunditatem. Maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium crucis Chriſti. Hoc autem fecit, quia aſpiciebat in remuneratio nem, et non contemplabatur ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quę enim videntur temporalia ſunt: quæ *2.Cor.4.*
autem non videntur, æterna ſunt. Hæc contemplatio, Apoſtolum ſic fortem fecit quod gloriabatur in tribulationibus, quod ſibi complacuit in infirmitatibus ſuis, in *2.Cor.12*
contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Quod in ſola cruce Chriſti gloriabatur, per quam mundus illi erat crucifixus et ille mundo. *Gal.6.*
Sciebat quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sic *Rom.8.*
ſocij paſſionum Chriſti ſumus, et ſi ei compatimur, crucémque noſtram poſt ipſum portamus, erimus et conſolationũ. Beati pauperes ſpiritu. Felix doctrina quæ à beatitudine incipit. Vide ergo doctrinæ nouitatem, in beatitudine ſuauitatem, in ſpiritu humilitatem, ſed vtilitatẽ in regni poſſeſſione. Et bene dicit pauperes, non ſimpliciter, ſed ſpiritu, quia nõ omnis paupertas beatificat. Eſt enim paupertas voluntaria, neceſſaria, ſimulata. Prima laudabilis, alia tolerabilis, tertia deteſtabilis et maledicta. Prima pauperum Chriſti. Secunda pauperum mundi. Tertia pauperum diaboli. Prima cum merito, ſecũda *1.Cor.1.*
ſine

ſine merito,tertia cum demerito et æterna damnatione. De prima dicitur hic:Beati pauperes ſpiritu. Sed obiter hic nota beatitudinem eſſe duplicem : Nempe,falſam et veram.Falſa beatitudo filiorum huius ſeculi et amatorũ mundi, et eorum quæ in mundo ſunt in diuitiis multis, falſe dicitur eſſe beatitudo.Beatum enim dicunt cui hæc ſunt:ſed hoc Chriſtus damnat,dicẽs Beati pauperes ſpiritu.Alij in faſtu, in honore et magnificentia, erronee beatitudinem ponunt.Et vt iſta aſſequi poſſint alios opprimunt,alios bellis laceſcunt.At mentitur inquitas ſibi,quia beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terrã. Alij beatitudinem in delitiis carnis ponunt. At errant , quia vanitas hoc eſt.Beati autem ſunt qui lugent , vias duras cuſtodiunt triſtes,ambulant coram domino exercituum, quoniam ipſi conſolabuntur. Et ſic amor mundi hic eſt damnatus,et exploſus.Concupiſcentia oculorũ per paupertatem ſpiritus.Superbia vitæ per mititatem. Concupiſcentia carnis per luctum.Hac radice amoris ſui , maledicta et damnabili euulſa,radicit úſque effoſſa procedit vlterius doctor paruulorum viam dei docendo in veritate,et dicit:Oſtenſo quòd vita beata non eſt in voluptatibus,iam audite altiora:Nempe,quod nec perfecta beatitudo eſt in vitæ actiuæ operibus.A vitæ actiuę operibus duobus modis receditur:Nẽmpe recedendo ab operibus iuſtitiæ,et negligendo opera miſericordiæ. Contra primos dicit Beati qui eſuriunt et ſitiunt iuſtitiam , iniuſti nanque regnum dei non poſſidebunt.Contra aliud dicit Beati miſericordes.Alij beatitudinẽ in vita ponunt contemplatiua,ad quã duo diſponũt,videlicet munditia cordis et ordinatio pacis.Sed multi nihil erãt ſolliciti de cordis mũditia cõtra quos dicit:Beati mundo corde.Nec pacẽ inquirebant aut perſequebãtur, cõtra quos dicit:Beati pacifici &c.Beatitudo autẽ vera gemina eſt:Vna viæ et in ſpe,de qua hic agitur.Alia patriæ conſummata et in re de qua ſaluator ait:Hæc eſt vita æterna &c. Vbi facie ad faciem deus deorum & rex regũ in decore ſuo in Sion videtur.Beati pauperes ſpiritu.Chriſtus Ieſus nouus homo ſecundũ deũ in iuſtitia & ſanctitate veritatis,creatur,venit in hunc mundũ.Ideo noua præcepta,antiquato & inueterato in peccatis mũdo dedit,vt per hęc renouaretur & in nouitate ſpiritus deo ſeruiret. Venit de cœlo cœleſtis, ac cœleſtia documenta docuit. Quæ dum terreni & anima\es

Mat. 22.

Ioan. 17.

animales amplectuntur & faciunt, de terrenis cœlestes, de hominibus angeli fiunt,& in terris imaginē Adæ cœlestis portant,& qualis cœlestis est fiunt. Hæc est noua creatura quæ sola valet in Christo. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorũ Felix doctrina,quę à beatitudine vera initium sumit.Imum in reb⁹ odibile in hominibus,despicabile in personis,ante omnia Christus ascripsit felicitati,fundamentum posuit salutis, exordium fecit euãgelicę institutionis.Sic decorauit deforme apparens,non tamen existens,Et merito,quod odibile est hominibus Christus beatum dicit. Quia quod hominibus hoc seculum amantibus placet, Christo displicet,& quod Christo placet,displicet mundo : Et quod hominibus altum est,abominatio est ante deum. Beati pauperes spiritu. Hoc triplicem habet intellectum. Propter tria enim homo dici potest pauper spiritu : Nempe,propter affectionem,propter reputationem , propter humiliationem.Sic pauper spiritu is est,qui caret propria voluntate:& voluntariè,ex electione, ex amore,ex deuotione,ex spiritus sancti vnctione seipsum abnegat,voluntatem propriam,sensum suum,suum iudicium, beneplacitum occidit, odit,abiicit,& cũ Christo dicit suo prælato:Pater,non mea voluntas,sed tua fiat,nec fiat sicut ego volo,sed sicut tu vis, Hic regnũ cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.Hæc est mors iustorũ, quia peccatis moriuntur & iustitiæ viuunt. Sic oportet eos paupertatem voluntariam amplecti , & nudos nudum sequi crucifixum.Nihil huius mundi habere,desiderare & quærere,& habendo victũ & quibus tegitur,cũ Apostolo esse contentũ.Hæc est voluntaria paupertas. Nam paupertas non est virtus vel beatitudo,sed paupertatis amor. Voluntas namque sicut radix est meriti, sic & stabilem perseuerantiam in æmulatoribus boni operatur. Quod necessitate fit,cito soluitur,casui proximũ est.Quod volũtate propensa & ex amore eligitur,tenetur firmiter,nec dimittitur,etiam si propter illud persecutionē pati, probra audire, subire exilium, mitti in carcerem,vel in mortem ire deberet.Hæc est securissima virtus, nihil habens, nihil timens nihil desiderans pręter vitę necessitatem.Sed vide etiam in vita quę nunc est, quanta mercede remuneretur. Centuplum, imo totum mundum recipit in vita,& in futuro regnũ cęlorum.Omnia vestra sunt, ait ve-

rus

2.Cor.12. Gal.6. Luca 16. 1.Cor.1. Luca 22. Mat.11. 1.Tim.6.

rus amator paupertatis. Ergo qui totum mundum despicit totius mundi dñs efficitur iuxta illud: Omnem locū quem calcauerit pes vester, vester erit. Pes affectus: calcare verò, despicere est. Ille ergo totum mundum pedibus calcat, qui ex amore Christi cuncta mundana spernit. Ideo ex testimonio domini, omnium illorum dominus verus est. Eiusmodi sunt tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: nemo igitur ditior voluntario paupere. Voluntario dico, contra pauperes mundi & diaboli. Pauper spiritu, hoc est sua opinione, sua reputatione, qui veretur omnia opera sua, qui instanter in timore dei se tenet, qui videt paupertatem suam, & quod ex se nihil habet, scit & potest nisi suam damnationem, & solummodo ex deo esse auxilium suum, & profectum. Hic corpus & animam suam donum dei esse cognoscit. Ideo ad dei offensam, iniuriam & irritationem eis abuti timet. Et si hoc aliquando fecit, dolet ex corde, & mēbra sua exhibet arma iustitię, ad seruiendum Deo in sanctificationem. Est & paupertas spiritus vera humilitas: sic humiles pauperes spiritu dicuntur. Contra, superbi & præsumptuosi inflati dicuntur, tanquam vento distenti. Verum ex quo nonnulli naturaliter & ex cōplexione pauperes & humiles spiritu sunt, nec tamen ideo beati: ideo beati pauperes spiritu hic dicuntur, qui ex voluntate, electione & Christi amore se humiliant, despiciunt, & viles se reputant ac ad nihil vtiles. At rursus nota quòd in hac prima beatitudine Christus radices omnes damnationis humanæ traducit, extrahit & damnat. Adam namque superbiuit, dum similis deo esse voluit, & in hoc à deo se auertit per superbiam, quæ initiū est omnis peccati. Contra superbiam vera paupertas spiritus, hoc est humilitas hic docetur, & ab ea euāgelica doctrina auspicatur. Hoc signante spiritusancto, quod sicut superbia initium est apostatandi à deo, sic vera humilitas, radix & fundamentum est redeundi ad deum & salutis. Deinde, Eua ad caduca, relicto summo bono, se conuertit, fructum concupiuit prohibitum. Ecce cupiditas, radix omnium malorum. Contra hanc dicit hic Christus: Beati pauperes spiritu, qui licitis & necessariis sunt contenti, & nolunt plus habere. Ad omnem delectationem, suauitatem, copiam & necessitatē Adæ & Euæ alij fructus paradisi sufficissent. Sed dum prohibitis vti voluit vel magis

Margin: Deut. 12. | 2. Cor. 6. | Iob 9. | Ose. 13. | Rom. 6. | Eccl. 10. | 1. Tim. 6.

gis abuti, omnibus miseriis se obnoxium fecit. Tertiò, Eccle. 2.
neq; in timore dei (per quē omnis homo recedit à malo, facit bonū, & nihil negligit eorum quæ ei deus præcepit) instanter se tenuit. Alioqui in mandato dei non dubitasset. Eua, locū diabolo non dedisset, aduertisset dolum, facinus horruisset, timuisset maledictionē interminatā. Oculos auertisset ne vanitatē vidissent, aures suas spinis timoris domini sepiuisset, linguam nequā non audiuisset, ori suo ostiū fecisset, & seras auribus suis, & verbis suis stateram, & frenos ori suo rectos. Hoc si fecisset, non cecidisset in conspectu inimici insidiantis ei, nec factus fuisset casus eius insanabilis in mortem, nec manus extendisset ad fructū decerpendū, nec os ad gustū aperuisset, timore dei ꝓhibita. Ideo beati pauperes spiritu, q semꝑ sunt pauidi, & in timore dei immobiles manēt, & timent à iudiciis dei, *quoniam ipsorum est*, iā in spe, quæ nō confundit, *regnum cœlorum*. Ecce præmium merito correspondens. Sic timori & diffidentiæ sui respondet securitas, quæ notatur ibi, Ipsorū est: Abiectioni & humiliati, sublimitas, quia regnū vtiq; æternū. Indigētiæ & paupertati, copiositas, quia cœlorum, vbi omniū bonorum est exuberantia ineffabilis, quā oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor vllius hominis ascendit. Hoc est sacramentū absconditū à sapientibus & prudentibus in oculis suis & secundū carnē: Nempe, quòd beata est paupertas: Paruulis autē est reuelata. Veri pauperes regnū dei in se habent & sunt regnū dei, quod est iustitia & pax & gaudiū in spiritusancto: amplius dico, quòd pauperū vero rū iam est regnū cœlorū, etiā in præsenti vita. Et hoc quia cœlestibus spiritibus hic conformantur & angelos viuunt siue vranicos ciues, vt longe posset deduci. Deinde, quia cœlesti Adæ hic conformantur, et imaginē eius portant in vita quæ nunc est in paupertate perpetua. Postremo, quia iā cœlestis patriæ in se hic vitā gerunt. Ecce paupertas euāgelica amatores suos impassibiles & sine omni dolore reddit, dū de amissione bonorū suorū nō dolent, sed eā cū gaudio suscipiunt, scōmata nō sentit, quia laudes non quærit. Imo in tribulationibus gloriatur, in contumeliis sibi cōplacet. Facit amatores suos agiles ad sequendū Christū: sic apostoli reliquerūt omnia, vt gigantē currentē viā paupertatis, sine onere sequi facilius possent. Facit eos subtiles et graciles adin-

Margin notes: Roma. 9. (beside "confundit, regnum cœlorum"); 1. Cor. 2. (beside "tati, copiositas"); Esa. 5. (beside "audiuit, nec in cor"); Luca 17. (beside "tas: Paruulis"); Rom. 14 (beside "in se habent"); 2 Cor. 12 (beside "tit, quia laudes"); Psalm. 18 (beside "nia, vt gigantē").

trādū per anguſtam portam in regnum cœlorum, quod diuitibus, ſuperbis vel impoſſibile vel difficile eſt. Facit eos claros & lucidos, vt fulgeant hîc ſicut ſol & ſtellæ in
Matt.5. firmamento, per ſanctitatis claritatē ad gloriā dei. Facit
Matt.11. eos diuites ad emendum regnum cœlorum. Auguſtinus in perſona domini dicit, Venale habeo. Quid domine? Regnum cœlorum, quo emitur? Paupertate regnum, vilitate gloria, laborere quies, morte vita. Paupertas iſta omnium pulcherrima, ſpecioſiſſima, nobiliſſima, immaculatiſſima, ornatiſſima virtus eſt & virgo, teſte Chryſoſt. Habet oculos pudicos, linguam gratiam effundentem, manus innoxias &c. cor voluntatem habens in lege dei. Sed iſta ſufficiant in præſentiarum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. poſt paupertatem, mititas ſequitur. Nam qui pauper eſt, multis iniuriis laceſſitur, ideo ei neceſſaria eſt mititas & manſuetudo, quæ re idem ſunt, ſed differunt in ratione ſiue efficacia. Nam mitis eſt, qui nulla animi turbatione accenditur vel commouetur, ſed in bonitate iugiter perſeuerat. Manſuetus vero qui tolerat offendentes, non reddit maledictum pro maledicto, nec malum pro malo. Mititas eſt in affectu interiori, mā̄ſuetudo in effectu exteriori. Patientia vero ad ſuſtinētiam corporalium moleſtiarum neceſſaria eſt. Verùm ad paſſiones iraſcibilis duobus modis ſe poteſt homo habere. Vno modo communiter, quando ſic eas refrenat, quòd non nimis impetuoſe excedit, nihilominus aliqualem perturbationem earū ſentit. Alio modo excellēter omnino eas calcando, quod facit beatitudo ſecūda, quæ hominem prorſus tranquillum reddit. Hæc virtus, ſuauis eſt, copula & amabile vinculū, quo homines hominibus, Deo & angelis vniūtur. Eſt autem triplex: mititas naturalis, culpabilis, gratiæ ſiue virtutis. Naturalis in multis eſt, & exercitio vſúque multū confirmatur. Criminalis ſiue reprehenſibilis, ignauia quædā eſt & inſenſibilitas, qua nonnulli zelo dei & animarū nō tanguntur, ſed falſiſſima tranquillitate & pace damnabili peccantes vident & tacēt, diſſimulant, conniuent, & non reprehendunt &c. Mititas virtuoſa eſt, quæ gratiam dei comitem & regulantem charitatem habet atque decorantē. In hac ſe Chriſtus nobis exemplum dedit, ſic &
Num.12. Moyſes manſuetiſſimus legitur fuiſſe. Hæc mititas, tres virtutes in ſe cōprehendit: Nempe, Lenitatē, æquanimitatem

tatē & innocentiam. Lenitas est quo ad motus mentis: æquanimitas, quantum ad insultum hostis: innocentia, quantū ad actum hominis. Et sic excludit triplicē amaritudinem: Nempe, rancoris per lenitatem. Impacientiæ per æquanimitatē vel longanimitatē. Liuoris, per innocentiā. Mititas in se complectitur lenitatē, eo quòd mitis est, quem mentis amaritudo non afficit. Mites sunt qui cedunt improbitatibus, & nō resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Nobile & diuinū certamen est, vt bonus contra malum: nobilius vincere in bono, sed nobilissimū vincere in bono malum. Magna virtus est, vt non lædas à quo sis læsus. Magna fortitudo est lædenti remittere. Magna gloria est, si cui potuisti nocere, parcis. Per hanc virtutem possessor & dominus est sui. Et qui hac virtute seipsum vicit, plus fecit, quàm si totū mundū suo imperio subiugasset. Mititas in se cōprehendit æquanimitatē, quia mitis est, quem rancor vel ira vel furor non afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. Hic de ira per vitium, & de ira per zelum longus sermo texi potest & debet. Sic mitis omnia suffert, paciens est, & semper idem manet, nec maledictione mouetur nec benedictione. Aliena mala æquanimiter tolerat, & contra eum qui mala irrogat, nullo inuidiæ dolore mouetur. Bona de manu domini suscipit cum gratiarū actione, mala sustinet cum patientia & humilitate. Mititas item in se innocētiā complectitur. Proinde mitis est, qui non irritatur, non exulceratur, nō turbatur, non excandescit, non percitur furore, nec irritat, exulcerat neminem, ad furorem neminem prouocat & indignationē, nō nocet nec nocere cogitat, imo retribuit bona pro malis, beneficiū pro illato damno, maledicentibus benedicit, odientes diligit, in omnibus & vbique bene institutus est, cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis. Actu ingratis male de se merētibus, benignus est, comis est, affabilis est & dulcis. Sic vbique innocens manibus est & mundo corde, & thesaurum bonū sibi thesaurisat in cœlo. Sic dat percutienti se maxillā, opprobriis saturatur. Vnde alibi scriptū est: Quis est vir vt est Iob, qui bibit subsannationē quasi aquam? Innocentia hæc in tribus sita est: In declinando à malo, in operatione boni, & cum his qui pacem odiunt, viuere pacifice, aliorum onera portare, omnia boni consulere, stabilem & immobilem in bonitate, in innocentia, inter

Prou. 16. *Luc. 6.* *Psal. 14.* *Iob 34.* *Psal 69.*

procellas tribulationum se custodire. Hinc in laudem innocentiæ, Os aureum exclamat: Gaude innocentia & exulta, gaude inquam, quia vtique illæsa es & secura. Si tẽtaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si confunderis, honoraris: si spoliaris, ditaris: si macularis, illustraris: si pugnas vincis, si occideris, coronaris. Tu in seruitute libera es, in periculo tuta, in custodia læta. Tibi omnis creatura seruit, tibi deus obedit ad nutũ, tibi omnia cooperãtur in bonum. Tibi omnis victoria adiicitur, tibi vniuersa militia subiugatur, tibi omnia mala mutantur in bonũ, omnis tristitia in gaudium, omnia grauia in leuitatem, imò & vulnera ipsa quæ pro dei gloria pateris, tibi sanitatem operantur. Te potentes honorant, suscipiunt principes, magnates exquirunt, reges terræ & omnes populi, quiq; terrigenæ & filij hominum, simul in vnũ diuites & pauperes, venerantur, efferunt, laudibus prosequuntur. Sed & crebrò te exquirunt, atque desiderãt qui te impugnant. Tibi boni parẽt, mali inuident, zelant æmuli, inimici succumbunt. Nec vnquã poteris victrix non esse, etiã si tibi inter homines iudex iustus defuerit. Vincis etiã cum malitia ad terram te deiecisse & pedibus conculcasse, gloriatur. Magna igitur est innocentia, & vincit omnia. Et ideo beati mites. Vere beati quod ex tribus ostẽdi potest: Nempe per oppositũ, per effectũ & per fructũ. Mites possidebunt terram, & cur dicantur & sint beati. Hoc per oppositũ ostenditur, quia mititas & rabies, furia siue cõmotio opponuntur. At rabies in corde humano miseria est, calamitas & execrabilis culpa. Ergo mititas, comitas, dulcedo, benignitas est beatitudo. Per effectũ, quã mititas quædã est mentis bene cõpositæ impassibilitas. Mitis quidẽ patitur, sed nõ læditur, læsiones non sentit. Mitis est sicut mollis culcitra, quæ dura suauiter recipit, in quo animus suauiter requiescit: ideo felix qui non habet animi sui dolorem, neque enim iustũ contristat quicquid acciderit ei. Per fructum denique ostenditur quòd beati sunt mites, quia ipsi possidebunt terram. Terram corporis quam gerunt, terram diuini operis quã terunt, terrã viuentium quam quærunt. Terram huius mundi mites possidebunt & pacifice regunt, quã immites destruunt.
Eccle. 10. Sic sedes ducum superborum Dominus destruit, & sedere facit mites pro eis, & Psalmista ait: Mansueti autem
Psal. 36. hæreditabunt terram. Et iterum ait: Mansuetudo mea multi

multiplicauit me. Mites item terram corporis sui hæriditant & super eam dominium habent, corpus castigando & in seruitutem spiritus redigendo, appetitui per rationem dominando, à voluntate carnis se auertẽdo, carnem cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo. Ideo in patientia possident animas suas. Iracundi autẽ terrã hãc non possidẽt: quia sensualitati nõ dominantur, iras, rixas, contentiones, turbationes, bella, seditiones excitant, in quibus ipsi & alij occiduntur & pereunt. De ista terra legis: Terra es & in terram ibis. Terrã denique viuentium, quiete & pacifice possidebunt. Rixentur ergo immites & dimicent pro terrenis bonis, sed beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, de qua depelli non possunt. Et hoc iuste per omnem modum. Siquidẽ dominus mites quiete & pacifice possidet in terra morientiũ, ideo lege vicissitudinis, mites pacifice & quiete Dominum possidebunt in terra viuentium. Si ergo regnum cœlorũ pauperibus, & terra viuẽtium mitibus promittitur, quid ergo superbis, contentiosis & immitibus, nisi infernus relinquitur? At nos discamus, à Christo, quia mitis & humilis corde. Nam mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, & humiles spiritu gloria suscipiet.

Gal. 5. *Gen. 3.* *Matt. 11.*

SERMO SECVNDVS DE BEATITVDINIBVS.

VT nulla participatio iustitiæ cum iniquitate, & nulla societas lucis ad tenebras, ac nulla conuentio Christi ad Belial, & nulla pars est fidelibus cũ infidelibus: sic oppositæ sunt viæ ad cœlum & ad infernum. Aliæ item leges dei, aliæ diaboli. Lex Christi charitas, lex diaboli peccatũ siue iniquitas. Aliis moribus, actibus & obsequiis demeretur deus, aliis seruitur mundo & diabolo. Eodem modo alia est beatitudo pie viuentium in Christo in hoc mundo, quam filij huius seculi ignorant, aspernantur, & probro dant. Alia beatitudo filiorũ diaboli, qui desideria & opera diaboli propẽso animo exequuntur & faciunt. Hi carnis delicias, falsas mundi diuitias, vanas laudes, æstimationem insani & mutabilis vulgi gloriam momẽtaneam esuriunt & sitiunt, atque hæc partẽ suam & sortem æstimant.

2. Cor. 6.

mant. Illi ſeipſos abnegare, carnem crucifigere, omnia & ſeipſos relinquere, gloriã quæ à ſolo deo eſt poſſidere ſatagunt. Et quæ mundus diligit, ipſi odiũt: Quæ mali lucra ducũt, iuſti cane & angue peius odiunt. Quod altum eſt, magnificum & acceptũ hominibus, hoc ſeculũ amãtibus, abominatio eſt apud deum & filios regni. Quod hi ſapientiam ſummam venerantur, hoc ſtultitia eſt apud illos. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Hæc tertia beatitudo recte primã ſequitur & ſecundam. Poſt contemptũ namque mundi per paupertatẽ, & poſt quietem mentis per mititatem & manſuetudinẽ, dum homo ſibi ipſi vacat ſolicite, nihil inuenit, nec in ſe, nec in aliis, niſi flebile, & ideo luget. At circa cõcupiſcentias mundi duobus modis homo ſe poteſt habere: Videlicet, cõmuni modo, moderate cõcupiſcentiis carnis, ciborum, & venereorum vtendo, in ſenſu guſtus, & tactus. Similiter in delectamentis viſus & olfactus moderate vtẽdo abſque exceſſu & peccato. Et hoc ad temperantiam pertinet quæ politica virtus eſt. Alio modo excellenter, quãdo homo ex feruore charitatis, & perfecta imitatione Chriſti omnia hæc aſpernatur quaſi ſtercus, & reputat detrimenta, & pro his luctum voluntarie aſſumit. Beati proinde qui propria peccata lugent, beatiores qui aliena. Qui enim aliena, certum eſt, quòd propria quæ lugeant non habẽt. De hac beatitudine tria conſideremus: Nempe, luctus debitum, luctus meritum, luctus præmiũ. Tripliciter hîc lugere debet homo pro ſeipſo: In præſenti vita lugere tenemur prò præterita dei offenſa multiplici, & iſte luctus impetrat peccatorũ remiſſionẽ. Duplicẽ luctũ peccator habere debet in pœnitẽtia: Vel quia bonũ per negligentiam non fecit, vel quia malũ, per audaciam perpetrauit. Sic Dauid per ſingulas noctes lectũ ſuum lauit, quia pro ſingulo peccato ſingularẽ fletum aſſumpſit, per quem lectulũ cõſcientiæ ſuæ ſiue ſtratũ ſuũ mundauit,

Pſal. 6. Sic Dominus cibauit eum pane lachrymarũ, & potum ei dedit in lachrymis in menſura culparum cõmiſſarũ, quia

Pſal. 79. luctus quantitas, quantitati culparum reſpondit. Et quãto prius ſe glorificauit, & in deliciis fuit, tantum ſibi luctum facit & cruciatum pro peccatis aſſumit. Ideo lugentes hîc dicuntur, nõ orbitantes, aut contumelias, aut alia damna mœrentes, ſed commiſſa piacula flentes. Hoc fecit qui dixit: Exitus aquarum deduxerunt oculi

mei,quia non custodierunt legem tuam:sic fluminis im petus lætificat ciuitatem Dei,eo quod Deus post tẽpestatẽ contritionis tranquillũ cor facit,& post lachrymationẽ & fletum,exultationem infundit. Deinde plorare & lachrymari debemus pro præsenti miseria,& hoc impetrat spiritualem consolationem. Quomodo quis temperare sibi non potest à gemitibus & lachrymis,quando horrorem, pericula salutis huius vastæ solitudinis secũ reputat, in quam propter Adæ noxam sumus intrusi. Nihil hîc stabile & quietum,sed semper peioribus conditionibus alternamur. Ipsa etiam ineuitabilis moriendi necessitas,quem non mouet ad lachrymandum? Vnde psalmista,mundum vallem lachrymarum,locum horroris & vastæ solitudinis, & exilij ac peregrinationis appellat. Vnde ergo superbit homo, cuius conceptio culpa,nasci pœna,labor vita,necesse mori? Deniq; lugere & lachrymari debemus pro futura lætitia,exiliũ hoc pertæsi,& horrentes cum viro Dei,dicentes: Sitiuit anima mea ad deum fontem viuum,quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Et hoc, Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Tædet animam meam vitæ meæ, dimittam aduersum me eloquium meum. Libera me Domine & pone me iuxta te,libera me de corpore mortis huius quod grauat animã meam. Educ de custodia animam meam,ad cõfitẽdum nomini tuo. Heu heu quod incolatus meus prolongatur,habito cum habitantibus Cedar,& cætera. Ideo multi gemitus mei & cor meum mœrens. Sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie,vbi est Deus tuus? Sic iusti super flumina Babylonis sedent & flent,dum Sion cœlestis,in qua rex in decore suo facie ad faciem videtur, recordãtur. Tripliciter lugere debemus pro proximo, Lugeamus alienas offensiones,sic Esdras dilectus Deo & hominibus irremediabilibus lachrymis populi sui luxit offensas. Sic Hieremias sanctus antequam natus,die ac nocte populi sui defleuit peccata. Sic vir secundũ cor dei Absolonis alta voce piacula defleuit. Sic adsertor noster ciuitatẽ videns,fleuit super eã. Sic Apostolus vas electionis in honore,multos luxit qui peccauerũt & pœnitentiã super immũditiis suis non fecerũt. Sic tristitia magna cor eius deo plenũ & gratia afficiebatur,& cõtinuo

Apoc. 18. Psal. 118. Psal. 41. Iob 10. Psal. 118 Psal. 4. 1. Esdr. 9. Hiere. 9. 2. Reg. 18 Luca 19.

2.Cor.12 dolore cruciabatur super induratione Iudæorũ.Ideo in-
Roma.9. ter vestibulũ & altare sacerdotes ministri Domini plo-
rabant olim, & misericordiæ Dei diuitias implorabant,
2.Cor.11 &c. Sic æmulatione Dei Corinth.æmulans Apostolus,
capita eorũ & potestate præditos arguit dure, quòd in-
flati erant, & ad peccati cõmissi expiationem negligen-
Psal.118 tes erant,& luctum non habuerunt. Hoc fecit Dauid di
cens: Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei: quia quorũ
salutẽ zelo magno zelatus sum, non custodierunt legẽ
tuã. Hinc sapiens ait: Super fatuum, id est, peccatorẽ plo
Sapien.1. ra, defecit enim sensu. Luctus mortui septem dies dura-
bit, fatui autem & impij qui moritur in delictis & pecca
tis suis & seipsum per malitiã & peccatũ occidit per om
nes dies vitæ illius continuandus est, vt deus illius mise
reatur. Deinde & cæcitates & impœnitentiam proximo-
1.Reg.16 rum lugere debemus. Sic Samuel regẽ abiectum à deo
luxit. Sic Apostolus multos scripsit ambulare in luxu-
riis, desideriis carnis, vinolentiis, commessationibus, po-
tationibus, ebrietatibus & illicitis carnis suæ voluptati-
Philip.3. bus, tenebris obscuratum habentes intellectum, quod
sæpe illis dixit cũ apud eos erat, at nunc flens dico, ab-
sens videlicet, de illorum excæcatione & induratione su
pra petram & adamantẽ. Nã eiusmodi sunt inimici cru-
cis Christi,& deus eorũ venter est,& gloria in confusio
ne ipsorum, eo quod terrena sapiunt. Sic iustus præuari-
cantes videns, tabescit, eo quòd eloquia siue mandata
Psal.118 Dei non custodiunt. Et zelus eius tabescere eum facit.
Dan.12. Daniel hoc modo trium hebdomadarum diebus luxit.
Tertiò lugere possumus meritorie, alienæ calamitati cõ
Neemi.2. patiendo. Quæ oriri potest ex destructione, sic Neemias
dixit ad regẽ: Quare nõ mœreat vultus meus, quia ciui-
tas patrũ meorũ destructa est, & portæ eius combustæ
sunt igni? Illic sedimus & fleuimus dixit populus in ca-
ptiuitate constitutus, dũ recordaremur tui Sion. Potest
etiã compassio hæc oriri ex afflictione alterius. Flebam
Psal 136 quondam super eo qui afflictus erat, dixit vir dolorũ, &
Iob 30. compatiebatur anima mea pauperi. Hoc modo Heli-
sæus flebat futura mala populi sui. sic Iudæi flebant cũ
Ioan.11. Maria & Martha super morte Lazari. Sed & Iesus la-
chrymatus est,& fleuit cum flentibus. Vt sic vno mem-
bro patiente, omnia membra compatiantur. Et hoc do-
cet ratio et natura. Sed fletum quem culpa parit, dam-
nat

nat omnis scriptura, et dure arguit ecclesia sanctorum.
Tertius luctus meritorius est de morte sanctorū, qui in *2.Cor.11.*
ouili Christi vtiles et nobis in via dei cooperatores esse potuerunt, et consolationi in aduersis. Sic sancti luctum habuerunt, cū charos amiserunt. Triplex cōsolatio lugentibus datur à deo. Pater misericordiarū et deus om *2.Cor.1.*
nis consolationis, qui electos suos in omni tribulatione consolatur, tribus modis lugentes consolatur. Dat siquidē eis consolationē remissionis, lætificationis et glorificationis. Remissionis, dū propter lachrymas peccata remittit. Sic Petrus lachrymis misericordiā obtinuit dum *Matt. 26*
amarè fleuit. Sic Magdalena retro secus pedes domini *Luca 7.*
stetit, et lachrymis pedes Domini lauit, ideo dimissa sunt *2.Reg.8.*
ei peccata multa. Luctus pro peccatis, mare æneum est ante templū. Est lauatoriū in pomerio ecclesiæ. Est fons hortorū, puteus aquarū viuentiū, natatoriū Siloe, fluuius Iordanis, in quo septies lotus, mūdatus est Naamā *4. Reg.4*
Syrus. Est cella vinaria, est mare rubrū in quo submerguntur *Exod.14.*
Ægyptij, lachrymæ sunt aquæ in quibus capita *Ioan.4.*
draconis contribulantur, sunt probatica piscina in qua *Psalm.39*
hostiæ abluuntur, sunt aqua viua salientes in vitā æternam. Altera lugentiū consolatio est gaudiū de peccatorum remissione. Secundum multitudinē dolorū meo *Psal.19.*
rum in corde meo, quos habui pro peccatis commissis, consolationes tuæ lætificauerunt animā meā. Sic planctum peccatoris, pro peccatis in gaudiū illis conuertit. Rex Ezechias ab Esaia audiuit obitus sui diem instare, *4.Reg.20*
mox ad parietē se vertit et fleuit, lachrymans fletu ma- *Esa.38.*
gno misericordiā petens et veniam. Mox propheta rediit, dicens: Hæc dicit dominus: Audiui orationē tuā et lachrymas vidi, etc. et consolabatur eū: Sic Susanna flēs *Dan.13.*
suspexit ad dominū, et liberata fuit à calūniis falsis. Sic Dauid postquā laborauit in gemitu suo, et lauit per sin- *Psalm. 6.*
gulas noctes lectū suū, exauditus est pro dei clementia. Vnde sequitur: Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniā exaudiuit dominus vocē fletus mei. Sic ad vesperum demoratur fletus: Ad vesperum, quando nox intrat culpæ, & lumen occumbit iustitiæ & sol intelligentiæ. Ad matutinum gratiæ, quando sol rursus deum timentibus oritur, tenebris peccatorum in nihilū redactis. Et homo iustus exit ad opus suum, et ad operationem suam vsque ad vesperam mortis, tunc oritur læ- *Psal.103.*

Psal. 125 titia de peccatorũ venia. Sic qui seminant in lachrymis contritionis & pœnitentiæ, in exultatione misericordię
2. Cor. 12 Dei metunt. Sic fornicator ille nefandus traditus in potestatem Sathanæ, postquã dignis pœnitentiæ fructibus piaculũ suum expiauit, consolari iubetur, confirmari in charitate, ne abũdantiori tristitia absorbeatur. Sic deus percutit & sanat, vulnerat & medetur, deducit peccato-
Deute. 32 res obstinatos ad inferos per cõminationem gehennæ ignis, & reducit resipiscentes à diaboli laqueis per venię
1. Reg. 2. promissionẽ & peccatorum omniũ remissionem. Mortificat hoc modo & viuificat, pauperẽ facit & ditat, humiliat & subleuat se humiliantes. Tertia pie lugentium consolatio est glorificationis & beatitudo eorũ. Verum beatitudo accipitur large, proprie, propriissime. Large, gratia siue charitas beatitudo dicitur, quia hominẽ æter
Psalm. 8. na beatitudine dignũ facit. Beatus vir, ait Dauid, cuius est auxiliũ abs te. Imo quælibet virtus formata, & quodlibet donũ spiritussancti, & quilibet fructus spiritus potest dici beatitudo prædicto modo. Proprie & magis specialiter beatitudo est actus animæ iã purgatæ, perfectione immediata ad beatitudinẽ, & sic sumitur hic. Propriissime, videlicet beatitudo præmij, quæ duplex est: Nempe, increata, quæ deus est, & creata, quæ status est omniũ bonorum aggregatione perfectus. De hac propheta ait: Beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorũ laudabunt te. Beati qui lugent hic, quoniã illic cõsolabuntur. Talibus lugentibus dominus loquitur per
Esaia 66. Esa. Lætamini cum Hierusalẽ, & exultate in ea omnes qui diligitis eã, gaudete cũ ea gaudio, vniuersi qui lugebatis super eã, vt sugatis & repleamini ab vberibus consolationis eius, vt mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Et Psalmista: Qui seminant in lachrymis & hic lugent, &c.

SERMO TERTIVS DE BEATITVDINIBVS, DE ESVRIE & siti Iustitiæ.

BEATI *qui esuriunt & sitiunt iustitiã, quoniã ipsi saturabuntur.* Hæc merito priores in ordine sequitur beatitudo. Qui enim mundũ & quæ in mundo sunt contemnit, morésq; suos mansuetudine regit, necnon miserias

suas

suas & aliorum luget, iam esurire & sitire iustitiam potest, quam prius non potuit. Non potest aliquis vitam nouam Deo & euangelio dignam inchoare, nisi veteris eum pœniteat. Non potest eger esurire, nisi à noxiis fuerit purgatus humoribus. Non potest homo viam mandatorum dei currere, nisi vincula diaboli, quibus ligatus ad eius voluntatem tenebatur, diruperit. Duobus autem modis homo se ad iustitiam habere potest: Vel communi modo, vnicuique quod suum est dando, & sic virtus est politia. Atque hunc in modum Plato, Panætius, Cicero, Seneca, Macrobius, aliique multi vera & vtilia multa docuerunt de iustitia. Alio modo homo se ad iustitiam excellenter habet, quod per esuriem & sitim iustitiæ adimpletur. Videlicet quando homo debita iustitię cum quodam insolido & feruido desiderio quærit, inuestigat & instanter operatur, & quatenus operari ea possit, omnia impedimenta procul abiicit, deuitat & excludit, & quæ ad hoc faciendum ei vtilia, conferentia & necessaria sunt, haud secus quam longa esurie & siti cruciatus, ea facit & explorat, per quæ sitis & famis animæ suæ inenarrabilem cruciatum expellere possit. Quicquid ei de diuitiarum copiis, mundi delitiis, vanis honoribus dixeris, non curat nihil eum oblectat, panis fragmenta, aquæ poculum cupit, alia omnia nihil curat. Hinc ex vehementissimo cruciatu famis & sitis etiam cum nihil habet, commedere & bibere cogitat & imaginatur. Sic vt prophetæ verbis vtar somniat esuriens & comedit, cum autem expergefactus fuerit, vacua est anima eius. Et sicut somniat sitiẽs & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit & anima eius vacua est. Beati proinde qui sic esuriunt & sitiunt iustitiam Hæc est quarta beatitudo. Primæ tres à seculo nequam nos eripiunt. Paupertas diuitias abiicit, mansuetudo iniurias non sentit, luctus commissa diluit. Quatuor quæ sequuntur ad cœlum erigunt: Quarum prima est, nõ tam iustitia, quam esuries siue desiderium iustitiæ, quia in præsenti perfectam iustitiam non possumus habere, sed possumus esurire. Per hanc iustitiam, siue esuriẽ iustitiæ, immediate coniungimur deo, quod nõ fit per alias virtutes cardinales. Hinc Hieronymus ait: Non sufficit nobis velle iustitiam, nisi iustitiam faciamus & sitiamus, vt nos nunquam satis iustos, sed semper esurire iustitiæ opera debere intelligamus. Vt qui iustus, est,

Esa. 29.

Apoc. 22.

est, iustificetur adhuc, & nemo se iustitiæ culmen apprehendisse æstimet & esse perfectum, sed semper proficiat in melius, eat de virtute in virtutem, donec Deus Deorũ in Sion videatur. Omne bonum ergo quod non ex amore ipsius boni, qui est animę fames facimus, ingratum est ante deum. Beati proinde qui esuriunt & sitiunt iustitiã. Esuriunt autem iustitiam, qui secũdum dei iustitiam desiderant conuersari. Et illi iustitiam sitiunt, qui eius scien-
Lucæ 1. tiam acquirere cupiunt. Eiusmodi esurientes implet bo-
Sap. 10. nis, & desiderium suum iustis dat. Esuries quoque iustitię
Prou. 2. est desiderium summi boni. Obiter item attende, quod non dicit: Beati qui esuriunt & sitiunt prudentiam, temperantiam, fortitudinem, sed iustitiam. Quia iustitia virtus generalis est, omnem animæ rectitudinem complectens: Ideo sub nomine iustitiæ omnia virtutum nomina comprehenduntur. Est ergo famelica iustitia & sitibunda omnium virtutum atque bonorũ insatiabilis appetitus. Et sicut ignis nunquam dicit sufficit, sed affer, sic esuries & sitis iustitiæ augetur ex bonitatis operatione. Esuries quippe animati corporis est appetitus eorum quæ corpori sustentando vtilia sunt. Esuries autem & sitis animæ rationalis est deuenire in optimum atque verum bonum, ei vniri, ab eo perfectissimo modo in bonis repleri. Ideo sicut ignis ex appositione lignorum in maiorem flammã & calorem excrescit, sic anima rationalis cum in sapientia & gratia proficit maior & intẽtior sitis eius & esuries iustitiæ eius redditur. De ista iustitia triplicem famem & sitim dispiciamus in præsentiarum: Nẽpe famen instítiæ, famen gratiæ, & famen gloriæ. Prima itaque fames & sitis iustitiæ est ardens desiderium, atque bene viuendi insatiabilis appetitus. Siquidem esurire & sitire est de rebus quæ edi bibíque possunt incessanter, & cum maximo desiderio meditari. Sic esurire & sitire iustitiã, est de illa affectuose & sine intermissione meditari. Et talis iustitia bonis meliora, & melioribus optima anteponit Talis esuriens iustitiam, vnicuique quod suum est tribuit: Nempe, iustus tribuit vnicuiq; quod suũ est, deo, sibi ipsi, proximo. Iustitia famelica tribuit deo honorẽ, amorem, timorem. Honorem creatori, amorem redẽptori, timorem iudici: vt hoc modo initium, medium & finem sine fine à domino nos habere cognoscamus. Primũ ad dei cognitionem quę est per fidẽ. Alterum ad dei amorem, quę dilectione

ſectione abſoluitur. Tertium ad dei recordationem pertinet, quę in ſpe firma conſiſtit. Et per iſta tria anima reformatur. Per fidem illuminatur intellectus in cognitione veri. Per charitatem volũtas rectificatur in amore boni. Per recordationem memoria perficitur in adhęſione ardui. Honor creatori debitus triplex eſt: adoratio, exoratio, veneratio. Adoratio nos deo ſubiicit & humiliat sub potenti manu eius. Exoratio ad deum nos docet cõfugere, & cor noſtrum corã eo effundere. Veneratio nos non niſi mundos & ſanctos munia eius docet abſoluere & obire. Eſuries & ſitis illa iuſtitiæ etiam timorem iudici retribuit, eo quòd deus iudex, iuſtus, fortis. Ecce tria propter quę timendus. Eſt enim iudex infallibilis, quia deus: Deus autem videns interpretatur, quia nouit omnia. Eſt inflexibilis, quia iuſtus. Ergo zelus eius & furor nemini tunc parcet, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec accipiet pro redemptionem dona plurima. Eſt & infugibilis, quia fortis. Nã quod iuſte iudicauerit, potenter & fortiter exequetur, nec ab executione poterit impediri. Nemo poteſt iræ eius reſiſtere. Sibiipſi tria tribuit eſuriẽs iuſtitiam: Munditiam cordi, cuſtodiam ori, diſciplinã corpori. De cordis munditia ait maximus vatũ: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. A tribus in verbis iſtis emundari expoſtulat: A delictis, ab occultis, & ab alienis. Delicta peccata omiſſionis, occulta ſunt commiſſionis. Delicta ergo quis intelligit? id eſt neglecta & quaſi derelicta bona, quæ potuimus, ſciuimus, debuimus facere. Et hęc intelligere, difficillimum eſt. Quod ſecũ reputãs beatus Iob, dixit: Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd nõ parcis delinquẽti. Verebar omnia opera mea, etiam bona, quia in bonis operibus duo ſunt timẽda, deſidia videlicet & fraus. Vnde ſecundum aliam tranſlationem ſcriptum eſt: Maledictus qui facit opus dei fraudulenter & deſidioſe. Deſidia per torporem naſcitur, fraus per priuatam dilectionem. Illã minor dei amor exaggerat, hanc male mentẽ poſſidẽs proprius timor, omnium malorũ fons & lerna creat. Deſidiam facit timor & amor mundi. Fraudẽ vero proprius amor ſui. Dum pro bene actis tacita humani cordis gratia, vel fauoris aura vel qualibet res exterior deſideratur. Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, quòd etiam operando bona, homo incidit in delictum, videlicet in omiſſione,

1. Pet. 5. *Pſal. 7.* *Prou. 6.* *Iob. 9.* *Pſal. 18.* *Iob 9.* *Hier. 38.* *Vide D. Greg. li. 9 cap. 26.*

missione vel diligentiæ debitæ, vel intentionis rectæ. Dum opus dei facimus negligenter, vel oculus intentionis non est simplex, sed nequam. Et si bona faciendo homo incurrit in delictum, multo magis hoc facit bona dimittendo & negligendo: Ideo difficile est delicta intelligere, & prorsus impossibile. Deinde rogando rogat emundari ab occultis. In quibus verbis manifeste instruimur, vt oremus pro peccatis nostris oblitis & ignoratis. Sed teste August. adeò pius est dominus, suauis & misericors, quòd pie pœnitentibus & petentibus, aut peccata dimittit, aut ad memoriam reducit. Ait autem, ab occultis meis, id est, ex me prouenientibus, à me perpetratis, & nō ex alio. Sic seipsum accusat. Se ait peccasse, iniquè egisse, non in alios transfundit, sicut Adam, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi, & comedi: Sic

1.Reg.15 Saul inobedientiam suam non est humiliter confessus,

2.Reg.24 sed in populum false nitebatur detorquere. At Dauid di

Psal. 18. xit: Ego sum qui peccaui, & ego iniquè &c. Tertio postulat emūdari ab alienis, dicens: Et ab alienis parce seruo tuo: Ab alienis ait videlicet quæ diaboli vel hominis mali suggestione operatus sum: Dicuntur autem aliena,

Psal 124 quia sunt illius qui ea suggessit, docuit, suasit. Tum quòd illius effi iuntur, cui suggeruntur, si consentit. Nam declinantes in obligationes adducet dominus cum ope-

Osee 6. rantibus iniquitatem. Subditur: Parce seruo tuo, tu videlicet, qui vis misericordiam & non sacrificium qui misereris omnium, cuius misericordiæ sunt super omnia opera tua, quod facis dum me custodis ne labar, vel lapso miserendo, ne damner. Custodiam oris triplicem famelica iustitia habet, iuxta illud: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquā in lingua mea. Posui ori meo custodiam cū consisteret peccator aduersum me. Ecce triplex custodia: videlicet vitæ, linguæ, patientiæ. Custodiam vitæ

Psal. 38. tangit dicens: Dixi, id est, firmiter in corde meo proposui, iuraui & statui, custodire vias meas, hoc est, cogitationes, affectus & operationes. Sic Hiere. ait: Bonas facite vias vestras & studia vestra. Secūda est custodia linguæ & de hac subdit: Vt non delinquā in lingua mea. Merito custodiam vitæ, custodię linguę prēmisit, quia homo negligēs circa custodiā vitæ suæ, nō potest custodire linguā suam. Sed iuxta quod homo labitur in vita sua, offendit &

Matt. 12. in lingua sua, iuxta illud: Homo malus, de malo thesauro

cordis

cordis sui profert mala. Sic vnaquæq; arbor iuxta genus suum & folia & fructus facit. Ait ergo, Vt nō delinquā in lingua mea. Verū ad custodiam linguæ non sufficit custodia vitæ, nisi adsit adiutoriū diuinæ gratiæ. Ideo Propheta ad hoc auxiliū dei alio in loco petit, dicens, Pone domine custodiā ori meo, & ostiū circunstantiæ labiis meis. Custodia oris lumen est rationis, super nos signatum, siue lex naturalis, cum lingua sit instrumentum rationis. Ostium circunstantiæ quod aliquando clauditur, aliquando aperitur, tempus est tacendi & tēpus loquendi. Circunstātia oris septuplex est, quia locuturus septē diligentissime attendere debet. Quis loquatur, quid loquatur, quare loquatur, quibus loquatur, quando loquatur, quomodò et quantū loquatur. Quis ergo dabit ori meo custodiam et super labia mea signaculū certum, vt nō cadā in ipsis, et lingua mea prodat me? quia lingua siue loquela sua vnumquēque manifestū facit. Tertia custodia est patientiæ, de qua subditur: Posui ori meo custodiam, id est, rationem patiētem appetitum vindictæ sub ratione seruando, & illius dominando. q. d. Non solū seruabo, sed etiā diligenter seruaui. & hoc merito. Nam qui custodit os suum & linguā suā, custodit ab angustiis animā suam. Lingua modicum mēbrum est, sed magna exaltat, & vniuersum iniquitatis incendium exuscitat. Breuiter, linguā suā nemo domare potest, & qui lingua sua non offendit, hic perfectus est vir. Disciplinā corpori esuriens & fitiens iustitiam reddit. Disciplina autem est cōpetens informatio animæ ad id quod est vtile & honestū, est etiam pars iustitiæ, qua redditur quod debetur inferiori. Est etiā disciplina id quod ad correctionē alicuius adhibetur, iuxta illud: Cū das nobis disciplinā, bonitatem tuam cogitare debemus, & omnis talis disciplina meroris est. Iā scimus quod caro cōtra spiritum concupiscit, spiritum grauat, ad illicita desideria pellicit. Ideo animæ nostræ accidit sicut socio furis, qui cū fure suspēditur. Sicut socio malorū qui cū eis peruertitur & similis eis efficitur. Sicut cōuersanti cū leprosis & pestilentia plenis, ab eis maculatur, inficitur & lepra repletur. Sicut cū muliere nequā cōmoranti, quæ eū depauperat, decipit & inimicis suis sicut Dalila Samsonē prodidit. Est caro sicut asinus delicate pastus, qui recalcitrat, & dominū suum proiicit in lutum, saxa, aquas & spinas: Ideo nō est sanitas in carne nostra. Pili ex carne-

Gen. 1.
Psal. 140
Eccl. 3.
Prou. 21.
Sap. 12.
Gal. 5.
Psal. 10
Iudic 16

carne, desideria mala oriuntur ex carne. Pili incisi non dolent, extracti dolent. Sic desideria carnis absq; periculo possumus temperare, nō autem euellere. Pili abscisi, rursus renascuntur, sic desideria carnis quamuis modo mortificentur, mox tamen rursus pullulant & prodeunt
Colos. 3. de carne: Ideo oportet nos mortificare membra nostra
Galat. 5. quæ sunt super terram. Oportet eam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis, & in seruitutem spiritus redigere. Est item caro infirma ad bonū, semper inclinans ad malum, quantumuis spiritus promptus sit ad bonum. Et sicut quanto ager plus fimo impinguatur siue hortus, tanto vberius herbis noxiis exuberat, nisi manu cultoris extrahantur. Sic quanto caro delicatius nutritur, tanto magis cogitationes malas, illicita desideria germinat, nisi
Hiere. 10. disciplinæ manu mundetur. Hinc Hiere. ait: Nouate vobis nouale, hoc est, terrā corporis vestri sæpius innouate &c. Caro igitur & spiritus sunt quasi duæ situlæ aut duæ vrnæ, in vno fonte alto, quarum quanto vna plus descendit, tanto alia plus ascendit. Sic quanto spiritus magis ascendit in deum & in gratia, tanto caro plus humiliatur. Et quanto caro magis dominatur, tanto spiritus deprimitur. Et huius disciplinæ magnum est emolumentum. Nam sicut spiritus deo adhærens, vnus spiritus cum eo efficitur, cor vnum & anima vna, sic adhærens carni, carnis desideria & curam faciens, caro fit, carnalis, animalis, & bestiis comparatur & eis similis efficitur. Expende vilitates, nobilitas & fructus viuentium in spiritu, & in spiritu & veritate deum adorantium & ei seruientium
Ioan. 4. in spiritu. Expende mala quæ ex carnis cura eueniunt homini si poteris, sed appositam accipe similitudinem. Sicut figulus non potest pulchra vasa de luto fingere & de terra, nisi prius fuerit bene trita, cribrata & operata. sic nec deus vult facere vasa electionis, misericordiæ & honoris de corporibus nostris, nisi fuerint prius bene disci-
Psal. 2. plinata. Hæc propheta animo secum reputans, dixit: Appræhendite disciplinam, nequando irascatur dominus & pereatis de via iusta. Tertio loco esuriens iustitiam proximo suo etiam tribuit tria: Obedientiam superiori, concordiam pari, beneficientiam inferiori & omni indigenti.
Heb. 13. Sed his tribus breuiter hic me expediam, quia multi de
1. Pet 2. his sermones scribi possunt. Obedientiam superiori, po-
Psal. 67. testati & potestate præditis quia illi peruigilant tanquam rationem

rationem reddituri pro animabus subditorũ.Et hoc non *Heb 13.*
tantùm bonis & modestis,sed etiam discolis.Concordiã *1.Pet 2.*
pari,vt vnanimes habitent,& vnius moris in domo dei, *Psal.67.*
ibíq; ambulent cum consensu. Beneficentiam inferiori, *Roma.12*
vt qui præest in sollicitudine. Et illi alterum solem induant & se exhibeãt subditis suis. Longum foret enumerare,quomodo superiores,cœlorum,ignis,aëris & capitum in se habere debent proprietates,sed transeo gratia breuitatis. Altera principalis fames est fames gratiæ, & de hac dominus ait:Quomodo ipsi saturabuntur etiã in præsenti vita dũ esuriunt & sitiunt iustitiã.Argumentum & indiciũ inhabitantis gratiæ certissimũ est, quòd maior & feruentior fames gratiæ in anima vrget & existit.Nam hoc proprium habet bonitas,sapientia, charitas,gratia & virtus vera,quod post saturitatem,maior & feruentior amor & desideria iterũ reaccendunt. Sic qui *Eccles. 24*
edunt sapientiam,esuriunt, & qui bibunt aquam gratiæ iterum sitiunt. At pater misericordiarum sic esurientes, implet bonis,& desiderium suum iustis tribuit.Replet in bonis desiderium electorum. Quodcunq; voluerint petunt,& fit eis. Tres autem animæ vires principalius in hac vita iustitiam esurientes & sitientes bonis et donis electis,cœlestibus saturantur:Nempe:Rationalis, irascibilis,concupiscibilis.Rationalis hic sitiens et esuriẽs puram,summam et æternam veritatem, per fidem saturatur mirabiliter, irascibilis per spem saturatur,per diuinã sublimitatem cui innititur. Concupiscibilis per charitatem insaciabiliter saturatur de diuina bonitate. De saturitate animæ in gloria cœlesti.In gloria cœlesti,electi satiantur dum apparet illis Christus in gloria sua,et nihilominus adhuc esuriunt et sitiunt.Verùm,esuries et sitis,vno modo accipitur pro absentia et indigentia rei desideratæ.Secundo modo,pro complacentia et delectatione in re desiderata.Primo modo sonat defectum pœnalem,et sic non est in beatis.Alio modo est in cœlo,et sic nihil aliud est esuries et sitis ista quàm iocũdissima,beatissima, et suauissima sacietas, quæ non generat fastidium,vt voluptates carnis, sed semper in vniformi suauitate et delectatione fruentis desiderium tenet. Saturabuntur ergo largitate remunerantis Dei,quoniã maiora erunt Dei præmia quàm sanctorũ desideria.Nihilo minus triplicem esuriem habebunt animæ sanctorum

Psal. 35. in gloria æterna, dum torrente voluptatis Dei potantur, & ab vbertate domus cœlestis inebriantur. Nam ibi intellectus habebit esuriem diuinæ visionis: Et satiabitur,

Iob 33. quia videbit Deum facie ad faciẽ, videbit eum sicuti est, & similis ei erit. Et beatus Iob ait: Videbunt faciem eius in iubilo, id est, in ineffabili gaudio. Transeo hic de triplici visione Dei in cœlo: Nempe, Matutina, meridiana, & vespertina. In lumine tuo videbimus lumen &c. Deinde memoria patitur esuriem diuinæ securitatis, quia merito spei datur ei securitas diuinæ possessionis, qua secura fit in æternũ possidere deum, & omnia quæ in eo sunt, Sine illa securitate impossibile esset electos esse beatos.

Ioan. 16. Tunc tenet dilectũ, & non dimittit. Hanc promisit apostolis dicẽs: Iterũ videbo vos & vos me, & gaudebit cor vestrũ, & gaudium vestrũ nemo tollet à vobis. Hoc gaudium fames & sitis erit diuinæ securitatis. Et quãto gaudium hoc maius erit, tanto maior securitas insaciabiliter abundabit. Voluntas etiã patitur esuriẽ diuinæ dilectionis, quia merito charitatis, dabitur ei dilectio cõsummata. Tunc cõplebitur præceptũ diuinæ dilectionis, & deum diligẽt ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus suis, & proximos sicut seipsos.

Psal. 118. Illũ omnis consummationis finẽ hic vidit Dauid in spiritu, Vidit & gauisus fuit. Tunc super omnipotentem

Matt. 5. beati deliciis affluent, & insaciabiliter saturabuntur: Ibi venient multi ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.

DE AFFECTV MISERICORDIAE, SERMO.

BEATI misericordes, quoniam ipsi misericordiã consequentur. Ordine pulcherrimo, post priores beatitudo ista sequitur; Nã misericordia ex prioribus ortũ habet, quia si præcedit humilitas vera & animus mãsuescit, ac suos aliorũmq; casus fleuit, iustitiã esurit, postea nascitur misericordia pia, viscerosa & vera. Tunc enim alienas miserias facit suas, & pro viribus suis auxiliũ præstat. Et si sibi subueniẽdi deest facultas, cõpassio, cordis non deest. Ratio autẽ, quare misericordia post iustitiã ponitur est, quia iustitia sine misericordia, ad crudelitatem ascẽdit. Et misericordia sine iustitia ad remissionem

nem

nem descendit. Vna vero cum altera, secundum æquitatem incedit. Iustitia tamen super misericordiam addit. Nam per iustitiam redduntur debita, per misericordiam verò dantur propria. Duobus tantum modis per misericordiam bene se habet homo ad proximum suum: Communiter videlicet & excellenter. Communiter & humano modo hoc fit per liberalitatem, quæ virtus politica est, in mediocribus & paruis donis. Secundo modo per magnificentiam in excellentibus & magnis bonis & donis. Et hoc modo fit per beatitudinem quæ misericordia nominatur. Quando scilicet quis defectum alterius affectualiter accipit quasi suum. De qua Bern. ait: Misericordia affectio est quæ nec voluntate coërcetur, nec rationi subiicitur, quando non eam quisque in se pertrahit voluntario motu, sed ipsa pias mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectum, ita vt etiam si peccatum esset misereri, & si non vellem non possem nō misereri. Potest quidē ratio vel voluntas affectui effectum subtrahere, sed nunquid affectum ipsum euellere? Et alibi: Iustitia meritum quærit, misericordia miseriam intuetur. Vera misericordia non iudicat, sed afficit, non vtitur discretione, accusatione contenta. Non enim expectatur ratio vbi affectio trahit. Vnde misericors quasi miserum, vel miserans habens cor super aliquem afflictum vel tribulatū. Differt tamen misericordia à miseratione, nam affectualiter bene velle misericordiæ est, benefacere miserationis: Est enim miseratio in se actio, sed misericordia tantum affectus est cordis, quo compellimur vt miseris subueniamus & compatiamur, si operibus subuenire non valemus. Verùm miseratio ex opere comprobatur, Et sic differunt misericordia & miseratio, sicut fons viuus & riuulus, flos & fructus: misericordia fons & flos est in effectu, miseratio quasi fluuius & fructus in effectu. Illa cor afficit, hæc opere & veritate indigenti subuenit. Vnde Aurelius in diffinitionibus: Misericordia est animi condolentis affectus, cum additamento beneficij, vt cōpatiamur proximo, & largiamur quibus indiget de proprio, ad quod nos ipsa vera charitas vrget. In Deo tamē est misericordia sine miseria cordis. De his maximus vatum ait: Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus. Sequitur opus, Escam dedit timentibus se. Porrò differunt misericordia & pietas. *Psal. 110*

Pietas namque est qua homo cõmunicat proximo bona sua,& hæc est quasi fluuius inter ripas decurrens. Misericordia vero est qua homo mala aliena facit sua,vt dictum est. Et hæc est quasi fluuius inundans & erumpens atque egrediens extra ripas. Et in hoc adparet & amicitia vera. Pietas cũ misericordia conuenit in effectu,cum mansuetudine in effectu. Differt tamen ab vtraque: à mansuetudine & mititate, quia mansuetudo est contra irritationem ex illatione alicuius iniuriæ, sed pietas cõtra indurationem qua quis non habet affectionem nec beneuolentiam ad eos qui habent imaginem dei. Similiter à misericordia differt,quia misericordia in proximo considerat conformitatem in natura, & similitudinẽ in specie,& necessitatẽ in indigentia. Pietas autẽ attendit in misero imaginem dei & participationem gratiæ dei & fidei. Vnde misericordia considerat miseriam in imagine, pietas vero considerat imaginem in misero. Nepe,quòd est filius altissimi, frater Christi,templum spiritussancti, hæres dei & cohæres Christi. Sed hæc etiã fiunt differẽter,quia misericordia conformatur dictamini iuris naturalis secundũ regulã prudẽtiæ. Pietas conformatur doctrinæ iuris diuini,secundum regulam doni scientiæ, quod fundatur super principia fidei, & dirigit in opere secundum exemplar Christi. Perfecta ergo charitas & amicitia erit si hanc misericordiam & pietatẽ feceris inimico,
Matt. 5. magis quàm si eam feceris amico. Si enim benefeceritis
Luc. 6. his qui vobis benefaciunt,quæ est vobis gratia? Ideo prudẽs negociator iste cẽsetur,qui suas merces vẽdit,maius prætiũ offerenti. Profecto maiorẽ mercedem accipies misericordiã faciendo inimico,quàm amico. Ad talẽ misericordiã nos dominus hortatur,dicẽs: Beati misericordes. Circa hanc cõsideremus,misericordiæ cõmendationem seu perfectionẽ virtualẽ. Deinde retributionẽ corporalẽ. Postremo remunerationem æternalem in cœlis. Consideremus ergo primo loco misericordiæ commendationẽ virtualem,quam si penitius indagauerimus, sumpta misericordia generaliter in sua perfectione includit in se quasi omnium virtutum perfectionem, & nõ qualẽcumque,sed vt redundantem & sui viscerabiliter diffusiuam atque euisceratiuam ad omnes. Qui enim perfecte misericors est, ipse omniũ miserias sentit & portat in visceribus,tanquam suas. Iniurias omnes facile cõdonat, imò,

imò nō sentit,nec reputat. Omniū peccata tanquā sua deplorat,sine intermissione omne bonum, & omnē plenitudinem gratiarum omnibus optat, omnes pro posse supportat.Omnes adiuuat,pro omnibus orat in bonum. Omnia omnibus fit,omnia cōmunicat,omnium bonis & prosperitatibus vt propriis congaudet, nulli malum pro malo reddit,sed vincit in bono malum, neminem in vllo negotio circunuenit, aliorum damna si potest auertit, bona eorum promouet pro suo virili:omnes aspicit vt pater & mater filios suos, &c. Ad hanc misericordiam, vas misericordiæ & electionis filium gratiæ adhortans ait:Exerce teipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est,promissionem vitæ habens quæ nūc est & futuræ. Fidelis sermo & omni acceptione dignus.Hanc ergo descriptionem misericordiæ intimius considerantes,in triplicē breuiter quaternarium distinguamus. Vbi viri misericordis xij. miserationes, quasi xij. fructus ligni vitæ quos per singulos menses facit,per ordinem describuntur. Primus est cōpassio. Perfectus namque misericors, omnium miserias sentit & portat in visceribus tanquam suas.Sic Iob ait de seipso: Flebā quondam super eo qui afflictus erat,& compatiebatur anima mea pauperi. Sic misericors,flet cū flētibus.Amplius certe est cōpati,quā ipsum datum,nam plus est dare de seipso, quod est cordis compassio,quàm de suis rebus externis. Sic Hebræ, credentes Apostolus commendat dicens:Nam & vinctis compassi estis.Plus inquam est illud: Nam qui compatitur dat aliquid de seipso, cordis videlicet dolorem & compassionē.Tùm quòd qui non compatitur, etiā quod dat quodammodo negat,eo quòd non miseretur cū hilaritate:hilarem enim datorē diligit deus.Hinc Sapiens ait:In omni dato fac hilarem vultum tuum,& in exultatione sanctifica decimas & elemosynas tuas. Sic vno membro patiente, omnia membra compatiuntur, quæ viscera misericordiæ induerunt & benignitatē:Qui vere compatitur proximo, nunquā quod ei necessariū est denegat,si habet:Si non habet donū, dat ei cor & affectū per compassionem.Alius fructus est condonatio.Profectò qui perfecte misericors est, omnes iniurias facilime condonat.Imo,non sentit,nec reputat.Ad hoc Iesus Syrach adhortatur dicens:Relinque proximo tuo nocenti

Rom.10. 1.Tim.4. Iob 9. 1.Cor.12 Heb.10. Rom.12. 2.Cor.2. Eccle.35.

te,& tunc deprecanti tibi peccata soluētur,quasi diceret:
Eccle.28. Relinque,id est,dimitte rancorē,amaritudinem, nocēdi
affectum,inuidiam.Nocenti te,hoc est tibi. Nō dicit qui
tibi nocuit olim ante multos vel dies vel annos,sed mo
Matt.5. do nocenti tibi.Quia tunc vltionis appetitus & iræ ma-
Luc.6. gis feruere solet. Sic pater cœlestis misericors est, qui
pluit super ingratos,& malos. Hinc Apostolus ait: Do-
Ephe.4. nate vobismetipsis (& hoc ex corde vt Christus ait)si
quis aduersus alium aliquā habet querelam,sicut & do-
minus donauit vobis,dum in cruce penderet.Et tūc de-
Matt.6. precanti tibi peccata tua donātur,iuxta illud: Dimittite
& dimittetur vobis.Et si nō dimiseritis hominibus pec-
cata eorum,nec pater vester dimittet vobis peccata ve-
2. Cor. 2. stra.Sic fecit Apostolus Corinthio. &c. Deploratio ter-
tius fructus est.Talis namque misericors homo, aliorū
Luc. 19. peccata tanquam sua deplorat.Sic Christus fleuit super
Hiere.9. ciuitatem Hierusalem,fleuit in morte Lazari.Sic Hiere-
1.Esd. 9. mias peccata populi deplorauit,& Esdras similiter,sic Sa
2.Cor.12 muel cunctis diebus suis lugebat super Saul. Apostolus
super eos qui peccauerunt & nō egerunt pœnitentiam.
Exoptatio quartus nominatur. Reuera verus misericors
incessanter omnē plenitudinem gratiarū & quicquid ad
vitā deo & euangelio dignā & pietatem requiritur & ne
cessarium est,optat omnibus, eo quod omnes habeat in
corde suo & omnes cupiat Christo coniungere & in vi-
2. Pet.1. scera eius traiicere. Et hoc orat vt charitas eorū magis
ac magis abundet in omni scientia rerum cœlestiū, & in
Phili.1. omni sensu,vt probent potiora.Sic cupiuit vnūquemque
nostrū,eandem quam sancti dei homines fecerūt & ha-
buerūt ostendere sollicitudinē, vt vnicuiusq; spes plena
sit,in bonitate permanēdo vsque in finē.Cum inuidia ta
Num.1. bescēte iter nō habet.Sic Moyses dixit: Quis tribuat,vt
omnis populus prophetet,& det eis dominus spiritū suū?
sic Apostolus voluit omnes homines,si possibile esset,tā
Actu.16. perfecto atque ipse erat. Supportatio quintus gradus
Gala. 6. est.Iuxta illud:Alter alterius onera portate, & sic adim-
Ephe.4. plebitis legē Christi.Et alibi:Obsecro vos vt cum omni
humilitate & mansuetudine,cū patientia inuicē suppor-
tantes in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in
vinculo pacis,quia charitas omnia sustinet. Coadiuua-
tio sextus gradus est, quia omnes adiuuat, scilicet in
spiritualibus & in temporalibus. Rationē huius assignat
Apostolus

Apoſtolus dicens: Quoniã ſumus inuicẽ mẽbra, capitis videlicet & corporis Ieſu Chriſti: nam ſicut in humano corpore, ex natura membra ſibi inuicẽ auxilia præbent, ſic ex miſericordiæ gratia, & ſpiritusſancti operatione, & vnctione, qui corpus hoc regit, viuificat & agit, vnũ mem brũ aliud adiuuat, defendit, nutrit & fouet. Adiuuantes, ait Apoſtolus, exhortamur vos. Et iterũ: Adiutores ſumus gaudij veſtri. Et alibi: Obſecro vos vt adiuuetis me in orationibus veſtris. Communicatio ſeptimus gradus dicitur. Nã miſericors omnia cõmunicat, ſeruans illud miſericordiſſimi ſeruatoris præceptũ: Omni petenti te, tribue. Sed quid? Cor ad cõpatiendum, linguã ad con ſolandum, manum de ſubſtantia tua pauperibus diſtribuendo, iuxta quod facultas ſuppetit. Vel tribue cor per dilectionem, compaſſionẽ, congratulationem. Linguam tribue, per inſtructionẽ, conſolationem, & orationẽ. Manum per largitionẽ eorum quæ eis ſunt neceſſaria, adminiſtrationẽ & defenſionem. Congratulatio octauus gradus eſt. Per hanc verus miſericors aliorũ bonis congaudet, iuxta illud: Si vnum membrũ gloriatur, congaudent omnia membra. Sic miſericors gaudet cum gaudentibus. Sic amici Tobiæ poſtquã dominus eum conſolatus fuit, venerunt gaudentes & congratulabantur ei de omnibus bonis quæ circa eum oſtendit deus. Sic nato Ioanne Babptiſta venerunt vicini & cognati Elizabeth & congratulabantur ei. Et Apoſtolus ad Philip. gaudeo & congratulator vobis. In offenſo nemini dat vllam offenſionem, ſed magis omnibus placet in bono. Et quæ ædificationis ſunt vbiq; ſectatur. Nam charitas non agit perperam, imo, non ſolum ab omni via mala pedes ſuos prohibet, ſed etiã ab omni ſpecie mala ſe abſtinet. Neminẽ circunuenit in vllo negotio, ſed fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, omnia opera agit in fide, quod ab altero ſibi nõ vult fieri, nemini facit, quodcũq; vult vt ei faciãt homines, hoc & aliis facit. Imitator eſt Apoſt. ſicut & ille erat Chriſti, neminẽ corripit, neminẽ læſit, neminem circunuenit: Affectio pura. Verus nanq; miſericors nihil carnale, nihil temporale cupit indebite, quia non ad terrena, ſed ad cœleſtia animus eius tendit. Non habet hic manentem ciuitatem, ſed futurã inquirit. Quæ ſurſum ſunt quærit, vbi Chriſtus eſt in dextera dei ſedens, quę ſurſum ſunt ſapit, nõ quę ſuper terrã. Terrena quaſi lutum

Ephes. 4. *Rom. 12.* *1. Cor. 12* *Luca 6.* *1. Cor. 12* *Luca 1.* *2. Cor. 6.* *1. Cor. 7.* *Hebr. 12.* *Coloſ. 3.*

lutum despicit, spiritualia æmulatur. Ad necessitatē terrenis solūmodo vtitur cū laude dei, & præter victum &
1.Thes.2. vestitum nihil amplius ex eis cupit. Paterna & materna
Psal.102 dilectio: Sic se inter proximos habet tanquā si nutrix foueat filios suos. Et quomodo pater miseretur filiorū, &
Matt.5. quomodo mater blanditur, sic alios consolatur. Est misericors, sicut pater noster cœlestis misericors est, qui non potest in ira continere misericordias suas. Sed etiam cū iratus fuerit, misericordiæ recordatur: Beati ergo misericordes. Hæc latissime extendi possunt. Vade ergo, & fac tu similiter. Finis sermonis.

ALIVS SERMO.

TRIPLEX præmium misericordibus & piis promissum est à deo, per virum misericordiæ Dauid electū suum, in Psalmo vno,
Psal.40. vbi ait: Beatus qui intelligit super egenū & pauperē, in die mala liberabit eū dominus. Dominus conseruet eum, & viuificet eū, & beatū faciat eū in terra, & non tradat eū in animam inimicorū eius. In quibus verbis super mel & fauū dulcioribus, viro misericordi triplex præmiū promissum est. Vnū æternum, aliud spirituale, tertiū tēporale: hoc est, promissa in psalmo isto est misericordibus beatitudo gloriæ, dimissio
1.Tim.1. peccatorū & culpæ, multiplicatio gratiæ. Fidelis reuera sermo, & omni acceptione dignus. Æterna beatitudo misericordibus ꝓ mercede à viro secūdū cor dei ꝓmittitur, dū dicit: Beatus qui intelligit super egenū & pauperem. Egenus (si vera est deriuatio) quasi sine gente vel genere dicitur, qui nullos habet amicos, destitutus omnium consilio & adiutorio, qui & suis est odiosus & despectus ab omnibus. Pauper vero est qui nihil habet necessariarū rerū. Beatus ergo q̃ intelligit super egenū & pauperē. Intelligit dicit, quia intellectus vel intellectio, est quasi intus & in corde lectio, vel intelligo in interioribus lego. Sensus exteriora, sed intellectus interiora & rei naturam cognoscit & virtutem. Ille ergo super egenum & pauperem intelligit, qui ex feruenti affectu misericordiæ & pietatis in proximo diuinæ maiestatis imaginem & similitudinem intuetur, atq; hæc ipsa in eo veneratur. Ideo totus transformatur ad intelligendum ea, & tribuenda quæ egeno & pauperi videt necessaria esse.

Hæc

Hæc enim cõpaſsio viſceralis, operatur. Et ſicut matris illius viſcera ſuper filio ſuo occidendo, ſic miſericordis hominis viſcera cõmouentur ſuper miſeria pauperũ & egenorum. Sic & Chriſtus viſa turba, quæ non habuit quod manducarent, dixit: Miſereor ſuper turbam. Et non ſolum hoc dixit, ſed et quæ neceſſaria eis erant abundanter largitus eſt. Hoc Eſaias docet cum ait: Cũ effuderis eſurienti animam tuam, id eſt affectum per compaſsionẽ, et animam afflictam, quacunq; videlicet calamitate & neceſsitate, repleueris, q̃ ei neceſſaria ſunt diſtribuendo hilariter, tunc orietur in tenebris lux tua. Nã ſic intelligis omnes pauperum neceſsitates. Tali miſericordiæ operi et tali miſericordi, beatitudo promiſſa eſt, dicente Salomone: Qui miſeretur pauperi, beatus eſt. Et domino fœneratur nõ pauperi, qui miſeretur pauperis, et ideo dominus viciſsitudinẽ ſuã reddet ei. Et dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ quod vobis paratũ eſt ab origine mundi. Eſuriui enim et dediſtis mihi manducare etc. Quia quandiu hæc feciſtis vni ex minimis meis, mihi feciſtis. Facite ergo vobis amicos de mammona iniquitatis vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Aliud præmiũ eſt ſpirituale, quod miſericordiã facientibus promittitur: Nẽpe, dimiſsio culpæ, quia in die mala liberabit eũ dominus. Dies mala, tempus vitæ huius eſt, iuxta illud: Redimite tẽpus, quoniã dies mali ſunt. Sic & Iacob dixit: Dies peregrinationis meæ, ſunt parui & mali. Vel dies mortis eſt, quando homo moritur in mortali culpa. De qua Sapiẽs ait: Diẽ malã præcaue, & dignis pœnitentiæ fructibus commiſſa piacula dele. Dirũpe vincula peccatorũ tuorũ. Et hoc dominus facit: dũ pater miſericordẽ trahit ad filium, Chriſtus ſuſcipit reuertentẽ, & omne illi debitũ dimittit, peccata tegit, iniquitates remittit, nec eorũ amplius recordatur. Vnde ſcriptũ eſt: Eleemoſyna ab omni peccato liberat & à morte, & non patitur animã ire in tenebras. Date ergo eleemoſynã, & omnia mũda erunt vobis. Sic rex ille, iuxta conſilium Danielis eleemoſynis redemit ſua peccata, & iniquitates ſuas miſericordiis pauperum. Nã miſericordia & veritate redimitur iniquitas. Econtra iudiciũ ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam. Tẽporale præmium & gratia hic quadruplex perſtringitur miſericordiarũ hominũ. Prima eſt gratia

3. Reg. 2. — Marc. 7. — Eſaia 58. — Prou. 14. — Matt. 25. — Luca 16. — Ephes. 5. — Luca 11. — Dane. 4. — Iacob. 2.

conseruans,dominus enim conseruat eũ,& omnia quæ illius sunt.Sic dominus custodit omnes diligentes se,vt pupillã oculi sui,custodit introitum eorũ & exitum eo-
Psal.120. rum,ex hoc nunc & vsq; in seculũ,custodit eos ab omni
Genes.20 malo,& non relinquit hominẽ nocere eis, atq; nec diabolũ.Hinc vni dixit:Ego custodiui te, ne peccares. Alia est gratia viuificans,de qua ait:Et viuificat eum,misericordem videlicet,quia pietas ad omnia vtilis,promissionẽ vitæ huius habens. Sic misericors Tabita à Petro Apostolo suscitatur,sic misericors Abdemélech Aethiops à morte saluatur,vt testatur Hieremias. Tertia est gratia consummans,quã tangit maximus vatum,dicens:Et beatum faciet eum in terra in spe.Iuxta illud, Spe salui facti sumus.Spes autem non confundit. Sic stant in ista gratia immobiles, & gloriantur in spe gloriæ filiorum
Roma. 8. Dei.Hinc alibi ait:Gratia Christi saluati estis,qui & cõresuscitauit & consedere iam vos fecit in cœlestibus in
Heb. 6. Christo.Hanc spẽ sicut anchoram tutam ac firmã electi tenent,& facimus bonitatẽ. Quarta gratia est liberans à peccatis,quia non tradit eum in animam inimicorum eius,hoc est,in voluntatem & desiderium eorum, quãuis electos nonnunquam tradat in manus diaboli & hominũ peruersorum ad eorum probationẽ,vt beatũ Iob, & Tobiã,apostolos & martyres.Non tamen in voluntatem & desiderium eorum quæ mala est:Nempe vt electi in tribulatione deficiant,Deum offendant,à fide cadant
Iob 1. & charitate.Ideo Dominus dixit ad Satã:Vniuersa quæ habet in manu tua sunt. Et postea etiam ipsum dedit in manus diaboli,dicens:Ecce in manu tua est.Non dicit in voluntate tua,vnde voluntatẽ diaboli & militum eius reprimens mox subiungit:Verũtamen animam illius ser-
1.Cor.10 ua.Sic fidelis est Deus quod non patitur aliquem tentari supra id quod potest,sed semper facit cum tentatione prouentũ,quod possint sustinere,& electos in omni eo
1.Cor.10 rum tribulatione variis modis consolatur.Sic Apostolo gratiã suam sufficere dixit,dũ à Satana colaphisabatur.
Psal.36. Sic Dauid iuniorẽ se fuisse dicit, & iam senio confectũ & non vidisse iustũ derelictum nec semen eius,quærens
Ioan.4. panẽ illum & cibum quẽ Christus semper manducauit, nẽpe,facere voluntatẽ patris qui est in cœlis: Dominus nõ derelinquet sanctos suos,in æternum conseruabun-
Psal.36. tur. Ad hæc etiam Dominus aliam addit gratiam:Nam
opem

opem gratiæ suæ fert illi super lectũ doloris eius,& vniuersum stratum conscientiæ suæ per contritionem & recogitationem annorum suorum in amaritudine animæ *Esa.38.*
suæ vertit. Nec non per puram & dolorosam confessionem, versat & diiudicat, & scrutatur in infirmitate eius. Sic virtus in infirmitate perficitur, sic multiplicantur infirmitates electorum,& postea accelerant ad Deũ. sic in angustia quærunt homines deum cũ filio prodigo, quem obliuiscuntur cum omnia eis ex animi sententia eueniunt,sic misericordia facit locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Triplex autẽ est misericordia quæ retribuetur in gloria cœlesti, iuxta illud: Quoniam ipsi misericordiam consequẽtur in regno cœlorum. Vna est magna,alia maior, tertia maxima. Prima dat de suis,secũda dat omnia sua,tertia dat semetipsum. Prima est magna,cum dat de bonis suis cum Tobia. Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus. *Tob.4.* *Luca 19.*
De ista Esaias ait: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. Cum videris nudum operi eũ,& carnem tuã ne despexeris. Sequitur misericordia quam sic faciendo promerentur & accipient: Et anteibit faciem tuã iustitia tua, id est, Christus qui factus est nobis à patre Deo sapientia,& iustitia, & redẽptio & sanctificatio. Et gloria domini, hoc est, Iesus Christus, quia gloria patris, est filius sapiens. Colliget te in mansiones cœlestes misericordibus ab origine mundi præparatas: Et dicet tibi, Intra in gaudium Domini tui. Alia misericordia maior & maiori compensanda mercede est,cum quis vt Christum quocunque ierit sequi possit sine vllo impedimento, omnia sua pauperibus distribuir, & hac opera thesaurum bonum sibi thesaurizat in cœlo. Isti omnia sua derelinquunt cum apostolis, & hæc omnia in manus pauperum distribuunt ex charitate dei. Da ergo homini pauperi terram,vt accipias cœlum. Da nummum & accipe regnum,da paruum vt accipias magnum,da temporale & accipe æternũ,da corruptibile,vt accipias incorruptibile,da quod relinquere necesse est, vt accipias quod nemo à te tollere potest, da micam vt accipias gloriam æternam, da pauperi vt det tibi. Quia quicquid pauperi non das,alter accipit,& illud perit. Tertia misericordia quæ maxima est,est cum homo semetipsum dat Deo. Hæc autẽ duas ob causas fieri potest

Esa.58. *Mat.5.* *Mat. 15.* *Mat.6.*

poteſt. Vel propter perfectionem religionis, vel propter perfectionem charitatis. Multi namque relinquunt
Ephes.5. omnia & Chriſtum ſequuntur. Dant ſe Deo perfectiſſi-
Rom.12. me, ſicut ille totum ſe tradidit nobis, & pro nobis oblationem & hoſtiā Deo. Ad hoc Apoſtolus adhortans ait, Obſecrò vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, etc. De iſta miſericordia grandis mihi ſermo eſſet et interpretabilis ad dicendum in præſentiarum. Eſt et maxima miſericordia cum homo ſeipſum dat pro ſalute animæ proximi ſui ex charitate, et exemplo Chri-
Ioan.15. ſti. Maiorem hac dilectionem nemo habet. Hoc fecit Apoſtolus: Ego ait, libentiſſime impendam et ſuperimpen-
Phil.1. dar ego ipſe pro animabus veſtris. et ad Phil. Si immolor ſupra ſacrificium et obſequiū fidei veſtrę gaudeo et cōgratulor omnibus vobis. Iſti mox vt tabernaculum corporis ſui deponunt, ſuper omnia bona domini ſui conſtituuntur. Vt autem nihil intermittatur, notādum quod opera miſericordiæ quadruplicia ſunt: Nam quædā ſunt bona, alia meliora, alia optima, quædā præ omnibus neceſſaria. Bona opera miſericordiæ temporalia ſunt et externa: Nempe, viſitare infirmos, cibare eſurientes, potare ſitientes, redimere captiuos, veſtire nudos, hoſpitare peregrinos, ſepelire mortuos, Hæc Chriſtus fecit et docuit. Alia ſunt iſtis meliora, quia ſpiritualia, in hoc verſu comprehenſa: Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer et ora, Cō-
Gal.6. ſule duo complectitur: Nempe, docere ignorantem, conſilium bonum dare dubitanti, tertium eſt corripere delinquentem, conſolari triſtem, remittere offendēti, alio-
Pſal.118. rum onera portare, orare pro inimicis. Optima opera miſericordiæ ſunt, eo quod de melioribus fiunt, maioríſque perfectionis ſunt et meriti. Et ſunt, dolere de lapſu iuſti, de morte animarum, lugere, de offenſa Dei tabeſcere, aliorū peccata deflere, animabus in purgatorio exiſtentibus compati quaſi coram poſitam Chriſti mortem deflere. Tandem opera miſericordiæ præ omnibus neceſſaria, eo quòd his neglectis, cætera nihil homini pro-
Eccl.30. ſunt ad ſalutem, De quibus ſapiens ait, Miſerere animæ tuæ placens deo. Vnde ſumma miſericordiæ eſt, quā homo exibet animæ ſuæ. Sic autem miſereri debes, viſitan-
Gen.6. do et recogitando quàm eſt infirma ad bonum et propenſa ad malum, et medendo infirmitatibus eius pér debitum et dignum vſum ſacramentorum. Ciba eā pane verbi

bi Dei.Pota eam aqua ſapientiæ ſalutaris et gratiæ.Redime eam à captiuitate diaboli,graui ſeruitute peccatorum.Indue eam virtutibus Chriſti,et veſte nuptiali charitatis,Collige eã in domum eccleſiæ, et ſic viue vt poſt mortem domum non manufactã in cœlis poſſis introire Conſepeli eam iam cum Chriſto in mortem, et morere mundo,vt vita tua abcõdita ſit cum Chriſto in deo. Sed et ſpiritualia opera miſericordiæ ei impende,et doce teipſum qui alios hactenus docuiſti,conſilia ſalutis accipe et ſequere,Argue teipſum et reprehende, et accuſa.Cõſolare teipſum in omni anguſtia per Chriſti paſſionem, ora Deum vt tibi peccata tua dimittat.Porta crucem tuã quam tibi dominus dedit,et ora deum ſine intermiſſione.Ecce , ſic miſerere animæ tuæ et tunc placebis deo. Quid enim prodeſt tibi ſi aliis es miſericors , et tibiipſi crudelis?ſi in peccatis manes et omnem ſubſtantiam in manus pauperum diſtribuis?tunc tua das deo et teipſum diabolo;qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit? Vera dilectio incipit à ſeipſo. Beati proinde et ſibi et aliis miſericordes,quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Mat.4.* *Eccl.15.* *Rom.6.*

DE CORDIS MVNDITIA SERMO.

BEATI mundo corde,quoniam ipſi deum videbunt. Ordine optimo ſexto loco munditia cordis ponitur, quia ſexto die conditus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinẽ dei.Hæc in homine obtenebratur per culpam,ſed in mundis corde reformatur per gratiam.Sed & imaginem Dei,quam ſexta die homo amiſit per peccatũ inobedientiæ,hanc Chriſtus ſexta ætate per obedientiã recuperauit,& in mundis corde per gratiam ſuam renouauit & reformauit.Merito & poſt præcedentes quinque hæc ſexta beatitudo ponitur, quia niſi illæ præcedant, mundum cor in homine creari eſt impoſſibile.Sed & qui miſericordiam defert,miſericordiam amittit,niſi mundo corde miſereatur : Et hęc ratio, quare proximo loco ad priorem ſita eſt. Nam ſi miſericordiam faciens , laudem hominum quærit, nullus eſt miſericordiæ fructus. Ideo recto ordine dictum eſt & ſequitur : Beati mundo corde. Sed ſunt qui miſerentur , & operantur nihilominus iniquitatem, & carnis curam in deſideriis faciunt in cu-

bilibus & impudicitiis,& nihil eis prodeſt,quia munditia
Agg.3. cordis ſunt expertes.Opera ſua mittunt in ſaccum pertuſum,in aquam ſementem ſuum mittũt, oleum & operam perdunt.Duobus autem modis Deus videtur in vita præſenti:Nempe communi per creaturarum proprietates.Alio excellenti & perfecto per munditiam cordis, per quam mens humana Deo coniungitur, ita quòd de occultis & de diuinis ſupra modum illuminantur,quomodo docibiles Dei erant Apoſtoli qui abſque ſtudio humano de diuinis fuerunt excellentiſſime illuminati quod,
Heb.8. fit per munditiam cordis.Quæ eſt virtus,qua hominis integritas,diuini amoris intuitu obſeruatur.De hac munditia conſideremus munditiæ ſtudium, meritum & præmium. Munditia triplex eſt corporis & externa, hypocritica & falſa,virtutis ſiue cordis & Deo accepta. Mũditiam externam & corporis filij huius ſeculi diligunt & quærunt.At dominus non ait:Beati mundo corpore,ſed
Mat. 12. beati mundo corde.De illa ſcriptum eſt, quod diabolus
Luca 11. inuenit domum conſcientiæ vacantem ab operibus bonis per mentis torporem & otium.Scopis mũdatam, per ſuperficialem confeſſionem,qua nonnulli culicẽ liquant
Matt.23. & camelum deglutiunt. Decimant mentham & anetum & cyminum,& derelinquunt quæ grauiora ſunt legis,iudicium,miſericordiam,fidem,pacem,obedientiam, charitatem.Et ornatam habitu ſanctitatis, ficta bonitate,ſimulata grauitate morum.Sed vana ſunt hæc, & ſpeciem pietatis habent,non ipſam imaginem rerum.Vanum cor vanitatis notam corpori libenter ingerit, & exterior, ſuperfluitas interioris vanitatis indicium eſt.Mollia indumenta, animi mollitiem indicant: non tantum curaretur corporis cultus, niſi prius neglecta mens fuiſſet, inculta virtutibus. Munditia ſuperſtitioſa hypocritica, quæ ſolummodo quod foris eſt calicis mundat, interiori neglecto, deo non placet: Sic ſacerdotes & miniſtri templi ingreſſuri vt deo miniſtrarent, muniáquæ ſua ſingula obirent, aut propter dies feſtos corpora ſua & veſtimenta, nec non vtenſilia omnia ſtudioſiſſime lauabant,at à peccatis ſuis nemo ſeipſum mundabat, cum deus neque corporis munditiem laudet, nequæ ſordes condemnet. Eſto tamen quod deus odiat ſordes corporum, veſtimentorum atque vaſorum,quæ neceſſe eſt vt ipſo vſu ſordida fiant, quanto magis ſordes

conſcientiæ

conſcientiæ abominatur quam ſi volumus mundã ſemper ſeruamus. Sed intus & in corde pleni erãt rapina, cõ cupiſcendo res alienas,& immunditia,& omni malitia & nequitia:Munda igitur prius quod intus eſt calicis,vt fiat & id quod de foris eſt mundum. Munditia autem virtutis & cordis Deo pre omnibus placet Ideo ait : Laua à malitia cor tuũ Hieruſalem vt ſalua fias. Vſquequo morabuntur in te cogitationes malæ,quæ cor et hominem inquinant?De hoc et frater domini Iocobus ait : Abiiciamus omnem immunditiam et abundantiam malitiæ. Et apoſtolus Petrus Deponite omnem malitiam et omnem dolum et ſimulationes et inuidias et omnes detractiones,etc,Hinc Iob ait:Si mundus et rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te dominus. Deus namque dormire videtur, corda munda non habentibus,dum eos non defendit,non exaudit non conſolatur. Vnde clamant ad eum in tribulatione : Exurge quare obdormis domine, exurge et ne repellas in finem,etc. Animabus vero mũdis et rectis corde vigilat,aſtat, eos protegit ſub vmbra alarum ſuarum,vt inimicus nihil in eis proficere, nec filius iniquitatis quicquam poſſit eis nocere:ideo qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum, habet amicum regem et dominum dominantium atque vniuerſorum. Profecto nemini ſuiipſius tam libens et libera oſtenſio fit,quam ei qui ſibi vera amicitia copulatur. Puritas iſta cordis in duobus ſita eſt maxime:nempe,in quęrendo ex vero et perfecto corde, pure et ſimpliciter gloriam et honorem dei,et vtilitatem, profectũ et ſalutẽ proximi. Apoſtolus hoc fecit,qui omnia in gloriam dei fecit,atque omnia ſuſtinuit propter electos, vt ſalutem conſequerentur. Nec vnquam cordis munditiam aſſequitur et poſſidere poteſt,qui vult videri ab hominibus et gloriã accipit ab hominibus. Aut qui quæ ſua ſunt quærit, et emolumenta propia, et non quæ ſunt Ieſu Chriſti. Non quæro veſtra, ſed vos. Nec quæro rurſus ait, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Et ad ſuam in bono imitationem nos inuitans, rurſus ait:Nemo quod ſuũ eſt,quærat,ſed quod alterius: quia charitas non querit quæ ſua ſunt. Qui facit hæc, hic beatus in facto ſuo eſt, et amicum regem habet, Sic mundare nos debemus ab omni inquinamento carnis,quod ad peccata carnalia, vt ſunt luxuria, gula, accedia:

Mat. 23. *Hier. 14.* *Matt. 15.* *Iacob. 1.* *1. Pet. 2.* *Iob 8.* *2. Tim. 2.* *2. Cor. 12* *1. Cor. 10* *1. Cor. 13.* *2. Cor. 7.*

Mat. 15. accedia:& ſpiritus,vt ſunt peccata ſpiritualia, videlicet, ſuperbia,inuidia,ira,auaritia.Hęc enim de corde exeunt & hominem inquinant. Ideo Apoſtolus de eis teſtatur,
Tit.1. quòd inquinata eſt eorum,& mens,id eſt, intellectus errore,& conſcientia,id eſt,voluntas, praua affectione. Et perficere debemus ſanctificationem noſtram in timore
2.Cor.6. dei. Sanctificatio hęc in baptiſmo inchoata eſt,ibi abluti ſumus,ſanctificati & iuſtificati,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſt',& in ſpiritu Dei noſtri. Sed perficitur iſta ſanctificatio bonis operibus,dum imus de virtute in virtutem,fructificamus in omni opere bono,proficimus in
Luca 2. ſapientia & gratia,coram Deo & hominibus.Dum creſci
Prou.4. mus & procedimus vſque ad perfectum diem. Et hoc in timore dei.Nam qui ſine timore dei operatur iuſtitiã, non dei,ſed mundi ſanctus eſt. Qui viro timent dominum,præparant corda ſua,& in conſpectu illius ſanctificant animas ſuas.Abdicant occulta dedecoris, expurgant conſcientias ſuas, etiam ab occultis peccatis cor-
Eccleſ. 2. dis,quæ ſolus Deus nouit,& ambulant in innocẽtia cor dis ſui. Sic beatos dicimus immaculatos in via huius vitæ,eos qui citra exorbitationem ambulant in lege Do-
Pſal.118. mini. Multa nos vrgent ad munditiam & ſanctitatem, vel conſequendam vel conſeruandam, quæ ſummis la-
1.Pet.1. biis hic ſolummodo tangam. Primus ait diuus Petrus, vt ſecundum eum qui vocauit nos ſanctum,& ipſi in omni conuerſatione ſancti ſimus,quoniã ſcriptum eſt:San-
Epheſ.1. cti eſtote,quoniã ego ſanctus ſum. Sic teſte Paulo,elegit nos deus ante mundi conſtitutionem in Chriſto, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.Et hoc neceſſe eſt vt ſimus: Quia ipſius genus ſu-
Act.17 mus, ex aqua & ſpiritusancto renati & ex deo. Genus ergo cum ſimus dei,filij altiſſimi,matres,fratres & ſoro-
Ephe.2. res Chriſti, hæredes dei & cohæredes Chriſti, ciues &
1. Pet.2. filij ſanctorũ & domeſtici dei,genus electum, regale ſa-
Ephe.4. cerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis, membra corporis Chriſti & eius amici,electi,ſancti & dilecti Dei, viua templa ſpirituſſancti,ſerui & miniſtri ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti,diſpenſatores myſteriorum & multiplicis gratiæ dei,vaſa item electionis & honoris ſanctifica-
1.Cor.4. ta,vtilia domino & ad omnia opera bona parata. Quis
2. Tim.1. iam digne & ſufficienter verbis poterit æquare loquendo,quales eſſe oporteat in ſanctis conuerſationibus, & in cultu

in cultu studióq; bonorum operum secundũ pietatem, vt deus in nobis glorificetur,& voluntas eius tã exacte perfectéq; hic fiat in nobis sicut fit in cœlis. Oportet re uera, vt seruiamus ei in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris. Vt sic simus lux & lumina mundi, stellæ firmamenti, sal terræ, exempla omnium bonorum operũ, ciuitas sancta, lucernæ ardentes & lucentes, arca sanctificationis, lectulus floridus stipatus malis, mons dei, hortus voluptatis, paradisus deliciarum, areolæ aromatum, agni sine macula, colũbæ sine felle, oues innocuę, lilia inter spinas, & specula sine macula dei maiestatis. Videte ergo vocationẽ vestram fratres, et diuitias abundantes gratiæ dei in bonitate super vos, si potestis, expendite. Ecce, quo modo magnificauit dominus facere nobiscum. fecit profecto nobis magna, et incomprehensibilia et mirabilia, quorũ non est numerus, qui potens est. Non propter iustitias nostras aut opera iustitiæ quæ fecissemus, sed propter semetipsum quia bonus est, et propter nomen sanctũ suum. Mundi et sancti esse debemus propter iã dicta, tum propter alias rationes: Nam hoc exigit sanctitas domini, cui seruimus. Sanctificamini et sancti estote, ait dominus, quia ego sanctus sum, dominus deus vester. Sed heu quia periit sanctus, et rectus in hominibus non est. Secunda ratio est sanctitas patrũ qui nos adoptauerunt. Filij enim sanctorũ sumus, si radix sancta et rami. Sed heu, defecit sanctus, diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Ecce, dixit populus ad Samuelem, tu senuisti, et filij tui non ambulant in viis tuis. Tertiò vrget nos sanctitas hominũ et angelorũ, cũ quibus habitamus et domino seruimus. Cum sancto sanctus eris. In conspectu etiam angelorum, deo psallimus, quia sunt principes coniuncti psallentibus. Et si in omnibus viis nos custodiunt, multo magis hoc faciunt quando spiritu et mente psalmos et laudẽ dicimus deo. Sed heu, iam iniqui sunt cætus nostri, manus nostræ sanguine plenæ sunt. Quarta ratio est sanctitas scripturæ quã legimus, cantamus et docemus. Sic Paulus in gentibus sanctificauit euangeliũ. Hoc sanctificauit, dũ nihil alios docuit, quod prius per ipsũm non operatus esset Christus. Contra, alij sanctũ euangelium prædicauerunt, et non fecerũt, imo per præuaricationem euangelij Christũ inhonorant, et per eos nomen Iesu blasphemabatur

Luca 1. *Matt. 5.* *Leuit. 19.* *1. Pet. 1.* *Mich. 7.* *Tob. 2.* *Psalm. 17* *Psalm. 37* *Esai. 1.* *Rom. 15.*

inter gentes. Et secundum multitudinem iniquitatũ suarum, polluerunt sanctificationem. Quinta ratio est sanctitas corporis Christi, cui communicamus. Sanctificamini, cras cõmedetis carnes. Ideo dicit Apostolus: Probet seipsum homo, &c. Quia qui manducat & bibit indigne, &c. Hinc Dauid dixit: Continuimus ab heri, &c. Sed heu, multi sanctum dant canibus & panem filiorũ mittunt ante porcos. Sexta est sanctitas iudicis quem expectamus. Sanctifica populum hodie & cras, lauéntque vestimẽta sua & sint parati. Hinc Apost. ait: deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer, &c. Sed heu, viri mali non cogitant iudicium. Sic illi filij Chanaam auerterũt sensum suum & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorũ. Septima est sanctitas ciuitatis quam expectamus per patientiã. Hæc est ciuitas sancta, ideo nihil inquinatum intrabit in eam. Sed heu multi dicunt illud: possideant filij Israel hæreditatem suam, nos nihil quærimus trans Iordanem, in terra promissionis. Sic pro nihilo habent terram desiderabilem. Quæ restant, alteri sermoni seruemus propter vitandam sermonis prolixitatem.

Num. 10. 1. Cor. 11. 1. Reg. 21. Exod. 9. 1. Thes. 5. Roma. 8. Num. 32.

DE MVNDITIA CORDIS SERMO SECVNDVS.

DEVS lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Sed & filius lux est de luce, omnẽ hominẽ illuminans in hunc mũdũ venientem: ideo ministros suos lucidos vult esse, & filios lucis, sicut scriptum est: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate. Vt luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ vestrũ qui est in cœlis. Ad munditiam perfectam cordis, necesse est quòd munda sit rationalis, concupiscibilis, & irascibilis, quæ sunt vires & potentiæ animæ. Vis rationalis ab omni errore debet esse munda: Ideo homo debet abstinere à duplicitate intentionis, à falsitate opinionis, à prauitate cogitationis. Super omnia oculus nequã cor maculat, siue intentio mala. Iuxta illud: Si oculus tuus nequã est, totũ corpus tuum tenebrosum erit, si autem simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, & sicut lucerna

1. Ioan. 1. Ephe. 5. Math. 5. Mat. 10. Luce 11.

fulgoris

fulgoris illuminat te. Hinc sapiens ait: Ne accesseris ad illũ duplici corde, quia cor ingrediens duas vias, nõ habet successus, hoc est, non prosperatur in via sua. Nemo potest duobus dominis seruire. Debet itẽ abstinere à falsitate opinionis. Væ qui cogitatis inutile ait Micheas. Inutile cogitat qui se putat aliquid esse cum nihil sit, aut posse aliquid suis viribus, cũ sine ipso possimus nihil. Et dicit: Manus nostra excelsa, & non dominus fecit hæc omnia. Item, linguam nostrã magnificamus, labia nostra à nobis sunt, quis dominus noster est? Itẽ est illud: Quis est omnipotens vt seruiamus illi. Sic infelix Nicanor interrogauit, si esset in cœlis deus qui iuberet agi diẽ sabbathi. Sic turrim olim ædificare nitebãtur vsque ad astra cœli. Et radix peccati Antiochus, præ nimia superbia, terrã ad nauigãdum, pelagus verò ad iter agendũ se deductũrũ, cõtingere sidera cœli se arbitrabatur. Hinc rursus sapiens ait: Nõ te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiã, & folia tua comedas, & fructus tuos perdas, & relinquaris velut lignum aridũ in eremo. Tertiò debet rationalẽ mundare à prauitate cogitationis, quia charitas nõ cogitat malũ, quia deus dissipat cogitationes malignorũ, ne possint implere manus eorũ quæ ceperant. Cogitauerũt & locuti sunt nequitiã, iniquitatẽ in excelso locuti sunt. Et iterũ: Qui peruersi cordis est, non inuenit bonũ, sed corde malo machinatur malũ omni tempore. Sic dixerunt impij de Hieremia: Venite & cogitemus cõtra Hieremiam cogitationes, sic cogitauerũt principes sacerdotum vt Lazarũ interficerẽt. Istæ cogitationes coinquinãt homines & separant à deo. Hinc Esa. ait: Lauamini, mũdi estote, auferte malũ cogitationũ vestrarum ab oculis meis. Lauamini, dicit, à prauitate intẽtionis. Mundi estote, ab erronea & falsa doctrina & erroneæ opinionis. Auferte malum cogitationum vestrarum, quas dominus abominatur & odit. Vis concupiscibilis ab amore inordinato mundari debet. Quod vt perfecte fiat, necesse est quòd homo abstineat, à terrena affectione, ab obscæna delectatione, à nociua operatione, à terrena affectione. Magnam protinus immunditiam in anima & maculam quæque terrena faciunt in cordibus hominum, si transeunt in affectum, cum ex toto corde sit datum solum de deo diligendo præceptum. Proinde in affectu

[Margin notes: Matt. 6. — Mich. 2. — Ioan. 15. — Psal. 11. — Iob 21. — 2 Ma. 15. — Gen. 11. — 1. Cor. 13 — Prou. 17. — Hier. 18. — Ioan. 11. — Matt. 15. — Esa. 1.]

cordis hanc munditiam & expurgationem teneri oportet, vt sit mũdus atque depuratus ab omni malo, & à sordibus omnium terrenorum, quæ profectò sordes sunt, non ex natura rerum, sed cum in affectum transeunt in-
1. Ioan. 2. uisibilium animorum. Hinc Ioannes quælibet terrena prohibet diligi, dicens: Nolite diligere mundũ, neque ea quæ in mundo sunt. Non velut res natura malas, vt bla-
Philip. 3. sphemauit Manichæus, sed velut animæ sordes: Ideo tuba euãgelij ea tanquam stercora aspernatur. Hinc radix omnium malorum cupiditas astruitur. Et sapiens, auaro nihil scelestius esse dicit. Hinc amor, & affectio ista, in cõcupiscentiam carnis, & oculorum, nec non in superbiam vitæ se dilatat, quæ non est ex patre, sed ex mundo immundo, qui totus positus est in maligno, & transit cum
1. Ioan. 5. concupiscentia sua, velut vmbra, aut vestigiũ nubis. Qui & spiritum sanctum non potest accipere, qui est spiritus sanctificationis atque charitatem in corda electorũ diffundit, quæ multitudinem peccatorũ operit, eósque san-
1. Pet. 3. ctos & immaculatos in conspectu dei constituit. Deinde homo abstinere debet ab obscæna delectatione, hoc est, ab his, quæ nisi turpiter amari non possunt, neque cogitari sedulò nõ possunt sine pudore, neque in his quisquã delectari potest sine rubore, nec de his loqui sine piarum aurium offensione, scandalo & horrore. Vt dicere possit cum Tobia in veritate: Mundam seruari animam meam, ab omni concupiscentia, videlicet mala. Sic iusti in domino delectantur, impiorum vero animæ, in abominationibus suis delectantur, sicut sus in volutabro luti, & scare-
2. Pet. 2. beus in fimo equi. Templum dei sanctũ est, quod sumus
1. Cor. 3. nos. Domum dei decet sanctitudo, in longitudine dierũ. Sic mundus deus & lux ipsa, non nisi mundis corde & puris à tenebris peccatorum, videtur ad salutis profectũ.
Exod. 32. In longum hic sermo extendi potest. Nihilominus attẽ-
Ephe. 5. de, quòd delitiæ & delectationes carnales, sunt fugiẽdæ, tum quòd sunt causa lasciuiæ & dissolutionis: Sic sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Sic vinum in quo est luxuria & alia, & si ab ægro appetuntur & delectationis plena ab insensatis censeantur, fugienda nihilosecius, vt morsus viperæ, vt venenum, aspidum insanabile, vt romphea bis acuta, quia phrenesim causant & dementes faciunt. Vsquequo igitur deliciis dissolueris filia vaga? Tum quod contumaciæ causæ sunt

& re-

& rebellionis. Sic castrum & ciuitas abundans domino suo rebellat, sic equus indomitus vel impinguatus, incrassatus, dilatatus, recalcitrat, equidem deiicit, hoc modo seruus contumax efficitur; caro spiritui dominatur, facit hominem in gaudium inimicis dæmonibus; excutit iugum legis, patri spiritum seruire recusat, ad malū currit; sicut equus impetu vadens in prælium. Tum quòd causa est mortis spiritualis & corporalis; sicut cibus sub hamo, pisci, granum sub laqueo, aui, venenum sub melle, homini. Hæc si pericula scirent animalia bruta, deuitarent, homo autem rationis particeps, hac in re peior est omni bestia. Sic Adam, sic Dauid, sic filius Emor Dinam opprimens, Aman Thamar humilians, sic Iudæi carnis desiderio flagrantes, mortem sibi animæ omnes; multi corporis, pepererunt; sic diues epulo, nequam sibi fuit. Postremò, quia causa sunt æternę damnationis, sicut furto ablata latroni. Triginta argentei Iudæ proditori. Ibi quantum hic se glorificauit & in deliciis fuit, tantum da tur ei tormenti & luctus. Tertiò, concupiscibilis abstinere debet à natiua operatione. Hinc vatū maximus quærit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Et respondit: Qui ingreditur sine macula & operatur iustitiam. Et iterum: Innocens manibus & mundo corde. Hinc Salomon ait: Qui mundus est, corde videlicet, rectum est opus eius. Ergo qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum. Ex cordis enim boni & mundi abundantia, os loquitur ea quæ sunt domini Iesu, & quæ gratiam & ædificationem fidei audientibus præbent. Et quòd sermo noster semper in gratia est sale conditus. Et propter hanc gratiam labiorum, & cordis munditiam, habebit amicū regem. Multa hic de bonis operibus dici possunt & debent, quæ transeo gratiā breuitatis, quoniam suum & proprium exposcunt syntagma. Vis irascibilis denique munda esse debet. Vis ista animæ, omne prauum, omne nefas, omne turpe, omne malum, omnem dei offensam, despectum, inhonorationem abominatur, abhorret, execratur, damnat, persequitur, demolitur, toto cordis affectu, & pro iustitia agonizat vsque ad mortem. In promptu habens omnem dei offensam vlcisci. Etsi pro iustitia persecutionem patitur, aut pati necesse est, beatū se censeat, quoniam ipsius est regnum cœlorum. Zelum hunc

Deut. 32. Prou. 29. Gen. 3. 3. Re. 11. Matt. 26. Psal. 14. Prou. 21. Eccle. 7. 2. Cor. 12. Matt. 5.

YYy 3 Phinees

Num.25. Phinees habuit quando commotos zelo Dei ſcelus fi-
Num.12. liorum Iſraël, nocentes occidendo expiauit. In ira iſta
Exod.32. Moyſes omnium hominum alioqui mitiſſimus, in cultores vituli deſeuit, & viginti tria milia hominum peremit. In zelo tali, vir ſecundum cor Dei, in matutino interfecit omnes peccatores terræ, & perdidit de ciuitate dei
Pſal.100 omnes operantes iniquitates. Taceo hic Mathathiam, qui accenſus furore ſecundum iudicium legis, præuari-
Act.5. catorem ſuper aram trucidauit. Taceo apoſtolum Pe-
1.Cor.5. trum, qui gladio oris ſui Ananiam & Sapphiram occidit. Taceo vas electionis, qui fornicatorem Satanæ tradidit cruciandum. Similiter & Hymenæum & Alexan-
Act.13. drum, vt diſcerent non blaſphemare. Sed & Elimã magnum cæcitate corporis percuſſit, vt afflictione danti ei intellectum, ad lumen veritatis perueniret. In ira talis
Mar.2. Ieſus mitis agnus & humilis corde, circumſpexit in ſynagoga perfidos phariſæos cum inuidia tabeſcente iter ha
Ioan.2. bentes, & cõtriſtatus eſt ſuper cæcitate cordis illorũ. In zelo tali, vna & altera vice, ementes & vendentes de tẽplo expulit, ſicut poteſtatem habens. Iſte zelus feruor eſt animi, quo mens abiecto humano timore, pro defenſione honoris dei, vt veritatis & ſalutis accenditur, & impedimenta eorum pro virili ſua exterminat & excludit,
Rom.10. timore malorum ſublato. Vt autem zelus iſte ſit ſecun-
3.Reg.19 dum ſcientiam, quomodo Helias zelatus eſt zelo recto pro domino, neceſſe eſt, vt homo incipiat à ſemetipſo, totis viſceribus deum amare, quantũ poteſt, & ex omnibus viribus ſuis honorare, carni & ſanguini non acquieſcere, omnia impedimẽta ſalutis à ſe excludere, arma te-
Gala.1. nebrarũ abiicere: Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcũq; amorem fraternum nutriunt, & bonam famam promouent.
Phili.4. Denique quicquid eſt virtutis, quicquid eſt diſciplinæ laudabilis. Hæc & his ſimilia ammodo meditari debet, amare & operari. Et tunc demum idem optet & procuret ab aliis fieri, zelus domus dei (quæ ſumus nos) commedere
Pſal.118 nos debet. Hinc alibi ait vir deo plenus: Tabeſcere me fecit zelus meus, quia nõ cuſtodierunt legẽ tuam. Et iterũ: Vidi præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Zelus iſte eo magis commendabilis, quo quælibet praua corrigere ſatagit, ſi nequit, tolerat & gemit. Habeat charitas zelum, ſed adhibeat pro tempore modum

modum zelum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia: Sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus: Nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timore excludatur. Zelus enim sine scientia, minus inefficax, minúsq; vtilis inuenitur, plerúmq; & pernitiosus valde sentitur. Quo igitur zelus feruentior, vehementior spiritus, profusiórq; charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritū temperet, ordinet charitatem. Sunt nonnulli, qui tam vehementer contra aliorum excessus zelantur, vt iustitiam esurire & sitire possint videri. Quod quidem verum esset, si apud eos, de suis peccatis idem iudicium esset. Sed nunc pondus & pondus, vtrumq; abominatio est apud deum. Nam contra alios, tā impudenter, quā immaniter æstuant, sæuiunt & crudeles sunt, seipsos tam insipienter, quàm damnabiliter palpant, excusant, defendunt, & iustificant. In aliorum oculis festucam, in propriis trabem non considerant. Aliis onera importabilia imponunt, quæ ipsi digito suo minimo tangere dedignantur. Verùm ex quo nemo mundus à peccato, & in multis offendimus omnes, adeò quòd Salomō, amabilis dominus vocatus, eo quòd dominus eum amauit, dicat: Quis potest dicere, mundū est cor meum, purus sum à peccato? Nam si dixerimus quòd peccatum non habemus mentimur. Mundare corda nostra assidue ab omni inquinamento carnis & spiritus oportet. Lauare per singulas noctes lectum nostrū, & cor nostrum à malitia & iniquitate, vt super niuem albiores reddamur. Mundatur autem anima à peccatorū inquinamentis multis modis, quos hic in fascē constringam. Vno modo per passionem & pretiosum sanguinē Christi, sicut lepra per sanguinem innocentis paruuli: Sic lauit nos Christus in sanguine suo, ad seruiendum deo viuenti. Et omnia in sanguine isto mundantur, Sic sancti lauant & dealbant stolas suas in sanguine agni. Alio modo per virtutem verbi dei, sicut granum per ventilationem à paleis separatur. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Tertiò, per ablutionem baptismi & alia sacramenta, sicut eger per medicinam: Sic ecclesia mundatur lauacro aquæ in verbo vitæ. Quartò per fidē, sicut aër à nebula & tenebris per lucē & ortum solis: Sic fide purificantur corda, sic sol iustitiæ oritur in tenebris, bonis & rectis corde, & facit

Matt. 7. *Matt. 23.* *1. Ioan. 1.* *2. Cor. 7.* *Psal. 6.* *Apoc. 7.* *Hebr. 7.* *Ioan. 5.* *Ephes. 5.* *Act. 15.* *Psal. 6.*

Psal 60. eos lucis filios & lumina mundi. Quinto per contritio nē,ſicut veſtis per lixiuiū: Sic lauat lachrymis iuſtus le-
Matt.26. ctū ſuū,ſic Magdalena fleuit ad pedes Ieſu, ſic Petrus fleuit amarè,ſic Ezechias fleuit fletu magno,ſic Dauid
Pſalm. 6. poculū ſuū cū fletu miſcuit,& dominus vocē fletus eo rū exaudiuit,eo quod cor contritū & humiliatū nō de-
Pſal.113 ſpicit. Sextò per confeſſionē humilē,ſic domus per ſco pā,ſic fit Iudæa,id eſt,confeſſio,ſanctificatio eius,ſic Da
Pſal. 50. uid dicens: Tibi ſoli peccaui & malū corā te feci. Et ite-
2. Re.vlt. rū: Ego ſum qui peccaui,ego inique egi,miſericordiā eſt conſecutus. Nā mox dominus remiſit ei iniquitatē & im pietatē peccati ſui,quādo confitebatur aduerſum ſe in-
2.Par.vl. iuſtitiā ſuā domino. Sic Manaſſes omniū perditiſſimus, in anguſtiis & carceribus nocte meditatus eſt,cū corde ſuo,in amaritudine animæ ſuæ omnes annos ſuos domi no recogitando,& per confeſſionē peccatorū humilem ſcopebat ſpiritū ſuū. Septimò per tribulationē: Sic au rū purgatur per ignē,triticū per flagellū, ferrum per li-
Matt 3. mam,vinū in torculari,oleū ab amurca in prælo ſepara tur. Sic ſedet dominus conflans & emundans argentū.
Luca 7. Octauò per eleemoſynarū largitionē: Sic vitis per puta tionē. quod ſupereſt date eleemoſynā, & omnia munda ſunt vobis. Nonò per euchariſtiæ dignam perceptionē:
Iaco.4. Sic eſt ablutio ſcelerū,teſte Gregor. Beati igitur mun
Sapien.4. do corde. Ad hoc Iacobus nos adhortās,ait: Emundate
Eccleſ. 8. manus veſtras,abiicite opera mala,qui inique hactenus egiſtis vſquequaq;,à Deo odibilia opera feciſtis, & ſine omni timore peccaſtis: Et purificate corda veſtra,emun date ea ab occultis peccatis veſtris, qui duplices fuiſtis animo. Secundum ſpeciem quidem deo in pietatis operibus,ſecundū veritatē autē,veritatē eius abnegando,& ſeruitis diabolo,aut mundo,aut ventri proprio, qui ve-
2. Tim.2. ſter deus eſt. Et ſi hæc feceritis,eritis vaſa in honorem, ſanctificata,vtilia domino,& ad omnia opera bona para
Iacob 2. ta. Sit ergo mundum cor ab omni macula. Ne totā legē ſeruando & in vno offendendo,omnium reus ſit homo. Sit mūdum,ſicut domus ſine pulueribus auaritiæ,ſicut ſpeculum ſine macula luxuriæ,ſicut aër ſine nube ſuper biæ,ſicut vas ſine fractura iracundiæ,ſicut oculus ſine al bugine inuidiæ, ſicut argentum aut ferrum ſine rubigine acediæ, ſicut pergamenum ſiue pinguedine gulæ. Poſtremo de mercede quo mūditia cordis præmiatur vi

deamus,

deamus, hæc est visio dei, quia deũ videbunt. Vnde Apostolus ait: Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo deũ videbit. Magnum quippe est in curia regis & familia esse, sed maius est faciẽ regis videre. Hinc regina Saba dixit ad Salomonẽ: Beati viri tui, & beati serui tui qui stant corã te semper, & audiunt sapientiam tuã. Est autẽ triplex visio dei. Per naturam, per gratiam, per gloriã. Per naturam & naturalẽ rationem, in vita quæ nũc est deus videtur, etiã à Philosophis citra gratiæ & fidei lumẽ: Quia cognitio dei omnibus naturaliter insita est, teste Boetio. Quod enim notum est dei, manifestũ est in illis, deus enim illis manifestauit: Ideo inexcusabiles sunt, quia cũ cognouissent deũ, non sicut deũ glorificauerunt aut gratias egerunt. Ideo euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratũ est insipiens cor eorũ. Dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt. Alia est visio & cognitio dei per gratiã & lumen fidei. Per hanc Deũ videmus ex parte, & per speculũ & in ænigmate cognoscimus. Per fidẽ siquidem ambulamus, nõ per speciẽ. De ista dicit Apostolus: Nos omnes qui in Christum credimus reuelata facie sine vmbris legis gloriã domini speculamur, & velut in speculo in nobis conspicimus, & in eandẽ imaginẽ transformamur & ei conformes & similes efficimur deiformésq; dicimur. Idq; à domini spiritu, per quẽ nobis claritas, & deiformitas ista confertur. Mundus corde omnibus diebus vitæ suæ deũ in mẽte habet. Prouidet dominũ in conspectu suo semper. Sicut & oculi domini in omni loco contẽplantur bonos et malos. Hæc visio dei per fidẽ multo est excellentior priore, et vtilior, et certior, et suauior. Tertia visio dei quæ mundis corde repromittitur, est visio per gloriã, vbi eum vident, sicuti est, facie ad faciẽ, et cũ cognoscunt sicut et cogniti sunt. Ibi regẽ in decore suo videbunt, et tũc salua erit anima eorũ. Hoc modo deũ in hac vita nemo vidit vnquã. Non videbit me homo et viuet, dixit deus ad Moysen amicũ suũ. Nihilominus vidit Moyses posteriora eius quãdo ostendit ei omne bonũ. Vidit et Apostolus deũ in hac vita, sed ad breue tẽpus, quando raptus fuit in tertium cœlum, et audiuit arcana verba dei, quæ non licet homini loqui. De ista visione dei, qua in vita ista deum viderunt Moyses dei amicus, et vas electionis Paulus, vide S. August. et doctores latius.

Hebr. 12. *3. Reg. 10.* *1. Cor. 13.* *2. Cor. 3.* *Psal. 15.* *1. Ioan. 3.* *2. Cor. 13.* *2. Cor. 12.*

DE VERA PACE CHRISTI ET DEI, IN EVANGELIVM Sermo.

Mat.5. Ioan.1. Ephes.2. BEATI pacifici, quoniam filij dei vocabuntur. Nimiã exuberantémq; charitatem suã, qua nos diligit deus, nunquã non beneficus ineffabilibus & verbis super mel & fauum dulcioribus attestatur. Nam cum serui digni nõ

Ioan.8. essemus, imò cum serui essemus diaboli & peccatorũ, ser

2.Pet.2. uientes desideriis & voluptatibus & nostro ventri, nostráq; membra exhibuimus seruire immũditiæ & iniquitati, & vita ipsa eramus indigni, tunc Deus qui diues est in misericordia, benignus super malos & ingratos, patiẽs & præstabilis super malitia, in benedictionibus dulcedinis nos præuenit, vt in seculis superuenientibus abundãtes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos ostẽderet. Nam gratiam qua saluamur, labiis suis diffundens, dixit: Beati pacifici, quoniam filij dei vocabuntur & sunt. O

Isa.10. verbum abbreuiatũ & consummans. Vere consummãs,

Roma.9. quia in eo tota lex diuina instauratur & impletur. Tene pacem Christi in omnibus, & totam legem impleuisti. Nam hæc est pacis Christi natura & veritas, quam cun-

Psal.133. cti mortales desiderant, (quamuis pauci eam inquirant in veritate & persequantur) quod vel idem habitus est

Roma.5. cum charitate, quam in corda pie in Christo viuentium spiritussanctus diffundit, vel inseparabile cum ea contu-

Virg.6. bernium habet. O pax Christi, quibus te laudibus effe-

Aene. ram? Non mihi si linguæ centum sint, oráq; centũ, Ferrea vox, omnes vtilitatis eius comprendere formas, & percurrere nomina possem. Ne tamẽ quod verbis æquare loquendo nequeo, intactum pertranseam, vel summis labiis eius encomia tangam. Alia aliis prosequenda relinquens, & in trinitatis superbenedictæ nomine tria in præsentiarum de pace consideremus: Nempe, pacis do-

Psal.5. num, quia pacifici: pacis statum, quia beati: pacis fructum, quia filij dei vocabuntur. De dono pacis aduertendum, quòd tale donum dei est bonum pacis, vt in rebus creatis nihil gratiosus soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil vtilius possideri. At pax est affectus siue voluntatis insigne qua coronatur. Ornamen-

namentum est & munimen siue inexpugnabile scutum cordis, quod deus eis largitur qui voluntatem habẽt in lege Domini, & in lege eius meditantur die ac nocte. *Psal.1.*
Verum duplici modo pax ista potest esse in voluntate: Nempe affectu humano & naturali, cum sit modo communi per naturalem amorem. Vt cũ homo diligit Deũ, *Deut. 32.*
sicut principium suum efficiens & conseruãs, iuxta illud, Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit & fecit & creauit te? Quamuis præter hoc & multa alia diligat. Alio modo affectu diuino, & hoc per beatitudinem, quæ *1. Cor. 12*
pax & via excellentior est, qua homo totaliter per affectum Deo vnitur, vnus cum eo spiritus efficitur, in eandem *Rom. 8.*
imaginem transformatur, Christum induit: Viuit, non ipse, sed viuit in eo Christus à cuius charitate nulla creatura eum potest separare. Hoc sentit in se, hoc cupit, *Philip. 2.*
hoc versat, hoc quærit, hoc sitit & esurit, hoc experimentaliter in se depræhendit & cognoscit quod & in Christo Iesu fuit, quando habitauit in nobis, & in terris cum hominibus *Ioan. 1.*
conuersatus est. Et mitis est & humilis corde, *Mat. 11.*
cogitat cogitationes pacis & non aflictionis. Veritatem *Zach. 6.*
& pacem diligit, sollicitus est seruare vnitatem spiritus *Ephes. 4.*
in vinculo pacis. Sic deo adhæret, qui solus bonus est, & *Mat. 19.*
bonitas ipsa (per vinculum amoris) & ex eius participatione bonus efficitur & diuinæ particeps naturæ. Hæc est *Philip. 4.*
pax Christi, quæ exuperat omnem sensum: in hac pace *1. Cor. 7.*
vocauit nos Christus. In ista pace qui vocati sunt in so- *2. Thes. 2.*
cietatem filij, & in regnum dei, satagunt immaculati & in *Esa. 9.*
uiolati inueniri. Hanc pacem, princeps pacis in mundum veniẽs secum portauit, iuxta illud: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis. Hanc angeli in eius ortu ho- *Luca 2.*
minibus bonæ voluntatis annunciauerunt. Hanc ipse cũ illis qui oderunt pacem tenuit. Hanc prædicauit, hanc mandauit, dicens: Pacem habete inter vos. Hanc pro testamẽto legauit & dedit, quando ex hoc mũdo iturus erat ad patrem. Hãc in morte sua reformauit. Vnde Apostolus ait, Christus est pax nostra qui fecit vtraque vnum & fecit pacem, dum reconciliauit Iudæos, & gentes in vno corpore deo. Hanc deleto mortis chirographo, & principe huius mundi victo, ligato & triumphato, cum victor ab inferis & rediuiuus prodisset de sepulchro, ante omnia electis discipulis suis nunciauit. In hac pace, *Luca 16.*
pacifici, qui ea quæ pacis sunt sectantur, ex hac vita,

cum Simeone egrediuntur, & per angelos pacis in ista pace in æterna tabernacula deducuntur. Hinc scriptum
Esa.55. est: Vos cum lætitia egrediemini,& in pace deducemini, montes et colles cantabunt coram vobis laudem, cum vos instar animæ Lazari ad pacem sempiternam porta-
Apoc.6. bunt. In pace illa dormiunt et requiescunt, vna stola in-
Heb.11. duti, non consumandi sine nobis. *Est autem pax* Dei, sine pax Christi, quam nullibi non inculcant et effe-
Philip.4. runt oracula diuina, summum bonum, qua nihil melius et vtilius est in terra hominibus. Verum duplex pax astruitur et inuenitur: Bona videlicet et mala, Dei et diaboli, Christi et mundi, saluans et damnans. De gemina ista pace, iam est sermo texendus Pax Dei est concordantium in bono mentium ordinata tranquillitas: Vel est ordinata in fide, sub diuina voluntate, obedientia et con-
Act.4. sensio. Ideo pax vera est, quando credentes in Christum, habent cor vnum, id est, vnam voluntatem, et animam v-
Cicero. nam, id est, vnam intentionem in Deum. Sic idem velle et idem nolle firma amicitia, est, Sic orabat pro Roma-
Rom.15. nis Apostolus, vt Deus patientiæ et solatij daret eis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimes, vno ore glorificarent Deum. Et iterum: Di
Ephes.6. gne (obsecro vos) conuersamini, et ambulate vocatione qua vocati estis, et euangelio pacis, in quo vocati estis et deo qui vos vocauit per gratiam suam in suum regnum et gloriam cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis. Sic rursus ait:
1.Cor.1. Obsecro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, & per misericordiam Dei, similiter obsecro vos per charitatem spiritus sancti, vt ipsum dicatis omnes, & nō sint in vobis schismata, sed idem sapite in eadem permanente regula, & in fide omnes vnanimes. Hæc est illa sancta v-
Ioan.14. nitas & in bono concordia pro qua orauit Christus post cœnam, dicens: Rogo pater, vt qui credituri sunt in me, omnes vnum sint sicut tu pater in me, & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint, sicut & nos vnum sumus. Hæc est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum et intellectū.
Philip.4. Hæc electorum corda et voluntates custodit in charitate ab omni iniquitate, et intelligentias, in fide, ab omni errore, in Christo Iesu, sic quod idem sapiunt omnes, eandem charitatem habent, vnanimes in bono,

idipsum

idipsum sentiunt:Nempe,quod & in Christo Iesu.Et Iesus mortuus est,vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum. O quam bonum, & quàm iucundum est habitare fratres in vnum & in pace.Nullius enim boni, sine pace vlla bona est & iocunda possessio.Sic Deus vnius moris facit habitare in domo sua, quæ est ecclesia. Hæc est pax Christi quæ semper exultare in cordibus nostris debet,in qua vocati sumus. Hæc facit regnum Dei, iuxta illud,Regnum dei non est esca & potus,sed iustitia & pax & gaudium in spiritusancto. Pax ista,nihil aliud est quàm multorum concordia in bono, & consensio in his quæ Dei sunt & salutis. *Alia est pax mundi*,& diaboli,quæ nihil aliud est,quam concordia multorum in malo.Sicut olim astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum aduersus dominum & aduersus Christum eius.Sic Herodes & Pilatus amici facti sunt & concordes, sed in mortem Christi pax ista redundauit.Sic plus quàm quadraginta viri collegerunt se ex Iudæis,& deuouerunt se, quod neque manducare neque bibere vellent,donec occiderent Paulum.Sic gentes deum ignorantes, concordes erãt in idololatria.Sic Arriani,sic Manichæi,sic Donatistæ,sic vt innumeros taceamus, Lutherani, in suis sunt impietatibus concordes & consentientes in malo.In ista pace damnabili erant & sunt adhuc omnia, interim quod fortis armatus atrium cordis vel mundi vel pestilentium colligationem custodit At pacem hanc Christus non venit dare, quia mala,quia damnabilis,Deo odibilis:sed gladium spiritus sancti, quod est euangelium regni & gratiæ Dei, & separationem.Vt pace Christi nihil est vtilius iucundius & diuinius: deo omnibus modis & neruis facienda,custodienda,reformanda & confirmanda,Sic pace malorum, mundi & diaboli, nihil peius nocentius, damnabilius, & periculosius, ideo summo studio rumpenda, destruenda, annihilanda, tollenda & fugienda.Vnde Christus ait:Non veni pacem hãc mundi & diaboli (quæ est concordia siue consensio in malo) mittere, procurare, dare, confirmare & ampliare, in terram.Non veni pacem talem mittere, sed gladium, id est, præcisionem, destructionem & exterminationem. Dauid hoc orans dixit:Accingere gladio tuo super femur tuum,potentissime.Triplicem verò diuisionem triplicis affectus qui maxime ligat, cum gladio euangelij

Ioan. 14. Psal. 2. Act 4. Luca 23. Luca 12 Mat. 10. Luca 12. Psal. 74.

Christus

Christus fecit, Nempe consanguinitatis, affinitatis, familiaritatis. Veni enim separare hominem, id est, filium aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrẽ suam quod est separatio consanguinitatis. Hoc est, veni priuatos carnis affectus extinguere quibus ita inuicem colligantur, vt deo minus seruiant, deum contemnant, dei obliuiscãtur, à deo se elongent: suaue iugum & onus eius leue à se proiiciant. Non quod parentes non sint honorandi & diligendi cum hoc lex pręcipiat, sed post deum, & inquã tum in via dei nobis non obsistunt. Et eatenus, quantenus vnus credit, vel in fide electorum immobiliter permanet persecutionis hæresisq; tempore, & alius in incredulitate sua perdurat, vel à fide deficit mortis timore, vel carnis desideriis aut mundi illecebris superatus. Tũc triplex fit separatio Cordis per fidem, corporis per habitationem, operum, morum & rituũ per exercitationem. Et nurum, id est, vxorem filij aduersus socrum suam, id

Mich. 7. est, matrem mariti. Et inimici hominis, domestici eius: Qui videlicet sic separatus est ab aliis, religione & affectu. Neque enim inter eos pax esse potest inter quos est bellum fidei, dispar religio, contrarius affectus. Imò qui amat patrem aut matrem plusquam me videlicet, cum propter eos ad fidem non venit aut propter eos fidem deserit, labitur in hæresim, leges meas præuaricatur. vel animæ suæ periculo se exponit, vias iustitiæ deserit: non est me dignus. Me videlicet habere in mundo redemptorem, iustificatorem, mediatorem, tutorem, hospitem, in iudicio testem, in regno remuneratorem. Et idem de filiis & amicis est iudicium. Et quod plus est, qui non odit patrem suum & matrem, &c. inquantum ei in via dei obsistunt, sed & animam suam, id est, vitam ani-

Luce 14. malem, quæ iuxta Apostolum, aduersus spiritum con

Rom. 7. cupiscit, & eius desideriis non reluctatur, hanc cum vi-

Gal. 5. ciis & concupiscentiis non crucifigit, hanc non mortificat, hanc non castigat & in seruitutem spiritus non redigit, non potest meus esse discipulus, amicus, frater & cohæres. Quia non potest voluntatẽ patris mei facere qui in cœlis est, & quæ ego præcepi vobis. Ideo damnationẽ iniquorum et malam pacem eorum Psalmista considerans, ait: Zelaui super iniquos, pacem malam peccatorũ videns. Domus eorum securæ sunt et pacatæ, etc. multa. Abundãt tabernacula eorũ, quãuis audacter prouocent deum

deum,ſed & ipſe omnia dat in manus eorum.Sic via impiorũ proſperatur,& bene eſt omnibus qui præuaricantur & inique agunt.At contra : Multæ tribulationes iuſtorum.In mundo preſſuram habent,& odio ſunt omnibus hominibus propter nomen Ieſu.Quid ergo? Eſt ne pax impiis?Eſt,ſed mala,ſed huius mundi,ſed peccatorũ, ſed diaboli,in qua eſt amaritudo amariſſima, reę accuſatricíſque conſcientiæ, timor iudicij ſine miſericordia, & horror perditionis(quæ non dormitat)æternæ.Sic ſonitus terroris ſemper in auribus eorum eſt, & cum pax ſit externa,& in peccatis eorum,illi ſemper ſuſpicantur inſidias & improuiſam mortem.Superinducunt enim ſibi celerem perditionẽ,& effugium peribit ab eis. De iſta pace mala ad Iudæos in reprobum ſenſum datos, ſeruator flens amariſſime,ait:Et in hac die tua quæ ad pacem malam tibi &c.Eo namque filij tenebrarum & huius ſeculi deueniũt dementiæ, vt dum viuunt in magno iuſtitiæ bello,& inique agunt vſquequaque, tot & tam magna mala, pacẽ appellant. De pace iſta appoſite illud ſapientes dici poteſt:Quaſi à facie colubri, fuge iſtam pacem.Et ſi acceſſeris ad illam ſuſcipiet te. Dentes leonis, dentes eius,interficientes animas hominum , quę non moriuntur:Quaſi romphæa bis acuta,pacis iſtius iniquitas,et plagæ illius non eſt ſanitas. Hæc pax eſt cum ſeptem vitiis capitalibus,fœdus et cõſenſio per ſeptẽ gentes ſignata,quas Dominus iuſſit occidi.De quibus ſcriptum eſt:Non facies cum eis pacem,nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum.Nec eo inſaniæ venias,vt dicas:Pax mihi erit ſi ambulauero in prauitate cordis mei, et aſſumet ebria ſitientem , et dominus non ignoſcat ei : ſed tunc quam maxime furor eius feruet. Sub typo diaboli cuius Holofernes, dux erat et miles , de iſta pace rurſus ſcriptum eſt. Quare contempſerunt nos (dicunt ſpiritus reprobi) pie viuentes in Chriſto, et quorum cor fiduciam habet in domino,et non exierunt nobis obuiam,voluntati noſtræ parendo, vt ſuſciperent nos in pace?At Holofernes et mundus et caro, loquuntur verba pacifica in dolo vt Ioab et Iudas proditor:et ſi fides eis datur,mox capiunt et occidunt corpus et animam. Iſti loquuntur pacem cum proximo ſuo ,mala autem ſunt in cordibus eorum. Sagitta vulnerans lingua eorũ,dolũ loquitur et occulte

Pſal.33. *2.Tim.3.* *Ioan.16.* *Eſa.23.* *2.Pet.2.* *Luca 19.* *Sap.14.* *Eccl.2.* *Deut.23.* *Iudit.5.* *Dan.13.* *Hier.9.*

p onunt

rupit, nocendi accepta oportunitate. Ideo Sapiens ait: Non credas inimico tuo in æternū. Sicut enim eramentum, eruginat nequitia illius & cætera. Veniunt enim in vestimentis ouium, mel in ore, sed fel habentes in corde, pleni omni dolo & omni fallacia, ideo intrinsecus sunt lupi rapaces: Pacifice loquūtur, sed in iracundia terræ, dolos cogitant. Sicut nouacula acuta, faciunt dolum. Tales sunt hæretici, seductores populi, magistri mendaces, placentia loquentes, puluillos sub omni cubito ponentes, os sublinientes, beatum populum dicentes, sceleratos in desideriis cordis sui laudantes & iniquos benedicentes. Reges in suis malitiis lætificantes, & principes in suis mendaciis. Qui Christo domino nō seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones, corda innocentum seducunt, animas quæ non moriuntur, perimunt, vias domini rectas nunquā non subuertunt, simplices, ne veritati obediant, fascinant, in medio pacē Christi habētium immittunt inimicitias: Pacem habentes conturbant: Pax, pax dicunt suis, cum non sit pax impiis. Isti sunt pseudoChristi, venientes in nomine Christi. Sunt operarij subdoli, pseudoapostoli, transfigurantes se in Apostolos Christi instar patris eorum diaboli, in angelos lucis se transfigurātes, cum sint tenebræ ipsæ & tenebrarum filij, quibus caligo est tenebrarum reseruata. Nec mirum est vel magnum, si velut ministri iustitiæ transfigurentur, cum in veritate iniusti sint & omnis iustitiæ inimici: quos mala capient in interitu, cùm & Satanas pater & magister eorum, in angelum lucis nonnunquā se transfiguret. Inquinata pax eorum est, qui concordes sunt in malo, vt prius est dictum. Hæc est pax mundi, pax diaboli, in qua sunt omnia interim quod ipse custodit atrium & regnum suum. Hæc est pax peccatorum. Qui omnia mala, pacem putant. Et ad superabundantiam dico, quod huius pacis falsæ, tres sunt species. Est enim pax æstimata, pax simulata, pax imperata. Dum enim inter seculares pax quæritur, dum discordes ad concordiam reuocamus, æstimant quòd sumus pacis amatores & obseruatores. Dum in vestimentis ouium coram hominibus incedimus, & intus quasi lupi rapaces gregem simplicium fratrum lacerando dispergimus: pacem simulamus, sed non habemus. Dum vero potestate præditi, subditis pacem

Prou. 26. Matt. 7. Esa. 30. Hiere. 13. Esa. 39. Roma. 16 1. Cor. 11 Ephes. 4. Ephes. 5. Matt. 23

pacem imperant, & semetipsos disciplinæ legibus non coërcent, dicũt & non faciunt, solũmodo pacem imperant & docent: sed nõ tenent. Ergo in multis pax æstimatur, qui pacẽ nõ habent. Æstimatur à secularibus, simulatur à peruersis claustralibus, imperatur & nõ tenetur ab iniquis & tepidis rectoribus. Sic æstimatur à nesciẽtibus, simulatur à nõ habẽtibus, imperatur à nõ tenẽtibus.

De vera pace Dei & filij eius Iesu Christi Sermo.

DE pace Dei & Christi paulò copiosius dicturi, cõsideremus ea quæ ad pacis huius faciunt & necessaria sunt vel acquisitionem vel custo-

Rom. 12. diã & roborationẽ. Multi siqu dẽ pacem causantur sibi abesse, qui vias pacis nec cognoscunt adhuc, nec ambulare volũt: nec ea facere cõtẽdũt, per quæ pax Christi acquiritur, custoditur, augetur & consummatur. Vt visu cernimus, qui diuites fieri volũt in hoc seculo, necesse habẽt laborare die ac nocte, & solicitudine non pigros esse. Et qui sano vegetóq; corpore gaudere cupit, necesse est eũ noxia fugere & quæ sanitati cõferũt amplecti. Alioqui, nec ille diuitias cumulat: nec hic cunctis mortalibus optata sanitate gaudet. Sic, qui pacem dei, quæ summũ bonũ est, desiderat, vias pacis custodiat necesse est. Et illas virtutes habeat & operetur necesse est, sine quibus pax ista nequit acquiri & possideri. Has verò summis labiis solũmodo tangã in præsentiarũ. Vna igi-

Luca 2. tur via & prima est bona volũtas. Bonæ siquidẽ volũtatis hominibus, angeli pacis, pacẽ nato principe pacis, annunciauerũt. At cõtra, Nõ est pax impiis. Cor enim impij, quasi mare feruens est, q̃ quiescere nõ potest: Est aũt volũtas bona quæ odit malũ & diligit bonũ: quæ dei gloriã & volũtatẽ vbiq; & semꝑ quærit, omnia in gloriã dei

1. Cor. 10 facit, salutẽ suã atq; aliorũ cum metu & tremore studet

Phil. 1. operari & promouere. Istã viam pacis boni & recti corde

Psal. 13. soli cognoscunt & ambulãt. Ista est via ciuitatis habitaculi, quã nec inueniũt quidẽ filij tenebrarũ. Hæc est ve-

Num. 21. ra regia via arcta quæ ducit ad vitã. Voluntas bona, est,

Matt. 7. quæ finẽ bonũ intẽdit & intentionẽ rectã semꝑ habet, & ea diligit per quæ finẽ bonũ assequi potest: Nẽpe, dirigẽdo pedes suos in vias pacis, & ambulãdo in Euãge-

Ephe. 6. lio pacis. Alia via est vt pacẽ inquirat, & pacẽ persequa-

Psal. 33. tur. Inquire, id est intente & diligẽter quære, & persequere eam, ea quæ pacis sunt sectãdo & faciẽdo perseuerã-

Psal. 14. ter, & in omni tẽpore & loco, iuxta illud Apostoli: Quæ

pacis sunt, sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicẽ custodiamus. Soliciti simus seruare vnitatẽ spiritus, in vinculo pacis. Pacẽ sequimini, ait alibi, & sanctimoniã. Si fieri potest, quantũ in nobis est, cũ omnibus hominibus pacem habeamus, & cũ odientibus pacẽ, pacifici simus. Ad pacẽ istã necesse est vt homo labia sua ꝓhibeat, ne loquãtur mala vel dolũ, vt diuertat a malo, & faciat bonũ. Est tertio loco ad pacẽ necessaria, soror eius iustitia: Iustitia eñ & pax osculatę sunt, ait Dauid. Diligis vel quæris pacẽ, cõserua iustitiã: q̃a iusti sunt in pace. Istę sorores sũt, fœdus fecerũt, indiuisibile cõtuberniũ habẽt: Altera fulcitur ab altera, & ab inuicẽ separatę, ambæ intereũt & moriũtur. Est siquidẽ opus iustitiæ pax vera cordis, dum iustitia vnicuiq; qđ suũ est reddit, vtiq; pacẽ facit: Et cult⁹ iustitiæ, silẽtiũ & securitas vsq; in sempiternũ. Sequitur: Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis cõscientiæ, per fidẽ, mũdo victo. In tabernaculis fiduciæ, per spẽ, & in requie opulẽta, ꝑ charitatẽ: in qua ei oĩa cooperãtur in bonũ, & diues fit in deo, in gratia, & thesaurizat sibi thesaurũ bonũ ĩ cœlo. Hinc rursus ait scriptura: Orietur in dieb⁹ Christi, iustitia euãgelica, & cũ ea abũdãtia pacis. Hæc est pax multa, q̃ habẽt diligẽtes & faciẽtes legẽ euãgelicã, q̃ est lex fidei, regalis, & ꝑfectæ libertatis. Stulti proinde sunt, q̃ pacẽ, iustitia neglecta vel quærũt, vel se habere posse putãt. Est quarto loco veritas vitę, doctrinæ & iustitiæ ad pacẽ necessaria, iuxta illud, pacẽ & veritatẽ diligite, & alibi: Sit pax & veritas in dieb⁹ meis, dixit Ezechias. Quinto loco necessaria est ad pacẽ vita inculpata, & obseruatio mãdatorũ dei. Quia gloria & honor et pax, omni operãti bonũ. Qui timet præceptũ charitatis trãsgredi (qđ suũ pręceptũ et mãdatũ Christus vocat) in pace Christi versabitur. Eo qđ pax multa est diligẽtibus legẽ dei. Ideo satagemus immaculati & inuiolati inueniri in pace. Si mũd⁹ incesseris & rectus, statim deus euigilabit ad te, & pacatũ reddet tabernaculũ iustitiæ tuæ. Sextò, mãsuetudo & mititas ad pacẽ est necessaria. Dauid: mãsueti hæreditabũt terrã, & delectabũtur in vita etiã præsenti, in multitudine pacis. Psal. 36. Et beati mites, qm̃ ipsi possidebũt terrã, triplicẽ: Quã terũt, q̃ gerũt, q̃ quærũt. Iã bona pacis seriosius, quæ maxime tria sunt, dispiciamus: Nempe, bonũ securitatis, diuersitatis, integritatis. Primum bonum pacis, securitatis vocatur.

Marginal references: Ephe. 4. Heb. 12. Rom. 12. Psal. 33. Psal. 84. Sap. 3. Esa. 32. Rom. 13. 1. Ioan. 5. Rom. 8. Lucæ 22. 1. Cor. 1. Matt. 6. 1. Tim. 6. Rom. 3. Iac. 2. 4. Re. 20. Isa. 39. Rom. 2. Ioan. 13. 14.

Profecto,nulla eſt ſecuritas,vbi pax non regnat:nec veram pacẽ dicimus,ſecuritate destitutam. Tria autẽ ſunt bona,in quibus conſiſtit tota moralis vita, quæ ſecure poſſidentur in pace.Videlicet,bonum honeſtũ,vtile,de-
Eccle.25. lectabile,ſiue iocundum. Vnum quod ſecure poſſidetur in pace,eſt bonum honeſtum,iuxta illud:In tribus placitum eſt ſpiritui meo,quæ ſunt probata coram deo & hominibus.Concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier ſibi conſentientes. Hæc omnia reducunt ani-
Matt.6. mas ad bonum honeſtum,per vinculum pacis.Nam pax iſta,concordia eſt cum illis, cum quibus diſcrimen tibi poſſet prouenire.Siquidem,pax filios dei cõſtituens, nihil aliud eſt, niſi obſeruatio voluntatis dei perfecta, ad deum,ad ſeipſum & ad proximum,cum beneuolentia &
Rom.14. gaudio in ſpirituſancto.Nam ſic omnia honeſte & ſecũdum ordinem fiunt inter nos & deum,& honeſte ſicut in
De verbis die ambulamus.Alterum,bonum vtile ſcilicet eſt. Nam
Domini. pax,eſt ſecuritas mentis(teſte Aurelio)tranquillitas ani
Sap.8. mi,vinculum amoris,conſortium charitatis,quibus nihil eſt vtilius in terra hominibus Hæc eſt, quæ ſimultates tollit,rixas compeſcit,iras cõprimit,ſuperbos,inter quos ſemper ſunt iurgia,calcat,humiles amat & exaltat ad regimen,diſcordes ſedat,inimicos concordat,omnibus pla
Luca 1. cet in bono,nec quòd ſibi,ſed aliis vtile eſt quærit. Hãc, qui accepit,teneat, qui perdidit repetat,qui amiſit exquirat.Quoniam,qui in ea non inuenitur,à patre abdicabitur,à filio exhæreditabitur, à ſpirituſancto alienus effi-
Eccle.45. cietur.Nec ad hæreditatẽ dei poterit peruenire, qui teſtamentum pacis noluerit cuſtodire. Cuſtodiamus ergo pacem cum omnibus,& tunc deus dabit nobis pacẽ ſempiternam.Nec tantummodò vtilitas ſpiritualis, ſed etiã temporalis ſecure poſſidetur in pace.Nã pax hæc quę filiationem diuinã cõſtituit,à pacto ſeruando denominatur.In pace fiunt fœdera,contrahuntur matrimonia,exu
Sap.12. berãt omnia bona.Serui obediunt ad nutum, poteſtate
Ephe.6. præditi cũ magna reuerẽtia ſuos diſponũt & amore, iudicãt cum trãquillitate,caret querela coniugium,proles educantur in diſciplina & correptione domini,cultus dei augetur,pauperes cõſolantur,virtutes ſunt in vſu, viciis finis imponitur,viuitur innocue, vnuſquiſque ſalutẽ ſuã cum metu & tremore operatur. Tertium bonũ delectabile ſiue iocundũ eſt.Nam pacis tempore, omnia letitiã acclama

acclamare videntur. Tunc angeli pacis gaudent,lætantur cœli,exultat terra,flumina plaudent manu, lætatur pariter orbis terrarum, & omnia quæ in eo sunt. Imo ipse deus super omnia benedictus in secula, gaudet in populo suo in pace cohabitare.Ideo Apostolus dicit:Pacem habete, & deus pacis & dilectionis, amator & author,erit vobiscum.& iterum,gaudium domini, est fortitudo nostra. Pax autem est fortitudo nostra, quia tunc sumus vt castrorum acies ordinata,& non relinquit deus hominem nocere nobis, frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma est.Tum prata rident,arbores fructibus exuberant & campi germinant herbam virentem, agri vberes fructus adferunt, terra messem vberẽ à quibus colitur,profert.Tunc cunctis operibus manuum nostrarum Deus benedicit, & quęcunque facimus prosperantur,& possessio cunctorum crescit in terra. Tũc impostura nullæ sunt,cocordiam fratres seruant, cor vnum & animam vnam omnes habent, coniugum nullæ querelæ,absque timore requiescitur & dormitur in pace & in idipso,itinera in pace perambulantur. Quid plura?Tunc floret religio,laus dei resonat & augetur, vigent studia literarum,ædificantur ecclesiæ,multiplicantur monasteria & personæ in eis,pietatis opera exuberant, honoratur atque fructificat verbum dei,iustitia seruatur, & id genus omnia bona alia crebrescunt. Nemo igitur verbis assequi valet, quàm bonum & quam iocundum est,fratres & Christianos omnes, qui fratres sunt, habitare in vnum,quod est pax dei, quæ exuperat omnem sensum, & concordia & amor proximorum. Aliud bonum pacis, est eius diuersitas.Nam pax est triplex,Nempe,Pax temporis,pectoris,æternitatis. Vel aliter, Pax externa quæ est bona:interna,quæ est melior:superna, quæ est optima.Prima est pax temporis. Hæc nonnũquam turbatur & destruitur,propter peccata subditorum, vt patet in Achior.In deletione tribus Beniamin.In seditione Dathã Chore & Abiron.Sic quando filij Israel seruauerunt legem dei,benedixit dominus cunctis operibus eorum, & abũdare eos fecit omnibus bonis,& pace fruebãtur optata.At contra,quando transgrediebantur leges eius,venerunt super eos omnes maledictiones, & turbatio pacis, nihilque habebant prosperi,sed & tradebantur in manus inimicorum suorũ crudelium, vt tota testatur scriptura.

Phil. 4. Esa. 65. Nee. 8. Pro. 18. Phil. 4. Iosu. 7. Iudi. 20. Num. 16.

Sicut ecōtra,dum lex dei ſeruabatur,abſque pauore habitabant in terra,& dominus dedit pacem in finibus eorum,dormierunt,& non erat qui eos exterreret.Crebrò etenim pax iſta propter peccata rectorum turbatur. Vt taceam Saulem regem,cuius tempore crebra bella inferebantur Iudæis.Sed electū Dauid intueamur, qui dum adulterium perpetrauit, filius eius Abſalon in eum inſurrexit,& totus Iſraël eum perſequebatur,non ſine maximo totius regni malo. Quanta ſtrage populi, ſuperba numeratio regni animaduerſa ſit,regum volumen atte-
1.Pa.23. ſtatur. Sic propter Salomonis defectionem, multa mala ſuper eum & regnum illius deus induxit. Taceo omnes reges Iſrael,quorū ne vnus legis æmulator fuit,ideo horrendis ſunt pœnis afflicti cum populo eos imitante in malo. Taceo inſanum Roboam. Taceo impium Ioram. Taceo ſceleſtū Achaz.Taceo profanum Manaſſen. Taceo ſubuerſum Amon. Taceo perfidum Ieconiā & fratres eius, quorū ſcelera & vindictas ſcriptura refert. Sic fit,cum exemplo Sedechiæ faciūt ſibi cornua ferrea. Sic
2.Par.18 cum roboratus fuiſſet Oſias, eleuatū eſt cor eius in interitum ſuum. Sic ab his,qui videntur regere populū dei egreditur omnis iniquitas,& in trangreſſione ſunt primi.
Dan. 13. Sed & optimates magis frangunt iugū, & vincula rum-
Eccle 10. punt.Secundum iudicē autem populi,ſic & miniſtri eius, & qualis rector ciuitatis,tales & inhabitantes in ea. De
Eſai.48. pace iſta externa vide in Leuitico & Deut.in Eſa. & Ba-
Baru. 2. ruch pulchra nimis, qui ait: Si in via dei ambulaſſes,in pace habitaſſes ſuper terram. Talis pax quandoque eſt falſa,& eſt triplex:videlicet: Æſtimata,ſimulata,& impe-
Heb.12. rata,de quibus prius ſcripſi. Cum omnibus pax iſta eſt
Pſal.119 ſeruanda,etiam cum odiētibus pacem.Sed & bella propter pacē iſtā ſuſcipiuntur, & finis bellorū eſſe debet, vt Aurelius dicit in volumine de ciuitate Dei. Nunquā tamen pax vera & ſancta dei eſt, niſi inter bonos & rectos corde.Ad pacē hāc neceſſe eſt,vt mala nobis illata ſuſtineamus, & quantū fieri poteſt,cū omnibus hominibus pacē habeamus.Nec nos defendamus cōtra inimicos,ſed magis iræ locū demus.Nec vincamur à malo, ſed vincamus in bono,malū.Nihilominus,iuſti in mūdo preſſurā externā habent,& perſecutiones, ne mūdi illecebris alliciātur ad negandū deū:ſed in Chriſto pacē verā inter-
Prou.30. nam habent,quam nemo eis auferre poteſt. Alia eſt pax pectoris

pectoris & interna siue conscientiæ. Primam pacẽ Christus nobis dedit, sed hanc nobis reliquit. Per hanc, pie viuentes in Christo, & boni æmulatores, pacificantur in conscientia corã deo. Hanc loquitur in plebẽ suã. Hanc pacẽ desideremus & custodiamus & sufficit nobis. Nã in ea omnia habemus. Cui pax non sufficit, non sufficit & Christus, qui est pax nostra. Dũ hanc pacem tenemus (quæ est conscientiæ bonæ interrogatio in deũ & testimoniũ, quod in simplicitate cordis & synceritate & gratia dei conuersamur in hoc mundo) tunc deus pacis & dilectionis est nobiscum, & replet in bonis desiderium nostrum. Hanc pacem non habent impij. Hæc pax est omne bonum, quod desiderantibus iustis datur. Hæc, est spiritus bonus, quem pater cœlestis dat petentibus se. Hæc pax est concordiam habere cum moribus bonis & dei amicis: & perfecto odio odire vitia & vitiosos, iuxta illud: Iniquos odio habui & abominatus sum. Perfecto odio odio illos, naturam eorum diligendo, quam tu creasti, & vitia eorum detestando, quæ & tu odisti, detestaris & damnas. Psal. v. Iudith v. Eccles. xxij. Psalm. xliiij. *1. Pet. 1.* *Ioan. 14.* *Ephes. 2.* *2. Cor. 13.* *Esa. 57.*

Pax æternitatis & superna est in Hierusalem cœlesti, quæ est mater nostra. Ibi sedet populus in pulchritudine pacis, quantum ad dotes corporis, & in tabernaculis fiduciæ, quantum ad dotes animæ. Et in requie opulenta, quantũ ad vtrumq; simul. Pacem igitur externã & temporis sequimini cum omnibus, tunc deus pacis, dabit vobis pacem sempiternam. Tertiũ bonum pacis est eius integritas. Est autem pax integra, quando homo pacem habet cũ Deo, cum seipso, cum proximo. Cum deo pacẽ habet, quando pax Dei quæ omnem intellectum exuperat, custodit corda nostra, id est, voluntates nostras in charitate, à mala concupiscentia & affectione, & intelligentias nostras in fide vera electorum ab omni errore. Et hoc in Christo Iesu, vt nihil extra & contra Christum appetatis siue intelligatis. Hoc fit, quando sensualitas nostra rationi, & caro spiritui, spiritus autem deo paret in omnibus. Secundo, pax integra est, quando homo pacificus est cum seipso. Pacifici autem in seipsis sunt, teste Aurelio, qui omnes animi sui motus comprimentes & rationi subiicientes, carnalésque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum dei quod intra nos est: quod est iustitia & pax & gaudium *Galat. 4.* *Esa. 32.* *Hebr. 12.* *Ephes. 2.* *Titi 1.* *Luca 17.*

in spiritusancto. In isto regno omnia ita sunt ordinata, quòd ratio & spiritus imperant, & caro siue sensualitas obtemperat. Pax ista, sine tentationum laboriosa victoria & calcatione, nō obtinetur. Tertiò pax integra est, si homo pacificus est cum proximo etiam pacem odiente: Qui aliorum onera portat, in bono malum vincit, discordes conciliat, bella componit, concordiam nutrit.
Galat. 5. Ad statum autē pacificum mentis necesse est, quòd homo pacem faciat cū sua carne, eam crucifigendo cū vitiis & concupiscentiis, & curā eius non faciendo in desideriis. Nā si semel ei præstat concupiscentias suas, tunc
Iudi. 16. semper ei instar Dalilæ diu noctúq; molesta est, donec spiritū fortissimum hostibus suis tradat ligandū, exæcandum, incarcerandum, illudendum & occidendum. Semper ei procaci vultu blanditur. Multos enim vulneratos
Prou. 7. deiecit, & fortissimi quiq; interfecti sunt ab ea. Secundo cū mundo oportet pacem facere, & pacē mundi oblatā aspernari. Ipsum mundū & ea quæ in mundo sunt, vt est
1. Ioan. 2. concupiscentia carnis, concupiscentia oculorū, & superbiam vitæ, odiendo, abhorrendo, fugiendo. Sic nāq; pax cum mundo acquiritur à iusto, cùm nulla eius prospera
Philip. 8. & oblectamenta concupiscit, cū hæc oblata aspernatur, cùm nulla eius aduersa pertimescit, cuncta transitoria spernit quasi lutum, & impedimenta salutis, sicq; mundi
Deut. 11. dominus pacificus efficitur, dicente domino: Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit &c. Pede calcare mundū, est mundum contemnere, per cuius con-
2. Cor. 6. temptum, dominatus mundi totius acquiritur. Sic nihil habentes, omnia sunt possidentes. Sic Apostolus omnia
1. Pet. 5. habuit, & abundauit. Cū diabolo deniq; pacem acquirere oportet, nullum ei locum dando, fortiter in fide ei resistendo &c.

DE FRVCTIBVS OPTIMIS PACIS DEI ET CHRISTI,

Sermo.

CITIVS quis aquæ guttas, arenā maris stellas cœli, folia arborū, terræ gramina numerabit, quàm sanctæ pacis Dei fructus optimos. Nos autē duodecim in præsentiarū
Apoc. 22. iuxta numerū fructuū xij. quos singulis mēsibus lignū vitæ profert, recēsebimus. *Vnus* est, quòd ho-

minē nobilitat in summo gradu,quia eū filiū Dei facit. Si autē filij Dei,tunc patrē diligunt,& non possunt à se quicquā facere,nisi quod viderunt patrē facientē.Huius autē natiuitatis,triplex est fructus. Nā omnis qui natus est ex deo,non peccat, quoniā semen ipsius in eo manet,& non potest peccare,quoniā ex deo natus est. Secundò,vincit mundū,Ioanne dicente:Omne quod natū est ex deo,vincit mundū:Ergo nullus peccator mortalis habet pacē dei & Christi. Tertiò natiuitas ista ducit ad regnū.Nā si filij,& hæredes.Tria autē faciunt hominem filiū dei.Fides vera in intellectu:Omnis qui credit,quoniā Iesus est Christus,ex Deo natus est:Charitas syncera in affectu:Omnis qui diligit fratrē suū,ex Deo natus est,& cognoscit Deū.Tertiū,est iustitia in opere & affectu,iuxta illud:Omnis qui facit iustitiā ex deo natus est. Videte ergo qualē charitatem dedit nobis pater, vt filij dei nominemur & simus.Sic pater vocat illū filiū suum, qui eū expresse imitatur. Deus autē pacificus est,& cogitat cogitationes pacis. Ergo pacifici sunt filij dei. *Alius est*, quod in nobis habitaculum Dei facit. In pace & corde pacifico,factus est locus eius.Ergo pacē habete,& deus pacis erit vobiscum & mansionem apud vos faciet: Hæc nos facit viua dei tēpla, domos dei sanctas. *Tertius*, facit deo amabilē.Pater enim diligit filiū,sicut omne animal simile sibi,sic deus hominē pacificū.Vnde Dauid filiū suū vocauit Salomonē,id est,pacificum.Et Nathan eundē appellauit Ididа,id est,amabilē deo.Ipse domino templū ædificauit & domū in pace. In qua cū ædificaretur, securis & malleus & omne ferramentū impacientiæ & strepitus & clamoris,non sunt audita. *Quartus*, spiritū nostrum deo vnit & reconciliat,sicut pace facta qui discordes erant dextras sibi dant & fiunt vnū,qui erant diuisi.Et solliciti sunt seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.Et sicut malū & amarū est dominū relinquere,sic adhærere deo, bonū est & vnū spiritū esse cū eo.Tria autē nos deo faciunt adhærere.Funes præceptorū siue vincula mandatorū,claui timoris tormentorū,et gluten molle syncerae dilectionis.At contra.Qui se elongant à deo per peccatū,pereunt. *Quintus*, regnū dei in homine pacifico per gratiam constituit in vitam æternam,quod in oratione dominica petimus aduenire. Hoc intra nos est. Et est, iustitia et pax et gaudium in spiritussan-

Marginal references: 1. Ioan. 3. — Roma. 8. — Galat. 3. — Ephes. 2. — Hiere. 29. — 2. Reg. 7. — Ephes. 4. — Psal. 72. — Eccles. 6. — Psal. 118 — Roma. 5.

tusanđo:Certe dum dominus nos regit,tunc nihil no-
Roma.14 bis in vlla gratia deest. *Sextus*, postulata impetrat. Nam
pater filios pacificos diligit,& omnia quæ desiderant eis
Psal.21. propenso animo largitur. Voluntatem enim timentiū se
facit,& deprecationes eorū exaudit. Hinc Christus di-
Ioan. 14. cit:Si quid petieritis me in nomine meo,hoc faciā. Ipse
autem est pax nostra.Dicitur etiam deus pacis,Rex pa-
cificus,& princeps pacis.Si ergo duo ex nobis consense-
Isa.9. rint super terram,multo magis vbi multi vel omnes ha
Act.4. bent cor vnū & animā vnā,de re quacunq; petierint fiet
illis à patre qui est in cœlis. *Septimus*, in benedictioni-
bus dulcedinis domini præueniuntur pacifici,dicēte Da
Psalm 20 uid:Dominus benedicet populo suo in pace. Et hoc,om
Ephes.1. ni benedictione spirituali in cœlestibus donis & bonis
terrenis in Christo. Proinde qui maledictionē dei expa
uescitis,& eius benedictionē desiderio desideratis, pacē
habete,& dabit vos in benedictionē in seculū seculi, &
Luca 12. lætificabit vos in gaudio cum vultu suo. *Octauus*, pax
Philip. 4. homines diuites in deo facit.Nam pacifici omnia in deo
habent,& abundant in omnibus bonis.Nā sicut bella et
lites,paupertatē extremā,sic optata cunctis mortalibus
pax diuitias cumulat externas. Pari modo in diuisione
animorū,in amaro zelo,in inuidia fraterna, in conten-
tione et æmulatione,in animositatibus, in dissentioni-
bus,in detractionibus et susurrationibus, in inflationi-
bus,et seditionibus,omnes diuitiæ gratiarū,bonorū ope
rū et meritorū perduntur. Tunc spoliatur à latronibus,
homo,egestatē extremā incurrit,siliquas porcorū esurit,
Amos 8. et nemo illi dat:sicq; fame verbi dei perit.At contra, dū
pacis incipit æmulator fieri,et pacē cū omnibus habet,
Roma. 1. tunc æterna sapientia sua omnia ei communicat,omnia
Sapien. 8. patris bona eius sunt, diues fit in Deo. Et Deus auget
incrementa frugū iustitiæ eius,vt in omnibus locupleta
Luc.12. tus abundet in omnem simplicitatē.Sic benedictio Do-
Prou.10. mini,qua in pace populo suo benedicit,diuites facit.Fiat
igitur pax in virtute tua,et tunc abundantia erit in tur-
ribus tuis,id est,viris perfectis,pacis amatorib⁹,ad quos
cæteri habent refugium,à quibus habent præsidium,qui
Psal.121. eorum pericula et vident et denunciant. Rogate ergo
et cogitate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, hoc est,
ecclesiæ Dei et animæ vestræ, et tunc erit abundantia
omnium bonorum diligentibus pacem Christi. Sic
concor-

concordia paruæ res crescunt, & discordia maximæ dila buntur. Nonus, pax gaudium verum habet. Semper enim gaudet in Domino, & exultat in Deo salutari suo. Timor semper his est, qui operantur malum, quia arguit eos malitia eorum, & auersio eorum increpat eos semper. sed secura mens pacem habentis, quasi iuge conuiuium. Hos replet omni gaudio spirituali & omni pace, (cum deo, cum seipsis & cū proximis: Externo, interno, superno) in credendo. Et per hæc abundant in spe, & in virtute spiritus sancti. Hinc Salomon ait: Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium, hîc internū, & post hoc gaudium æternum. Decimus, pax hominē ab omnibus malis liberat dicente Dauid: Redimet in pace animam meam ab iis qui appropinquant mihi vt me perdant. Inimicos homines nullos habet, quia cū omnibus pacē habet. Dæmones nihil ei nocere possunt, quia nullum eis locum dat, eisque fortiter in fide resistit. Mundum & eius illecebras abominatur. Sic Deus pacificos protegit, quod filius iniquitatis & inimicus homo, eis nocere non potest. Sed nec hominem vllum relinquit nocere eis. Nemo igitur vobis nocere potest, dum boni & pacis æmulatores estis. Vndecimus, pacificus hæredes post se relinquit, quod desiderant omnes boni parentes. Sunt namque reliquiæ homini pacifico. At contra, qui pacem turbant, iurgia seminant, dissentiones et offendicula faciunt eorum nomen in vna generatione deletur. Sic fiebat in diluuio, in quinque ciuitatum subuersione. In Achior, In Hieroboam, In Baasa. In Ochosia. Duodecimus: pax oculos ad visionē Dei disponit, et sine ea nemo Deū videbit sicuti est, in gloria sua ad faciē, quæ est vita æterna. Veniat ergo pax, et requiescat in cubili suo pacis custoditor. Sic iusti in pace egrediuntur, & in pace deducuntur, & montes & colles cantant corā eis laudem. Sic gloria & honor & pax æterna, omni operāti bonum. Sic Abrahæ Dominus promisit, quod ad patres suos trāsiturus erat in pace. Et Simeon: Nunc dimittis seruū tuū do. sec. ver. tuū. in pace, quam amaui & custodiui. In pace æterna, quam semper desideraui, quam posuisti fines nostros. Et Tobias: Præcipe in pace recipi spiritum meum. Ergo quæ pacis sunt sectemur, & tunc dominus dabit nobis pacem sempiternam. Amen. Acquiesce deo, & habeto pacem, & per hoc habebis hos fructus optimos.

Abac. 3. *Hier. 2.* *Prou. 12.* *Psal. 45.* *Psal. 88.* *2. Reg. 16* *4. Reg. 10. 11.* *Heb. 12.* *Ioan. 17.* *Rom. 2.* *Luca 2.* *2. Thes. 3.* *Iob 22.*

DB

DE SANCTO MARTINO ET NICOLAO, ET SEMPER PRAEDICABILIS IN CUIUSUIS SANCTI FESTO, SERMO.

In quo agitur de vera & necessaria præparatione ante confessionem sacramentalem.

Lucæ 2. SINT *lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Angustam vindicator noster portam
Mat. 7. & arctam viã esse dixit, quę ducit recto tramite absque sinuosis anfractibus ad vitam æternam, & ideo paucos esse qui eam inueniunt. Nam optima quęque difficiles ortus habent &
Mat. 11. progressus: Facilis est descẽsus auerni. Noctes atque dies
& 19. patet atri ianua ditis, sed reuocare gradum superásque euadere ad auras: Nempe consueta relinquere, omnibus renunciare, vias duras custodire, vim sibi facere, seipsum abnegare, crucem tollere, Christum sequi, immaculatum se ab hoc seculo custodire, curam carnis in desideriis nullam facere, carnem suam cum vitiis & concupiscẽtiis crucifigere, membra sua mortificare, nullum locum diabo-
Psal. 15. lo dare, ab omni via mala pedes suos custodire, vincula peccatorum & malarum consuetudinum rumpere, à dia-
Matt. 18. boli laqueis resipiscere, sollicite cum Deo ambulare, oculum scandalizantem eruere, similiter & manum & pedem abscindere, procúlque à se proiicere. Hæc reuocare gradum à portis mortis, de luto fecis & lacu miserię de profundo limi in quo erat infixus, animam suam eruere de ore leonis, & de profundissimo inferno, dixerim & su-
Ephes. 2. peras euadere ad auras. At hoc opus, hic labor est: ideo pauci inueniunt hanc portam vitæ, hanc viam excellentiorem & arctam pauci ambulant, digne Deo & euangelio Christi, vt filij lucis in arcta via, quæ ducit ad salutem. Et contra per lâtam portam mortis & spaciosam viam, æternæ damnationis multi intrant, & ambulant secundum seculum mundi huius & principem potestatis aëris huius spiritus, qui in filiis diffidentiæ operantur malum
Mat. 7. & omnem impietatem. Porta angusta Christus est, qui in se non recipit nisi eos qui à se deposuerunt omne pondus malarum concupiscentiarum, & circunstãs nos pec-
Heb. 12. catum: Nisi eos qui veterem hominum expoliauerunt

tum actibus suis,& nouum induerunt, qui secundũ deũ creatur in iustitia & sanctitate veritatis.Hæc porta domini,iusti intrabunt in eam.Qui per hoc ostium intrat,saluatur & ingreditur & egreditur,pascua inuenit. Et contra,lata porta diabolus est, non magnitudine potestatis, sed superbiæ tumore inflatus & effrenata licentia atque malitia distentus.Vt contra arcta porta Christus est,nõ paruitate potestatis,sed humilitate mentis.Item , porta angusta est charitas quia diligit inimicos,orat pro persecutoribus,benefacit odientibus vincit in bono malum, non agit perperam omnia suffert & sustinet:ideo non est aliud charitas,nisi domus dei & porta cœli.Voluptas autem & amor sui & mundi,porta lata est:Nã omnes quæ sua sunt quærunt,omnes declinant & simul inutiles fiũt, omnes conuersi sunt ad cursum praui operis,quasi equus impetu vadens in prelium.Sic appropinquant ad portas mortis. Denique pœnitentia & religio est arcta porta, de qua scriptum est:Confortauit seras portarum tuarũ, benedixit filiis tuis in te.Et alibi:laudent eam(animam fidelem accipite)in portis opera eius. Porta mortis impœnitentia est,& libertas carnis,per hanc multi intrant, qui diuitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis dei contemnunt,& tempore indulto eis ad pœnitentiam abutũtur in superbia sua.Et per duritiam cordis sui & impœnitentia corda thesaurizant sibi iram in diæ iræ & reuelationis iusti iudicij dei, quando reddet vnicuique secundum opera sua.Ista est porta ferrea. Postremo porta angusta martyriũ est. De qua Esaias ait:Aperite portas,& ingredietur gens iusta,custodiens veritatem.Porta mortis impatientia est & vindictæ appetitus:Nam qui vindicari vult , à domino inueniet vindictam. ibunt enim isti in vitam æternam.& hi in supplicium æternum. Vigilare igitur nos oportet omni tempore orantes, vt digni habeamur fugere omnia ista mala , quæ malos in diem terribilis iudicij Dei manent , & nullo modo tunc effugere possunt.Et stare ante filium hominis cum magna constantia , aduersus eos qui se angustiauerunt. Ibi iacebunt impij ante bonos,& mali ante portas iustorum. Iacebunt inquam , & non resurgent in iudicio.Sic Thessalonicenses laudat Apostolus , quod fides eorum semper creuit et magis , magísque augebatur charitas eorum ,quia se inuicem mutua dilectione prosequebantur

Ephes.4. *Ioan. 10* *Mat.5.* *Rom.12.* *Gen.28.* *Phil.2.* *Psal. 13.* *Psal.148* *Prou. 31.* *Esa.26.* *Matt.25.*

tur, ita quod Apostolus cum gloria et gaudio prædicauit in cęteris fidelium ecclesiis charitatem eorum, et fidei constantiam, quam demonstrauerunt in tolerantia omnium persecutionum et tribulationum. Quas vos deus sustinere permittit vt ex hoc demonstret suum iustum iudicium: Nempe, vt vos ex patientia digni inueniamini secundum iustum illud dei iudicium regno dei
2.Thes.1. ęterno, atque corona gloriæ, vitæ et iustitiæ, pro cuius fide et consecutione nunc patimini tribulationes istas. Qui vero vos affligunt, digni inueniantur perditione æterna. Et ad idem fidei bonum et legitimum certamen, nec non ad necessariam præparationem nostram per fructificationem in omnibus operibus bonis et deo et euangelio dignam vitam et conuersationem. Vnde ait, Sint lumbi vestri præcincti, Duplex est homo, in-
2.Cor.4. ternus videlicet et externus. Vnde ait Apostolus, Licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Homo exterior corpus est, quod nobis bestiisque commune est. Homo interior, mens est ad imaginem dei facta. Non tamen duo homines, sed vnus homo, ex anima & corpore compositus, & ab eodem deo factus. Vterque ho-
Luce 2. mo lumbos suos habet: interior intellectum habet & voluntatem siue affectum, de quibus oriuntur desideria & cogitationes, Hos lumbos cingulo veritatis, quod est verbum dei, precingere debemus, in lege domini meditando die ac nocte, & voluntatem habendo in lege dei, eámque diligere super aurum & topasion, Sic fecit virgo Maria, quæ omnia verba dei conseruabat
Psal.1. in corde suo. Sic Dauid fecit. In corde meo abscon-
& 118. di eloquia tua, vt non peccem tibi. Nisi enim lex tua meditatio mea esset, tunc dubio procul iam pe-
1.Pet.1. rissem in humilitate & affectione mea. Hinc diuus Petrus ait: Estote succincti lumbos mentis vestræ, custodiendo cordis munditiam omni custodia, vt mala desideria, peruersæ cogitationes, voluntas mala, nullum in vobis locum habeant. Sic oportet animas nostras iustificare. Et Esa. ait: Accingite lumbos vestros super vbera, sub quibus cor delitescit. Sic filius hominis precinctus zona aurea ad mammillas scribitur, hoc est
1.Cor.13 vinculo perfectionis, quod charitas est, quia charitas non cogitat malum, nec perperam agit, sed est de corde,

puro,

puro, conscientia bona & fide non ficta. Et scopus, finis, instauratio & impletio omnis iustitiæ. Lumbos exterioris hominis precingere debemus, de quibus prodeunt concupiscentiæ malæ et opera carnis impudica, de quibus scriptum est: Fortitudo diaboli in lumbis hominis. Istos lumbos per iustitiam quæ fit per rigorem disciplinæ præcingere debemus. Iuxta illud: Erit iustitia, quę est virtus, cingulum lumborum eius. Maxime hoc fit, cum abstinemus nos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam. Sic oportet nos sanctos et immaculatos esse coram deo, intus et foris, in anima et corpore. Et hoc in veritate, contra pharisæos, qui non erant mundi, sed fingebant munditiam, et externam, interna neglecta, insipientissime curabant. Vel si maculatur, sicut in multis offendimus omnes, rursus per dignos pœnitentię fructus mundare nos debemus ab omni inquinamento carnis et spiritus, et perficere sanctificationem nostram in timore dei. Hæc est prima pars iustitiæ Nempe, declinare et recedere à malo, odire iniquitatem, ingredi sine macula, quasi à facie colubri, fugere peccatum. Sequitur altera pars iustitiæ, quæ est facere bonum, operari iustitiā seipsum præbere exemplum omnium operum bonorum, facere quodcunque potest manus vniuscuiusque, omnibus placere in bono, laborare sicut oportet bonum militem et operarium inconfusibilem Christi: Salutem propriam cum metu et tremore operari, in spiritu et in benedictionibus seminare. vnde sequitur. *& lucernæ ardentes* (in manib. vestris) non est de textu. Attamen ex quo textus facit intellectum, et in multis libris est scriptum, et hic breuiter addemus ad clariorem textus intellectum. Tria habere debemus in conuersatione, Honestatem claritatis, luce sanctitatis fulgēdo, quia lucernas. Ardorem et ignem diuini amoris in cordis domo, quia ardentes. Opera bona non in ore tantum, sed in vsu, charitate dei et proximi opere et veritate ostendendo, quia in manibus eas debemus tenere. Lucerna essentialiter lux non est, nec lucet ex se, sed lumen constitutum in ea, ad domum illuminandam in solis absentia posita. Sic nos non sumus lux vera per essentiam, nec lucemus ex nobis. Sic enim solus Christus lux vera est, qui illuminat omnem hominem in hunc mundum venientē, sed ex participatione lucis Christi, de cuius plenitudine gratiā

Esa. 11.
1. Pet. 2.
Matt. 3.
2. Cor. 7.
Eccl. 21.
Phil 2.
Gal. 6.
1. Ioan. 3.
Ioan. 1.

omnes

omnes accipimus pro gratia, si quid lucis, sanctitatis, bonitatis & gratiæ in nobis est, habemus. Illa lux Christi in nobis lucere debet in verbo & opere, vt omnes qui in domo ecclesiæ sunt, lumen videant. Habeamus proinde lucernas bonorum exemplorum, diuinorum mandatorum, perfectorum, iustorum. De bonis exemplis scriptum est: Luceat lux vestra corã hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Quot enim aliis bona exempla damus, & quot eis bona opera ostendimus, tot lucernis spiritualibus illos illuminamus. Sic Philippenses efferuntur laudibus
Philip. 2. ab Apostolo quàm maximis, quòd erant sine querela, & simplices filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, & omnibus placetis in bono. Omnibus item sancte, iuste & sine querela adestis exemplo mei. Qui faciũt hæc, figurati sunt per candelabrum tabernaculi, quod septem habuit lucernas ardentes oleo oliuarum gratiæ &
Prou. 6. misericordiæ plenas. Lucernas item diuinæ legis & mãdatorum dei in manibus, hoc est, in opere & vita habere debemus. Mandatum quippe lucerna est, & lex lux, & via vitæ, lucerna pedibus meis verbum tuum, dixit vir secũ-
Psal. 118 dum cor Dei, & lumen semitis meis. Per viam huius vi-
Baruc. 4. tæ & in hoc caliginoso mundo, ad splendorem eius am-
Esai. 59. bulare debemus contra lumen eius, ne ad petram offendamus pedẽ nostrum, vel impingamus in meridie quasi
Iob 21. in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Sicut faciũt omnes qui verbum Domini proiiciunt & non suscipiunt, atque Domino dicunt, Scientiam viarum tuarum nolumus. Atque nolunt intelligere, vt bene agant. Lucerna denique splẽdidissima deóque acceptissima, vir iustus est atque in timore et amore dei perfectus. Sic maximus inter natos mulierum astruitur et prædicatur ab ore veritatis quod erat lucerna ardens et lucens, erat stabilis et im
Ioa. 5. mobilis per firmitatem: Ideo non extinguebatur in nocte annalis incarcerationis lucerna eius. Stultus namque
Eccl 27. vt luna mutatur, sed homo sensatus sine vlla vicissitudi-
2. Reg. 14 nis transmutatione, semper in eodem statu, vt sol perma
Prou. 4 net. Nec benedictione nec maledictione mouetur. Lu-
Baruc. 3. cebat per honestatem et vitæ veritatem, quia iustorum semita quasi lux splendens. Sic stellæ dant lumen in custodiis suis, et vocatæ dicunt, adsumus. Et lucent cum
iucunditate

iucunditate ei qui fecit illas. Sunt enim lux mundi, factę in firmamento cœli. Istæ sunt splendores sanctorũ. Nostrũ est vt omnem lapidem moueamus, quatenus & nos Deo placere possimus in lumine viuentiũ cũ Christo, & ambulare sicut illi ambulauerunt, & sequamur eorũ formam quam habemus. Ardebat Ioannes in igne illo quem dominus misit in terrã, & vehementer voluit accendi. Omnia opera sua in charitate faciebat, alioqui nihil suisset ipse, & opera illius nihil ei profuissent. Et instar Heliæ, in cuius spiritu & virtute ante faciem Christi præiuit, surrexit quasi ignis, & verbũ ipsius, quasi facula ardebat. Vnde illud accipi potest: Lucerna, hoc est, vir iustus, semper ardeat in tabernaculo, vt qui ingrediuntur, lumẽ videant. Lucere tantùm, vanũ: ardere tantùm, parũ: Lucere & ardere simul, perfectorũ est. Qui in hoc seruit Christo, placet deo & probatus est ab omnibus, qui sanctam eius in Christo conuersationẽ vident. Hæc est secunda pars iustitiæ: Nempe, facere bonũ sine defectione. Ab ista luce longe sunt simulatores callidi, dolosi hæretici, ficti Christiani, maledicti hypocritæ, qui omnia opera sua faciunt, vt ab hominibus videantur & laudentur. Et hic finis sit sermonis huius, in quo docuimus quòd semper declinare debem⁹ à malo & facere bonũ, & manere in bonitate. Et si à via veritatis exorbitauerimus, tunc ante confessionem rursus apprehendere debemus semitas vitæ, calles iustorum, viam mandatorũ, et relicta malitia, reuerti ad Dominum. Cui est laus, honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Luca 12. *Roma. 14* *Matt. 6.*

DE CONFESSORIBVS, SERMO SECVNDVS, QVI EST DE *perseuerantia in bonitate.*

ET vos similes hominibus, non bestiis & iumentis insipientibus esse debetis, quæ ea solummodo quæ in prospectu sunt attendunt, nihil de futuris solliciti aut cogitantes. Vnde Psalmista ait: Nolite fieri sicut equus & mulus quibus non est intellectus. Hoc homo cum in honore esset summo constitutus à deo, non fecit, nec beneficia dei exhibita, nec interminationes expauescendas intellexit. Ideo comparatus est iu- *Psalm. 31 & 48.*

Eccle. 3. mentis insipientibus, & similis factus est illis. Et quotquot in sapientia non ambulant, deũ non timent, à man
Tit. 1. datis dei declinant, carnis desideria faciunt, ventri suo seruiunt, deliciis affluunt, & in conuiuiis suis luxuriãtur, oculos habentes plenos adulterij, & vitia quęq; alia sine fine, quæ luxuriam solent comitari, omnes isti bestiis, non hominibus similes sunt. Et vnus interitus eiusmodi hominũ & iumentorum est, & æqua vtrorumq; cõditio. Isti semper sunt mendaces, mali, irrationabiles, & duri, bestiarum more homines inertes ac pigri ventres, & ven
1. Cor. 49 tri dediti. Contra eiusmodi bestias, Apostolus pugnauit Ephesi. Talis bestia & lupus rapax olim Paulus fuit, sed facta manu domini super se, factus est de lupo agnus, vel magis vas electionis, homo dei, homo bonus, seruus fidelis, qui de bono thesauro cordis sui semper protulit bona. Sic & nos, si veterem hominẽ qui secundum desideria errorum corrũpitur, cum actibus suis deponimus, & nouum hominem induimus, qui secundũ deum creatur, in iustitia & sanctitate veritatis, tunc ex bestiis homines metamorphosi gratiosa efficimur, & similes homi nibus qui deo placuerunt ab initio, in omnibus bonis operibus & meritis. Similes inquam hominibus estote, *expectantibus dominum suum*. quia etiam si moram fecerit,
Abac. 2. est expectandus: Quia veniens venit, & non derelinquit
Psal. 36. sanctos suos, nec misericordiam suam abscondit vsque in finem. Sic agricola diu expectat pretiosum terræ fructũ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, et confirmate corda vestra, quoniam aduentus domini appropinquabit. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt nõ iudicemini.
Ephe. 5. Magis autem confortamini in domino, & in potentia vir tutis eius, & consolamini vos alterutrum cum in omni
2. Mat. 7 pressura estis, & circundati estis malis quorũ non est numerus, sicut fratres Machabæi mutuis exhortationibus
Roma. 8. se ad passionum tolerantiam exhortabantur. Neq; enim condignæ passiones huius temporis sunt ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis. Saluatorem quidem expectamus per patientiam, & adoptionem filiorum dei atque redemptionem corporis nostri, in libertatem glo-
Phili. 3. riæ filiorum dei. Spes autem quæ facit bonitatẽ & non delinquit, non confundit. Ideo hic additur: Dominum. si dominus, ergo timendus. iuxta illud: Si ego dominus

vester,

vester, vbi est timor meus? Qui autem deum timet, declinat à malo & facit bonum. Nec spes & timor sufficiunt ad salutem sine charitate, vnde sequitur: Suum, qui eum ex charitate creauit, visitauit in incarnatione, redemit in passione, glorificabit & super omnia bona sua constituet, in regeneratione, cum & nos apparebimus cum ipso in gloria, & similes ei erimus. Bonum proinde est salutare dei cum silentio præstolari. Sic ergo abnegamus impietatem & secularia desideria per timorem dei, & per charitatem, sobrie, pie & iuste viuimus in hoc seculo. Et sic expectamus beatam spem & aduentum gloriæ magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi. Et beatus Iudas ait: Charissimi superædificate vosmetipsos sanctissimæ fidei nostræ, quæ salutis est fundamentum, in spiritusancto orantes, vosmetipsos in dilectione seruate. Et tunc securi expectate misericordiam domini nostri Iesu Christi in vitam æternam, nam sine dilectione, sine timore, sine fide electorum, sine abnegatione impietatum et secularium desideriorum, sine sobria, pia, et iusta vita, et bonorum operum sectatione, frustra misericordia et vita æterna speratur: Quia spes impiorum peribit. Vnde Apostolus ait: Eos qui sunt ex contentione, et veritati non acquiescunt, credunt autem iniquitati, manet indignatio, tribulatio et angustia. Eos inquam omnes mala capient in interitu, qui operantur malum et peccant in cœlum et coram deo. Spes eorum frustrabitur, foris manebunt, vt in edonibus et bibonibus videre est in Luca, et in seruo malo, pigro et nequam, necnon in virginibus stultis in Matthæo. Nos dominum nostrum expectare debemus et sustinere interim omnia, *donec reuertatur* in maiestate sua, et gloria, cum omnibus angelis suis, et cum senioribus populi sui, et principibus suis, qui in primo aduentu venit in humilitate et paupertate. Hinc angeli dixerunt ad electos, (eo ascendente) intuentes in cœlum: Hic Iesus qui modo assumptus est à vobis in cœlum, sic: Nempe, in gloria, veniet ad iudicium, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Ipse homo nobilis est, qui abiit in ascensione sua in regionem longinquam, accipere sibi regnum, quia pater, gloria et honore coronauit eum, et constituit eũ super omnia opera manuũ suarum. Omnia item subiecit sub pedibus eius. Et reuertetur ad iudicium, vt vnicuiq;

Tit. 2. *Prou. 10.* *Rom. 2.* *Luc. 13.* *Apoc. 21.* *Mat. 25.* *Mat. 24.* *Mat. 21.* *Actio. 1.* *Luc. 19.* *Psal. 8.*

Ioan.5. reddat secundum opera & laborem suum. Omne enim
1.Pet.4. iudicium pater filio dedit,& constituit eum iudicem vivorum & mortuorum, *à nuptiis.* Nuptiæ ad quas in cœlū ascendens, Christus abiit, vita beata est. Vbi Christus est sponsus,& anima fidelis, siue ecclesia iustorum sponsa.
Ioan 3. De qua dicitur: Qui habet sponsam, sponsus est. Pro ista
Ephe 5. sponsa Christus seipsum in mortē tradidit, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam sponsam, ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta, immaculata in membris illis, quæ cum ipso sunt in cœlo. In quod nihil inquinatum intrat, sic
Apoc.21. vxor agni parauit se. In istis nuptiis est iugis laus & gratiarum actio, vox exultationis & salutis. Exultant lætitia inenarrabili & glorificata. Ibi saturantur qui hic esurie-
Psal. 35. runt, deo bonis omne desiderium eorum replente: Ibi bibunt amici & inebriantur charissimi, qui hic sitierunt iustitiam, inebriantur ab vbertate domus dei, & torrente voluptatis dei potantur. Ibi gaudent, qui hic in tristitia
Luc.19. fuerunt,& gaudium eorum nemo tollit ab eis: Ibi ridēt, qui hic fleuerunt: ibi consolantur, qui hic in omni pressura fuerunt propter verbum dei & testimonium Iesu Christi. Istæ nuptiæ, per nuptias regis Assueri & reginæ
Hester 2. Hester figuratæ sunt, vt ad longū posset deduci. De qui-
Mac. 10. bus & illud accipi potest: Fecit Demetrius nuptias filiæ suæ sicut rex, in gloria magna. Quis iam vestimentorum magnificentiam, varietatem, pretiositatem, & munditiā eorum qui in nuptiis istis recumbunt, verbis assequi potest? Quis ferculorum apparatum & vinorum numerum explicare potest? Quis conuiuantium & inuitatorū sanctitatem & nobilitatem & honorem referre valet? Quis numerum eorum dicere potest, cùm super arenam maris & stellas cœli multiplicati sunt? Ibi omnes veste nuptiali induti sunt,& purpura bis tincta & bysso candidissima, omnes ibi vestiti sunt duplicibus, & varietate compositi & circumornati vt similitudo templi,& sponsa ornata viro suo. Ibi bibitur aureis poculis & vinum abundans atque præcipuū, pro vt magnificentia regia dignū
Apo. 21. est, ponitur, & sumit vnusquisque quod vult. Sed & aliis atq; aliis vasis cibi inferuntur. In istis nuptiis angelorū
Sap.16. esca nutriūtur,& manducant panem vitæ,& saturantur,
Ioan.6. qui omne desideriū cordis eorū adfert eis: nam omne

dele

delectamentũ in se habet,& omnis saporis suauitatem. Insuper dulcedinẽ suam quã in filios habet ostendit eis, & vniuscuiusq; voluptati deseruit, ideo ad quod quisque vult,ei conuertitur.Ibi est securitas vsq; in æternum.Ibi sedent in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ,& in requie opulenta.Ibi serui Dei cõmedunt,& mali esuriunt.Ibi boni bibunt,& mali siti premuntur, nec guttæ aquæ refrigeriũ accipiunt.Ibi serui Dei lætantur,& mali confunduntur sicut fures & adulteri in opere deprehẽsi. Tunc serui Dei laudãt & glorificant deũ in secula seculorum præ exultatione,& mali clamabũt præ dolore cordis & præ contritione spiritus vlulabunt,& dimittent nomen suum(quo se filios dei electos,euangelicos, & spirituales false vocauerunt)electis dei.Gaudeamus proinde et exultemus et demus gloriam deo,quia iam venerunt nuptię agni,et vxor eius pręparauit se.Beati sumus nos, qui ad nuptias has agni regales, per ipsum sponsum et seruos eius apostolos,vocati sumus.In hoc apparuit charitas dei in nobis. Hinc Paulus ait: Deus qui diues est in misericordia,propter nimiã charitatẽ suã, qua dilexit nos,cum mortui essemus peccatis,conuiuificauit nos in Christo,cuius gratia absq; bonis operibus nostris, saluati sumus.Sed et cõresuscitauit per gratiã, cõsedere fecit per spẽ in cœlestibus in Christo Iesu,vt ostẽderet in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.Ideo similes estote hominibus et seruis bonis expectãtibus dominũ suũ, quando reuertetur à nuptiis cœlestibus,ad quas in cœlũ ascendens abiit,et angelorũ sibi multitudinẽ, nec non sanctos suos quos ascendens in cœlum secum duxit,vel postea ad se accepit,mortis soluto debito, nouus homo copulauit.Duobus modis à nuptiis dominus reuertitur: Vno modo in morte vniuscuiusque hominis:Et hic rarò venit corporaliter aut visibiliter, sed semper hic venit Christus per iustitiæ et æquitatis suæ effectum,vnicuiq; tribuendo propria corporis prout gessit,siue bonum siue malum.In iudicio autẽ generali reuertetur in maiestate vt dictũ est:Et tunc videbit eum omnis oculus,& qui eũ pupugerunt,gratis odio habuerũt, gratis & iniuste persecuti sunt,& morte turpissima condemnauerunt, *vt cũ venerit*,vel ad iudicium particulare in morte,de quo scriptũ est:Age pœnitentiã & priora opera fac. Sin autem,

Esa. 32. Esa. 65. Hier. 2. Ephe 2. Luc. 12. Ephe. 4. 1. Cor. 5. Apoc. 1.

venio tibi cito, ſicut fur in nocte, cũ dixeris pax & ſecuri
tas, & mouebo candelabrũ tuum de loco ſuo, & diuidam
Heb. 10. te, & partem tuam ponã cum infidelibus. Et nõ effugies
manum meam, in quã horrendũ eſt incidere, ſed tunc re
pentinus tibi ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero
habentis. Vel ad iudiciũ generale in viuorũ & mortuo-
rum reſurrectione, quando veniam in nubibus cœli, &c.
Mat. 24. *& pulſauerit* per egritudinis moleſtiã, mortem vicinã eſſe
denuntians. Vel mortis debitum exegerit. Pulſat, cum
nos ad laborẽ inuitat, quatenus ſalutẽ noſtram cum tre-
Phi. 2. more & timore operemur. Cũ admonet vt ſeminemus
in ſpiritu & benedictionibus, vt laboremus in vinea, vt
viriliter agamus, vt legitime certemus, vt ambulemus in
ſapientia, redimendo tempus. Pulſat, dum ad pœnitentiã
nos admonet, vel interius ad cor loquendo, vel per præ-
Apo. 3. dicatoris vocem. Vel per lectionem ſacræ ſcripturę. Hæc
enim voces ſunt dilecti pulſantis ad oſtium cordis. *confe-
ſtim aperiant ei*, & paratos vos inueniat ad mortem & oc-
curſum ſuum & ſuſceptionẽ eius. Sic Paulus diſſolui cu-
Phil. 1. piebat, & eſſe cum Chriſto. Et Dauid: Educ de cuſtodia
Pſal. 141. animam meam ad confitendũ nomini tuo, me expectãt
Luc. 2. iuſti donec retribuas mihi. Et Simeon iuſtus: Nũc dimit
Iob 3. tis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pa
ce. Et Tobias: Nunc ait domine ſecundum voluntatem
tuam fac mecũ, & præcipe in pace recipi ſpiritum meũ.
Expedit enim mihi magis mori quàm viuere. Sic Helias
3. Re. 19. petiit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi do-
Matt 25. mine, tolle animam meam. Sic prudentes virgines & ſer-
Luc 19. ui boni ac fideles, parati erant veniente domino, & con-
feſtim ei aperuerunt, atque cum gaudio eum acceperũt.
At mali aperire iudici nolunt, quia iratum iudicẽ quem
offendiſſe, exacerbaſſe, contẽpſiſſeq; ſe recolunt, videre
formidant, propria eos arguẽte malitia, & auerſione ſua
Hiere. 2. eos increpante. Venient enim tunc ante iuſtum iudicem
Sap. 17. timidi in cogitatione peccatorũ ſuorum, & traducent il-
los ex aduerſo iniquitates ipſorum. Sic fugit impius ne-
Prou. 10. mine perſequente. Non eſt pax oſſibus eorum à facie
Eſa. 28. peccatorum ipſorum. Nam quis deo reſtitit, & pacem
Prou. 14. habuit? Iuſtus autem ſperat in morte ſua. Vnde ſaluator
Luc. 21. ait: His fieri inſipientibus reſpicite ea, & tranſeuntẽ mun
dum, quem deſpexiſtis, & leuate capita veſtra, hoc eſt,
corda ad deum erigite, in ipſo confidite, atque per ſpem
animas

animas vestras exhilarate, quoniam appropinquat redemptio vestra. Exitus de hoc exilio & carcere, in patriam cœlestem, transitus est. Sic iustis, mori, lucrum est: *Philip. 1.*
Quia per mortem transeunt de labore ad requiẽ, de vilitate ad exaltationẽ, de timore ad securitatem, de tribulatione ad plenã pacem, de captiuitate & corruptione, in libertatem gloriæ filiorũ dei, de omni tãdem miseria & calamitate ad gaudiũ æternum. *Beati sunt serui illi*, similiter & ancillæ, nunc in spe & per merita, vsúmq; gratiæ cœlestis, qua sibi thesaurum thesaurizant in cœlo. In futuro autẽ beati erunt in re, *quos cum venerit dominus* Iesus Christus, siue in iudicio particulari, siue vniuersali, *inuenerit vigilantes*, hoc est, in dei obsequio diligentes, bonis actibus intentos, super custodiã suã stantes, nullũ locũ diabolo dantes, ad deũ qui habitat in cœlis, oculos leuatos habẽtes: et ea quæ credunt & deo accepta sciũt, sine defectione operantes. Non dormientes in morte, neq; per pigritiã & teporẽ dormitantes. *Amen dico* ego, *Ioan. 14.*
qui sum veritas, *vobis*, amicis meis: imo omnibus dico, qui per vos in me credituri sunt, *quod* Dominus vester & magister, qui sum ego ipse, *praecinget se*, hoc est, ad retributionem vnicuiq; secundum iustitiam suam, & meritum operum suorum se parabit. Et dabit omnibus men *Luca 6.*
suram bonam, & confertam & coagitatã & supereffluentẽ in sinus suos. Et sicut illi præcincti erant & dispositi in eius seruitio, sic ille præcinget se ad eorũ reddendas coronas iustitiæ et vitæ, cũ in iudiciũ fuerint ante thronũ eius adducti. *Et faciet illos* in regno suo super mẽsam *Matt. 8.*
suã, cũ Abrahã, Isaac et Iacob *discumbere*. i. plene quiescere, saciari omnibus bonis, in mensa æternæ fælicitatis cũ omnibus electis. Nã ingredientes ibi pascua inueniũt in *Ioan. 10.*
aspectu diuinitatis, et egredientes in aspectu suæ humanitatis: et transiens in humanitate sua à iudicij loco ad cœlũ rediens. Vel singulorũ corda iocundissime visitans, et bonis replẽs, atq; in omnibus electis spiritualiter gradiẽs, et eos in se tenẽns, *ministrabit illis*: hoc est, omnia ad eorũ beatitudinẽ pertinentia abundanter, copiosissime, prõptissime, amorosissime atq; lętissime eis ministrabit, et sua electos claritate saciabit, et de claritate in claritatẽ trãsferet. Hæc quippe ministratio, suffragij est, qua vultu dei apparet et interpellat pro nobis, nõ obsequij. Ministratio est charitatis et exauditionis, nõ subiectiõis *Roma. 8.*

siue seruitutis. Quæ est largitio beneficiorũ & distributio multiplicis gratiæ suæ prout vult, & secundũ vniuscu iusq; virtutẽ & necessitatem. Sic pater filiis substantiã suam diuidit, & dona largitur abundanter & amplissima.

Psal.8. Iam tecũ reputa filij dei charitatẽ & humilitatẽ. Olim paulominus ab angelis pater eũ minorauit, & ipse formam serui, quãuis esset omnium dominus, accepit. Atq;

Matt.20. ministrare venit, & non vt ei ministraretur, quod & opere & veritate impleuit triginta tribus annis in hoc mundo nobis seruiendo, instar serui empticij, & nihil à seruo differentiæ in eo erat. At hoc non suffecit ei, qui mitis est & humilis corde, sed vt nos ad suæ humilitatis sectãda vestigia prouocet, etiam in æternũ vult nobis ministrare, vt nos breui tempore ei hic in sanctitate & iustitia seruire, non propter vllũ eius, sed nostrũ, emolumentũ, nõ grauemur & difficiles nos nõ reddamus. *Et si in secunda vigilia venerit.* Quatuor esse militũ in castris existentiũ vigilias, in cõfesso est: Nempe, conticiniũ, intempestũ, gallicantum, antelucanum. Ad eorũ instar hîc saluator loquitur de hominis vita, quã & in quatuor vigilias partitur: In pueritiã, in iuuentutem seu adolescentiã, tertiam virilitatem sine senectã, quarta decrepita est. De prima vigilia non fit hîc mentio, quia tunc apti adhuc homines non sunt vt custodiant vias duras, vt vim sibi faciant, vt seipsos abnegent & crucẽ suam post Christũ portent, vt in omni opere bono fructificent. Vt salutem suam cũ metu & tremore operentur, eadẽ ratio est de quarta vigilia, quia tunc homines cõmuniter viribus sunt destituti, & tempus vitæ quod reliquũ est, labor est

Psalm.89 & dolor. Et pœnitentia sera, raro est vera: ideo & minus accepta. Qui ergo in pueritia male vixit, in iuuentute apprehendat semitas vitæ, & à diaboli laqueis resipiscat.

1.Ioan.2. Quòd si in iuuentute in desideriis carni vixit, in vanitate ambulauit, mundũ & quæ in mundo sunt dilexit, saltem in senectute & virilitate, relicta malitia, ad deum reuertatur. Quod si hoc neglexit, vel in vltimo vitæ, ex toto corde suo conuertatur ad Deum, et miserebitur eius. Vide hîc viscera pietatis diuinæ, misericordiæ eius abyssum, et diuitias bonitatis illius. Non vult mortem pec-

Ezech.18 catorum, sed vt conuertantur et viuant. Ideo expectat, peccata dissimulat, reuocat, flagellat, gratiam offert,

Roma. 2. præmia pollicetur et coronas æternas. Væ illis qui diuitias

tias bonitatis dei, pacientiæ et longanimitatis contemnunt et nolnnt reuerti. Nunquam peccatorem vere pœnitentem despicit, etiam in vltima ætate. Ideo sequitur: *Etsi in tertia vigilia venerit*, quam ætatem tamen pauci attingunt, *& ita inuenit*, hominem vigilantem in fide et voluntatem dei facientem, præcinctũ lumbos, et lucernas ardentes tenentem in manibus, atq; paratum. *beati sunt serui illi*, quia super omnia bona sua cõstituet illos. Nunc postquã posuit et docuit quòd sollicite debemus expectare iudiciũ, substituit etiam digne expectantium præmium, hic addit dictæ admonitionis exemplũ, cuius iste est scopus et summa: Si quis pro temporali bono est sollicitus, multo magis hoc facere debet pro spiritali et æterno. Dicit ergo: *Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias*, bonus et ratione vtens, *qua hora fur veniret*, bona sua quæ multo labore congessit, ablaturus, *vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam*, à fure. Hoc dupliciter exponitur: Vno modo fur diabolus intelligitur, domus, mens nostra: quam si diabolus per ianitoris, id est, rationis negligentiam et dormitationem intrauerit, et per consensum mentis in peccatum traxerit, spoliat eam vestimentis iustitiæ, decore et ornatu virtutum, aufert aurum sapientiæ et charitatis, argentum innocentiæ et omnes thesauros reconditos gratiæ et meritorũ. Hinc Apostolus ait: Nolite locũ dare diabolo, quin potius fortiter ei resistite in fide. Quia vt Iacobus ait: Si ei resistitis, fugit à vobis, et debilior musca est. Si autem locum ei datis, fortis est vt leo, et vsq; instar lupi, rapit, mactat et perdit, et grassationis eius nec modus est, nec finis. Et ingressus domum conscientiæ habitat ibi, et quo ad possibile illi est, non finit hominem cogitare quæ dei et salutis sunt, nec loqui nec operari opera Dei, et propriam salutem, nec se digne præparare in occursum Dei. Per furem etiam intelligi potest mors improuisa, iuxta illud: Si non vigilaueris, veniam ad te tanquã fur in nocte. Et domus est corpus nostrũ. Nesciente ergo patrefamilias, fur domum perforat, quia dum à sui custodia spiritus dormit, mors improuisa corporis habitaculum dirumpit, et ad supplicia trahit. Vel non fineret perfodi, et violenter trahi ad tribunal Christi, sed lętanter occurreret suo saluatori et sponso. Et bene monet vigilandum, quia nihil morte certius, et nihil loco et hora mortis incertius.

[Margin: 1 Pet. 5. | Ioan. 10. | Apoc. 3. | 1. Thes. 5. | Eccles 9.]

certius. Quia nescit homo finem suũ, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprahenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cũ eis extemplo superuenerit. Ideo Platone teste, summa Philosophia, est meditatio mortis assidua. Et Seneca teste, Cùm diem mortis nesciamus, & locũ, & horam, ideo quælibet nostræ vitæ dies, tanquã vltima sit, est ordinanda & expen-
Matt. 25. denda. Ergo *Et vos estote parati*, semper digne deo & euãgelio Christi conuersando. Semper veste nuptiali charitatis induti: semper estote lumbos præcincti & ardentes
2. Cor. 1. lampades habentes in manibus, sicut virgines prudentes. Semper in simplicitate cordis & synceritate dei, & in gratia conuersamini in hoc mundo, sine macula & ruga, *quia qua hora non putatis nec cogitatis, filius hominis veniet*, tanquã sponsus charissimus, tanquã pater pius, tanquã iudex iustus. Tanquã sponsus, vt sponsam paratam in regnum suum cœleste introducat. Vt pater pius, vt filios excipiat, & hæreditatem bonáq; cœlestia illis diuidat & cõmunicet. Vt iustus, durus & inexorabilis iudex, vt malos perdat, maledicat, arguat & ad ignem æternũ adiudicet. Sic vltimam horam semper dominus voluit nos ignorare, vt dum nescitur, semper ad eam nos præparemus & parati simus.

DE SANCTA CATHERINA, AGNETE, AGATA, CAETERÍSQ; VIRGINIBUS, SERMO.

Matt. 25. SIMILE *est regnum cœlorum decem virginibus*. Quòd angusta porta & arcta via sit,
Mat. 7. quæ ducit ad vitã, & quòd pauci eã inue-
Luca 13. niant, & pauciores in ea sine omni offendiculo ambulent: Item quòd paucissimi in ea vsq; in finẽ in bonitate permaneant, abunde satis euan-
1. Cor. 7. geliũ, quod exequtere gestimus, ob oculos ponit. Reuera si ea quæ virgo sancta est, corpore et spiritu, et sponso nescitur, vbi tunc parebunt, quę desperantes semetipsas
Ephes. 4. tradunt immundicię, in operationẽ omnis immunditię, in insaciabilitate, et in stercore luxurię iumẽtorũ instar cõputrescunt? Et si foris manebunt qui lucernas bonorũ operũ portant in manibus, quibus lucent corã hominibus, vbi tunc manebunt, qui in vacuum gratiam Dei accipiunt,

accipiunt, tempus non redimunt, ſtant otioſi in foro, & ſalutem ſuam cum metu & tremore non operantur? Vel talentum ſuum abſcondunt in terra, vel in ſudario ſeruāt repoſitum ſine lucro ſalutis & ſuæ & aliorum? Hinc liquido conſtat, quòd alia hominum, alia ſunt iudicia dei. Homines ſecundum faciem iudicant, & ea quæ patēt foris, *Ioan.7.*
Deus corda ſcrutatur & renes, & iudicat ſecundum veritatem. *1.Re.16.* Ideo quod altum eſt hominibus, crebro abominatio eſt ante deum. *Luca 16.* Et quod apparet bonum & ſpeciē præ ſe fert pietatis, malum eſt ante deum, & plectitur incendio gehennæ ignis. Hinc Iob quantūlibet ſimplex & iuſtus timens deum & recedēs à malo diuina atteſtatione *Ioan.1. & 9.* fuiſſet, nihilominus omnia opera ſua verebatur, eò quòd ignorabat an placerent vel diſplicerent deo, iuxta illud: Neſcit homo, an amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in *Eccl.9.* futurum ſeruātur incerta. Sic & vas electionis, quamuis *Act 23.* in omni conſcientia bona conuerſatus fuerit ante deum *Act.24.* & homines ſemper, nihilque ſibi conſcius fuit: nihilominùs in hoc ſeipſum iuſtificare non audebat, ſed domino *1.Cor.4.* relinquebat, cui pater omne iudicium dedit. Hinc vir ſecundum cor dei, qui fecit omnes volūtates eius ſeipſum *Ioan.5.* ſuo pede & modulo metiēs, domino dicit: Non intres in *Act. 13.* iudicium cum ſeruo tuo. Quia ſi nos ſecundū legem iuſtitiæ tuæ, ſine conſolatione tuæ pietatis & miſericordię *Pſal.142* iudicare volueris (cum in multis offendamus omnes, & etiam iuſtus ſepties cadit in die) tunc non iuſtificaretur *Iac.3.* in conſpectu tuo omnis viuens, & non fieret ſalua omnis *Prou.24* caro. Verum cum nolit mortem peccatoris, ſed magis vt *Matt.26.* conuertatur & viuat, ideo hoc vnicum conſiliū nobis re- *Sap.12.* liquum eſt, vt in tēpore iſto acceptabili, & in dieb. iſtis ſalutis, relicta malitia ad dn̄m cōuertamur in toto corde noſtro. Et dubio procul recipiet nos, ſicut filiū prodigū, *Luca 15.* aut Zachæū, aut latrouē dextrū, & omnium iniquitatū *Luca 19.* noſtrarū amplius non recordabitur. Nā benignus eſt & miſericors, patiens et multæ miſericordiæ, et præſtabilis ſuper malitia. Adeamus proinde ad thronū gratię eius cū *Heb.4.* fiducia interim quod dies eſt, antequā nox venit, in quam nemo poteſt ſalutem ſuā operari. Antequā ianua miſericordiæ, veniæ et gloriæ claudatur, et tunc peccatorū remiſſionē, cum gratia ad bene operandū adiutricē, et auxilium cōmodum opportunúmq; (dum tēpus eſt miſerendi et bene operandi) conſequemur. Hoc ſtultæ virgines

neglexerunt

Luca.12. neglexerunt, & edones illi & bibones cum diuite epu-
& 16. lone, ideo frustra post vitæ tempus emensum, inuocaue-
Rom.10. runt nomen domini, non exaudiendi in æternum. Imo
Prou.2. magis irridendi in suo interitu & subsannandi, cùm eis
id quod timuerunt, vel credere noluerunt aduenerit. Er-
go dum tempus habemus acceptabile & dies salutis, o-
Gal.6. peremur bonum ad omnes. Ne præoccupati hora mortis
tunc misericordiam cum stultis virginibus postulemus,
quando inuenire non possumus. Qui aures audiendi ha-
Psal.44. bet, audiat, Sed euangelium discutiamus. Dicit ergo spō-
1.Pet.1. sus virginum, decorus præ filiis hominum, cuius facies
Ephes.4. adeo est plena gratiarum, quod etiam angeli in eam a-
spicere desiderāt, cuius sermo item in gratia est sale con
ditus, adeò quòd gratiam & ædificationem fidei humili-
ter cum audientibus præbet. *Simile est regnum cælorum,*
hoc est, huius temporis ecclesiæ dei status, *decem virgini-
bus*, corpore. Taceo cur ecclesia dicatur regnum cœlorū,
quando in aliis sermonibus, longa verborum serie de hoc
differuerim. Nihilominus id obiter notandum, secundum
Albertum magnum, studium pulchritudinis & decoris
spiritualis, quod viuentes secundum leges dei ad cœlum
ducit, homini proponitur æmulandum, & toto corde am
plectendum, hic per regnum cœlorum accipi debet. Nā
si virgines huius seculi omnem diligentiam adhibent vt
corpus ornent, & omnium oculis sint gratiosę suo orna-
tu & pulchritudine, multo magis sponsa Christi, anima
fidelis laborare debet, vt animam suam adornet gratia,
induat virtutibus, & decoret auro charitatis & argento
Iudit 10. sapientiæ salutaris. Et cum hæc compositio non ex libi-
dine, sed ex virtute procedit, ideo dominus hanc am-
pliat, quatenus incomparabili decore omnium oculis ap
Apoc.19. pareat. Vult ergo rex regum & dominus dominorum, vt
Eccl.44. puellæ virgines ac speciosę sibi adducantur, quia earum
Sap.5. decorem dominus concupiscit. Istę studium pulchritudi
nis habentes pacificant in domibus suis. Istę accipiēt de
manu domini regnū decoris, & diadema speciei. Istę vir-
gines specie sua interna & pulchritudine sua in honesta
conuersatione externa deum & homines lætificant. Sed
& illis intendunt, in his prospere procedunt & regnant.
In istis proficiunt sapientia & ætate & gratia apud deum
& homines semper. De istis Apostolus dicit: Despondi
vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Et alibi:
Adducentur

Adducētur regi virgines post eam:Nempe,Mariā. Quā *Sap. 3.*
felix quæ nesciuit thorū in delicto.Isti sunt eunuchi qui *Mat. 19.*
se castrauerunt propter regnum cælorū. *Decem dicuntur,*
quia decem præcepta dei seruauerunt & opere impleuerunt. Vel decem dicuntur propter custodiam decem sensuum, quinque exteriorum & quinque internorum. Qui custodiei in sua puritate,virginitatem illibatam custodiūt.Neglecti & suis desideriis laxati, animas polluūt atque corrumpunt. Sensus exteriores sunt,tactus, gustus odoratus,auditus, visus. Tactus delectatio est concubitus, vel Sodomia.Hęc enim non solum mentem pol *1. Cor. 3.*
luunt,sed & corpus violant atque irrecuperabilem virginitatis coronam(si opere consummata fuerint)perdunt.
Sic Rebecca laudatur, quod fuit puella decora nimis & *Gen. 24.*
virgo incredibilis pulchritudinis,& incognita viro, flores contrectatæ manibus,amittūt decorē et flaccescunt. Sic virginum regina et mater agni effertur,quod sine tactu pudoris inuenta est mater saluatoris.Et iterū:Beata mater et intacta virgo.Est et gustus nonnullis corruptionis occasio.Propter quod tuba euāgelij ait :Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Otium et saturitas panis et vi *Ephes. 5.*
ni,iniquitas Sodomæ fuit.Dauid et Salomon vasa ele- *Ioel. 1.*
ctionis,dum otium sectabantur et omni voluptate frue- *Gen. 19.*
bantur in profundas luxuriæ foueas corruerunt, et ma- *2. Reg. 11*
culas in gloriam suam posuerunt. Et licet ille de limo profundi in quo infixus erat exierit,hic tamen in stercore isto cōputruit.Taceo iustum Noe et rectū Loth,quo *Gen. 9.*
rum ille vino inebriatus, nudus iacuit, et iste vino bene potus, quamuis nesciens incestum cōmisit. Quia venter mero æstuans,facile spumat in libidinem.Ideo princeps cocorum templum domini(quod est virgo secundum Apostolum)succēdit vt dicitur.Taceo olfactoria luxuriosorum,et alia aromata,cum stibiis quib. vestimenta et cutem perungunt:Vnde Ez.salacibus virginibus et mulieribus dicit. Circūlinisti oculos tuos stibio:Et Hiere.Ve- *Ezec. 23.*
stisti te coccino, et ornasti te monili aureo,et pinxisti *Hier. 4.*
stibio oculos tuos.Sed frustra Iezabel oculos suos stibio *4. Reg. 9.*
pingebat.Istis technis et fucis meretrices stultis impo- *Prou. 7.*
nere solent, Et quis ignorat, quòd corrumpunt mo- *1. Cor. 15.*
res bonos, colloquia praua? Contrà quæ aures sepien- *Eccl. 28.*
dæ sunt spinis. Oculi etiam animas deprædantur, nisi *Thren. 3.*
auersi fuerint ne videant vanitatem.Sic vxorem Phuti- *Gen. 39.*

phari

Thren. 3. phari in concupiſcentiam Ioſeph, aſpectus inflammauit.
Gen. 39. Vt interim Dauid taceam, quem viſus decepit. Et filius Emor ex hoc in amorem Dinę exarſit. Taceo procaces ſenes, pudicę Suſannæ accuſatores, Taceo filios dei, qui videntes filias hominum quod eſſent pulchrę, acceperunt eas ſibi vxores. Et tunc multa malitia cępit eſſe in terra, & omnis caro corrupit viam ſuam. Sapienter ergo
Iob 31. Iob cum oculis ſuis fœdus pepigit, vt non cogitaret qui
Mat. 5. dem de virgine. Quia qui videt mulierem ad concupiſcē
Ephe. 4. dum eam: iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Interiores ſenſus ſunt, turpis imaginatio turpium prҫteritorum. Senſualis motus turpium. Cogitatio turpis, & turpis concupiſcentia. Iſta breuitatis gratia nolo proſequi,
1. Pet. 5. quia ad alia propero. In omnibus iſtis periclitatur puritas mētis, ſed in tactu impudico amittitur virginitas corporis Ideo oportet virginem ſemper ſuper ſuam cuſtodiam ſtare, nullum locum diabolo dare, ſed ei fortiter in fide reſiſtere, & tunc fugit confuſus. *Quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ.* In his verbis quatuor tangit, imprimis virginibus neceſſaria, vt earum puritas accepta ſit omnipotenti deo: Nempe, voluntariū virginitatis propoſitum: Pulchritudinis ſtudium. Ab illecebris carnis receſſus, & ad receptionem ſpōſi proceſſus. Voluntarium integritatis propoſitum notatur cum di-
2. Cor. 9. citur, *Quæ accipientes*, propenſa voluntate, ſicut deſtinauerunt in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate. Hi-
Rom. 12. larem enim datorem diligit deus. Sic voluntarie ſeipſas virgines Deo offerre in hoſtias viuentes debent, per ra-
Luca 2. tionabile obſequſum in dei operibus. Quod abſoluitur, deo ſeruiendo in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus
1. Cor. 7. ſuis. Hinc apoſtolus ait: De virginibus præceptum domini non habeo, conſilium autem do, taquam miſericordiā conſecutus à deo, vt ſim fidelis. Et iterum: Nō peccat virgo, ſi nubit. Beatior tamen erit, ſi ſic permanſerit. Nem-
Mat. 19. pe virgo, ſecundum conſilium meum. Verum. non omnes capiunt verbum illud: Qui poteſt capere, hoc eſt, Chryſoſto. teſte, qui vult capere, capiat. Quia bonum eſt
Mat. 19. homini ſic eſſe: Hinc alio in loco ſeruator ait: Qui vult
& 16. venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucē ſuam
Rom. 8. quotidie, & ſequatur me. Hinc eſt quod Simon non lau-
Luca 23. datur de crucis baiulatione, quia inuitus eam portauit: Pulchritudinis ſtudium & honeſtatis notatur, cum di-
citur,

citur *acceperunt lampades suas.* Lampades opera bona sunt quæ secundum continentiam vel conscientiam fiunt. Vasa autem corda & conscientiæ sunt, in quibus ferimus quæcunque facimus. Oleum vero, ipsa charitas finis præcepti, instauratio, plenitudo & scopus legis est: Quæ est dilectio de corde puro, conscientia bona & fide non ficta. Lampades igitur opera bona sunt, conuersatio deo & euangelio digna. Quia lux eorum lucet coram hominibus & videntes eorum opera bona, patrem qui in cœlis est glorificant. Qua seipsos exemplum præbent & formam quam imitentur omnium bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Et vt ad Tim. dicit: In verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Et omnibus adest iuste, sancte & sine reprehensione, ac pie iuste ac sancte viuit in hoc seculo. Hoc est lumbos præcingere, & lucernas ardentes in manibus tenere. Præcingere lumbos per continentiam, & lucernas bonorum operum portare. Hoc facit qui declinat à malo & facit bonū. Qui fructificat in omni opere bono. Qui nemini dat vllam offensionem, & abstinet ob omni specie mala, & omnibus placet in bonum ad ædificationem corporis Christi in fide & moribus bonis. Suas ait, quæ innatæ sunt nobis innocentiæ & inculpatæ vitæ desideria & seminaria. At deridetur iusti simplicitas à filiis Belial, lampas contempta est apud cogitationes diuitum qui deum non timent nec homines reuerentur. Quia ipsi vanos iudicant eos qui seruiunt domino, custodiunt eius præcepta, faciunt bonitatem, & immaculatos se custodiunt ab hoc seculo. Lucerna splendens super candelabrū sanctū, species mulieris timētis deū. Nō extinguitur in nocte aduersitatis, mœroris & tētationis, lucerna eius. Quia pulchra vt luna est, & electa vt sol, quæ sunt lampades & luminaria magna mūdi. Istæ lampades bonorū operū sunt & lucent in templo sancto domini quod sumus nos. A delectatione carnis & cura ei⁹ recessus notatur cū dicitur: *exierunt*, semetipsos, sua & suos delinquēdo & abnegādo. Hinc dominus ad amicū suum & patrem fidei nostræ Abraham, dixit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris, & veni in terram quam monstrauero tibi, faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Hæc vtique non solum propter illum sed et propter

1. Tim. 1. Rom 13. Gal. 5. Mat. 22. 1. Tim. 4. 1. Thes. 2. Luca 12. Iob 12. Prou. 13. Dan. 6.

nos scripta sunt & propter doctrinam nostram Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.
Heb 13. mus.Hanc spem videlicet,quod si opera Abrahæ facimus
Gal.5. hic digesta,& exierimus ad Christum extra castra, im-
Luca 14. properia eius portantes & carnem nostram cum vitiis & concupiscentiis crucifixerimus, & perfecto odio odinerimus patrem nostrum & matrem,& vxores & filios & fratres & sorores, & quod ante omnia necessarium est, etiam animas nostras, tunc etiam cum fideli Abraham omni benedictione cœlesti, benedicet nos Deus. Hinc
Zach.2. Zacharias ait:O,o,o,fugite de terra Aquilonis.Et alius, Exite ab ea,populus meus.Et iterum:Exite ex hoc mundo,& nolite diligere mũdum, nec ea quæ in mundo sunt, pollutum nolite tangere. Et exeuntes etiam puluerem pedum vestrorum excutite. Sed ad quid exibimus & re-
Gal 6. linquemus omnia?Ad seminandum in spiritu semen iu-
Psal 103 stitiæ.Ad opus nostrum & salutem nostram operandam
Matt.25. vsque ad vesperam.Ad talentum nostrum ponendum ad vsuram, & negotiandum donec dominus reuertatur à nuptiis. Ad certandum legitime pro corona iustitiæ, & brabeo vitæ æternæ.Ad Christum quocũque ierit, imi-
Apo. 14. tandum, & sanctos eius. Vt eorum exitum intuendo,
Hebr.6. conuersationis fidem eorum imitemur. Ille exit, qui in
& 13. nullo se huic mundo conformat: cui mundus crucifixus est,& ipse mundo.Qui omne quod mundus diligit,odit: Quod mundus lucrum,ille æstimat detrimẽtum. Quod mundus pulchrum,ille despicit sicut lutum. Quod mundus honorat, iste stultitiam censet & scandalũ reputat. Cui omne amarũ et abominatio est,quod mundus dulce iudicat,quærit et carnem oblectat. Processus de virtute in virtutem,notatur cum additur, *obuiam sponso &*
Ioan.3. *sponsæ.* Omnium calculis Christus sponsus est, eo quòd
Psalm.18 sicut sponsus de thalamo vteri virginalis in plenitudine temporis processit. Sponsa eius,ecclesia sanctorum est;
Philip. 2. Hanc amauit et exquisiuit eam sibi in sponsam accipere, et amator factus est formæ illius:Hæc est vxor agni. Nã exire obuiam sponso et sponsę,secundum glosam interlinealem,est voluntati sponsi et sponsę concordare: Est hoc in se sentire quod est in Christo Iesu:Nempe,amare quę ipse amauit, facere quę fecit et docuit. Hinc A-
Amos 4. mos ait:Pręparare in occursum dei tui. Vt cũ à nuptiis
Luca 12. redierit,paratum te inueniat et vigilantem. Ideo totum

tempus

tempus vitæ vniuſcuiuſq;,nihil aliud eſt, quàm adornatio animæ,& præparatio ad aduentum ſponſi.Vt cum venerit, ſine macula & ruga vnũquemq; inueniat byſſo & purpura indutum,& deo paratũ,ſicut ſponſam viro ſuo. *Apoc.21.* *Matt.13.*

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Semper zizania ſunt inter triticum,paleæ inter frumentum,Iudas inter Apoſtolos. Et quod magis eſt,cum filij dei conueniunt, adeſt inter eos & Satan. Sagena fidei, bonos & malos piſces vnà trahit. In cœlo qui habitant, omnes ſunt boni. Inferni accolæ, omnes ſunt mali. In mundo mali ſunt cum bonis permixti. Ideo hic quinq; fatuæ,& quinq; referuntur prudentes. Fatuæ virgines ſunt,non quæ poſt carnis concupiſcentiã in immunditia ambulant,aut ſe impudicitiæ tradunt in operationẽ omnis immunditiæ in inſatiabilitate. Quia eiuſmodi non ſunt dignæ vt virginitatis nomine cenſeantur, ſed magis ſalaces vocantur meretrices. Sed fatuæ dicuntur & ſunt,quia merces ſuas in ſaccũ pertuſum mittunt,inuanũ laborant,oleum & operam perdunt:Caſtigant quidẽ corpus ſuum,in ieiuniis multis,in vigiliis multis,inſtant lectioni,ſeruant ſilentiũ,diligentes ſunt in laudibus dei, habitũ ſanctitatis deferunt, & id genus omnia inſtituta bona ſeruant:Sed ſtultæ ſunt,quia vnũ eis deeſt:Nempe charitas,legis finis & plenitudo.Quã qui nõ habet,nihil eſt,nihil habet,nihil ei opera ſua proſunt,etiã ſi omnes facultates ſuas in manus pauperũ diſtribueret,aut corpus ſuũ cruciatibus diris traderet,ita quod arderet. Vnde conſequens eſt,quòd ſicut deũ diligẽtibus,omnia cooperantur in bonũ,ſic expertibus charitatis, nihil prodeſt ad ſalutem pietatis ſpecies,qua aliquid vel maxime coram deo eſſe videntur.Hinc Ioannes apoſtolus in ſecunda epiſtola omnes admonet,dicens:Videte voſmetipſos,ne perdatis quæ operati eſtis. Quia qui totã legẽ ſeruauerit,& in vno charitatis præcepto offenderit, factus eſt omnium reus.Et qui in iſto vno peccat, multa, imo omnia bona ſua perdit. Væ ergo eis quę zelũ amarum habent, & qui contentiones habent in cordibus ſuis. Qui pleni ſunt inuidia, malignitate,odio & ęmulatione. Iſti telas aranearum texunt, paſcunt ventos, ſequuntur aues volantes, in aëre piſcantur, ſeminant inter ſpinas, hauriunt aquam cribro, fruſtra laborant, vt Iob ix. ait. Et vt Eſaias xl. ait: Inuacuum laborant,

Iob 1. *Matt.13.* *1. Pet.4.* *Epheſ. 4.* *Agg.1.* *Eſa.40.* *Matt.19.* *1. Tim.1.* *Galat. 5.* *1.Cor.13.* *Iac.2.* *Ecclef. 9.* *Iacob.3.* *Eſa.59.* *Prou. 10.*

sine causa, & vanè consumunt fortitudinem suam: Possunt nihilominus stultæ virgines censeri, quæ & si non fornicentur in corpore, tamen in anima fornicantur per illicita desideria, eo quòd sensus suos externos & internos non custodiunt in puritate. Quotiens anima malis concupiscentiis consentit, totiens cum diabolo adulterium committit & fornicatur à deo. Hinc Oseæ, Fornicabitur terra à domino. Et iterum fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. Et clarius in Numeris illud est expressum, vbi dominus dixit ad Mosen:

Num. 15. Dic filiis Israël, vt faciant sibi fimbrias, per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum domini, ne sequantur cogitationes suas & oculos, per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum dei faciant ea, sintque sancti deo suo. Quia non solum corpore fornicatur à deo, sed etiā corde, iuxta illud:

Eze. 6. Contriui cor eorum fornicans, & recedens à me, & oculos eorum fornicantes post vanitates suas. (Psal. 105) Sic alij culpantur, quòd fornicati sunt in adinuentionibus suis. (1. Cor. 5. & 6.) Isti sunt fornicarij huius mundi, qui regnum dei non possidebunt. (Apo. 2.) At multi sunt modo, qui nolunt pœnitere à sua fornicatione. Hæc est vinū fornicationis meretricis magnæ, hæreticæ prauitatis, cum qua fornicantur omnes gentes, quæ non timent deum. Sed & virgines in monasteriis, cruces quatuor portant in capite, quatenus si eos carnis illecebra titillauerit, recordentur quòd sponsus suus maiora passus est, & fortiter diabolo resistant: nec vllum ei locum dent, neque in corde neque in corpore

Heb. 12. suo. Magis vero sufferant tentationes, quoniam cum

1. Pet. 5. probatæ fuerint & legitimè certauerint, accipient coronam vitæ, quam deus se diligentibus præparauit: & illis qui permanent in bonitate vsque in finem, largitur.

SERMO SECVNDVS DE EADEM LECTIONE.

AEMVLAMINI *charismata meliora.* Hoc est, Theophilacto interprete, magis vtilia, & viciniora saluti. Hoc faciunt virgines prudentes, quæ agnum quocumque ierit, sequuntur, per viam excellentiorem omnimodæ puritatis mentis & corporis. De quibus dicitur, *Et quinque prudentes.* Prudētia est humanorū actuū cum

recta ratione, moderatio. Et ille prudens est, qui in finē (qui deus est & vita æterna) omnia quæ facit, ordinat. Et omnia quæ ad finem illum consequendum, vel vtilia vel necessaria sunt, cogitat, acquirit & operatur. Quæ autem ei in via dei impedimento esse possent: fugit, abhorret & cauet, perinde ac gladium ancipitem, poculum mortis, morsum serpentis, & ipsam mortē. In omnibus quæ auspicatur, initium, medium & finem secum diligentissime reputat, si talis actus sit à deo præceptus aut consultus. Medium, si possit cum dei gratia & adiutorio, postquam fundamentum posuit (quod Christus est) opus illud cōsummare, An ei impensæ sufficientes sint. Ne postquam fundamentum posuit & perficere non possit, quia noluit, subsannatio & irrisio fit omnibus qui in circuitu eius sunt. Postquam manum ad aratrum posuit, & retro aspexit vel abiit post Satanam, habens suam damnationem eo quod primam fidem irritam fecit. In corde prudentū virginum, sapientia vera quæ à patre luminum descēdit, & affluenter eam petentibus datur, requiescit Prudentia ista sanctorum, custodit rectorum salutē, & protegit gradientes simpliciter, seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodit, cumulando charismata meliora. Virgines istæ quinque sunt, propter quinque quæ eas ad virginitatis desiderium & perpetuam cōseruationem excitant & inducūt. Meditantur etenim diuinā incorruptionem, & hanc suæ integritatis ponūt causam. Deinde angelicæ synceritatis statuunt seruare imaginē. Deinde plenitudinis virginalis Christi cupiunt decorē. Sed & exemplo virginis matris agni, ab omni inquinamēto carnis & spiritus, liberam seruare cupiunt sanctitatem. Ad hoc etiā, virginum sanctarū, incoinquinati certaminis, quod habēt vel habuerunt cōtra carnales illecebras, certamē euincere laborāt & coronā promereri. Isti sunt quinque lapides limpidissimi, de torrente voluptatis diuinæ, aquę viuæ & sapientiæ salientis in vitam æternā, quibus electos potat, electi. Istis, ora omniū de virginitate loquentium iniqua obstruere, & frontes eorū inuerecūdas conterere possunt & debent, illi qui in virginitate, agnum quocunque ierit, sequitur. Et adeo sunt duri lapides isti electi, adeo sunt pretiosi, adeo omnia vincente veritatę fulti, quòd nec diabolus, nec vllus filiorum Belial, nec vllus denique hæreticus quantumlibet excæcatus ma-

Rom. 11.
1. Cor. 3.
Luc. 14.
Luc. 9.
1. Tim. 5.
1. Cor. 12
Apo. 17.

litia, aut datus in reprobum sensum, frangere, calumniare, & abiicere possit eos, vel cótra ictus eorum stare, etiã
3. Reg. 17 si spurius Goliad ipse fuerit. O ter quatérque beata virginitas, quæ pro suo fundaméto deum habet. Quæ vranicos ciues imitatur in bono. Quæ sequitur agnũ Dei in via immaculata. Quæ virginum reginam habet pro cõ-
Rom. 16. uersationis suæ forma & speculo. Quæ conuersationis
Col. 2. fidem virginum, quæ Satanam sub pedibus conculcaue-
Ephe. 6. runt, intuetur, palã ipsum triũphat in semetipso, in domino & in potentia virtutis illius cõfortata. Sic æmulatur charismata meliora. *Virgines* suæ sanctitatis, puritatis & integritatis causam & fundamentũ habent deum. Quia Aurelio teste, virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Ad hanc Apostolus ad-
Ephe. 5. hortans ait: Imitatores dei estote, sicut filij charissimi. Deus autem lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ. Deus charitas est, veritas est, bonus est, & solus bonus. Sic virgines in lumine ambulare, lucere, alios suis exemplis illuminare contendunt. Student & fructus lucis in se exprimere, in omni bonitate, in omni iustitia, & in omni ve-
Matt. 5. ritate. Et sic fiunt boni, iusti & veraces. Ad has deitatis
Luca 6. perfectiones æmulandas, Christus adhortãs ait: Perfecti
Ephe. 4. estote, sicut & pater vester cœlestis, perfectus est. Estote & misericordes & benigni sicut & pater vester cœlestis benignus & misericors est, & donat vobis omnia peccata
1. Pet. 1. vestra. Deus itẽ sanctus est, & in hac virgines eũ quantũ possibile est humanæ fragilitati, imitantur. Nam puritas coniugalis bona est, viduarum melior, sed virginũ deo si-
Leuit. 19. milima est. Vnde deus dixit: Sancti estote, sicut & ego
1. Pet. 1. sanctus sum. Hinc vertex apostolorũ ad dei sanctitatem imitandam adhortans, ait: Estote succincti lumbos mentis vestræ, sobrij & perfecti, sperate in eam quæ offertur vobis gratiam. Non configurati ignorantiæ tenebris & desideriis (hoc est, carnalium hominum voluptatibus, quibus submerguntur propter cæcitatem cordis ipsorum) sed secundum eum qui vocauit vos sanctum, vt & vos in omni conuersatione sancti sitis, quoniam scriptum est. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Et alibi: Templum dei sanctum est, quod estis vos. Et iterum: Membra vestra templum sunt spiritussancti qui in vobis est, quem habetis à deo. Et iterum: Vos estis templum dei viui, sicut dicit dominus: Quoniã inhabitabo in illis,

illis,& inambulabo inter eos,& ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus. Spiritus sanctus autem, non solum nō intrat in maleuolam animam,nec habitat in corpore subdito peccatis,sed etiam disciplinæ fictum fugit (quia est spiritus veritatis) & separat se etiā à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Deus odit peccata & peccatores,& peccata diuidunt inter nos & deum nostrum. Hæc diuus Apostolus Petrus secum reputans ait: Cum perfecti esse debeamus,sicut & deus perfectus est,vt nos docuit virtus & sapientia patris Christus, quales ergo nos esse oportet in sanctis conuersationibus & pietatibus & fructibus,siue operibus lucis? Sumus quidem omnes ad imaginem dei facti & similitudinem. Vt imago ad naturalia,& similitudo ad gratuita referatur. Verū,quis iam est similis tui,ait Dauid. Quis in nubibus æquabitur domino,similis erit deo in filiis dei? Quis est hic,& laudabimus eum? Verùm in potentia patri, vel in sapientia filio, nemo similis esse potest. Et Lucifer dum potentiā, & Adam dum sapientiam ambierunt, honorem in quo conditi erant, non intellexerunt. Et ille est proiectus à facie oculorum dei sicut fulgur,& hic iumentis insipientibus comparatus & similis illis est factus. In charitate ergo spiritussancti,similes esse deo & possumus & debemus,eius charitatem,bonitatem,pietatem,sanctitatem, benignitatem,misericordiam,puritatem, innocentiam, iustitiam,& id genus alia eius attributa,sectando,amando & operando. Ad hanc perfectionem docendam & faciendam,vtilis est omnis scriptura. Sic ait Ioannes: Qui seruat verbum eius,vere in hoc charitas dei perfecta est. Et hoc deus præcipit, dicens: Perfectus eris & absque macula cum deo tuo. Et Iosue dixit: Timete dominum & seruite ei perfecto corde atque verissimo. Hoc modo Dauid perfectus erat coram deo. Sic Ezechias ambulauit coram deo in veritate & in corde perfecto,& quod bonum est in oculis dei,fecit. Sic Noë vir iustus fuisse perhibetur atque perfectus,et ambulauit cum deo. Et ad Abraham deus dixit, Ambula coram me et esto perfectus. Et Ioannes missus est ante Christum, vt domino pararet plebem perfectam. Et Apostolus in omni sapientia homines docuit, vt exhiberet omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Et alibi: Gaudete,perfecti estote,exhortamini, idem sapite. Pacem habete,

2. Cor. 6. Exod. 25 Leui. 26. Iudit. 5. Psal. 5. Sap. 14. Matt. 5. 1. Cor. 1. 2. Pet. 3. Genes. 1. Psal. 34. Eccl. 31. Esa. 14. 2. Tim. 3. 1. Ioan. 2. Ios. 24. 2. Reg 2. Gen. 6. 2. Cor. 1.

& deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Hoc faciunt virgines. Ergo felix est sterilis & incoinquinata, quæ
1. Cor. 4. nescit thorum in delicto. O quàm pulchra est casta ge-
& 11. neratio ista, cum charitate dei. Quia incorruptio facit proximum deo. Ad hanc perfectionem Apostolus adhortans omnes, ait: Imitatores mei estote, sicut & sum
Rom. 12. imitator Christi. Hoc est firmum fundamentum dei stans, habens hoc signaculum, quod discedit ab iniquitate, non conformat se huic seculo, sed potius ingreditur sine macula, innocens manibus & mundo corde, atq; operatur iustitiam omnis qui inuocat nomen domini.
Psal. 23. In his oportet virgines deum imitari. Hoc modo æmulantur charismata meliora, & beatæ sunt in facto suo.
2. Tim. 2. *Angelicæ etiam synceritatis* imaginem eas sequi oportet. Nam virgines in terra conuersationem habent in cœlis, vranicis spiritibus, ciuibus sanctorum, & domesticis dei similem, dum non nubunt neque nubuntur, sed sunt sicut angeli dei in cœlo. Angeli sunt, quia in scala charitatis (quæ in terris stans cœlos attingit. Imò cœlos intrat, cui dominus est innixus) iugiter per deuotionem ascendunt in deum, & per compassionem, consolationem & subuentionem, descendunt ad proximum. Et obiter nota hîc, quòd licet angelorum virginitas purior modo sit, quia sine omni macula & ruga, quod non est virginitas humana. Nam si dixerimus, quòd peccatum veniale non habemus, mentimur, & veritas in nobis non est. Nihilominus virginitas humana, angelicam excellit in quatuor: Nempe, in multiplicitate. Quia puritas angelica est in solo spiritu: humana, in corpore & anima. Deinde virginitas humana est nobilior angelica, quia hæc est ex natura, illa ex gratia, quæ nobilior est natura. Quia sola est gratia dei, quæ vere nobi-
Iac. 1. les facit per vsum virtutum. Tertio est gloriosior, quia angelica puritas est sine omni pugna, humana autem cum certamine legitimo, & postquam probata est, incorruptam iustitiæ & vitæ coronam reportat. Illi sine carne viuunt, istæ in carne triumphant. Quarto, quia est fructuosior. Quia angeli non merentur præmium essentiale. Virgines vero, merentur in corpore & anima. Insuper aureolam accipiunt, quæ non datur angelis, sed hominibus tantùm. Hîc, si alias extendere vellem & parergis immorari, iustum librum cum dei ope

conscri-

conscribere vellem. Sed laconismo me absoluam & copias in arctū contraham. Virgines ergo imaginem angelorum æmulantur, dum mundiciam seruant, & sanctæ sunt corpore & spiritu. Dum reuelata facie per fidem & cordis munditiā, gloriā dei contemplantur & vident: & in eandem imaginē transferuntur à claritate in claritatē à spiritu domini. Dū ordinatæ obediunt superioribus suis. Mittuntur foras & alios mittunt. Dū nec maledictione, nec benedictione mouentur. Dum exemplis suis & doctrinis alios purgant, illuminant & perficiunt. Adeo, quòd puras manus, cū illuminatis oculis mentis stant in iustitia, perfectæ & plenæ omni voluntate dei. Instar angelorū, domino astant, alios docent: domino & eis qui hæreditatem salutis accipiunt ministrant. Iugiter diuinis laudibus instant die ac nocte. Et de profectu & pœnitentia peccatorū gaudent: Ardent in diuino amore cū Seraphin. Omni sapiētia illuminatæ sunt vt Cherubin. Deū glorificant & portant in corpore suo, vt throni & fercula veri Salomonis. Nulli sunt vicio subiectę, sed omnibus cū dominationibus dominantur. Primo animo suo, & appetitui. Deinde subiectæ secundū deū dominationibus. Omnibus virtutibus et gratiis adornatæ sunt, sicut cœlum varietate stellarum, pratum floribus, arbores fructibus, cum virtutibus. Diabolo in fide fortiter resistunt, nullum ei locum tribuunt, mala eius consilia destituunt, ipsum de suis et aliorum cordibus orationis suæ virtute expellunt. Cū principatibus, reges terrę et omnes populos, principes et omnes iudices terrę, erudiunt ad iustitiā. Nempe, vt seruiant domino, in timore, et exultent ei cum tremore. Vt appręhendant disciplinam, ne quando irascatur dominus et pereant de via iusta. Cū archangelis sacramenta regis regū reuelant, de magnis rebus loquuntur. Incerta et occulta sapientię dei manifestant. Profunda fluuiorum scrutātur, et eius abscondita producunt in lucē. Inuestigabiles diuitias Christi euangelizant, et annunciant omne consilium dei. Cū angelis semper vident faciem patris qui in cœlis est. Omnibus ministrant propter deū. Cū peccatoribus habitando, cum peruersis non peruertuntur. Astāt tribulatis, eripiunt afflictos, peregrinantes deducunt. Impediunt peccare volentes, tristes consolantur, defendunt obsessos, protegunt bellantes, flagellant loca

Roma. 13 *Hebr. 1.* *Psal. 38.* *Luca 15.* *Psalm. 2.* *Matt. 18.*

sancta profanantes, blasphemos confundunt, tristes consolantur. Et id genus alia innumera bona hominibus præstant. Nã has in vita custodiunt in omnibus viis suis. In manibus portant &c. Et post mortem portant in paradisum exultationis, & regnum cœlorum. Angelorum proinde opera virgines tam mares quàm fœminæ debẽt æmulari, & tunc cum eis salui erunt in regno cœlorum.

Psal. 44. *Sed quantum est, hoc*, quod plenitudinis gratiæ & pulchritudinis virginalis Christi participationẽ & decorem

Rom. 12. concupiscunt. Nã dũ secũ reputant, quòd virginũ sponsus, gaudiũ & corona, nullã carnis suæ curã in desideriis fecit. Itẽ quòd cõmessationes & ebrietates, cubilia & impudicitias cũ consolationibus carnalibus, exhorruit &

Iob 21. dãnauit dicens: Væ vobis diuitibus, qui hîc (induẽdo vos purpura & bysso, & quotidie epulando splendide. Qui

Amos 6. ducitis in bonis dies vestros: Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris, qui bibitis vinũ in phia

Luca 6. lis, & optimo vnguento delibuti) habetis consolationem vestrã, risum vestrũ, dilectionem vestram, & cũ stulto il-

Apoc. 16. lo diuite, recipitis bona in hac vita vestra. Væ vobis dixit, quia esurietis & flebitis: Desiderabitis guttam aquæ, & non dabitur vobis. Sed & cõ manducabitis linguas vestras præ dolore, & blasphemabitis deũ cœli præ dolori-

Prou. 14. bus & vulneribus: Quia extrema gaudiorum huius mũdi & carnis, luctus occupat damnationis æternæ: Et ibi

Eccles. 18 eis tantum tormentorum & luctus datur, quantum hic se glorificauerunt & in deliciis fuerunt. Pro mensura delictorum, est ibi plagarum modus. Hæc & id genus multas scripturas dum secum reputant, eligunt potius carnem suam affligere & concupiscentias eius illi nega re cum filio Dei & electis, quam temporalis peccati & momẽtaneæ delectationis immundæ carnis, habere io-

Hebr. 11. cunditatem. Aspiciunt enim in remunerationem, quam

Esa. 56. dominus per Esaiam specificat, dicens: Non dicat eunu-

Matt. 19. chus (qui se castrauit propter regnũ cœlorum) ecce ego lignum aridum, prolibus procreandis non do operam. Quia hæc dicit dominus eunuchis: Qui custodierit præcepta mea, & elegerit quæ ego volui (vt est castitatis cõsilium) & tenuerit fœdus meum (votum castitatis) dabo ei in domo mea cœlesti, & in muris meis, locum superiorem, & nomen melius à filiis & filiabus, quia gloriam & honorem singularem & coronam regni accipient de

manu

manu domini: Et hoc nomen melius est, quàm si proles generassent. Nomen sempiternum, dabo eis, quod non peribit. Quia erunt matres, sorores, fratres, sponsæ, reginæ meæ in regno meo. Omnis ergo ponderatio non est digna continentis animæ. Hinc est, quod in voto virginitatis non est dispensatio, quia non habet compensationem. Quia omnia quæ desiderantur, non valent ei comparari. Habentes ergo virgines exemplum Christi & eius consilium, sequuntur eum quocunq; iuit. Certissime scientes, quòd eum sequentes, in tenebris non ambulant, cum sit lux mundi. Faciunt proinde omnia secundum exẽplar, quod ipse in monte, hoc est, in seipso monstrauit. Etsi aliquando igniti serpentes eos lædunt, ignem in corda eorum exufflant, qui in aqua non extinguitur, & fornacem corporis ministri diaboli illo igne qui ardet vsq; ad inferni nouissima vehementer accendunt, mox vt oculos suos in authorem fidei & consummatorem Iesum, in cruce exaltatum leuant, auxilium eius & gratiã implorant, exaudiuntur. Sanantur à morsibus serpentũ, ignis excutitur super accendentes fornacem. Et veniens pacem pectoris portat secum, & facit medium fornacis, quod cor est in corpore, quasi ventum roris flantem. Sic ergo seipsas abnegant, tollunt crucem suam quotidie, & Christum sequuntur, per angustam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam, quã pauci inueniunt. Per gratiam dei, carni mortui sunt virgines, & viuunt deo, atq; Christo confixi sunt cruci. Viuunt in gratia, iam nõ ipsi, quales sunt ex natura et corruptione prognati, sed viuit in eis Christus, quem in baptismo (vt Apostolus ait) induerunt. Sic amiciunt et ornant se, et induunt solem iustitia Christum, et lunã instabilis mundi, carnaliúmq; voluptatum momentanearum, habent sub pedibus, et in sapientia permanent vt sol, quando stultus virgo, vt luna mutatur. Ille ornatus intrinsecus est, illum decorem dominus concupiscit, auget et coronat. Illo lumine vero, quod omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, sicut vestimento se vestit sine amicit. Et fit lux in domino et filius lucis de filio tenebrarum, et ambulat vt filius lucis. Ideo iam eius imaginem cœlestem portant. Et qualis ille cœlestis fuit, tales cœlestes sunt et ipsi. Et se imagini eius conformant, sicut vult pater cœlestis, ambulando et continenter viuendo, sicut ille ambula-

Matt. 12. Marc. 3. Sapien. 7. Matt. 19. 1. Cor 7. Hebr. 8. Dan. 3. Deut. 31. Dan. 3. Matt. 7. Galat. 2. 1. Cor. 15. Roma. 8. Matt. 11.

ambulauit & vixit. Quapropter etiam vim ſibi faciunt,
1.Cor.9. carnem ſuam mortificant,crucifigunt,cum vitiis & con-
Geneſ.4. cupiſcentiis caſtigant,& in ſeruitutem ſpiritus redigunt,
2.Cor.4. concupiſcentias eius illi negant, ſub ſe appetitum habent, & illius dominantur. Inſuper ſemper mortificationem Ieſu Chriſti,in corpore ſuo circumferunt, adeo quòd vita Ieſu manifeſtatur in corporibus eorum, & in
Pſal. 30. carne eorum mortali. Pudefiant proinde virginitatis calumniatores,lenones impudentiſsimi: Muta fiant labia
Matt.7. doloſa, confundantur & erubeſcant, canes impudici & ſues immundiſsimæ, qui hanc euangelicam margaritã
Galat.3. conculcant. Verum, vtinam attenderent magiſtri illi
2.Cor.13 mendaces,faſcinatores ſubdoli,Satanæ Apoſtoli & miniſtri,quàm ſecuri ſunt virgines, qui verè virgines ſunt, in ſua conſcientia.Nã ſi errant,Chriſtus eos ſuo exemplo & conſilio decepit. Quod nefas eſt cogitare & impium dicere. *Quartò loco*, in ſuo actu,exemplo virginis matris agni, ab omni inquinamento liberam ſeruant mentis & carnis ſanctitatem. Multæ enim filiæ congregauerunt meritorum & gratiæ diuitias: at virgo Maria,
Prou.31. ſupergreſſa eſt vniuerſas. Hæc eſt regina,quæ aſtat à dex
Pſal.44. tris Chriſti, in veſtitu deaurato, circundata varietate, non ſolum gratiarum & meritorum,ſed etiam virginum, quæ eius exemplo thorum in delicto ſcire recuſaue-
Sapien.3. runt. De quibus ait: Adducentur regi regum virgines, per parentes, per verbi dei præcones, per alios in ſanctitate & iuſtitia deo omnibus diebus ſuis ſeruientes. Poſt eam: Nempe virginem, quæ eſt virginum regina,proxime eius, in bona voluntate, afferen-
Luca 1. tur tibi. Afferentur inquam tibi, ô Chriſte in lætitia
Pſal.44. cordis,& exultatione corporis,adducentur in templum & monaſterium regis. Nec inde recedent vel diſcedent,
Luc.2. ſed in templo ſemper manentes,& monaſterio ieiuniis & orationibus (quibus ſpiritus luxuriæ ſolummodo expellitur) ſeruiant cum Anna Phanuelis Deo die ac nocte,omnibus diebus ſuis. *Quinto loco*, ducibus virginibus ſacris,cum quibus viuunt,vel quę ante nos fuerunt & quarũmemoria in benedictione eſt,incoinquinati ſiue virginalis certaminis præmium vincere ſatagunt.
Philip.3. Paulus dicit Philippenſibus, quod ſui imitatores eſſe debent in bono.Nec ſolummodo eum imitari ſed & obſeruare,attendere et conſiderare eos omnes, vt eſſent

eis

cis in exemplum ambulandi in lege Domini & placendi deo, qui ambulant secundum exemplum suum. Et alibi: Bonum virum & iustum siue quod bonum est imitamini in bono semper. Hinc seruator ait: Si Abrahæ filij estis, Abrahæ opera facite. Sic alibi vult, quod eandē sollicitudinem ostendere debemus, quam sancti qui nos præcesserunt & deo placuerunt, ostenderūt, ad expletionem spei vsque in finem, in bonitate. Ne segnes & frigidi in amore dei efficiamur, sed eos imitemur sanctos dei qui per fidem & patientiam finalem, acceperunt diuinas promissiones cœlestes. Eorum intueri exitum debemus & conuersationis fidem imitari. Et diuus Iacobus frater domini, ait: Exemplum accipite fratres prophetarum afflictiones, etiam ad ignominiosæ mortis exitum & longanimitatem, & patientiam & laborem eorum, qui locuti sunt in nomine domini. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt certamen passionum propter iustitiam & nomen domini. Sed virgines certamen sanctorum virginum quæ nos præcesserunt attendunt, & earum exemplo sicut elephantes ex aspectu sanguinis acuuntur ad prælium. Ideo in domino confortatæ, & in potentia virtutis eius lumbos suos cingulo continentiæ succingunt, pugnant legitime, certant viriliter, currunt & non deficiunt, sicq; contendentiū in agone & currentiū in stadio brauium & incorruptam coronā accipiunt. Ad virginitatem perpetuam seruandam idem vas electionis & honoris, virgo purissimus paulus Apostolus adhortans ait: Bonum est homini, mulierem non tangere. Et iterum: Volo & opto omnes vos esse, sicut meipsum: Nempe, virgines puras absque coniugij vinculo & onere. Et iterū: Dico non nuptis, hoc est virginibus, & viduis, bonū est illis, si sic permāserint, sicut & ego sine cōiugis consortio permaneo. Et iterū, Existimo virginitatē seruare bonū esse propter multimodā quæ in matrimoniali statu est necessitatē. Et iterū: Bonū est homini sic esse, & permanere in virginitate. Et iterū: Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Et iterū: soluta es & libera à viro? cōsulo vt à viro abstineas quamuis non pecces si nupseris viro aut duxeris vxorē. Et iterum: Volo vos sine sollicitudine esse huius mundi & eorum quæ sunt in mundo, & virginitatem consulo & nuptiis præfero. Quia mulier innupta & virgo, nihil

Ioan. 8.
Heb. 6.
Heb. 13.
Iac. 5.
Mat. 5.
Heb. 10.
Ephes. 6.
1. Cor. 7.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

nihil sollicita est, sed cogitat quæ domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Et iterum: Qui decreuit in corde suo, seruare virginem suam) semper tamen cum virginis consensu) in virginitate, bene facit. Et iterum: Qui matrimonio iungit virginem suam, benefacit, & qui non iungit, propter virginitatis & puritatis amorem, vt facultatem habeat sine impedimento Dominum obsecrādi, melius facit. Et iterum: In fine ad viduas loquens ait Post mortem viri vel vxoris, superstes licite rursus contrahere cum alio vel alia potest. Beatior autem est si in viduitate permanserit, secundum consilium meum. At,
1. Cor. 7. ne quis spernat consilium meum, aut pro nihilo habeat
& 13. ego etia puto me spiritum dei habere. Igitur qui hæc
Mat. 10. spernit, non hominem spernit, sed deum, qui dedit mihi spiritum suum sanctum. Nam pro Christo legatione fungor & Christus in me loquitur, & deus exhortatur per me. Pudefiant igitur virginitatis mastiges calumniatores & damnatores.

DE VIRGINIBVS SERMO TERTIVS AEMVLAMINI CHARISmata meliora, Thema.

QVINQVE *fatuæ acceptis lāpadibus non sumpserunt oleum secum.* Formam esse, quæ dat esse rei, ex philosophia naturali didicimus. Lampades bonorum operum fatuæ habēt sed oleum non habere vere dilectionis in
Psal. 16. vasæ sui cordis. At sine dilectione & vera charitate, vias
1. Cor. 9. duras custodire, in lege dei ambulare, in stadio currere, ab omnibus quæ illis impedimento esse possunt, à consequenda victoria, abstinere nihil homini prodest, etiam ipsius martyrij agon pœnalissimus pro deo exactus, vt in alio sermone dixi. Charitas forma virtutum est, qua si destituuntur, abominabiles sunt, vt abortiuum aut pannus menstruatæ. Charitas, firma petra & fundamentū est
Mat. 7. & radix iustorū proficiens. Proinde quicquid non ædifi-
Luca 6. cas super hanc petram & fundamentum, corruit & fit rui
Ephes. 3. na illius magna, Sic in charitate nos radicare & fundare oportet, Quia sicut ramus fructum bonum facere non potest, nisi manserit in radice, sic nullum fructum bonum qui permaneat in vitam æternam, homo facere potest, si non est in vera charitate. Nec minor cura adhibenda

est,

est,vt radix hæc illæsa conseruetur. Nam quemadmodũ læsa,corrupta,excisa & arefacta radice etiam tota arbor cum ramis leditur,corrumpitur & arescit, vt frustra locũ & terram occupet,aut fructus malos, inutiles, acerbos & ad nihilum aptos: Imo noxios, veneno mortifero ple nos,proferat. Sic homo,vera exors charitate,quæ de cor de puro est,conscientia bona et fide non ficta, et corruptus in radice voluntatis per amorem sui et mundi, qui deo sunt odibiles,radices omnium peccatorum et malorum,mox abominabilis fit in studiis suis et iniquitatibus fit aridus à radice,nullum fructum bonum adfert. Et si quos fructus facit,mali sunt,cibus porcorum sunt.Et qui ex eis gustant,inquinantur,variis animæ infirmitatibus grauantur,et moriuntur morte pessima peccatorum, ac maledictionibus omnibus replentur et calamitatibus,sicut protoparentes, cum gustauerunt de ligno vetito in paradiso.Huic arbori,securis debetur et ignis. Charitas anima operum bonorum est et vita. Quia sicut corpus et membra nihil operari possunt,nec viuunt sine anima,sic homo charitatis exors, mortuus est coram Deo, quamuis nomen habeat quòd viuat. Et opera eius mortua sunt,quantumlibet ad speciem multa sint et magna. Deus autem,non est Deus mortuorum,sed viuorum,tũ hominum,tum operum viuorum. Charitas, sol cordis humani est,et pluuia voluntaria, siue temporanea et serotina,quã Deus spiritus sanctus hæreditate Christi segregat et in corda electorũ diffundit.Verùm,quantumlibet multo et optimo semine verbi dei,agrum cordis hominum verbũ dei prędicando,opportune,importune instando arguendo,obsecrando,increpando in omni patiẽtia et doctrina quis seminauerit promouet nihil, lucratur nihil,sed in aera loquitur reti vẽtos piscatur, dormiẽtibus sermõcinatur,mortuos frustra excitare conatur, nisi per solẽ charitatis Deus frigus malitiæ et nequitię de corde prius expulerit,et suo calore resoluerit sicut torrẽs in austro,Et tũc dominus dat pluuiã gratiæ suæ multiformis semini verbi Dei,et ortum facit fructũ suum.Aliud tricesimum,aliud sexagesimum, aliud centesimum in patientia. Tunc sterilis parit plurimos. Tunc lignum ex amore sui et mundi aridum per amorem dei et rorẽ gratiæ cœlestis florere incipit,et fructificat in omni opere bono. Tunc terra sæpe super se venientem imbrem bibens

Psal.33. *Gen.3.* *Mat.3.* *Mat.8. & 22.* *2.Tim.4.* *1.Cor.4.* *1.Reg.2.* *Hier 17.* *Colos.1.* *Heb.6.*

bibens & compluta fructificat deo, fructus iustitiæ in sanctificationem, qui eam colit, & benedictionem à deo accipit. Proferēs vero spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Lampas sine oleo & igne, ad nihil vtilis est ambulanti in caliginosa nocte. Sic sunt opera bona, sine vera charitate. Lampas non lucet sine oleo & igne, bona opera ad salutem nihil prosunt quæ nō fiunt
Sap. 11. in charitate. Deus omnia facit in numero, pondere & mensura, sic oportet opera nostra, si deo placere debent, hæc tria habere. Nempe modum, speciem, et ordinem. Vt mensura modum, numerus speciem, pondus ordinē
Rom. 11. significet. Ergo operum bonorum modus et vera mensura est, vt fiant ex deo præcipiente. Species et numerus vt fiant secundum deum regulantem ea iuxta exemplū et doctrinam Christi. Ordo et pondus, vt in ipso tanquā in fine fiant quietante. Hoc est ad gloriam dei, Vt ex ipso patre, qui est principium et fons bonitatis. Et per ipsum filium, qui est forma, exemplar et sapientia regulans secundum quam omnia facere debemus. Et in ipso spiritusancto, qui est bonitas, charitas, benignitas, quietans omne desiderium nostrum. Hoc absoluit charitas, quæ est ex corde puro, ecce modus et mensura. De conscientia bona, ecce forma species siue numerus. Et fide non ficta. Ecce finis quietans, ordo et pondus. Proinde quāta est tua charitas, tantus es tu, et tanta sunt opera tua ante deum. Tantum lucent et valent coram eo. Si magna est charitas tua, tunc et tu magnus es corā domino et magna sunt opera tua. Si parua est, tūc et tu et opera tua parui estis. Si nulla tibi charitas est, etiam tu nul
1. Cor. 13 lus es, etiam si omnem fidem haberes, montes transferres,
Mat. 7. demonia eiiceres et signa virtutésque multas in no
& 10. mine Christi faceres. Sed nec te cognoscit. Imo, te negabit coram patre suo qui in cœlis est, et coram angelis dei. Istud oleum stultę virgines non sumpserunt secum, ideo mercedē suam miserunt in saccum pertusum pulueres portauerunt in ventū, piscabantur in nocte et nihil prendiderunt, litus arauerunt, telas aranearum texuerūt frustra laborauerunt, vana est spes earū. Videbantur triticum seminare, et paleæ leues erant, ideo spinas metunt et corruptionem. Nec stultæ solummodo sunt, sed sunt etiam dolosæ, et maledictę. Dolosæ, quia speciem solummodo pietatis habent, sed virtute eius sunt expertes

expertes. Sic dolose agunt in conspectu dei, ideo iniquitas earum inuenitur ad odium. Maledictæ sunt, quia habent agnum sanum, vegetum et masculum, et offerunt debilem aut paleas cum Cain maligno. Sed deus non irridetur. Quæ seminat homo, hæc et metet. Fatuæ etiam sunt eo quod prudentes non imitantur in bono quintuplici, de quo egi in sermone precedenti. Fatuę sunt, quę diaboli integritatem habent in corpore, quia diabolus cum corpus non habeat luxuria non polluitur. Quę inferni semper plenæ sunt igne & fœtore. Exterius apparentiam habent Antichristi. Spurcitias & immunditias mundi. Et ad omnem virum rapiuntur. Et nunc in nullo nisi in exteriore opere tentationi libidinis resistunt. De quibus scriptum est: Filiæ eorum compositę, circumornatæ vt similitudo templi. De quibus vide in Esai. c. 3: Et *Psal. 114*
Threnorũ primo, Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressæ amaritudine. Sunt foris parietes dealbati, & sepulchra *Mat. 23.*
mortuorum. foris speciosa, bysso & purpura indutæ, auro *Act. 23.*
argento, margaritis et lapidibus preciosis adornatæ sicut *Apoc. 21.*
sponsæ viris suis tradendæ (taceo de habitu meretricio, *Prou. 7.*
in quibus occurrũt viris) sed intus plenæ sunt omni spurcitia viciorum, malorum desideriorum et delectationum. De his satis. *Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Oleum charitatem, vasa corda, lampades vero opera bona esse dixi. Illæ ergo virgines prudentes sunt sicut serpentes, et simplices sicut columbæ, et in omnibus quæ agunt prudenter faciunt cum Dauid, quæ omnia opera sua in charitate faciũt. Hæc est prudentia sanctorum et iustorum, qui instar solis fulgent in regno Dei. Hinc vir secundum cor Dei ait de seipso: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die medi- *Psal. 118*
tatio mea est. Super inimicos meos prudentē me fecisti mandato tuo. Nempe, dilectionis, quod est mandatum tuum et nouũm. Et adeo prudentem me isto mandato *Ioan. 13.*
tuo fecisti, quod nihil inimicus meus Saul in me profi- *& 15.*
cere, nec filius iniquitatis ac malorum omnium inuentor diabolus mihi vel tantillum nocere potuit. Sed nec vllum hominem relinquisti nocere mihi. Sub vmbra alarum tuarum vt pupillam oculi tui me custodiendo, a facie impiorum qui me affligunt. Nam ex hac factum est, quod omnia Deus mihi vertit in bonum, quæ Saul cogitauit in malum. In omnibus namque viis

suis,in charitate prudenter egit,& Dominus qui diligentes se diligit,erat cum eo.Hac prudentia præditi fuerũt, viri gloriosi,magni virtute,quotquot deo placuerunt ab initio.Imo,neminem diligit Deus,nisi eum,qui cum hac prudentia iustorum inhabitat. Quia sapiens,appellatur prudens,eo quòd reprobat malum & eligit bonum.Sola igitur virgo prudens,solus seruus fidelis amicus verus, vir sapiens,qui domum suam supra firmam petram ædificat,miles bonus,dispensator idoneus, acceptus minister Christi,imitator Dei charissim⁹,suæ salutis operator indefessus est,qui ambulat in dilectione,& Deum diligit ex toto corde,ex tota anima,ex tota mente, & ex omnibus viribus suis,& proximum suum sicut semetipsum.Huius opera Deo placent,& quicquid facit prosperatur.Ei omnia cooperantur in bonum. Prudentes ergo virgines sunt quæ salutem suam cum metu & tremore operabantur in simplicitate cordis sui.Quæ ambitione voluntatis diuinæ in omni sapientia & intellectu spirituali repletę erant,& digne deo & euangelio eius ambulauerunt per omnia ei placuerunt,in omni opere bono fructificauerunt.Istę acceperunt oleum charitatis, & semper secum portant in vasis cordis sui, vt ei placeant cui desponsatæ sunt per fidem,& cuius militiæ se addixerunt;vt ei se virgines castas exhibeant,ac ei vni placeãt,
2. Tim. 2. *Oleum charitatis* habent vt diuus Aurelius ait, cum lampadibus bonorum operum,per quæ lucent coram homi-
Osee 2. nibus in medio nationis prauæ & peruersæ,sicut lumina-
Mat 5. ria in mundo. Et apposite multum charitas, legis sco-
Ephes. 2. pus,instauratio,finis & plenitudo per oleum designatur. Quia oleum omnibus liquoribus supereminet, tunsionibus & pressuris multis exprimitur, lucet, lenit, pascit, fouet,condit,recreat,cõfortat,se diffundit,nutrit, emollit,à rubine præseruat. Sic charitas omnium bonorum mater, radix sancta, fons viuus est hortorum & puteus aquarum viuentium quæ saliunt in vitam æternam, numerus, pondus & mensura operum bonorum, semper supereminet,vincit & regerit de hoste triumphum atque coronam incorruptam iustitiæ & vitæ, post legitimum certamen,post probationem, qua sicut aurum in fornace probatur,& septuplicem purgationem. Tunsionibus grauissimis,pressuris variis oleum charitatis exprimitur, eo quòd multæ sunt tribulationes iustorum,et in omnibus

bus tribulationes patiuntur. Tribulatio et angustia circundãt eos, adeo quod tædet eos viuere: Sed in his omnibus superant propter eũ, qui dilexit nos in finẽ. Ideo nulla creatura eos separare potest à charitate Christi, quantũlibet propter eũ mortificentur tota die, et velut oues occisionis censeantur, atq; vita ista habeantur indigni. Imo, quanto magis præmuntur et tunduntur, tanto purius oleũ charitatis eorũ et copiosius et suauius, et purius, et dulcius ex torculari passionis eorũ iniustæ, manat: Quia fortis est vt mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio. Ideo aquæ multæ ea non possunt extinguere, nec omnia flumina eã obruere valent, postquã altas egit radices. Etsi in pũcto et modico oppressa fuerit, vt in Dauid, in Apostolo Petro aliisq; Christi discipulis, factũ esse legimus, non tamen ad insipientiã illis; Nã mox resipuerunt à diaboli laqueis, et fortiores surrexerunt à mortuis. Sed et casus ille cooperabatur eis in bonũ: Quia charitas perfecta nunquã excidit. Lucet intus et foris. Intus, vultus dei lumen quod signatũ est super nos, illuminat. Intellectũ docendo omnẽ veritatẽ, intentionẽ rectificando, affectũ ordinando. Foris lucet per bonitatis operationẽ, filios lucis et dei efficiendo, qui fructus lucis proferunt, qui sunt in omni bonitate, iustitia et veritate. Lucent charitate vera præditi, semetipsos in omnibus præbendo exẽpla et formas vitæ, in omnibus operibus bonis, in doctrina, in integritate, in grauitate. Sic sunt lux mundi. Lucernæ super candelabrũ positæ, omnibus lucentes qui in domo dei sunt, quæ est ecclesia iustorũ. Sic sunt ciuitates iustitiæ, supra montẽ positæ, quæ non possunt abscondi. Charitatis oleũ sanat contritos corde, et alligat omnes contritiones eorũ. Quia vniuersa peccata operit. Sic Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quoniã dilexit multũ. Sic vulnerati vulneribus charitatis oleũ Samaritanus infudit, et sanauit omnes contritiones eius. Nulla infirmitas adeò est ad mortẽ, nullũ vulnus adeo est incurabile, nulla plaga tã desperabilis est, cui mederi nõ possit, si charitatis oleo fota fuerit, et medicamine curata. Duriora saxis corda, hoc oleũ mollificat, et malagma charitatis super ea positũ. Hinc Iob ait de seipso: De⁹ molliuit cor meũ, et factũ est sicut cæra liquescẽs, quæ fluit à facie ignis. Lenit omnẽ dolorẽ cordis, Omnẽ amaritudinẽ, irã, indignatio-

Marginal notes: 2. Cor. 4. — Roma. 8. — Psal. 30. — Cantic. 8. — 2. Reg. 11 — Roma. 8. — Psalm. 4. — Ioan. 16. — Titi 2. — Matt. 5. — Psal. 146 — Prou. 10. — Rom 12. — Iob 23. — Ephes. 4.

nem,zelum amarum,inuidiam, clamorem, contentionem tollit,cum omni malitia. Imo, facit inimicos diligere, pro persecutoribus orare, odientes beneficiis demereri,vincere in bono malum. Oleum charitatis,esurientes pascit & nutrit, amara dulcia facit, dum gloriatur in tribulationibus,gaudet in contumeliis,complacet sibi in infirmitatibus,in necessitatibus, in persecutionibus,in augustiis pro Christo. Diffundit seipsum oleum charitatis, non solum libentissime, sua necessitatem patientibus distribuendo, sed & seipsum pro animabus aliorum vt eas saluas facere possit à morte,superimpendit & tradit in mortem. Isto oleo sancto, reges & sacerdotes veri vnguntur. Nam rex regum & sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, isto oleo lætitiæ præ participibus suis,vnctus est à Deo patre suo, qui dedit ei spiritum non ad mensuram.Et nos dum de plenitudine ipsius gratiam pro gratia accipimus, reges & sacerdotes consecramur, ad hostias spirituales offerendas,& regendam domum conscientiæ nostræ, quæ est regnum Dei,quod intra nos est. Pascit quoque & satiat esurientes & sitientes iustitiam, & replet eos omnibus bonis, adeo quod amplius non esuriunt neque sitiunt in æternum.Fessos corpore,recreat & confortat: Seruat à peccatorum rubigine, omnes qui per illud vnguntur. Quia charitas non agit perperam. Imò non potest peccare,qui natus est ex Deo,præditus charitate. Certantes insuper,contendentes in agone, & currentes in stadio,exertos faciles & dispositos facit ad coronas incorruptas promerendas, quas deus diligentibus se promisit,& postquàm probati sunt,legitime certauerunt, cursum consummauerunt,in spiritu seminauerunt, in vinea laborauerunt,in bonitate vsque in finem permanserunt, fidem suam ab eo non mutauerunt, reddit cum gloria cœlesti. Satagemus igitur, vt ante omnia (vt ait Apostolorum vertex) & super omnia, (vt ait vas electionis) charitatem continuam habeamus,in vasis cordis nostri, cum lampadibus bonorum operum. Et tunc abundanter cum virginibus prudentibus, cum seruis bonis & fidelibus, cum misericordibus & opera misericordiæ facientibus ministrabitur nobis introitus in æternum regnum domini & saluatoris nostri Iesu Christi, Amen. Beata virgo, quæ habet claritatem prudentiæ in aspectu,vt sit de numero prudentium, puritatem continen-

Matt.5. Rom.12. Psal.109 Heb.7. Psal.44. Joan.3. Apo.15. 1.Pe.2. Luc.17. Matt.5. Luc.2. Luc.1. Rom.11. Col.4.

tiæ in carne, vt sit de collegio virginum, luciditatem gratiæ in affectu, vt habeat charitatis oleum, feruorem obedientiæ in effectu, portando lampadem accensam, coram hominibus lucentem ad gloriam dei, sicut scriptum est: Sint lumbi vestri præcincti, (per castitatem & *Matt. 5.* carnis crucifixionem.) Et lucernæ bonorum operum, *Luc. 2.* per prudentiam sanctorum, ad quam Ioannes conuertit incredulos. Ardentes per ignem charitatis. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, per obedientiam. *Moram autem faciente sponso.* Post meritum conuersationis, substituitur hic iudicium examinationis. Circa quod ponit consummationem mundi, conuocationem iudicij, finalem resurrectionem generis humani. Cum igitur sponsus iudicium differt, vt implea- *Psal. 102* tur numerus electorum, dat locum pœnitentiæ, eo quod est longanimis & multum misericors, *dormitauerunt om-* *Apo. 1.* *nes*, quantum ad teporem cordis, & fiunt languidi, refri- *Mat. 24.* gescente charitate multorum, iuxta illud: Dormitauit *Psal. 118* anima mea præ tædio, *& dormierunt*, somnum mortis. Dicitur autem mors, somnus, quia imaginem somni habet. Sic Lazarus dormiuit, & Christus à somno exci- *Ioan. 12.* tauit illum. In vtroque requies est à laboribus huius vi- *Apo. 14.* tæ, & in pace, in idipso, dormiunt & requiescunt. Tum *Psalm. 4.* quod dormienti nihil imputatur ad meritum, sicut nec mortuo, ideo à mortuo quasi nihil perit confessio. Sic *Eccle. 11.* morimur omnes, & quasi aquæ quæ non reuertuntur, dilabimur in terram. Quia statutum est omnibus homini- *Heb. 9.* bus semel mori, post hoc autem erit iudicium extremũ, de quo sequitur: *media autem nocte.* Iudiciũ vero illud erit terribile, ratione tẽporis, quia media nocte, nullo sciente aut cogitãte. Nam Dominus sicut fur, ita in nocte venit, *1. The 5.* cum dicunt pax & securitas. Venit autem in die qua non *2. Pet 3.* speramus, & hora qua nescimus, quando gaudemus ad sonum tympani, & ducimus in bonis dies, tunc in pũcto ad inferna descendimus. Sic ad diuitem illũ in nocte ve- *Luc. 2.* nit, qui in multos annos ad volupe viuendũ sibi frumẽta collegerat. Tum ratione clamoris, quia *clamor factus* *Matt. 34* *est*, angelorũ. Mittet enim angelos suos, cum tuba, & voce magna. Et Apostolus: Ipse Dominus in iussu, & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo. O quã- *1. Thes. 4* tus erit clamor iste. Nõ erit anima tam alte in cœlo, nec ita profunde in inferno, nec corpus tam grauatũ terra &

lapidibus in ſepulchro, quin audiat hunc clamorem. Tum ratione rumoris. *Ecce ſponſus venit,* & iuſtus iudex, ratiōnē exacturus de omnibus, vſque ad nouiſſimum quadrantē.
2.Cor. 5. Tū ratione neceſſariæ obuiationis, *exite obuiā ei:* Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti. Omnia ſucci plena. Erunt enim tenebræ horribiles aſpicienti, quia media nocte, Sonus horribilis audienti, quia clamor magnus factus eſt. Rumor delectabilis bonis, quia ſponſus venit. Stupor admirabilis cunctis, exite obuiam ei, quod fit per generalem reſurrectionem omnium.

DE VIRGINIBVS SERMO QVARTVS.

Actu.10 TVNC *ſurrexerunt omnes.* Tunc quando iudex viuorum & mortuorū, cui pater omne iudicium dedit: venit in nubibus cœli, cum virtute magna, gloria & maieſtate. Ecce iudi-
Mat.24. cij oportunitas. Veritas oſtenditur, quia ſur-
Iob 19. rexerunt, vere in corporibus ſuis, iuxta illud: In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem viſurus ſum, & non alius. Generalitas reſurrectionis exprimitur,
1.Cor.15 per voculam hanc *omnes.* Omnes quidē reſurgemus, hominum idoneitas, quia *virgines illæ.* Iam examinationis
Pſal.10. iudicium. Dominus namque interrogabit iuſtum & impium de operibus eorum, & cogitationes ſingulorū ſcru-
Sap.6. tabitur. Tunc illuminabit abſcondita tenebrarū, & ma-
1.Cor.4. nifeſtabit conſilia cordium. Tunc laus erit vnicuique à domino bene operāti, & cogitanti, qui omnia opera ſua
Ephe.4. facit in charitate, & Deo, & euangelio digne viuit. Ecōtra, confuſio faciei cooperiet tunc omnes operantes ini-
Pſal.43. quitatem. Omnes ſimulatores & fictos amicos, qui in ſe confidunt tanquam iuſti, & alios aſpernantur, iudicāt &
Luc.18. damnant. Qui veniunt in veſtimentis ouium, intrinſecus
Matt.7. autem ſunt lupi rapaces. Et ſunt ſicut parietes dealbati,
Matt.23. & ſepulchra mortuorum, foris pulchra colorum varietate depictis, & aureis ſericiſque ornamentis cooperti, vnde à foris hominibus parent ſpecioſa, intus vero plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. Iſti ſunt vir-
Matt.25. gines prudentes, hi fatuæ. Iſti benedictionibus cumulabuntur cum ſeruis bonis, fidelibus & miſericordiam præ-

ſtantibus

ſtantibus. Illi confundentur, arguentur cum omni imperio, & peccata eorum ſtatuentur contra faciem eorum, maledicentur & damnabuntur cum ſeruo pigro, cum phariſæo & miſericordiam facere egenis & pauperibus recuſantibus. Dicit ergo: *Et ornauerunt lampades ſuas.* Mixtim ponitur hic examinatio prudentum & fatuarum virginum, non ſecundum quod foris apparebant coram hominibus, ſed ſecundũ quod intus erant in corde quod deus intuetur. Quia iudicium dei ſecundum veritatem eſt, ideo ſæpe quod hominibus magnum, ſanctum, bonum & pium videtur, abominatio eſt ante deum. Iudicabuntur tunc omnes, non ſecundum quod parent hominibus, ſed ex his quæ ſcripta ſunt in libris conſcientiarum, quæ tunc accuſabit malos, & excuſabit bonos. Imo, & ipſa eorum opera & iniquitates traducent illos ex aduerſo. Præſumptio verò nequiſſima, quæ hîc aridam nequitiam cooperit, & in nihilo confiditur, in facie gloriatur & ſuper baculum arundineum ſtultiſſime innititur, ſurgere ſolet ſemetipſum ſeducendo quintupliciter. Exterius, ex facto bono in ſpecie pietatem prætendentis, virtutis autem expertis. Interius in animo, à dextris, alterius ſuffragij cooperatione, à ſiniſtris, humanæ approbationis fauore, ſuperius ex dei miſeratione. Et ſecundum Lutheranos mendaces, hic addi poſſet ſexta fiducia falſa: Nempe, ex inferni deſtructione. Nullum enim, multi fermento iſto corrupti, dicunt eſſe infernum, ſed prorſus eſſe deſtructum per Chriſtum. Sed valeant iſti faſcinatores cum peruerſis ſuis dogmatibus quæ colunt, & mendaciis quæ fabricant, quibus ſeducunt mundum. Ad exprimendum vero præſumptionem ex facto proprio ortam, dicit. *Et ornauerunt lampades ſuas.* Hoc eſt, apud ſe numerauerunt opera ſua, pro quibus remunerationem præſtolabantur. Dixerunt enim, ieiunauimus bis in ſabbato, decimas omnium bonorum noſtrorum dedimus, portauimus pondus diei & æſtus, ſeruiuimus tibi in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in vigiliis multis, in ieiuniis multis, in hiſpida veſte, in melotis, in pellibus caprinis, in paupertate & obedientia, vitulos labiorum noſtrorum reddidimus tibi, te benedicentes in omni tempore, laus tua ſemper fuit in ore noſtro, verbum tuum audiuimus, menſæ tuæ participauimus, &c. ſecimus quod iuſſiſti, redde coronam iuſtitiæ quam

Roma. 2. *Luca 16.* *Apo. 4.* *Eſa. 59.* *Luca 18.* *Oſea 14.* *Pſal. 33.*

Mat. 9. promisisti. Hæc fiducia fatuis communis est & prudentibus. Sed in fatuis eo quod oculum nequam habuerunt & charitatis fuerunt expertes, ideo hic mercedem suam
Matt. 5. receperunt, & in saccum pertusum merces suas miserũt,
Agg. 1. ideo vana est spes eorũ, & tanquam lanugo à vento ab-
Sap. 5. lata est, & tanquam fumus à vento dispersa est. In prudentibus vero, qui oculum simplicem habuerunt, & in charitate vera omnia opera sua fecerunt, vera est & fir-
2. Cor. 7. ma, ac immortalitate plena fiducia & spes est. Ad veritatem ornatus lampadis tria requiruntur. Claritas vitri, qua significatur puritas ad seipsum, vt sit emundatus ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt sit azymus, innocens manibus & mundo corde. Plenitudo olei misericordiæ ad proximum. Sic debemus caput nostrum vngere, & dare operam, vt oleum de capite nostro non deficiat. Inflammatio ignis in quo charitas syncera designatur ad deum. Ignis iste in altari cordis nostri, sem-
Esa. 49. per debet ardere *Fatuæ autem sapientibus dixerunt*, videntes quod in vacuum laborauerunt, vanè fortitudinem suam consumpserunt, in nocte piscauerunt, ventos pauerunt, telas aranearum texuerunt. Ergo nunc cum calamitas eorum oculos aperit, quos vanitas clausit, introducuntur ad petendum electos humiliter, quas prius dum omnia ex animi sententia habuerunt, aspicere non dignabaatur, vt patet in diuite epulone. Ac si dicerent fatuæ, vana fiducia sua frustratæ, quia spes impiorum perit, fœdus cum morte deletur, & pactum cum inferno annihilabitur, *date* vos qui estis in deo diuites, misericordes, benigni & ad subueniendum propensi, *nobis* miseris, miserabilibus, pauperibus, cœcis & nudis. Irruit ecce super nos repentina calamitas, & interitus quasi tempestas irruit: Venit super nos tribulatio & angustiæ sunt nobis vndique. Væ nobis quia peccauimus. Sed per misericordiam vos obsecramus, per pretiosum & roseum sanguinem, nec non per sacra seruatoris nostri vulnera obtestamur, *date nobis de oleo vestro*. Q. d. Iustitia vestra sufficiens est vos glorificare, & nos ex-
Luca 16. cusare ac opitulari nobis. Sic post hanc vitam, iacent mali ante bonos, & impij ante portas iustorum. Olim iustus Lazarus iacuit ante ianuã diuitis epulonis, omni solatio destitutus, rogauit & nemo illi dabat. Iam diues humiliatus cruciatur, clamat & non exauditur. Et qui

micas

micas panis Lazaro esurienti non dedit, & ipse guttam aquæ petit,& non accipit. Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Sic confunduntur superbi,humiliantur arrogantes, iudiciũ sine misericordia eis fit,qui non fuerunt misericordes. Et qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis,& ipse clamabit & non exaudietur. Igitur tribulatio & angustia malos inueniunt, tunc voce magna iustorũ opem petunt & dicunt: Vos filij excelsi, lumina mundi, imitatores Christi,estote misericordes,sicut deus misericors est. Nolite malorũ recordari quæ vobis fecimus, sed miserimini nostri,& excusate nos,ferte testimonium de operibus nostris quæ vidistis, quia sumus continentes & fideles. Sic arguit eos malitia eorum,& auersio eorum in occulto increpat eos. Sic pessima eorum redarguit eos(quæ mille testis est) conscientia,& testimoniũ dat nequitia cõdemnata, *quia lampades nostræ*, Et sic euacuatur præsumptio cordis interior, quod secundum est. Et quid est,lampades nostræ extinguntur, nisi opera nostra quæ nobis videbantur lucere,in aduẽtu iudicis obscurantur,quia oleo charitatis,gratiæ & intentionis rectę sunt destitutæ. Sic negocians cum falsa moneta,cum impostura eius depræhenditur, confunditur, capitur & morte plectitur. Simili in damnatione sunt,qui imponũt hominibus in ponderibus & mensura. Quia pondus & pondus,abominatio est ante deum,et circunuentiones proximorum deus vindicabit. Sic deus dissipat ossa eorum qui hominibus placent, volunt videri ab hominibus,quærunt quæ sua sunt,et non quæ Iesu Christi,cõfunduntur,quoniam deus spernit eos. Nec mercedẽ habent apud deũ,sed hanc ab hominibus receperunt. Sic lucerna impiorum,extinguitur. O quàm angusta porta et arcta via est,quæ ducit ad vitam, et quàm pauci sunt qui inueniunt eam. Nam si ista angustiantur virgines in iudicio, quanto magis fornicatores, adulteri, immundi et incontinentes, qui tradunt se impudicitię,in operationem omnis immunditię in auiditate, foris manebunt? Si portantes lampades, id est, opera bona de genere, quanto magis portantes titiones,astantes omni vię malę, sine omni timore perpetrantes mala, inique agentes vsquequaq;? Si occurrentibus sponso angustię sunt vndique,quanto magis ira, indignatio,tribulatio et angustia super eos venit, qui eum persequuntur

Psal 118 · *Iacob. 2.* · *Prou. 21.* · *Hiere. 2.* · *Sap. 17.* · *Leui. 19.* · *Deut. 25.* · *Psal. 52.* · *Philip. 2.* · *Iob 21.* · *Matt. 7.* · *Ephes. 4* · *Eccles. 9.*

iniuste,contumeliis afficiunt,& mortem ei inferunt? Si solliciti de oleo, quanto magis negligentes? Excluditur deinde præsumptio tertia,videlicet à sanctorum suf-
Psal.25. fragio. *Responderunt prudentes* prudenter, & insipientiam eorum & malitiam, qua noluerunt intelligere vt bene agerent,deo per omnia in regione viuorum & in lumi-
Psal.49. ne viuentiū placerent,eis exprobrant,& arguendo contra faciem eorū statuunt. Et duo hæc prudentū virginū responsio complectitur. Vnū est humilitas prudentum, aliud,vanitas & insania irridenda fatuarū. Ait ergo: *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* O quàm humiliter sen-
Luc.6. tiunt de semetipsis.Sciunt quòd omni petenti nos,debe
Ephes.3. mus tribuere.Sciunt quòd vnū membrū debet aliud fo
1.Cor.11. uere,nutrire,redimere,iuuare & sanare.Sed hic tempus exauditionis,subuentionis & consolationis præteriit iuuare dānatos,nec possunt nec volunt.Non possunt,quia mēbra abscisa sunt, ideo sana mēbra nullo medicamine aut malagmate eis mederi possunt.Olim dū nondū abscisa erant per mortis gladiū, & in corpore erant & va-
Roma.12 riis peccatorū infirmitatibus laborauerunt & cruciabā-
1.Cor.12 tur,tunc sana mēbra,pro illis erant sollicita,circūligaue
Esaia 1. runt eorū vulnera,plagas desperabiles & tumentes, li-
Sap.16. uores curabant medicaminibus ex verbo dei confectis, quæ sanant omnia animarū vulnera, & oleo fouebant, abyssalis diuinæ misericordiæ vinū insuper infundebāt,
Roma. 6. terrendo eos districto dei iudicio,quo non parcit in die vindictæ,nec acquiescit cuiusquam precibus,nec suscipit
Prou.18. pro redemptione dona plurima.Sed illi venerūt in profundū, omnium bonorum consilium &salutis remediū contempserunt,ruperunt vincula,abominabantur medicamina,ac furiosorum instar in medicos sæuierunt,vulnera dilatauerunt,addendo peccata super peccata,& desperando in malitia.Iā postquam mortui sunt in suis delictis & peccatis, & à corpore Christi abscisi,nullo possunt iustorum ope & merito iuuari. Nec iusti hoc facere volunt,quia per omnia sunt diuinæ conformes voluntati.Vnde sicut deus eos non exaudit,sic nec iusti pro impiis sumunt laudem,nec fundunt preces,quia sciunt eos proiectos à deo, vt Saul, & deum eos nolle exaudire. Dicunt ergo:Ne forte non sufficiat nobis & vobis. Hoc non ex inclementia aut ex inuidia aut auaritia dicunt, sed ex timore.Imo,ex conformatione voluntatis suæ cū

diuina

diuina voluntate. Quia vnusquisq; mercedem accipiet secundum suum laborem, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum. Nec possunt post mortem, aliorum virtutes & merita, damnatorum vitia & damnationẽ subleuare. Deinde exprobrant eis vanitatẽ quã dilexerunt, & mendacia adulatorũ (placentia loquentiũ, in peccatis *Esaiæ 30.*
eos laudantium & benedicentiũ, & per dulces sermones
eos seducentium) quæ quæsierunt, dicentes: *Ite potius ad* *Prou. 16.*
vendentes oleum, qui hactenus vos lactauerunt, beatos di *Ezech. 13*
xerunt, qui os vobis sublinierunt, qui puluillos sub cubito manus vestræ consuerunt, & fecerunt ceruicalia sub capitibus vestris, & per vias non bonas duxerunt.
Qui dixerunt vobis falsa & stulta, nec aperiebant ini- *Osee 7.*
quitates vestras, vt vos ad pœnitentiam prouocarent: Imo lætificauerunt reges vestros in malitia, & in
mendaciis suis principes. Qui vos fascinauerunt, ne obe *Galat. 3.*
diretis veritati, sed consentiretis iniquitati & crederetis falsitati. Non dant consilium, sed ex obliquo commemorant crimen eorum, & malitiam quam dilexerunt & fecerunt. Proinde, suggillatio est & improperium. Q. d. Videte iam qualiter vos adiuuant illi, qui vobis oleum vendere consueuerunt, fidem vestram subuerterunt, & in erroribus detinuerunt. *& emite vobis* oleum. Bene dicit, emite. Nam magistros mendaces, seductores, lupos rapaces, apostolos Satanæ, duces cæcos, emunt, vt placentia eis loquantur, & pseudoapostoli certe pecunia satiari
non possunt. Nam vt ait vertex apostolorum: Auari sunt *2. Pet. 2.*
et fictis verbis ad decipiendum compositis, quomodo suos auditores & sectatores expilare et expoliare possint, tractant, sicut videmus in prædicatoribus Lutheranis. Sic damnationem suam multo ære emunt, et salutem gratis oblatam contemnunt. Oleum vendunt, qui
adulando animas in errorem mittunt. At corripiet me *Psal. 140*
iustus in misericordia et increpabit me, oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum. *Dum autem irent emere.* Iam post iudicium examinationis, subditur præmium retributionis, in quo cassatur alia duplex falsa præsumptio malorum: Nempe, ex humano fauore, qui nihil proderit, et dei magna miseratione, quæ non liberabit. Et ponitur hic duplex retributio, bono-
rum videlicet et malorũ. De bonis quibus dominus re- *Psal. 17.*
tribuet secundum iustitiam eorũ, et secundum puritatẽ

manuũ eorũ reddet illis, primo agitur. Præmittitur tamen de stultis virginibus, cũ dicitur: Dũ autẽ irent emere. Tropologicè loquitur, id est, si adhuc viuerent & inuenirent, irent emere. in quo insinuatur quòd manet in eis affectus & habitus vanitatis. Quia in quocunq; loco ceciderit lignum vel homo in morte, & qualis est, ibi est & sic manet in æternũ. Secundũ August. id est, dũ inclinauerunt in ea quæ foris sunt, & solita gaudia requirerent, in quo excluditur fiducia ex humano fauore. Quia frater non redimet fratrẽ, nec pater filiũ, nec homo proximũ suũ. *Venit sponsus* sanguinum, speciosus forma præ filiis hominum. O si saperet in palatio cordis, quid admirationis habet, venit sponsus. Quid dulcedinis, intrauerunt cum eo ad nuptias. Quid amaritudinis, & clausa est ianua. Venit ergo sponsus, cum maiestate & gloria, qui primo venit cum humilitate & in serui forma. Venit cũ virtute, qui primo venit in infirmitate. Venit cũ vbertate & omnium bonorum copia, qui primo venit in paupertate & inopia, *& quæ paratæ erant.* Indutæ vestẽ deauratam & nuptialem charitatis, et annulum fidei in manibus, hoc est, quæ fidẽ per dilectionẽ operantẽ in vita et moribus habuerunt. Quæ ambulant in albis munditiæ cordis et corporis, et sindone indutæ sunt virginitatis. Quæ circũamictæ sunt virtutũ varietate, quas Apostolus tribuit charitati. Quæ habebant purpuram martyrij, stragulũ iustitiæ, cingulũ continentiæ, sertum et coronam victoriæ suiipsius, et calciamenta in pedibus exemplorum sanctorũ, qui ante nos deo placuerunt, et adepti sunt repromissiones dei. Qui deo seruierunt in sanctitate et iustitia, omnibus diebus suis, *intrauerunt cum eo ad nuptias.* Mirabilis dulcedo, tũ propter introitũ, tũ propter consortiũ, quia cũ eo, tum propter gaudium, quia ad nuptias. Beati qui ad cœnam agni vocati sunt. *& mox clausa est ianua.* Ianua inquã triplex. Misericordiæ, ad indulgendum, quę modo omnibus est aperta. Ianua gratię ad merendum, et salutem suam cũ metu et tremore operandam. Hęc gratia modo omnibus offertur. Ianua glorię ad intrandũ, quę modo omnibus pœnitentię dignos fructus facientibus reseratur, quia vult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem nominis sui peruenire. Ergo clausa est, exclusis reprobis, clausa est, inclusis electis, clausa est operibus consummatis. *Nouissime vero.*

Marginal references: *Eccles. 12.* — *Apoc. 3.* — *Luca 15.* — *Luc. 1.* — *Apoc. 19.* — *Philip. 2.* — *1. Petr. 1.* — *1. Tim. 2.*

vero veniunt. Hoc est hœdorum, immisericordium, fatuarum virginum, & omnium operantium iniquitatem, vel negligentium, aut excusantium se & venire ad nuptias nolentium, damnatio iusta. In ea exprimitur sera & infructuosa eorum pœnitentia, vana de deo confidentia, reprobationis sententia. Nouissime verò, & nimis tarde, clausa ianua miserationis diuinæ veniunt in cogitatione peccatorum suorū timidi, pessima eos eorum arguēte conscientia, & pœnitentiā infructuosam agunt, & præ angustia spiritus gemunt, ac iniustitias suas, aduersus se domino confitentur, & dicunt peccaui, tradens sanguinem iustum. Taceo hic Esau prophanum, qui locum pœnitentiæ non inuenit, quanquam cum lachrymis inquisisset eam. Taceo superbum Antiochum, qui & ipse nequiter se multum humiliauit, & deum ore dilexit, & lingua sua ei mentiebatur. Cor autem eius non erat rectū cum deo. Taceo Simonem magum, & inuidum Saul, qui iustum Dauid odio iniquo odiuit & persequebatur iniuste. Omnes isti pœnituerunt, indulgentiam non acceperunt, quia non ex amore dei, sed ex horrore iræ agni & damnationis æternæ, pænitentia eorum venit. Multo magis in inferno positi, quos mors depascit, misericordiæ locum non inueniunt. Secundo excluditur vana dei confidentia post hanc vitam. Ipse misericors, adeo quòd misericordia eius est super omnia opera eius. Misericordia eius plena est terra, vult misericordiam, expectat vt misereatur, imo omniū miseretur: sed in hac vita. postea horrendū est incidere in manus dei, viuē tis. Nā tūc in interitu iniquorū ridet, & subsannat eos cū eis quod timuerūt, vel credere noluerūt, aduenerit. Tūc frustra inuocāt eū, quia nō exaudit eos, mane cōsurgunt & nō inueniūt eum. Hoc in diuite epulone cernere est, qui clausa ianua ad thronum misericordiæ Dei cū fiducia accessit, dicens: Miserere mei secundū magnā misericordiā tuā pater A brahā, ideo dicūt, *Domine Domine*, q misereris omnium & nihil odisti eorū quæ fecisti. *aperi nobis*, saluos nos fac in misericordia tua, qa benigna est & suauis, saluos nos fac propter misericordiā tuam, & propter nomen tuum. Sed sicut in hac vita, omnis qui inuocat nomen Domini, et discedit ab iniquitate, saluus est, sic post hanc vitam nihil prodest ex necessitate repetita confessio eius qui nō ex voluntate confessus est semel. Nam voluntaria, in tempore

Sap. 4. Hier. 2. Sap. 5. Heb. 12. 2. Mac. 9. Act. 8. 1. Reg. 29 Luca 16. Psal. 144 & 51. Sap. 11. Psal. 30. & 6. Rom. 10. 1. Tim. 2.

2.Cor.6. tempore accepto,in diebus salutis,etiam modica sufficit,
Eccl.5. ex necessitate autem,nec magna sufficit.Ideo ne tardes conuerti ad dominum,ne tunc plorare incipias, quando misericordiam inuenire non potes. Egregia quidem ex
Tit.1. domini appellatione confessio idémque repetitum iudicium fidei est,sed quid prodest voce inuocare,si operibus neges?Non humanis verbis hæc aguntur, sed opere & veritate & conscientiæ bonæ interrogatione in deo. Non enim omnis qui dicit Christo, Domine Domine,
Luca 6. intrat in regnum cœlorum, sed illi soli qui facit voluntatem patris eius qui in cœlis est.Vnde dicitur operariis iniquitatis,qui & ipsi nomen domini inuocauerunt dicē-
Luca 13. do,domine domine. At illis responsum fuit, Nunquam noui vos. Tertio horribilis reprobationis sentētia ful-
Psal. 97. minatur cum dicitur.At *ille* qui iudicat orbem terrarum, in iustitia & populos in æquitate,sine personarum acce-
Iob.33. ptione, *respondens ait: Amen dico*, ego qui semel loquor verbum,& secundo idipsum non repeto, cuius verbum,
2.Pet.1. manet in æternum,*vobis* operariis iniquitatis,&qui gloriam ab inuicem accipitis,& gloriam quæ à solo deo est
Ioan.5. non quæritis.Qui item gloriam hominum magis diligitis,quàm gloriam dei,*nescio vos*.Nescio vos, quia characterem meum quo oues meæ signantur & cognoscuntur à me,in vobis non video.Hic autem vera charitas est,de
1.Tim.1. corde puro,conscientia bona,& fide non ficta.Hinc Apostolus ait:Si quis diligit deū: hic cognitus est ab eo. Per
1.Cor.8. hoc signum ille cognoscit oues suas, & cognoscunt eum
Ioan. 10. oues suæ.Et iterum:In hoc cognoscent homines, quod mei discipuli estis,si dilectionem habueritis ádinuicem.
Ioan. 13. Sed stultæ virgines charitatē bestiæ habuerunt,quo no
Apoc.16. tati sunt omnes qui operātur iniquitatē, & deo odibilia opera faciunt.Hoc verbū(teste Chrys.)est ipsa gehenna
Sap.12. intollerabilius.*Vigilate itaque* Hic finē dicendi facit,& fa-
Ezec.7. cit conclusionem vt Ezechiel ait: Vigilate itaque dum
Ioan.9. dies est gratiæ antequam nox mortis veniat, in qua nemo potest salutem suam operari.Vigilate, recte creden do,firmiter sperando, syncere deum & proximum dili-
Tit.2. gendo,mandata dei custodiēdo sancte pie & iuste viuen-
Luca 8. do,sine intermissione orādo,in patientia deo in omnibus bonis operibus fructificādo quæ ædificationis sunt
Psal.5. vbique sectādo,vota vestra quæ distinxerunt labia vestra
1.Thes.5. domino reddendo,in bonitate vsque in finē permanēdo.

Sic

Sic vigilate, antequã spõsus veniat. *quia nescitis diem neque horam*, aduentus eius. Nam sicut fur, ita in nocte venit. Omnis itaque dies & hora sic in bonis operibus exigenda est, & omne tempus sic redimendum, quasi vltima vitæ nostræ sit: nam qui pœnitentibus veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo parati estote, vt cum venerit, vigilantes vos inueniat, secum in regnum suum recipiat, & super omnia bona sua vos constituat. Amen. *Luca 12.*

DE VIRGINIBVS SERMO.

QVARTVS.

MORAM autem faciente sponso, Post meritum conuersationis, de quo in priori sermone locutus sum, hic agit de iudicio examinationis. Statutum quippe est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem iudicium erit. Omnes item nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Ponit ergo primo mundi consummationem qui iudicium præcedet dicens, *Moram autem faciente sponso*, Christo qui tanquam sponsus processit de thalamo vteri virginalis in sua natiuitate. Hic sponsam habet ecclesiam, à Deo sibi paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Hæc est vxor Agni, & pro ea se tradidit, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, ideo & sponsus sanguinum illi est. Iste moram facit, quia iudicium differt, donec numerus conseruorum impleatur. Et opinionem discipulorum suorum destruit, qui statim illum venturum & regnum Israel restituturũ sperabant. *dormitauerunt omnes*, præ tedio huius incolatus Nam dormitare, est à salute & bonis operibus ante mortem languescere. Sic pigrorum anima dormitat præ tædio. Sic desideria sua mala, pigros occidunt, & nolunt salutem suam cum metu & tremore operari. Sic piger manus suas sub ascella abscondit, nec ad os suum applicat eas, idest nõ vult facere quod dicit. Dicit & nõ facit. Manum enim ad os applicat, qui facit quod docet alios. *& dormierunt*, quãtum ad somnum mortis. Lazarus dormiuit. Et alibi Apostolus ait: Nolumus vos ignorare de dormientibus. Vel dormitauerunt per teporem & negligentiam, sicut ille qui neque frigidus, neque calidus, fuit, *media autem nocte*, hoc est, nullo sciente aut sperante quia

Heb. 9. *2. Cor. 5.* *Psal 18.* *Ephes. 21* *Apoc. 3.* *Exod. 10.* *Psal. 118* *Matt. 23.* *Ioan. 21.* *1. Thes. 4.* *Apoc. 3.*

Iumentum est his qui seruant præcepta eius. Qui non speratis mercedem iustitiæ, nec iudicatis honorem animarum sanctarum qui iustos derisistis & in similitudinē improperij habuistis, vitámque illorum insaniam æstimastis, & finem illorum sine honore. Exite iam obuiam, & videte quid iā vobis vestra prosit superbia, diuitiarum iactantia quid iam conferat vobis. *tunc*, in momento, ictu oculi, *surrexerunt*, diuina virtute, qui omnia quę vult facit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, quia non est impossibile apud eum omne verbum, *omnes virgines illæ* stultæ & prudentes, & hoc in propriis corporibus, iuxta illud. In carne mea, videbo deum saluatorem meum. Sic omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Hęc iudicium præcedent. Iam ipsum iudicium horrendum examinationis vtrarumque partium mixtim describitur. Nam iudicabimur ex his que scripta sunt in libris conscientiarum secundū opera nostra. Hinc Salomon ait: Cuncta quæ fiunt adducet deus in iudicium, siue bonum sit, siue malum, Et tunc referet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Tunc dabit vnicuique secundum opera sua. Tūc superbi confundētur & gloriam eorum in puluerem deducet, Neque descendet cum eis in lacum miserię, & lutum fœcis, gloria eorum. Gloria autem & honor & incorruptio electis erit: quam secundûm patientiam boni operis quesierunt vitam æternam: Stultorum verò auxilium veterascet in inferno, à gloria eorum. Præsumptio autem nequissima, aridam modo cooperiens, excusans & defendens malitiā vanæ gloriæ stultarū viginum ex v, solet pullulare: Ex facto ꝓprio, exteriori, vel interius in animo. A dextris, alterius suffragij cooperatione A sinistris, humanæ approbationis fauore, vel superi⁹ ex dei abyssali miseratione. Ad excludēdā autē presumptionē ex facto propio dicitur, *& ornauerunt lampades suas*, apud se cogitauerūt & numerauerūt opera sua: Nēpe, quod ieiunarūt in sabbato, quòd decimas omniū bonorū suorū dederunt, ꝙ dederunt eleemosynas cū cantu tibiæ: quod celebrauerunt, laudes dei cantauerunt, habitum & tōsuram portauerūt, & id genus alia multa opera secū reputāt, pro quibus remunerationē expectāt. Sic ante mortē & iudiciū parauerūt iustitiā. Sic habuerūt mēses vacuos, & noctes laboriosas enumerant sibi, vnusquisque enim

I. Cor. 15

Luc. 1.

Eccl. 12.

Mat. 6.

causam

causam sua quantum poterit, adornabit. Hoc autem, commune fatuis est & prudentibus: In fatuis autem vana, in prudentibus vera fiducia & spes est. Ad veritatem ornatus lampadis tria exiguntur: Claritas vitri, Ecce munditia cordis & intentionis. Plenitudo olei. ecce, gratia & misericordiæ viscera. Inflammatio & lux ignis, ecce charitas cum fiducia & sanctitas conuersationis. Primum ad seipsum, secundum ad proximum, tertiũ ad deum referri debet. Sic sancte, iuste & pie viuitur in hoc seculo. *Fatuæ autem sapientibus dixerunt.* Hic fatuæ in culpa sapere incipiunt in angustiis constitutæ. Sic pœna, sic damnum oculos aperit, quos culpa & falsa prosperitas clausit. Vtinam in diebus salutis, & tempore accepto, gentes absque consilio & prudentia saperent ista, &
Iob 30. intelligerent, dubio procul nouissima prouiderẽt, & dicto citius à diaboli laqueis resipiscerent, à quo tam detinentur captiui, idque voluntarie, ad eius voluntatem adimplendam. Vtinam vel ex stultarum virginũ angustia & miseriis ad cor omnes ociosi redirent. Nam stultę hic petere incipiunt prudentes, quas prius vita ipsa censebant indignas, & oderant, nec poterant eis quicquam
Luca 16. pacifice loqui: Imo graues eis erant ad videndũ. Quos tanquã mundi purgamenta & peripsema aspernati sunt olim, vt in diuite purpurato adparet. Qui Lazarum eminus in sinu Abrahæ conspexit, quem dominus ante ianuam iacentem non vidit. Et quem prius abominabatur deliciis affluens, ei humiliatus & afflictus supplicat, in æternũ non audiendus. Sic hic stultæ, prudentes obtestantur, ac si dicerent fiducia sua destitutæ, *Date nobis de oleo vestro.* quasi dicerent: Iustitia vestra sufficiens est
Dan. 13. vos saluare, & nos excusare. Excusate nos. Estote nobis misericordes sicut vestri deus misertus est, vt & nos vestra interpellatione misericordiam cõsequamur, & gratiam apud deum inueniamus, in hoc auxilio oportuno,
Luca 6. in quo tribulatio & angustia nobis sunt vndique. Ferte
Matt. 5. testimonium de operibus nostris quæ vidistis, quia continentes & fideles viximus. Merito item charitatis vestrę
Matt. 5. opem ferte nobis: Nã Christus vos docuit, vt omni petenti, vos tribuatis. Et si vos persecuti sumus, & omne malum diximus aduersum vos tamen nostri miseremini, vt impleatis quod scriptum est: Diligite inimicos vestros orate pro persequentibus & calumniantibus vos, bene-

facite his qui oderunt vos,vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt.Rationem huius addunt,dicentes: *quia lampades noſtræ*, Ecce excluſio præſumptionis ſecūdæ,videlicet teſtimonij interni & conſcientiæ. Ipſa enim ſontes accuſat,teſte Apoſtolo. Arguet te malitia tua,& auerſio tua increpabit te.Frequenter enim præoccupant male ſibi conſcij,peſſima redarguente conſcientia: Et cùm ſit timida nequitia,datur in omnium condemnationem, & ſemper ſæua præſumit perturbata conſcientia.Nā antequam iudex eos arguat,& mala quæ fecerunt ſtatuat contra faciem eorum,ipſi veniunt in cogitatione peccatorum ſuorum,timidi, eo quòd traducunt eos iniquitates eorum ex aduerſo. Sic ſcelerati, gladio punguntur conſcientiæ,vt ait Salomon.Iſtum teſtem fugere nemo poteſt.Vnde dicunt,quia iam lāpades noſtræ *extinguuntur*. ſicut ſcriptum eſt: Lucerna impiorum extinguetur. Et quid eſt lucerna impiorum,niſi peccatū?Hinc iterum ſcriptum eſt:Lux impij extinguetur, nec ſplendet flamma ignis eius.Lux,id eſt, gaudiū vanū conſcientiæ eius. obtenebreſcit in taberculo eius,& lucerna,id eſt,gaudiū carnale, quod eſt ſuper caput mentis eius extinguetur. Et hoc fiet,quando veniet dominus ad iudicandū. Nam tunc illuminabit abſcondita tenebrarum,hoc eſt,peruerſorum,qui tenebræ ſunt & dicuntur.Vel ipſa peccata occulta faciet manifeſta:Et manifeſtabit conſilia cordium, bona, recta & ſancta an fuerint,nec ne. Sic omnia quæ arguuntur,à lumine vero,quod venit in mundū, manifeſtantur:Sic offendicula & ſcandala quæ latebant in nocte,orto ſole manifeſta apparent. In iſto lumine impij conſcientiæ ſuæ latebras aſpiciunt & abominationes. Nec credunt quod reuerti poſſint de tenebris inferni ad ad lucem huius vitę, & circumſpectant vndiq; gladium bicipitem ex ore iudicis procedentem. Sic fugit impius nemine perſequente.Sic pauor eſt operantibus malum. Extinguuntur aiunt, quia oleum veræ gloriæ conſcientiæ, intentionis rectæ & charitatis ſanctæ,non habent. Iam tecum reputa iudicij diſtrictionem: Nam ſi virgines excluduntur,vbi tunc fornicatores,adulteri & molles manebunt? Si habentes lampades bonorum operum, & obſeruatores mandatorum dei reprobantur, vbi tunc parebunt iniquitatem ſuperuacue operantes, audacter deum prouocantes, & ſine omni timore

Roma. 2. | Hiere. 2. | Sap. 17. | Pſal. 49. | Sapien. 5. | Prou. 12. | Prou. 25. | Hebr. 4. | Ephes. 5. | Ioan. 3. | Apoc. 1.

peccantes? Si obuiam sponso exeuntes nesciuntur, quãto magis eum persequentes in suis membris & cõtumeliis afficientes? Si sollicitæ de oleo, quanto magis spernentes & negligentes? *Responderunt prudentes*, fatuis prudenter & veraciter. In qua responsione tertia præsumptio excluditur, videlicet de sanctorum suffragio, & duo ostenduntur: Nempe, prudentium humilitas, & deridẽda stultarum vanitas. Responderunt ergo prudentes humiliter, *dicentes, ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Hoc non ex auaritia aut inuidia dicũt, sed ex timore & humilita-
1. Pet. 3. te. Nam timore sollicitamur, ne nobis iustitia nostra sufficiat ad salutem, cum tantus sit iudicij rigor, vt iustus
Gala. 6. vix saluetur. Nec alius aliũ iam iuuare potest, sed vnusquisque iam onus suum cogitur portare, & reddere rationem pro seipso, nec possunt in iudicio aliorum virtutes, merita & suffragia, aliorum vitia subleuare, *ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Non dant consilium, sed crimen eorum ex obliquo cõmemorant atque exprobrant
Isai 30. eis: quasi dicerent: Videamus modo qualiter vos adiuuãt,
Pro. 16. qui vobis laudes vendere cõsueuerunt & fumos: qui vobis placentia dicebant, qui vos lactabant, verba vobis dabant, os subliniebant, obtruserunt palpum, qui vos beatos dicebant, in desideriis vestris malis laudabant, & in
Eze. 13. iniquitatibus vestris vos benedicebant. Qui in malitiis vestris vos lætificauerunt, & puluillos sub cubito manus vestræ posuerunt & ceruicalia sub capitibus vestris. Surgant & iam opitulentur vobis, & in hac necessitate vos
Thren. 4. protegant. *Dum autem irent emere.* Tropicè loquitur, hoc est, si vitales adhuc caperent auras, & in stadio huius vitæ currerent, & viuerent, & inuenirent lamias tales quæ nudatis mammis suis, lactãt catulos suos, hoc est caput eorũ demulcẽt, insanos beatos dicunt, eósque casse oris sui illaqueant, in errore detinent & decipiunt, & viam
Isai. 3. gressuum eorum dissipant, irent emere. In quo datur intelligi, quòd in reprobis manet affectus & habitus vanitatis præteritæ: quod horrendum auditu est, & dictu mirabile verbũm. Nam lignũ quocũque ceciderit per mor-
Eccle. 25. tem, ibi erit, nec voluntatem mutabit, nec statum. Vnde Augusti. ait: Dum inclinarent se in ea quæ foris sunt, & solita gaudia requirerent. Nihilominus, post iudiciũ examinationis describitur hîc præmium retributionis, in quo exploditur alia duplex præsumptio reproborum
Nempe,

Nempe, ex humano fauore, qui nihil proderit, & dei miseratione abyssali, quæ non liberabit. Dicit ergo, *dum autem irent emere*, vt est dictum & iactatores inquirerent suopte more. In quo excluditur fiducia, ex humano fauore. Et sic disperdet dominus, caput & caudam, incuruantem & deprauantem, in vna die. Sic dux cæcus, & qui eum sequuntur, simul cadent in foueam damnationis æternæ. Et qui beatificant, populum stultum seducētes, & beatificantur, præcipitati sic comprehendūtur in cōsiliis suis, quibus cogitant inania, & quæ non possunt stabilire. Sequitur prudentum retributio copiosa. *Venit sponsus* Christus non angelus, aut aliquis magnus corā Domino: Quia ille constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Illi pater omne iudicium dedit. Illi paterfamilias dixit, vt vocatis operariis reddat illis mercedem suam vnicuique secundum proprium laborem. O dignatio charitatis. Venit sponsus, *& quæ parata erant*, hoc est: Quibus bonum testimonium coram deo consciētia perhibebat, qui cum Apostolo in veritate dicere potuerūt: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, quo ad rectitudinem intentionis, & in synceritate dei, quantum ad bonitatē operis in se: quæ duo requiruntur ad bonitatem actus, & in gratia dei quæ est ipsa charitas, hoc est, secundum instinctum & ductum spiritussancti, qui charitatem & gratiam diffundit in corda piorum, & eos ducit per vias rectas conuersati sumus in hoc mundo. Et non in sapientia carnali quæ inflat, stultos facit & decipit. Iuxta illud: Sapiētia tua & scientia tua, hæc te decepit: Quæ est inimica deo & mors, atque lege dei non est subiecta, atque nec potest. Hāc deus perdit & reprobat, & est stultitia apud deū. Et quæ paratæ erant. Quæ erāt amictæ stolis albis, & lauerunt eas & dealbauerūt eas in sanguine agni: & mundauerunt se per dignos pœnitētiæ fructus, ab omni inquinamēto carnis & spiritus, hoc est: Quæ habebāt annullum fidei in manibus, id est, fidē in operibus. Gēmas preciosissimas spei in capitis ornamētis, iuxta illud: Gēma preciosissima siue gratissima expectatio præstolātis. Expectamus siquidē beatam spem. Hinc galea ab Apostolo vocatur. Quæ habebant deauratā & nuptialē vestem charitatis. Cingulum & zonam castitatis, purpurā fortitudinis. Cādidam temperantiæ, subtilē prudētię per

Esai. 9. *Mat. 15.* *Psal. 9.* *Actu. 10* *1. Pet. 4.* *Matt. 20* *2. Cor. 1.* *1. Cor. 8.* *Apo. 7.* *2. Cor. 7.*

discretionem vtilium & noxiorum. Talarem perseuerantiæ, odoriferam per bonā famam. Stragulatam per sanctorum præcedentium imitationem perfectam, quod est etiam calciatum esse in præparationem euangelij pacis &c, Et paratæ fuut, quæ diuites sunt in gratia, & thesaurum bonum sibi thesaurizauernnt in cœlo, in operibus bonis, *cum eo intrauerunt ad nuptias.* O beati, quòd ad cenā nuptiarū agni sunt vocati. Omnia sunt electis iocūditatis plena & gaudij. Venit sponsus in maiestate, qui olim non erat species neque decor: In virtute, qui venit in infirmitate: In vbertate, nam cum diuitiis & opibus supernis, qui olim propter nos venit in egestate & paupertate. Et quæ paratæ erant cum suis lampadibus, intrauerūt cum eo. O gaudium. O consortiū. Ad nuptias. O festum deliciis plenum. Omnia desiderabilia super aurum & lapides præciosos, & dulciora super mel & fauum. Adeo vt omnia quæ desiderantur, huic non possint comparari, Hæc sunt, possessio regni, ad quod intrauerunt: Præsentia regis, cum quo regnant, & abundantia gaudij veri sine fine in nuptiis. Et hoc gaudiū nemo tollet ab eis. Econtra, gaudium hypocritarum, ad instar puncti, *& clausa est ianua,* Ianua inquam triplex: Misericordiæ ad indulgēdū, quæ modo omnibus est aperta: Ianua gratiæ ad merendum, quæ modo omnibus offertur. Ianua gloriæ ad intrandum, quæ modo omnibus pœnitentibus reseratur. Hanc salutem, si negligimus, non effugiemus. Nam post hanc vitam qui nunc misericors est & præstabilis super malitia, erit inexorabilis & mutabitur in crudelē. Et cū nox mortis venit, nemo potest suam salutē operari: Nā homo orto sole exit ad opus suum vsque ad vesperam, & tunc quæ seminauit, metit. Postea operarios iniquitatis nescit, & in interitu eorū ridet: & cum eis quod timuerunt aduenerit, eos subsannat, Et in angustiis & calamitatibus constitutis, quantumlibet preces multiplicauerint, non exaudiūtur, nec inuenient eum, Vnde sequitur, *Nouissimè verò.* De retributione malorum hic agens, tria horroris plena dicit & ponit: nempe, eorum serā & infructuosam pœnitentiā, quia nouissimè. Alterum vanam de deo confidentiam, cum dicit: Domine, domine, Tertium reprobationis eorum terribilem sententiam, quia nescio vos. Et quidem sero nimis, Ecce sera & infructuosa fatuarum pœnitentia. Ante mortē cōfiteri, quia à mortuo

Marginal references: *Prou. 31.* — *Ephe. 6.* — *Mat. 25.* — *Esai. 53.* — *Sapi. 7.* — *1. Pet. 2.* — *Heb. 2.* — *Luc. 13.* — *Prou. 1.*

quasi

quasi nihil perit confessio &c. Sic serò nimis diues epulo oculos aperuit in inferno. Sic serò nimis gemunt & præ angustia spiritus dicunt, & pœnitentiam intra se agũt illi in Sapientiæ libro, & edones isti & bibones in Lucæ euangelio, & alij qui in nomine Christi prophetauerũt, dæmonia eiecerunt, & virtutes multas fecerunt, vt attestatur Matt. & istæ stultæ virgines. Igitur nouissimè, & post ianuæ clausionem & vitæ huius tempus. *Veniunt & reliquæ virgines fatuæ, dicentes*: cum diuite epulone: Miserere mei pater Abraham. *Domine domine, aperi nobis.* Ostẽde nobis domine lucem miserationũ tuarum, &c. Nihil ecce prodest, ex necessitate repetita confessio, eius qui nõ ex voluntate confessus est semel. Nam voluntaria ac modica sufficit: ex necessitate autẽ, nec quantumlibet magna placet. Egregia certe in domini appellatione confessio, idémque repetitum, fidei indicium est. Sed quid prodest, voce inuocare, & factis negare deum? Nõ humanis verbis hæc aguntur, sed conscientiæ ibi loquuntur. Clamãt quidem, sed non ex charitate, verum ex necessitate. Nõ ex amore, sed ex carnali affectione & timore, ideo non exaudiuntur, sed reprobantur, vnde ait: *At ille respondens ait: Amen.* Ecce iuramẽtum, *dico*, qui sum veritas, *vobis*, qui vestem nuptialem non habetis, & non gloriam meam, sed vestram quæsiuistis *Nescio vos.* Scientia approbationis, ecce exclusio præsumptionis, de benigna, suaui, infinita, magna, abyssali, & æterna misericordia dei, qua sibi impij falso blandiuntur, & seipsos seducunt. Ideo eas nescit, quia charitatem, per quam discipuli eius cognoscuntur, in eis non videt. Frustra igitur blanditur sibi de fide & magna dei misericordia, qui non seruat dei mandata; & Christi non sectatur vestigia. *Vigilate itaque.* Hæc est conclusio parabolæ. Vigilate ergo omni tempore orantes, & state super custodiam vestram. Vigilate, & quodcũque bonum potest manus vestra, instanter operamini. Vigilate & state in fide, & nolite dormire in peccatis sicut cæteri, & istæ stultæ virgines, quas improuisa mors rapuit ad damnationem. Vigilate & custodite vestimenta vestra munda, ne nudi ambuletis, & appareat confusio vestra. *Quia nescitis diem neque horam.* Quando dominus veniet, vt cum venerit, paratos vos inueniat.

Sapien. 5. Luc. 13. Matt. 7. Luc. 16. Titi. 1. Ioan. 13. Eccle. 9. Luc. 12.

IN DIE MELCHIADIS EPI-SCOPI APPENDIX.

SALVATOR noster ostendere volens, quòd pauci saluantur, & iudicij sui districtionem in æquitate, hanc parabolã differuit. Pauci sunt quos gloria nõ vexet inanis, qui non laudis amore tumeant, qui nõ velint videri ab hominibus, & dicier, hic est: Ideo pauci saluantur. Sic terribilis est in consiliis super filios hominum. Sic crebrò quod altum est coram hominibus abominatio est apud deum. Et vnde putemus deum promereri, offendimus, & thesaurisamus nobis iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij dei. Ideo filij hominũ, vsquequo graui corde estis, vt quid diligitis vanitatem gloriæ futilis, & quæritis mẽdacium? Non est gloria vestra hæc, sed confusio extrema. Hæc gloria falsa, furti vos reos facit & sacrilegij. Soli enim deo honor & gloria debetur, nobis autem confusio faciei. Ideo cõfundemini à superbia vestra, sicut confunditur fur quando depræhenditur. Sic deus dissipat ossa, robur & fiduciam eorum qui hominibus placent ac placere student, confusi sunt, quoniã deus spreuit eos, vindex horum est deus.

Psal. 4.

IN DEDICATIONE TEMPLI, SERMO.

HODIERNAE festiuitatis sacramentũ magnũ est, fratres charissimi, & summa cũ spiritus iocunditate celebrandum à nobis. Nam nostra est solẽnitas hodierna, & nisi in nobis (qui templũ dei viui sumus) fuerit consummata, frustra in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, locuti nobis sumus. Frustra totam diem in laudibus dei quantumlibet multis, & magnis exegimus. Nec verbũ dei ad adiutoriũ salutis, sed magis ad cumulum audiuimus æternæ damnationis. Væ nobis, si euangelij verbũ diabolus de corde nostro, ne fructum adferat in patientia, tollit. Væ nobis si exemplũ Zachęi non imitamur, & relicta malitia, diruptis cupiditatis vinculis cognita veritate, nõ reuertimur ad deũ viuũ, & mox nõ resipiscim⁹ à diaboli laqueis, à quo tenemur captiui, in carcere peccatorũ, ad ipsius voluntatẽ consummandã, sicut Iudæi in Ægypto & Babylone, & nunquã requiem habemus

Luca 8.

bemus. At dei virtus & sapientia Christus, diues in misericordia, & volens omnes homines saluos fieri, & ad agnitionē nominis sui peruenire, in hoc euangelio propter nimiā charitatē suā qua dilexit nos, vt abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate ostenderet in seculis superuenientibus super nos peccatores, quos ad pœnitentiā vocare venerat, paradigma proponit, in quo forma datur omnibus, qui dereliquerunt dominum, fontē aquæ viuæ, & recesserunt à deo salutari suo, reuertendi salubriter, & apprehendendi vitam æternam infallibiliter si relicta malitia, si diruptis vinculis diaboli, si projecto à nobis iugo grauissimo, & seruitute cupiditatis. Si derelictis viis nostris quæ à sinistris sunt & ducūt ad mortē, & cogitationibus nostris pessimis, quæ separant à deo, & cor coinquināt, reuersi fuerim⁹ ad deū in toto corde nostro, & ad deū nostrū. Quoniam multus est ad ignoscendū, & præstabilis super malitia, his omnibus qui exquirunt eū in veritate. Proinde si malignantes æmulati sumus in malitia, & zelauimus faciētes iniquitates, si disciplinā odiuimus hactenus, et omnes sermones dei retrorsum proiecimus. Si videntes fures, currebamus cū eis, et cū adulteris portionē nostrā posuimus. Multo magis exēplo Zachæi discamus iā meliora æmulari charismata, et bonos semper imitari in bono. Hoc enim faciēdo, nosmetipsos saluos facimus, et eos qui exēplo nostro appræhendunt semitas vitæ. Hoc faciendo, sanctificamus templū corporis nostri deo, et ipse habitat in nobis. Sic instar Iudæ Machabæi, templū corporis nostri prophanatū per luxuriam, per comestiones et potationes, cęteráq; carnis opera, purgare oportet per dignos pœnitentię fructus, et verā conuersionē ad dominū, et immunditiarū eliminationem, hoc est, per restitutionē malè acquisitorū, exemplo Zachęi, occasionem peccandi deuitationem, et ex toto corde conuersionem ad deū. Ad hoc tria requiruntur, nempe, vt exemplo Zachęi nos in virū alterum mutemus, Christū in simplicitate cordis quęrendo, vt voci Christi in auditu auris obediamus, descendendo, et cū gaudio ipsum recipiendo. Vt demū pauperum rationem habeamus, nostra eis distribuendo, et iniuste parta restituendo. Hoc facimus, vt significantius loquar, dum ad dominum in toto corde reuertimur, dum eius voci obtemperamus, et in domum

2. Tim. 2. *Ephes. 2.* *Matt. 9.* *Luca 5.* *Psal. 39.* *1. Cor. 12* *Galat. 4.* *1. Tim 4.* *1. Mac. 4.*

nostram eum recipimus, dum in pauperibus eum honoramus, tunc salus domui nostræ fit, & omnibus domesticis nostris. Ad euangelium conatus nostros dirigamus.
Lucæ 15. Igitur. *Ingressus Iesus* in hunc mundum, à summo siquidem cœlo egressio eius, & dimissis xcix. ouibus in deserto, vt ouem perditam quæreret & saluaret, exiuit à patre, & venit in mundū, *perambulabat* in innocentia cordis sui in medio domus suæ. Perambulabat autē & circuibat per ciuitates & castella docēs & prædicans euāgeliū regni: sic circuibat præoccupans eos qui se concu
Psal. 20. piscebant, vt illis se prior ostenderet. Sic misericordia
Sapien. 6. eius nos præuenit. Faciliter ergo inuenitur ab his qui quærunt eum: nam assidentem eum foribus suis inueniunt, stantem & pulsantem, vt ei aperiamus. Astat foribus nostris, vt sol iustitiæ ad fenestras nostras, cui si aperimus, radios suos intromittit, & illuminat tenebras nostras. Perambulat sicut diues in misericordia, volens nobis communicare de bonis suis, & gratiā offerens. Circuit vt medicus, animas nostras à lāguoribus suis & vulneribus curare cupiens, & alligare omnes contritiones nostras. Sicut magister bonus, salutis viam nos docere volens. Sicut pater pius & clemens, vt ab omnibus peri
Act. 10. culis custodiat & eripiat. Hinc Lucas ait de illo: Pertrāsiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, & hoc gaudens fecit: nā exultauit vt gigas ad curren-
Psal. 18. dū viā nostræ redemptionis. Perambulauit itē vocando ad nuptias, operarios conducendo in vineā, conscribendo fortes in suā militiā, suscitando à terra inopes, & de
Psal. 118. stercore erigendo pauperes, vt collocaret eos cū principibus populi sui. Sic ergo perambulabat, *Hiericho*, quod luna interpretatur. Luna autē semper mutatur, & mundū istū significat, qui nunquā in eodem statu permanet,
1. Ioan. 2. sed semper transit, sicut & concupiscentia eius. Sed ille Hiericho perambulauit, in via peccatorū nō stetit. Mū-
Psal. 4. dū, & ea quæ in mundo sunt, non dilexit, semper ad anteriora se extendit: sic via iustorum quasi lux splendens, crescit & proficit vsq; ad perfectū diē, it de virtute in virtutē. Sic breuiter audiuimus domini Iesu benignitatē & humanitatē in mundi ingressu, vt diligentes se ditet, & thesauros eorū repleat. Secum enim attulit diuitias &
Hiere. 4. gloriā verā, opes supernas, (alias superbas) & iustitiā. Nec hic manentē ciuitatē habuit, sed quasi colonus in terra fuit,

fuit,& quasi viator declinans ad manendum,ideo Hiericho perãbulauit.Sic sol iustitiæ,in natiuitate sua ex virgine ortus est,deũ timentib. & iustis per gratiam,& occidit obstinatis per malitiã.Positus enim est in ruinã & in resurrectionem,in iudicium in hunc mundũ venit, vt qui non vident,videant,& qui vident, cœci fierent. Sic sol iustitiæ humilibus siue paruulis oritur,& occidit sapientibus & prudentibus in oculis suis & apud semetipsos.Et gyrat cœlum,prospiciens super filios hominum, vt videat si est intelligens & requirens deum. Sed nõ in vacuum perambulauit siue cucurrit hic Christus, neq; in vacuum laborauit. Sequitur, *Et ecce vir.* Hic fructus appropinquationis & perambulationis Christi retexitur circa Zachæum, cuius conditio describitur multifariam,multísq; modis,dum dicitur: *Et ecce*, quid noui & magni,apud homines impossibile & insolitũ quid,quod camelus onere deposito,transeat per foramen acus: *vir*, strenuitate animi,viriliter agens,& in domino & in potentia virtutis eius confortatus: non mulier inconstans in omnibus viis suis.Et certe beatus vir iste,qui post aurum non abiit, nec amplius sperauit in pecunia & thesauris.Quis est hic,& laudabimus eum?fecit enim mirabilia in vita sua. Nec minoris est vtilitatis pecuniã congestam in vsus pauperum dispergere, quàm non habitã non curare.Vere igitur vir virtutis erat hic, *nomine Zachæus*, Zachæus autem iustificatus & festinans interpretatur:quia ipse festinabat ad dominum vt iustificaretur. Ipse nanq; iustus est, & iustificans eos, qui sunt ex fide Iesu Christi.Sic non tardauit conuerti ad dominũ, nec distulit de die in diẽ. Sed magnũ est quod describitur ex nomine, & id iuste per omnem modum. Nam conuersus fuit ad dominũ in veritate,& auertit se ab iniustitia sua, ac emundauit se ab operibus mortuis & malignis deo odibilibus, ideo factus fuit vas electionis in honorem dei,sanctificatum in se,in corpore & spiritu,& vtile aliis:alios lucrando domino, ideo etiam scriptus fuit in libro vitæ cum iustis, de qua scriptura dominus discipulis suis dixit: Gaudete & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Contrà,recedentes à deo, in terra (quam diligunt) scribuntur,de qua sumpti sunt, & in quam rursus conuertuntur. Cum sint terreni, animales,spiritu dei expertes, terrena sapientes, & imagi-

Matt. 5. Luca 2. Ioan. 9. Mat. 11. Roma. 3. Rom. 9. Ecclef. 31. Roma. 2. 2. Tim. 2. Hiere. 2. Luca 10.

Galat. 3. nem Adæ terrestris portantes. At contra: electorũ no-
Roma. 8. mina cum conuertuntur, in cœlo scribuntur cum iustis,
Ephes. 2. quia sunt filij dei, fratres Christi, hæredes dei, & cohæ-
redes Christi: ciues sanctorũ, & domestici dei, filij regni.
1. Cor. 15 Portant imaginem Christi, qui est Adam cœlestis, eorũ
Philip. 3. conuersatio est in cœlis, quæ sursum sunt quærunt & sa
Colos. 3. piunt, non quæ sunt super terram, cupiunt dissolui & es-
Philip. 1. se cum Christo. Merito igitur nomina eorum in cœlo
scribuntur, siue in Hierusalē cœlesti, quia est mater no-
Galat. 4. stra, domina nostra & hæreditas nostra, ciuitas nostra &
Exod. 32. regnum nostrũ. Hinc amicus dei Moyses ad Dominum
dixit: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele
me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Domi-
nus: Qui peccauerit mihi, delebo eũ de libro meo. Sic
Lazarus nominatur, quia cognouit eum ex nomine. Sic
oues proprias vocat nominatim. Diues autem epulo, &
Luce 16. alius cui fruges agri exuberabant, tacentur, quia domi-
Exod. 33. nus nescit operarios iniquitatis vnde sint. Nec memor
est nominũ eorum ad laudem ipsorum, per labia sua in
sacris literis. Et si nomina impiorum in scriptura sacra re
feruntur, hoc est, vel propter historiæ fidem astruendã,
vel ad nostram doctrinam, vt qui stat, videat ne cadat. Et
Rom. 11. vt ibi videmus bonitatem dei in iustis & electis, & seue-
Prou. 10. ritatem in eis qui non permanent in bonitate. Hinc Sa-
lomon ait: Nomen impiorum putrescet. Officium Za-
chęi non tacetur, cum dicitur. *& hic erat princeps publi-
canorum.* Publicani erant & sunt qui officia administrãt
publica, in quibus pauperes plus iusto grauabãtur & spo
liabantur, vt qui publica vectigalia colligebant & extor-
quebant. Isti multipliciter peccabant. Tum quòd plus
Luce 3. quàm eis constitutum erat, exigebant, tum quòd defen-
siones viarum, & indemnitatem quam ambulantibus te
nebantur, non faciebant. Sed in ista condemnatione, nõ
solum teloneearij nostri sunt, sed heu, reges terræ & om-
nes populi, principes & omnes iudices terrę. Sed & ab
eis vectigalia accipiebant, qui liberi secundum iura sunt
Matt. 17. ab onere isto. Inter istos Zachæus princeps & alio-
rum omnium maior erat, non solum autoritate, sed
cupiditate & possessione, sicut scriptum est: Princeps
tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera,
Esaia 1. sequuntur retributiones, auaritię student omnes. Pu-
pillo non iudicant, & iustitiam iusti auferunt ab eo,

&

& impios iustificant pro muneribus, hoc ergo eius fuit officium. Additur & fortunæ successus, cum dicitur. *& ipse diues*, & ideo iniquus aut hęres iniqui, vt dicit S.
Augus. Iuxta illud. Si diues fueris, non eris immunis à Eccl. 11.
peccato. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in ten- 1. Tim. 6.
tationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa &
nociua, que mergunt homines in interitum & perditio-
nem. Ideo diuitiæ, spinæ sunt, quæ suffocant verbum dei. Luca. 8.
Sic diuitiæ conseruantur in malum domini sui. Vę ergo
qui congregat auaritiam malam domui suę. Vę & ei qui Abac. 2.
multiplicat non sua, & aggrauat contra se densum lutũ,
quia difficile est diuitem intrare in regnum cœlorum.
Et possibilius est camelum per foramen acus transire, Mat. 19.
quàm diuitem intrare in regnum Dei. Hinc scriptum est,
Mortuus est diues, & sepultus in inferno. Hęc de Zachęo Luca 18.
prælibata sunt, nempe quod princeps publicanorum & & 16.
diues fuit, vt in eo impedimenta salutis maxima cer-
nentes diuitias bonitatis diuinæ magis laudemus & glo
rificemus. Sic potens fuit de lapidibus & super lapides &
adamantem duros, filios Abrahæ facere, & de filiis & va Mat. 3.
sis iræ, filios dei & vasa misericordiæ fabricare. Sic gra- Rom. 9.
tia Christi in eo ostendit omnẽ patientiam, ad informa- 1. Tim. 1.
tionem nostrã: Vt nemo desperet de dei misericordia, si
resipiscat à diaboli laqueis, & relicta malitia, cõuersus fue
rit ad Deũ. Ad hoc autẽ necesse est nobis ope dei. Quia Ioan. 15.
sine eo nihil facere possumus. Imo nec boni quicquam Phil. 2.
cogitare. Sic & velle & perficere ipse in nobis operatur Psal. 22.
pro bona voluntate. At misericordia eius præuenit nos Ioan. 6.
omnib. diebus. Pater trahit ad filiũ. Filius pulsat ad cor- Apoc. 3.
dis ostiũ, clamat in plateis. Spiritus sanctus in benedictio 1. Pet. 1.
nibus dulcedinis electos præuenit, gratiã offert, & remis-
sionẽ pollicetur. Vt sic ex ipso, & per ipsum, et in ipso fiat
omnia iustorum desideria et opera, ne quis glorietur.
Nihil ergo boni habemus quod non accepimus de ma- 1. Cor. 4.
nu sua. Sequitur ergo in textu. *Hic*, publicanus, et eorum
princeps, ac diues erat, talibus peccatorũ suorũ funibus
constrictus, et in iniquitatibus suis captus. *quærebat*, in
simplicitate cordis et sine fictione Quærebat opere, de
die in diẽ, et scire vias eius voluit, quasi gens quæ iusti-
tiam fecit, et quæ iudicium dei sui non dereliquit. Et
hoc fecit dum inueniri potuit, dum adhuc dies fuit sa-
lutis, et tempus acceptabile. Quærebat item in locis 2. Cor. 6.

vbi

vbi fuit,quia non inuenitur in terra suauiter viuentium; *videre*,quòd & multi reges & prophetæ cupiebant,& non viderunt. Videre visu interiori & exteriori:quia visus exterior,est propter interiorem,& ad eum ordinatur. Cupiebat enim & querebat faciem eius exteriorem videre,
1.Pet.1. in quam & angeli aspicere desiderant. Tum quia specio-
Psal.44. sa erat præ filus hominum,& decora nimis. Mirabilis itē & gratia plena. Iuxta illud: Valde mirabilis es domine, & facies tua plena gratiarum. Sic omnis terra, & omnes
3.Reg.10 reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam eius:sed plus quam Salomō Christus. Sciebat enim vnctionem eum de omnibus docere interius,quòd misericordia et veritas præcedunt faciem eius,et in lumine vultus eius voluit ambulare. Voluit et oculo interiori eum videre per fidem, de quo duplici o-
Luca 10. culo et visu scriptum est: Beati oculi qui vident quæ vos
Mat.2. videtis. Et iterum: Vestri oculi beati,qui vident. Querebat ergo Iesum videre oculis corporis,et per fidem ex doctrina et miraculis eius cognoscere diuinitatem. Et sic interiora diuinitatis eius intelligere, vt eam vnitam humanitati,quam vidit,certissime crederet. Et hanc faciem electi videre cupientes,dicebant: Ostende nobis faciem tuam,et salui erimus. Sic viderunt eum apostoli, plenū
Luca 2. gratia et veritate. Sic vidit eum Simeon. vnde dixit ad
Ioan.11. Thomā:Vidisti me Thoma,et credidisti. Sequitur *Iesum* qui est desideratus cunctis gentibus,et vnica mundi salus secundum nomen suum. O mutatio dexteræ excelsi. Iam non quærit diuitias,auri et argēti copias, in quibus confidunt homines:sed Iesum,in quo omnia habuit et a-
Phil.3. bundauit,et in deo diues fuit. Et quæ illi prius lucra fuerunt,hæc iam propter Christū detrimēta arbitratur, et velut stercora aspernatur,vt Christū lucrifaciat. *quis esset* in diuinitate et humanitate,in vita et doctrina,in bonitate misericordia,pietate,benignitate,iustitia, et æquita
Sap.12. te. Sciebat enim quadā spiritus illustratione, quòd nos-
Luca 1. se eum,est consummata iustitia, et scire iustitiā eius et virtutem eius,radix est immortalitatis. At vani sunt omnes homines,in quibus nō subest scientia dei. Hanc scientiā salutis Ioannes dedit Iudæis,econtrario, ignorans ignorabitur,Sed et hæc est vita eterna, vt cognoscamus
Ioan.17. patrē,et quem misit Iesum Christū. Hæc cognitio et sciē
Iac.3. tia,fidē cōplectitur et dilectionē,cognitionem et operationem

tionem,quia qui non diligit , non nouit deũ , quia deus charitas est,& omnis qui diligit,ex deo natus est, & cognoscit deum.Et iterũ:In hoc scimus quoniã cognouimus eum,si mandata eius obseruamus.Nam qui dicit se nosse deum siue Christum & mandata eius nõ custodit, mendax est,& in eo veritas non est. Alioqui scienti bonum & non facienti,peccatum est illi.Nec sciens et non faciens sapiens est, sed stultus et damnatur,vt videre est in seruo pigro et malo. Sed sic Iesum videre quærebat. *& non poterat præ turba.*Multis turba impedimento fuit. Hæc languidũ à sanitate impediuit.Hæc cæcũ dominum inuocantem increpat,vt taceat.Hæc paralyticum impediebat ne ante Christũ ire posset.Hæc matrẽ et fratres eius exclusit,ne cũ Christo loqui possent. Hæc puellę resuscitationẽ retardauit,et Christum comprimebat et afflixit.Hæc Christum compræhẽdit.Hæc murmurat contra dominum. Hæc diuersa murmurãs de Christo dixit, et dicit eum dęmonium habere.Hęc Deum non nouit. Non ergo mirũ, si Zachęum impediebat ne Christum videre posset,O quã multis in hanc vsque horã turba impedimento est ne videre possint,et sequi Christum. Sed et hac in re ipse impedimentũ habuit in semetipso,quia *statura pusillus erat,*. Pusillos autẽ turba despicit,et magnos honore prosequitur.Pusillus erat humilitate,pusillus fide.De pusillitate humilitatis scriptũ est:Nolite timere pusillus grex,quia cõplacuit patri vestro dare vobis regnum.Sic humilis fuit et vilis in oculis suis . Humilibus autẽ gratiam suam deus largitur.Contra quod Simon Magus dicebat se aliquẽ magnũ esse, frustra sensu carnis suę inflatus.Tales autẽ pusillos turba cõculcat tota die,et bellat aduersus eos. De pusillitate pusillanimitatis ait Esai.Dicite pusillanimes,confortamini , nolite timere.Et tales turba deterret.Timor et tremor venerũt super me,et contexerũt me tenebrę.Sed et discipuli increpabant et impediebant paruulorũ oblationem et accessum ad Christũ,zelũ habentes,sed non secundũ scientiã.De pusillitate fidei legimus : Quid cogitatis de panibus,pusillę fidei?Et eiusmodi de diuina ope et prouidentia,nondum plene confidunt,sicut scriptũ est.Modice fidei quare dubitasti?Hunc mundus scandalizat et confundit. Apposite ergo dictum est , statura pusillus erat, vt paruitas corporis testetur pusillitatem siue humilitatem

1.Ioan.4. *Mat. 25.* *Ioan.5.* *Luca 10.* *Mat.9. & 12.* *Ioan.8.* *1. Pet.5.* *Act.5.* *Esa.35.* *Mat. 18.* *Rom.10.* *Mat. 14.* *Mat. 18.*

humilitatem mentis. Sic & Dauid paruulus scribitur. Sic
Centurio humilis, indignum se astruit in cuius domū
Luca 1. dominus intraret. Sic humilitatem Mariæ dominus res-
1. *Pet*. 5. pexit. Sic humiliato Achab pepercit. Nā humilibus mē
te dat gratiam, pusillos confortat, pusillos in fide per mi-
racula confirmat. Sic manum extēdit, & Petrum ne mer
geretur de fluctibus eripuit. Cum autem in turba Chri-
stum videre non potuisset, quem toto cordis desiderio
videre desiderauit. Ecce elongauit se à turba. *& præcur-
rens*, trahente eum patre interius, & vrgente eum Christi
Ioan. 6. charitate. Sic sperauit in domino, & mutauit fortitudi-
nem, posuit verecundiam, assumpsit pennas vt aquilę, cur
rebat & non laborabat, volabat & non defecit. Cucurrit
in siti & desiderio magno, & hoc non in incertum, sed
Ephes. 3. in odore vnguentorum Christi, quæ sunt fides sana, spes
de eius abyssali misericordia, fiducia de viscerosa pietate
& charitate supereminente scientiam omnium hominū
& angelorum. *& ascendit*, mundum & ea quæ in mundo,
sunt reliquendo, ac velut detrimenta & lutum despicien
Phil. 3. do. Sic mulier sole amicta, lunam sub pedibus habet. i.
Apoc. 12. terrena hæc quæ transeunt sicut vmbra & nunquam in
eodem statu permanent. Sic more apostolico, reliquit
omnia vt sequi posset Christum, & onere temporalium
Mat. 19. deposito, ascentiones in corde suo disponere in hac la-
Rom. 10. chrymarum valle, & ire de virtute in virtutem, donec ad
Dominum veniret, qui scalæ est innixus. Palmam ascen-
Gen. 28. dit & fructum eius apprehendit. Ascendit de deserto,
mirantibus cunctis tam subitam mutationem eius in
melius. Et id per cordis contritionem & humiliatio-
nem purificatus & leuis factus, instar virgulæ fumi. Sed
non fumi cuiuscunque qui oculos lædit, sed fumi ex
aromatibus mirrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pig-
2. *Cor*. 2. mentarij. Quia iam Christi bonus odor esse cępit, &
Rom. 12. exemplum se prębere incepit omnium operum bo-
norum, & exhibere corpus suum ostiam viuentem,
sanctam, deo placentem, in odorem suauitatis. As-
cendit in arborem crucis, crucem suam ex hoc nunc
Phil 3. & vsque in seculum baiulaturus post Christum, &
viam excellentiorem seipsum abnegando, & carnem
suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo, am-
bulaturus, vt conuersatio eius iam sit in cœlis, qui
hactenus adhæsit pauimento, et ventre gressus est re-
ptantium

ptantium serpentiúmque instar super terram. Vnde sequitur: *in arborem sycomorum*, videlicet sanctæ crucis. Sycomorus enim recte crucem Christi significat, quia fructus eius dulcis et suauis est, et nihilominus ficus fatua vocatur. Sic crucis fructus, super mel et fauum dulcis est bonis et rectis corde: quamuis a gentibus stultitia reputetur. Spiritus eius super mel dulcis est, et hęreditas eius super mel et fauum, his qui pro consuetudine exercitatos sensus habent, et nouerunt mel de petra sugere, et oleum de durissimo saxo. Ascendit inquam in arborem sycomorum, vt stultam faceret sapientiam huius mundi, et sapientes in sua sapientia reprehenderet, et sapientiam eorum reprobaret. *vt videret eum*, quo obtento sufficiebat sibi, eo quod pater in filio est, et filius in patre. Ideo videns filium vidit et patrem. Ecce fructus vberrimus ascentionis eius in crucem. Egredimini et vos filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, et in throno gratiæ suæ exaltatum. Visio ista humiliat, fidẽ infundit, spem roborat, in charitate inflammat, ad crucẽ post Christum baiulandam excitat, mores ornat, virtutes docet, mundum spernere adhortatur, infundit contritionem, ad confessionem monet, dignos pœnitẽtiæ fructus facere, et à reciduo cauere compellit, et hoc fecit, *quia inde*, per viam crucis erat, voluntarie et difinito consilio et prescientia dei, *transiturus*, ex hoc mundo ad patrem. Sic ille passus est pro nobis et nobis reliquit exemplum vt sequamur vestigia eius. Vt exeamus ad eum extra castra, et improperium eius portemus. Videamus ergo quo modo ad deum nos exemplo Zachęi huius habere debemus, vt digni tanto hospite & donorum eius reddamur. Præparemus corda nostra deo. Simus viri virtutis, festinemus ad iustificationem, abdicemus officia, & relinquamus diuitias, quæ nos remorantur à salute. Quæramus faciem eius semper videre, & quis ipse sit, & tunc dubio procul, desiderium pauperum exaudiet ipse, & replebit in bonis desiderium nostrũ. Exeamus extra turbam nos impedientẽ, crescamus in gratia & in cognitione domini nostri Iesu Christi. Proficiamus sapientia, & ætate et gratia apud deũ et homines. Nuces relinquamus, euacuemus ea quę sunt paruulorũ. Eamus proficiendo de virtute in virtutem, donec ex pusillis magni corã dño efficiamur. Præcurramus ante alios in via

Esaie 10. *Ioan. 14.* *Act. 2.* *Luce 22.* *1. Pet. 2.* *Heb. 13.* *Luce 9.* *1. Cor. 13.*

mandatorum dei, exultemus gigantis instar in cursu isto et ascendamus in arborem crucis, quia inde trãsit dominus et non in arbores steriles, aut aridas et infructuosas vanitatis et prosperitatis huius mundi. Iam sequitur quomodo desiderium suum dominus iustis tribuit et exaudit, et id iuste per omnem modum, quia desiderium
Prou. 11. iustorum est omne bonum. Vide iã quomodo dominus
Zach. 1. appropinquat nobis, si ei appropinquamus. Hinc ipse ait, Conuertimini ad me, et ego conuertar ad vos. Sequitur:
Luca 15. *& cum venisset* Iesus, qui venit quęrere et saluum facere
Rom. 9. quod perierat, qui et Zachæo hanc bonam dederat voluntatem, eo quod non est volentis neque currentis, sed dei miserentis. *ad locum*, vbi erat ouis perdita, et drachma quam quæsiuit. *suspiciens Iesus*, et benigne faciens in bona voluntate sua Zachæo. Suspexit, & ad patrem oculos suos leuauit, qui habitat in cœlis, patrem pro eo interpellans. Sic in suscitatione Lazari sursum leuauit ocu-
Ioan. 11. los suos, dicens: Gratias ago tibi pater, quia audisti me, &c. Non enim erat minoris potentiæ vel misericordiæ Lazarũ de inferno & fœtentẽ in sepulchro reuocare ad vitam, quàm Zachæum de baratro vitiorum, de profundo desperationis siue præsumptionis, reuocare ad cõpunctionis & gratiã iustificationis. Et vt hanc difficultatem ostenderet, in cœlum aspexit ad patrẽ, à quo omne datum optimũ et omne donum perfectum descendit. Su-
Iac. 1. spexit item, vt Zachæum et nos sursum aspicere doceret, ad dominum deum nostrũ, donec misereatur nostri, *vidit*, lumen suæ gratiæ ei infundẽs. Sic Petrũ in atrio,
Mat. 26. Matthæum in teloneo, Magdalenam in conuiuio, latro-
Luce 7. nem in crucis patibulo, filium prodigũ, dum adhuc lon-
& 15. & 21. ge esset à domo vidit, & misericordia motus est. Sic respectus illius est in electos eius. Oculi domini super iu-
Psal. 33. stos. Hinc Dauid ait: Aspice in me, & miserere mei, se-
& 118. cundum iudiciũ diligentium nomen tuum. Hinc pater
2. Cor. 3. misericordiarum vocatur, & omnis consolationis deus.
Esaia 49. Hinc Esaias ait: Nunquid potest mulier obliuisci infantẽ suũ, vt non misereatur filio vteri sui? Et illa si oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis
Esa. 66. descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Et iterum: Eris tu velut filius altissimi obediens & miserebitur tui magis quàm mater. Et iterũ: Ad quem respiciã, oculo misericordiæ, vt mansionem apud eum faciam: nisi

nisi ad pauperculum.i.humilem spiritu contra superbiā vitæ,quantum ad præsentia,humilem & vilem in oculis suis.Et contritum spiritu pro præteritis peccatis,contra diuitias.Et trementem sermones meos,pro pœnis futuris, contra delitias carnis,quæ omni voluptate perfruitur.Sic ergo vidit illum, in ramis arboris, quasi in brachiis suæ crucis extensum & pendentem. Vidit cordis eius desiderium & præparationem, & ad omnia quæ ei dicturus erat paratum. *& ideo dixit ad eum*, tanquam ad filium obedientiæ, charitatem et desiderium,quod habuit ad conuersionem eius manifestans. *Zachae.* Ecce benigna allocutio,quia nouit & nominat eum ex nomine.Nominat eum,in signum specialis ad gratiam ordinatæ notitiæ.Vt descendat imperat,vt humilitatis paratus sit obsequium præstare. Indicat etiam quod apud eum oporteat eum hospitari,Zachæe dilecte mi,te ego prior dilexi,ideo attraxi te,miserans tui. Ego ostendam tibi omne bonū,hoc est,manifestabo tibi meipsum,eo quòd me cupiuisti videre, inuenisti enim gratiam coram me. *festinans*, per charitatis feruorem et deuotionem,per celerem verbi mei impletionem, propter aliorum ex tua obedientia ædificationem. *descende*, tui humiliatione et consideratione. Duos actus laudabiles inter alios Zachæus habuit. Vnus quod in figuram crucis per desiderium ascendit,vt videre posset exaltatum à terra,et omnia trahentem ad seipsum: Alius,quòd in auditu auris, voci Christi obtemperans descendit, vt eum reciperet humiliatum in domum suam. Sic qui ascendit, ipse et qui descendit:sic angelorum instar,ascendendi, descendendique vices alternatione beata in scala cœli,ex tunc semper frequentauit.Festinans ergo descende: *quia hodie in domo tua oportet me manere*, In domo tua materiali, vt in ea cum discipulis meis manducem panem, et in domo cordis tui (nos enim sumus domus dei) vt eam per gratiam sanctificem, et mansionem mihi in ea faciam. Vide iam diuitias bonitatis Christi in Zachæo. Nam ipse desiderauit solummodo Christum videre, quis esset. Sed Christus propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et diligit dum reuertimur ad eum, relicta malitia ei vultum suum,suspiciendo,ostendit, dulciter et amicabiliter eum alloquebatur, mansionis suæ claritate domum eius honorauit,et exceptum

Eccles. 2.
Sapien. 2

de potestate tenebrarum, filium lucis & diei eum fecit. Hactenus siquidem tenebræ fuit, at nũc lux in domino est factus. Ex tũc honeste, sicut in die ambulauit. Sic hodie dum vocem Christi audiuit, non procrastinauit, non se excusauit, non fuit incredulus verbo dei: ideo Christũ,
Ephe. 5. qui lux mũdi est, sol iustitiæ est, recepit. Surrexit à som-
Cant 5. no tẽporis ad opus bonum, & exurrexit à mortuis, id est, peccatis ad gratiam, & dilecto per allocutionẽ pulsanti aperuit. Ideo dominus ad eum ingressus est, eum illuminauit per suã doctrinam & exempla, & cœnauit cum eo.
Luc. 23. Sic latroni petenti vt eius memor esse vellet, quãdo veniret in regnum suum, plus dedit, dicens: Amẽ dico tibi, hodie mecum eris in regno meo, siue in paradiso. Vide hi tria. Illustrationem felicem Zachæi in accepto tempore & diebus salutis, quando sol iustitiæ ortus est timenti deum, & illuminauit tenebras eius: quia hodie, id
Matt 12. est, in die clarificationis diuinæ. Vide & dispositionem
Luc. 11. mansionis, quia in domo tua, quæ hactenus iniuriis & fraudibus plena fuit, in qua fortis armatus hactenus in pace habitauit. At ego eum vincam & alligabo, & opera eius destruam, & eris requies mea in seculum seculi, & cætera. In domo tua, quæ ex nunc erit mea, quia per fi-
Ephe. 3. dem habitabo in corde tuo. Vide & desiderium tam san-
Ephe. 2. ctæ hospitalitatis, quia oportet me. Et hoc quidem charitate vrgente, vt ostendam in seculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ meæ in bonitate super pœ-
Luc. 5. nitentes, & fidelis in verbis meis inueniar. Oportet itẽ, propter te, vt vincula tua dirumpam, vt te de potestate tenebrarum eripiam, vt vulnera animæ tuæ curem, vt te à morte excitem. Sic epulari & gaudere oportebat, quia frater noster mortuus erat & reuixit: perierat, & inuen-
Daniel 4. tus est. Oportet itẽ propter pauperes, qui mihi derelicti sunt, vt eis opes tuas diuidã & distribuam, quia hæc nempe pietatis opera oportet facere, & sic redimere pecca-
Mat. 20. ta, &c. Sequitur deuota tanti hospitis receptio. *Et festinãs* ad mandati & auditi verbi impletionem, *descendit* se humiliando, vt ministraret ei qui formã serui accepit pro-
2. Cor. 9. pter nos, & non venit ministrari, sed ministrare, *& excepit illum*, gaudens. Non ex tristitia aut necessitate: hila-
1. Pet 4. rem enim datorem diligit deus. Et iterum: Qui mini-
Heb. 4. 5. strat in hilaritate. Et iterum: Hospitales inuicẽ sine mur-
1. Pet. 5. muratione. Per hospitalitatem enim Abraham & Loth

deo

deo placuerũt angelis hoſpitio receptis. Hoc ergo modo nos habere oportet ad Chriſtum: nempe, dicto eius citò obtemperare, humiliare nos ſub potenti manu eius, in domum mentis noſtræ eum cum gaudio recipere. At quotuſquiſque eſt hodie, qui hæc animo recogitet, & facere conetur, ideo non agimus feſtum dedicationis, ſed profanationis ſiue violationis tẽpli dei, diſperdẽdi à deo.

SERMO SECVNDVS DE DELICATIOME TEMPLI.

VNVMQVEMQVE lingua ſua manifeſtum facit, quòd ex abundantia cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro cordis ſui, profert bona, & malus mala. Quomodo enim mali, filij diaboli, cum inuidia tabeſcente iter habentes, ſub quorum labiis venenum aſpidum deliteſcit, bona loqui poſſunt? Impoſſibile eſt è ſpinis vuas, vel de tribulis ficus colligere. At cœptũ proſequamur iter & inſtitutum, nempe, quomodo accedens ad ſeruitiũ dei, & relictis omnibus Chriſtũ ſequi volens, ſe habere debet ad proximos. Verũ cùm alij boni & alij mali ſint, ideo aliter ad bonos, & aliter ad malos neceſſe eſt, vt ſeruire volens deo in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus ſuis ſe habeat. Nam malis diſplicet peccatorum conuerſio, relictio ſeculi, & quod apprehendũt ſemitas vitæ. Et ſic vt laudauerũt eos peccatores in deſideriis ſuis, & iniquos benedixerunt, lactauerunt, & beatificauerunt, ſic calumniantur eorum bonã conuerſationem, eorum bona opera damnant & maculant. Eos habent in deriſum & in ſimilitudinẽ improperij. Hinc ſcriptum eſt: Ambulans recto itinere ac timens deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur via. Verũ ſi quis ſe auerteret ab iniuſtitia ſua, & fecerit iudiciũ & iuſtitiam, ipſe animam ſuam ſaluat à morte, & nõ eſt, ſed fuit impius & peccator, ſicut ſcriptũ eſt: Verte impios ab impietate ad iuſtitiã, & nõ erunt, nec ſunt amodo impij ac iniuſti. Ait ergo: *Et videntes* phariſæi, qui ſecundum faciem iudicabant, & in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabãtur cæteros, qui claudebant regnum cœlorũ ante homines, ipſi non intrabant, & introeuntes intrare non ſinebant. Qui foris ſpiritum pietatis prætendebant, intus autẽ pleni etiã hypocriſi, iniquitate, & omni ſpurcitia peccatorũ.

Mat. 26. *Mat. 12.* *Mat. 7.* *Eccle. 2.* *Mat. 19.* *Pſal. 9.* *Eſai. 3.* *1. Pet. 3.* *Iob. 12.* *Prou. 14.* *Prou. 12.* *Luc. 18.* *Eccle. 13.*

Isti videntes Zachæi obedientiam & Christi clementiā, oculo liuido,bona in mala cōuerterunt,& in electis po-
Matt.9. nebant maculam.Dicebant bonum malum,& lucem te-
Roma. 2. nebras: *omnes murmurabant.* In tactu Magdalenæ vnus videlicet dominus domus.In conuiuio Marthæi multi:hic cum intrat in domum Zachæi murmurant omnes.Huius causa est quòd tam famosus peccator, exactor impudēs & pauperū grauator erat. Ideo admirationem omnibus fecit,quòd ad eum non inuitatus intrauit. Sed peccauerunt dupliciter,iudicando temerariè Zachæum peccatorem,qui iam fuit pœnitens & iustificatus , & repræhendendo Christi factum,quod non potuit non optimum & deo acceptissimū esse. Peccauerunt,dum contra scriptu-
Matt.7. ram iudicant & cōdemnant Zachæum in benefacto,nēpe,quòd auertit se ab iniustitia, quòd reliquit malitiam & sua peccata,quòd reuersus est ad dominū,quòd misericordiam quæsiuit & inuenit:quòd salutem oblatā gau-
1.Pet.1. dens & gratiam accepit:quòd trahentem patrem ad filiū,
Prou.1. secutus est, quod filio ad ianuā cordis sui pulsanti ape-
Cant.5. ruit:quòd conductus in vineam iuit:quod vocatus ad nuptias,venit:quod doctorē iustitiæ audiuit:quod de puluere se excussit,vincula colli sui soluit,iugum diaboli abie-
Matt.9. cit,quòd appræhendit semitas vitæ,&c. In Christū vero
Luc. 2. multo amplius offenderunt.Nā culpant in eo,quod peccatores ad pœnitentiam vocat, quòd miseretur miseris peccatoribus,& miserabilibus, pauperibus , cæcis & nu-
Ioan.1. dis.Arguunt quod ipse verus sol iustitiæ & lux mūdi,homines illuminat,quòd medetur cōtrito corde,sanat animas à vulneribus,& alligat omnes contritiones eorum.
Luc.4. Culpant, quod prædicat captiuis indulgentiam , clausis apertionem,mortuis vitam largitur,& pœnitentibus re-
Psal.146 missionem. Damnant quod suauis est & mitis benignus
Esai. 61. & misericors , & præstabilis super malitia pœnitentium. Quod arundinem quassatam non confregit, & linū fu-
1.Ioan.3. migans non extinxit. Iudicant quòd destruit & dissoluit opera diaboli,quòd eum foras eiicit,quòd vasa eius diripit,& ex vasis iræ,vasa misericordiæ,ex impiis pios,ex filiis sceleratis,ex filiis diaboli & tenebrarum,filios dei &
1.Pet.2. lucis,genus electum, regale sacerdotium , gentem sanctam,populum acquisitionis facit, qui virtutes eius annuncient, qui de tenebris eos vocauit in admirabile lu-
Eccle.15. men suum. Culpant quòd fame morientes cibat verbo

dei,

dei,quòd siti pressos & deficientes,potat aqua sapientiæ salutaris.Quòd nudos seipso & virtutibus vestit & induit. Quòd in carcere diaboli cõstrictos soluit &visitat.Quòd vagos & oues errantes perditásque in domum suam, in ouile suum colligit,& curam eorum habet &c. Murmurant super eius benignitate & misericordia,pro qua grati esse deberent.Ignorantes interim, quòd vbi abundauit delictum,iam superabundat gratia, & vbi maior fuit infirmitas, ibi maior deberet gratitudo medico reddi, qui contulit perfectam salutem infirmo ad mortem. At illi retribuunt illi mala pro bonis, & odium pro sua dilectione Et pro eo vt eum diligerent,detrahunt ei. Loquuntur aduersus eum linguis dolosis, & sermonibus odio circa eum,& expugnauerunt eũ gratis. Causa murmurationis erat, *quòd ad hominem peccatorẽ diuertisset*, sed non est peccator,sed pœnitens,sed conuersus, sed misericordiam consecutus. Ad hæc dum vos ipsum iudicatis, vosmetipsos condemnatis. Et cum vos videre dicitis, & sanos esse,ideo peccatum vestrum manet.Ex hoc documentum habemus quòd propter malignantium scandalum & murmurationem, à via veritatis deflectere, & à bonitatis operatione cessare nõ debemus: sinendi sunt, quia cæci sunt,excæcati per malitiã, & duces cæcorum. Imo stare debemus in iustitia & timore dei immobiles, abundantes in omni opere domini semper. Et hoc exẽplo huius Zachæi,cui pro minimo erat quòd ab eis iudicabatur.Vnde dicitur:*stans autem Zachaus*, stabilis & immobilis in spe euangelij & in fide:Vt rectitudo corporis, rectitudinem significaret mentis,intentionis,vitæ & virtutis:stetit, qui diu in peccatis iacuit obrutus & depressus:sedit diu terrenis lucris cum Leui inhians, sed nunc stetit in conspectu dei fundatus supra firmam petrã.Ideo nec venti murmuratorum,nec pluuiæ cupiditatum, nec alluuio aquarum,hoc est, carnalium oblectamentorum, eum ad casum propellere potuerunt, sed patiendo hæc propter iustitiam & secundũ voluntatem dei,fideli creatori causam suam & animam commandebat in benefactis,dicens Christo in corde suo: redime me à calumniis hominum,vt custodiam mandata tua.Et iterum:Aufer à me opprobrium in verbis,& contemptum in cordibus & signis pharisæorum murmurantium,quia testimonia tua exquisiui. Insuper,quanto magis malis displicuit, tanto

Roma. 5. *Roma. 2.* *Eccle. 2.* *Matt. 9.* *Matt. 7.* *1.Pet. 3.* *Psal. 118*

in iustitia fortius pedem fixit, secum reputans illud Apo-
Gala.1. stoli: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non
essem. Et illud maximi vatum: Deus dissipat ossa eorum,
qui hominibus malis placent confusi sunt, quoniã deus
spreuit eos. Paris enim culpæ est, velle placere malis, &
propter mala. Ideo *dixit ad Iesum*, ex vero corde, *Ecce.*
Duo dicit nouus miles iste Iesu Christi: Vnum est elee-
mosynarum largitio, per quod radix omnium malorum
Tob. 4. cupiditas extirpatur, & peccata redimuntur. Alterum
Dan.4. est, iniuste acquisitorum restitutio; secundum ordinem
iustitiæ, & hoc requiritur ad proximi læsi reconciliatio-
nem. Sic discamus ex Zachæo murmurantium & oblo-
quentium malitias in patientia tolerare & vincere. Pau-
perum necessitatem releuare. Defraudatis ablata cum
cumulatione restituere. De eleemosyna in pauperes di-
stribuenda, septem ponit notatu digna: Vnum est boni
exempli præbitio, vnde ait: *Ecce* denotans quòd sicut pu-
blice & sine verecundia omnes scandalisauit per auari-
tiam & iniustitiã, ita publice vult omnibus misericordiæ
Matt.5. in pauperes exemplũ præbere: vt luceat lumen eius co-
ram hominibus, vt videant opera eius bona, & glorificet
Hie. 3. patrem qui est in cœlis: sed nos non erubescimus pecca-
tã, quia frons mulieris meretricis facta est nobis: sed di-
gnos pœnitẽtiæ fructus facere, custodire vias duras, deo
Luc.11. seruire, sancte, iuste, & sine querela conuersari, omnibus
placere in bono, verecundamur. Debet etiam esse larga,
Tob. 4. vnde ait: *dimidium*, & quod superest. Sic & Tobias dixit: Si
2. Cor.6. multũ tibi est, abundanter tribue. Nam qui parce semi-
Roma. 4. nat, parce & metet. Eadẽ enim mensura qua mensi fue-
Luc.6. ritis, remetietur vobis. Debet item eleemosina bona esse
& de optimis, ideo dicit, *bonorum*: contra eos qui ea dant
quæ ipsi abominãtur: Vel eos qui panes muscidos & car-
nes rancidas dant pauperibus. Et quæ ipsi nec odorare
Gene.4. possunt, Christo largiũtur. Sic Cain stramina & paleas,
sed Abel de optimis frugibus terræ obtulit deo. Hinc
Mala.1. scriptum est: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo
masculũ, & immolat debile domino, vel cæcum vel clau-
dum. Offer illud duci tuo si placuerit ei: & si susceperit
faciem tuam. Vel tuis quos inuitasti hospitibus, ista pro-
pone edenda. Debet item eleemosyna esse de iuste ac-
quisitis, vnde ait: *meorum*. Honora deũ de tua substãtia, et
de primitiis omniũ frugũ tuarum da pauperibus: meum
dare

dare debeo, non alienũ. Nam dona iniquorũ non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorũ, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis eorum. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, vita pauperis est, & qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Debet item gratuita & celer esse eleemosyna, vnde ait, do: & non dicit, dabo: differẽdo in futurũ. Dices qui tibi refundere non possunt, nihil inde sperando, vt sit eleemosyna tua in abscondito. De celeritate Salomon ait: Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cum possis statim dare. Multo minus hoc dicendũ est Christo, qui te rogat in paupere, & quẽ honoras in paupere vel aspernaris, iuxta illud: Qui miseretur pauperis, honorat factorem suum. Et iterum: Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datũ angustianti. Hinc Iob ait: Si oculos viduæ expectare feci. Sed nos illud testamentariis nostris committere volumus, de quibus illud accipi potest. Testamentarij tui infideles, socij furum, Pupillo non iudicant, pauperes non audiunt, quæ sua sunt omnes quærunt, & non quæ Iesu Christi. Debet etiam in eleemosyna esse intentio recta, vnde ait: *domine.* Vt in misericordia tua cum quæras solummodo, & non videri aut laudari ab hominibus, quia fœneratur domino qui miseretur pauperis. Sic Dauid fecit. Domine, inquit, in simplicitate cordis mei (quam deus diligit, quæ totũ corpus lucidum reddit, & quam docet habendam) lætus obtuli vniuersa, & populum tuum qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre vniuersa: Velut à vocatione domine, incipiat constructio. Tunc ante omnia daturus eleemosynam attendere debet, vt Christum in dominum habeat, vt illi soli, non ventri suo, non vicio vlli, non diabolo seruiat. Vt ante omnia seipsum deo offerat in hostiam sanctam &c. & postea quæ sua sunt. Nam seipsum diabolo, & sua dare deo, extremæ dementiæ est. Debet item non sufficientibus dari, *pauperibus* inquit: non diuitibus & amicis. Pauperes & egenos induc in domum tuam. Non in alterius, non in monasterium expulsis monachis. Sic Daniel regem docuit, & Tobias filium suũ. Pauperes enim semper habebimus nobiscũ etc. Sic Iob flebat super eo qui afflictus erat, et compatiebatur

Eccle. 34.
Luca 14.
Act 9.
Prou. 14.
Iob 31.
Esaia 1.
Matt. 6.
Mat. 10.
Esaia 58.
Matt. 26.

Ioan.12. anima eius pauperi. Sic vno membro patiente, cætera membra compati debent. Sed Lutheranorũ in pauperes misericordia, maxima crudelitas est & impietas horrenda: Nam eleemosyna eorũ gladius anceps est, corpus & animã occidens & perdens in gehennã. Nam cũ eleemosynis pauperes emunt ad hæresim suam, & nisi hoc fecerint, nihil datur eis. Sed esset melius iusto fame mori, quàm de tali mammona iniquitatis viuere. O crudelitas omniũ tyrannorũ crudelitate crudelior. Nihilominus sic occidendo animas quæ non moriuntur, euangelicos se esse iactant, & deo maximũ obsequiũ præstare. Et illud obiter nota, quòd ante restitutionem debiti ponit opus pietatis, nec tamen est ordo præposterus, quamuis in opere pœnitentiæ prior sit pietate restitutio ipsa. Sed Zachæus attendens erga se viscera pietatis & diuitias misericordiæ Christi, mox in misericordia ei voluit assimilari. Vt ille aliorũ misereretur, sicut Christus eius fuit misertus. Adhæc etiam secũ reputabat docibilis iam Dei effectus, quòd pietas ante omnia est, tũ dignitate, tũ vtilitate. Dignitate quidem iuxta illud: Misericordia superexaltat iudiciũ: Vtilitate autẽ, quia pietas ad omnia vtilis est, promissionem vitæ habens quæ nunc est, & futuræ. Adhæc etiã: *Et si quid aliquem defraudaui*, prius in negocijs officij mei, *hoc reddo*, modo: non dicit: Reddam, vel hæredibus vel testamentariis meis hoc committam. Sed ego ipse qui hæc per circumuentionem acquisiui, modo reddo *quadruplum*. Quadruplũ hoc bifariam intelligi potest: nempe, pro damno quod fecit, pro mora restitutionis, quod damnũ intulit defraudato, pro iniuria, & pro peccato cõmisso. Vel reddit quadruplũ, dolendo, confitendo, satisfaciendo, & pro reatu suo orando. *Ait Iesus ad eum*, recipiens oblationem, approbans satisfactionem, & gaudens de eius conuersione & salute, & dans eum in exemplum aliis peccatoribus, vt ipsi similiter facerent. *Quia* ex his quæ fecisti & dixisti, manifestum est omnibus, quòd *hodie salus domui huic facta est*, Hodie ergo, hoc est, in tempore gratiæ & in die salutis. Salus, id est, gratia saluans à peccato, custodiens à recidiuo et gehenna. Huic domui, id est, Zachæo, domino domus, per dæmonis expulsionem, Zachæi conuersionem et dignos fructus pœnitentiæ operationẽ, et Christi ingressum qui ei communicauit de bonis suis, et diuitem

Iob 30.

1. Cor. 12

Ioan. 16.

Ioan. 6.

Iacob. 2.

uitem in se fecit, ita quòd ei in nulla gratia aliquid defuit, facta est, quam prius non habuit. Huius ratio mutationis est in Zachæo, non in Christo, *et*, et ob hanc causam salus domui huic facta est, *quòd ipse* Zachæus, quia prius fuit filius diaboli et perditionis, filius Belial et huius seculi, filius sceleratus, semen nequam, adulterinus filius, etc. *sit filius Abrahæ*, per fidei Abrahæ imitationem, per voluntatis Dei impletionem et obedientiam, per hæreditatis assecutionem, quā habet in spe. Nihil refert, Iudæus genere fuerit, an gentilis. Nam gentilis, Abrahæ opera faciens, Abrahæ filius censetur. Iudæus Christum negans, legem non custodiens, non Abrahæ, sed diaboli filius, cuius desideria et opera facit, vocatur. Neq; enim qui semen sunt Abrahæ, omnes sunt filij, sed qui filij sunt promissionis ex Isaac, et gratię, hi æstimantur in semine. Custodite ergo vos à murmurationibus, quæ nihil prosunt, et à detrectationibus parcite linguę vestrę: et magis, grati estote. *venit enim*, in hunc mundum, et in propria. *filius hominis*, id est, in humanitate apparuit, quia secundum diuinitatem in mundo semper fuit, et cœlum et terram implet. Vide hic diuinitatis benignitatem erga nos, quia apparuit benignitas et humanitas saluatoris nostri Dei omnibus hominibus, quando verbum caro factum est et habitauit in nobis, et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratię et veritatis. Venit ergo, non angelus summus, non patriarcha magnus, non propheta eximius, non homo sanctus, sed vnigenitus Dei patris et hominis, Marię virginis filius, *quærere*. Ecce benignitatis humilitas, qua formam serui accepit, Lucernam accendit, domum euertit, quęsiuit, circumeundo et prędicando pœnitentiam et regnum Dei, vocando ad fidem, trahendo per beneficia, compellendo per flagella, *& saluum facere*. ecce humilitatis vtilitas, nempe salus nostra, omnia enim propter electos facit, vt salutem consequantur. Ideo cum nobis dat disciplinam, bonitatem eius cogitarę debemus, et sperarę misericordiam eius. Ideo etiam vocatus est Iesus, teste angelo. Hinc Paulus ait: Speramus in Deum viuum, qui est saluator omnium hominum, maxime fidelium, et obtemperantibus sibi. Hęc salus per gratiam Christi nobis datur in pręsenti, ne quis glorietur: et per gloriam in futuro, quia gratia Dei,

Galat. 3. Roma. 9. Sapien. 1. Titi 2. Ioan. 1. Sap. 12. 1. Cor. 1. Matt. 1.

Roma. 6. vita æterna. Hinc iterum ait: Saluator noster, mediator
1. Tim. 2. Dei & hominum, homo Christus Iesus, vult, quantum in se est, omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem
Luca 14. nominis sui peruenire. Ergo si multi damnantur, & pau-
Matt. 22. ci salui fiunt, ipsis imputatur, qui abiiciunt gratiā Christi, vel ei desunt, vel suam salutem cum ea operari negligunt, & nolunt ei obtemperare. *quod perierat*, in anima & corpore, in tempore & æternitate, per inobedien-
1. Petr. 5. tiam Adæ. Eramus enim nos omnes sicut oues errantes. Perieramus nos omnes quantum ad gratiam innocentiæ, quantum ad similitudinem imaginis, siue simili-
Luca 15. tudinis diuinæ, & quantum ad statum gloriæ. Ideo quod perierat, filius hominis quæsiuit: in oue, quantum ad innocentiam: in drachmate, quantum ad similitudinem, in
Psal. 71. filio prodigo, quantum ad statum gloriæ. Et in hoc adparet vtilitatis tantæ necessitas. Ipse liberauit pauperem hominem à potente diabolo, pauperem inquam talem, cui non erat adiutor alius, neq; in cœlo neque in terra, neque subtus terram, nisi tantùm leo de tribu Iuda, & agnus. Ei sit honor & imperium in secula seculorum, Amen.

IN DEDICATIONE TEMPLI,

SERMO DE PASSIONE CHRIsti amarißima, quomodo sub officio Missæ rememoranda sit.

Ioan. 13. CVM dilexisset Iesus suos, qui erāt in hoc mundo, in finem quoq; dilexit eos. Hinc maximum in fine vitæ suę erga nos dilectionis suę memoriale, pignus & opus (quando ex hoc mundo iuit ad patrem, qui
Psal. 110 miserat eum) instituit & reliquit nobis, iuxtà illud: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Vnde voluit,
1. Cor. 11. vt quotienscunque panem istum manducamus, & calicem benedictionis & salutis bibimus, mortem illius an-
Luc. 22. nunciemus, donec veniat. Hinc ipse ait: Hoc facite in meam commemorationem. Hinc Sapiens ait: Gratiam
Eccles. 29 fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam

suam in mortem. Quotienscumque ergo hanc hostiam laudis, hoc sacrificium iustitiæ offerimus, hoc magnum pietatis sacramentum frequentamus, amorem illum perpetuum Christi, quo pro nobis semetipsum cum adhuc inimici eius essemus tradidit oblationem & hostiam. Deo patri in odorem suauitatis, rememorari debemus Ibi maxime supereminens scientiæ charitas Christi emicuit. Ibi ostendit præcipue quod non verbo & lingua solummodo nos dilexit, sed opere potius & veritate. Maiorem hanc dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. At tua charitas, bone Iesu maior fuit, quia animam tuam pro nobis dedisti, qui inimici tui eramus, & odibilia tibi opera fecimus, téque spreto & deserto, creaturis potius seruluimus, quàm tibi creatori, qui super omnia in secula es benedictus. At parergis seclusis, mox ab ipsa causa sermonem auspicari consilium puto, & operepræcium reor. Omnes doctores sancti, quorum memoria in benedictione est, quos ego legi, (excepto Alberto magno) omnia quæ fiunt in missa, ad passionem Christi referunt, vt Christus iussit, & vas electionis disertis verbis expressit. Horum ego statui vestigia sequi, & remanentes spicas colligere in fasciculum hunc, ac dare eum esurientibus & sitientibus iustitiam, vt ex eo bonis illius satientur. Vt comedant bonum hoc, in crassitudine illius delectetur anima eorum.

Rom. 5. *1. Ioan. 3.* *Ioan. 15.* *Luca 22.* *1. Cor. 11* *Ruth. 2.* *Matt. 5.* *Esa. 55.*

DE VESTIMENTIS SACERDOTALIBVS, QVIBVS INDVITVR Missam celebraturus.

EX quo in Missa memoria passionis Christi amarissimæ recolitur & fieri debet, ideo omnia quæ in Missa aguntur & fiunt, innocentem, acerbissimámque mortem Adsertoris nostri repræsentat, & ob oculos ponunt eis, qui hoc sentiunt in se, quod & in Christo Iesu, & qui ipsum quasi myrrhæ fasciculum, inter cordis sui vbera commorantem habent. Et ipsum positum habent sicut signaculum super cor suum, & sicut signum super brachium suum, ac ipsum prouident in conspectu suo semper. Auspicando igitur dicimus, quod sacerdos sacris

Phil. 2. *Psal. 15.*

cris vestibus indutus,& ad altare vadens, Christum Ie-
Thren. 3. sum repræsentat.sed beatus qui intelligit, & hæc videns recordatur paupertatis,& trāsgressionis,absynthij & fellis illius, Igitur amictus quo sacerdos caput suum operit, syndonem immundum significat, quia filij noctis &
Psal. 44. tenebrarum in domo Caiphæ faciem eius plenam gra-
1. Pet. 1. tiarum,et speciosam præ filiis hominum,adeo quod angeli in eam aspicere desiderant,in nocte velabant. Pannus super amictum,diuersorum colorum, coronā spineā
Mat. 26. qua rex regum in domo Pilati coronatus fuit,ad cumulum pœnarum et opprobriorum, significat. Ligamenta et longę teniæ quibus amictus alligatur capiti,et quibus totum corpus circūligatur,funes filiorum Belial et catenas designant,quibus eum sicut latronem et malefactorum omnium pessimum pestilentissimúmque ligauerunt in horto et quando vinctum tradiderunt eū Pon
Luce 23. tio Pilato præsidi. Alba,vestem albam significat,in qua illusus,instar stulti et fatui fuit ab Herode Cingulum quo alba constringitur,ligamenta significat, quibus in domo Herodis sceleratissimi, fuit ligatus manus, et sic ad Pilatum remissus. Manipulus quem super brachium sinistrum portat sacerdos,funes designat,quibus flagella
Psal 115 tionis hora,innocens agnus dei,ad columnam fuit ligatus,Quibus vincula peccatorum nostrorum dirupit, &
2. Reg. 2. funes inferni,quibus eramus circundati,& laqueos mor
Ioan. 49. tis,quibus eramus circumplexi,dissoluit. Casula vestē purpureā signat,qua indutus fuit in domo Pilati. Stola quam humeris suis mystes imponit, crucem ignominiosam significat.In qua soter Adæ debitum soluit,diabolum triumphauit in seipso, & confidenter traduxit,
Col. 2. omnia peccata nobis donauit,& veteris piaculi cautionem pio cruore destruxit. Corporale,syndonem mundā significat, in qua exanime corpus Christi nostræ redemptionis consummato opere fuit inuolutum, Plica, (vt dicimus)sudarium significat,in quo(teste Ioanne euangelista)caput Christi fuit inuolutū tempore sepultu
Ioan. 20. rę, quod Petrus vidit in sepulchro separatim inuolutū. Ampullæ in quibus aqua & vinum continetur,spongiam designant,aceto plenam,quo potauerunt eum in siti sua. Altare,montem caluariæ, in quo quæ non rapuit exo-
Psal. 58. luit, designat,& nos de potestate tenebrarum eripuit,
Col. 2. ac in regnum suum transtulit. Calix sepulchrum eius

glo:iosum

gloriosum designat, in quo cum honore positus fuit, fortissimo illo deuicto, qui in pace damnabili longo tempore quæ possederat, detinuerat. Patena, lapidem magnum ad ostium monumenti aduolutum, & à perfidis Iudeis signatum repræsentat. Sic igitur ornatus, armatus & instructus mystes noster, assimilatur filio Dei, pro quo sacerdotio fungitur in officio isto, quo mortem illius nobis ob oculos ponit, sacris signis, vestimentis, verbis & gestibus suis, ad hoc augustissimum munus obeundū à spiritusancto ordinatis. Hæc impij aspernantur, hæc filij diaboli derident hæc filij tenebrarum, inobedientiæ, & damnationis calumniantur, maledicunt & damnant. Sed filij lucis & obedientiæ, hæc faciunt maximi, amant voice, & honorant obseruanter. Per hæc quasi per scalā Iacob ascendunt in cœlum, & ore ad os cum eo loquuntur, qui est desyderabilis totus, & animam suam in mortē pro nobis dedit, vt nos à morte redimeret, & destrueret eum qui mortis habebat imperium, ac nos liberaret de manu omnium qui oderunt nos, & ab omni iniquitate redimeret, mundarétque sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. In his ceremoniis & floribus piis, boni & recti corde, qui diligunt deum sine simulatione, instar apum mel dulcissimum deuotionis, compassionis, gratiarum actionis, & meritorum colligūt & diuites in omni gratia fiunt & in deo. Sed in reprobū sensum dati, in arcum prauum conuersi, diabolo pleni, hæc abominantur, & instar aranearum ex eiisdem floribus ceremoniarum venenum sugunt, quo ipsi pereunt, & omnes qui cum eis sunt in eadem hæreticæ prauitatis damnatione. Sic vsque in hodiernum diem, Christus in missa electis ponitur in resurrectionem, & reprobis in ruinam, & in signum cui ab eis qui malitia excæcati sunt, contradicitur. Nam isti hæc sancta videntes (sicut Iudæi faciebant dum pependit in cruce, & semetipsum deo pro nobis dedit oblationem & hostiam in odorem suauitatis) derident, loquuntur male de Deo et Christo Iesu, labiis suis, et mouēt capita. Videntes hæc filij diaboli, couiciantur Christo cum latronibus, alij illudunt ei cum militibus. Alij cum adhuc blasphemant in Missa, cum sacerdotibus et magistratibus, irascuntur, dentibus fremunt et tabescūt. Imo granis adhuc Lutheranis est ad videndū. Ideo frustra adhuc laborant

Mat. 27. *Ioan. 20.* *Heb. 7.* *Rom. 9.* *Luca 2.*

laborant Missam tollere de terra, ne nomen benedictū Iesu & memoriale passionis eius vltra memoretur. Sed
Iob 40. consilium diaboli frustrabitur, & desiderium peccatorum peribit, sicut frustratus fuit conatus perfidorum Iudęorum.
Psal. 20. Nam ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen Iesu Christi, & in omni loco sacrificabitur, & semper offeretur nomini eius hæc oblatio munda, etiā malis gratibus omnium dæmonum & filiorum diaboli, Lu-
2. Tim. 3. theranorum etiam si rumperentur. Nec vltra proficient, quia insipientia, imo diabolica malitia eorum, manifesta est iam multis, & manifestabitur adhuc magis de die in diem, et traducetur toti mundo. Sic Lutherani, Iudæis crucifixoribus peiores sunt. Nam Iudæi semel Christum in crucem suffigentes, deriserunt, blasphemauerunt & morte turpissima occiderunt. Lutherani sæpius eum rursus crucifigunt, ostentui habent, blasphemant, & omne malum mentiendo dicunt de eo. Iudæi gratis cum persecuti sunt, quando in forma serui habitauit in nobis. Lutherani hoc faciunt etiam, cùm gloria & honore est coronatus, ac super omnia opera manuum Dei constitutus, iudex viuorum & mortuorum. Iudæi semel, Lutherani crebrò ei molesti sunt & grauant eum contumeliis & blasphemiis suis. Iudæi vulnerarunt eum, Lutherani nunc super dolorem vulnerum eius addunt. Iudæi semel conspuerunt eum, & quasi leprosus esset abominabilem faciem eius reddiderunt, adeo quod quasi
Mar. 15. absconsus esset vultus eius speciosus præ filiis hominum
Esa. 53. & plenus gratiarum, & non fuit agnitus in plateis vultus eius. Sed Lutherani peiores sunt. Nam quot verba mala de malo thesauro cordis sui mali proferunt cōtra Missæ officium, tot execrationes in faciem Christi proiiciunt & abominabile hoc sacrificiū faciunt, vt iam non agnoscatur amplius, & nausea, horror & abominatio factum
Mat. 12. sit, hoc magnum pietatis opus omnibus viæ illius, mulieribus insensatis, & viris Belial, nescientibus dominum, & officium sacerdotale eius ad populum. Breuiter, quicquid pœnarum, malorum & improperiorum
1. Tim. 3. Iudæi Christo irrogarunt quando in terris videbatur & cum hominibus conuersabatur, hoc emulatius Lutherani ei irrogant in sacramento, in sacratissimo officio Missæ. Imò plures, grauiores & horribiliores contumelias, blasphemias, & criminationes Luthe-

ran

rani eygenvvillisch effutiunt in benedictum Domini in sacramento, quàm Iudæi eructauerunt de malo thesauro cordium suorum in eum, dum intrauit & exiuit inter eos. Videat & iudicet, obstruátque ora de se loquentium iniqua in superbia & abusione. Sacerdos igitur, sacris indutus vestibus ex sacrario exit, sicut Christus venit in Hierusalem in designatam domum, & ascendit in cœnaculum magnum stratum, sic accedit ad altare sacerdos pro Christo legatione fungens. Ibi primo panem azymum profert cum quo Iudæi agnum typicum comederunt in vespera paschæ, & septem continuis diebus vtebantur. Hoc signante spiritusancto, quod tunc Christus cum discipulis suis agnum typicum iuxta legis præscriptum comedit, legem impleuit & finiuit. Calicem detegit & nudat. quia tunc de genimine vitis cum eis bibit. Deinde descendit ad gradus altaris, & ibi cum ministro vel ministris alterutrum peccata sua confitentur aduersum se domino, & orant pro inuicem vt Deus remittat illis impietates peccatorum suorum. ac eos emundet ab omnibus carnis & spiritus inquinamentis. Sic & soter noster surrexit à cœna, & posuit vestimenta sua, linteo se præcinxit, aquam in peluim misit, pedes discipulorum lauit, & linteo quo præcinctus erat abstersit. Sic erudiuit nos, vt & nos ita faciamus, lauando à malitia corda nostra, antequam panem cœli manducamus, & calicem salutaris domini bibimus. In gressum seruatoris in cœnę solariũ magnum, introitus Missę cantatus cum iubilo significat. Quia tunc hospes domus Christum gaudens in domum suam suscepit, pro nihilo Iudęorum iram et cæcam habens æmulationem, qua præceperant ne quis eum confiteretur, sub pœna eiectionis extra synagogam. Per Kyrie eleyson, petimus, vt deus misereatur nostri secundum magnam misericordiam suam, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, et remittat nobis peccata nostra, nec iniquitatum nostrarum amplius recordari velit. Gloria in excelsis, pæana, oda, siue hymnus est gratiarum actio, pro isto beneficio quod tunc corpus in cibum, et sanguinem suum pretiosum dedit in potum. Nam teste euangelista, et ipse post istud maximum pietatis opus hymnum dixit.

Luca 22. *Rom. 10.* *Mat. 26.* *Luca 22.* *Luca 19.* *Ioan. 9.* *Psal. 50. & 66. 84.* *Ioan. 6.* *Mat. 26.*

Inde

Inde ingreſſus eſt hortum, vbi dormientibus diſcipulis inſtabat ſolus orationi, & tertio pro calicis amotione patri ſupplicauit, agonem ſuſtinuit, ſanguinem ſudauit. Sic
1. Tim. 2. hic myſtes in ſpiritu & veritate cum populo quem ſalutat patrē orat, obſecrat, poſtulat, & gratias agit pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus poteſtate prææditis, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni
Pſal. 118. pietate & caſtitate. Verùm cū in agonia prolixius ora
1. Theſ. 5 ret, & tribulatio & anguſtia eum circundederunt, & ef-
Luca 22. fugium periſſet ab eo, mox angelus Dei bonus de cœlo apparuit eúmq; confortauit ſermonibus optimis. In cuius memoriam tunc epiſtola legitur, verbis conſolato-
Dan. 13. riis plena. Nam iſtis verbis victores martyres conforta-
Ephes. 6. uerunt ſe, dum anguſtiæ eis erant vndiq;, & tunc in Domino confortati, & in potentia virtutis eius, animis conualuerunt, & quiduis pati pro nomine Ieſu ærant parati,
Rom. 5. gloriabātur in tribulationibus, complacuerūt ſibi in verberibus, carceribus, vinculis, ſcommatibus & improperiis, & mortem lucrum cenſebant. Et non ſolum homi-
Phil. 1. nes, ſed & beſtias, imo ipſum fortem armatum diabolum
2. Mac. 1. cuius fortitudini nulla ſuper terram fortitudo poteſt comparari, vt fumum, vt nocturnum ſomnium, vt vmbrā vaniſſimam ſpreuerunt. Sic olim ſacerdos magnus, Iudas Machabeus, commilitones ſuos (cùm manus cum allophylis conferere voluit, & horribilis belli apparatus inſtabat) ſingulos armauit, non clypei, haſtæ & armorum ferreorū munitionibus, ſed ſermonibus optimis. Gra-
Mat. 25. duale duobus verſibus abſoluitur. Vnus ſignificat, quomodo Iudas dux eorū fuit, qui cōprehenderunt Ieſum, & quomodo eum ſub oſculo, dilectionis & pacis ſigno, tradidit in manus inimicorum ſuorum. Alter verſus fugam diſcipulorum ſignificat, quomodo tunc in eo ſcandalizati fuerunt omnes, & illo relicto in manibus perſecutorum, fugæ præſidium arripuerunt. Sic percuſſo pa-
Zac. 13. ſtore, oues fuerunt diſperſæ, & capto duce, exercitus fuit diſperſus. Alleluia autem quod eſt cantus lætitiæ, gaudium & exultationem, quod impij habuerunt de captione Chriſti, ſignificat, quem odio iniquo & gratis, & pro
Pſal. 24. eo quod eum diligerent, habuerunt. Tunc repletum fuit
Eſai. 9. gaudio os eorum, & lingua eorum exultatione. Tunc lætabantur, ſicut qui lætantur in meſſe copioſa, et ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.
Gloria-

Gloriabantur in malitia, & quòd potentes erant in iniquitate. Lætabantur eo quod malefecerunt, & in rebus pessimis exultauerunt. Exultabant in superbia sua maligna, & non ponebant super corda sua, nec voluerũt intelligere, quod extrema gaudij mali, luctus occupat æternæ damnationis & dentium stridor. Tractus, ob oculos nostros ponit, quomodo captum Christum in peccatis nostris & vinctum regem, catenis & compedibus de horto traxerunt, sicut omnium hominum pestilentissimum (cum tamen esset sanctificatus, solus bonus & iustus, fidelis in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus, & pertransisset omnibus benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo) & ipsa vita indignum. In ista via de torrente bibit. Tunc crebrò ad terram cecidit, sicut euulsa arbor, & afflictiones horribiles pertulit. Si tractus non dicitur, tunc idipsum nihilominus per hoc significatur, quod sacerdos librum manibus suis complicatum, sicut Christũ ligatũ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ dei, absconditi ab vno cornu altaris ad aliud portat. Hic cæpit de loco ad locũ portari, sicut asportatur gallus gallinaceus, & coronatus fuit tribulatione. Euangeliũ postea legitur alta voce, hoc signante spiritusancto quòd doctrinam suã euangeliũ pacis, regni & gratiæ Dei confessus est coram Anna pontifice. In hoc nos erudiens, quòd nõ debemus euangeliũ erubescere, cũ sit virtus Dei, in salutem omni credenti. Sed Christum & euangelium corde fortiter credere ad iustitiam, & ore constanter confiteri ad salutem. Scientes, quòd qui Christum & eius sermones erubescit coram hominibus, hunc filius hominis erubescet coram patre suo, & omnibus angelis sanctis & electis.

Esaie 9. *Iac 4.* *Malac. 2.* *Thren. 4.* *Psal. 44.* *Act. 10.* *Psal. 109* *Colos. 2.* *Esaie 22.*

Quòd sacerdos finito euangelio librum osculatur, hoc significat, quòd vnus ministrorum, vt se gratificaret pontifici, mox magistro veritatis & doctori iustitiæ, alapam dedit crudelissimam, dicens: Sic respondens pontifici? (inueterato dierum malorum, addere debuerat.) Post hoc ad mediũ altaris vadit, quia mox in intempestę noctis tempore Christus ad Caipham fuit ductus. Ibi Petrus tertio negauit. Ideo sacerdos Christum confitetur, Credo in vnum Deum alta voce, & disertis verbis, canit, & vsque in finem vel cantat vel legit symbolum. Nã omnia credit, & hæsitat in nullo articulo. Sic Christum

ſtum & euangelium gloriæ beati Dei & nos confiteri debemus coram hominibus,& tunc Chriſtus nos confitebitur coram patre ſuo,omnibus angelis & electis ſuis, quando veniet in maieſtate ſua & gloria. Deinde vertit ſe ad populum, ſignificans quomodo mane facto,ductus fuit ad Pilatum. Dominus(fortis & potens in prælio)vobiſcum dicit, nec vos deſerat in tempore malo in manibus inimicorum,ſicut hic dimiſit Iudam ſecundum deſideria cordis ſuis. Vnde abiens laqueo ſe ſuſpendit, crepuit medius, & diffundebantur omnia viſcera eius. Poſtea dicit,oremus, vt pater miſericordiarum & Deus omnis conſolationis,noſtri miſereatur,ſicut pater miſeretur filiorum,ne appareant delicta noſtra, & ne increſcant ignorantiæ noſtræ, & ne multiplicentur delicta noſtra,ne peccata noſtra abundent, & incidamus in puteum interitus,in conſpectu aduerſariorum noſtrorum. Hîc canitur Offertorium,quia hic vindicator noſter traditus & oblatus eſt gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum,vt ſæpe prædixit diſcipulis ſuis. Hîc calix ad latus dextrum deponitur, & corporale explicatur,quia hîc Ieſus ad Herodem ductus fuit, & veſte alba indutus ac illuſus vt ſtultus, remiſſus fuit ad Pilatum. Verùm, cum perfidi Iudæi tunc Barabbam dimitti peterent & Chriſtum crucifigi, & in illud conſentirent, hoc autem recuſaret iudex, eo quòd Chriſtum ſciebat innocentem & traditum per inuidiam. Vnde quantum potuit, pro innocentis liberatione laborauit. Ideo hoſtiam cum patena in ambas extenſas manus accipit, & hoſtiam offert, ſicut tunc Chriſtus fuit retentus, Barabbas dimiſſus. Ideo hoſtia offertur, & patena occultatur ſub corporali. Deinde miſcentur vinum & aqua in calice, quia Verbum caro factum eſt, & homo Deus. Simul in vnum diues Deus & pauper homo. Admirabili commercio, noſtram aſſumendo humanitatem, et ſuam nobis largiendo deitatem. Sed et pater cœlorum, omnia nobis ad ſalutem neceſſaria cum illo (ex
Rom 8. charitate perpetua qua nós prior dilexit) donauit. Hîc
Hiere 31. calicem offert, quia hîc Chriſtus ſemetipſum immaculatum Deo patri pro peccatis noſtris obtulit, quæ non rapuit exoluit, et lauit nos in ſanguine ſuo,quem in flagellatione effudit. Hîc ad columnam ligatus fuit inſtar malefactoris, et tota die flagellatus fuit tam crude

crudeliter, quòd à planta pedis vsque ad verticem capitis, nulla in corpore eius sanitas fuit. Sed liuor & plaga tumens, cruciatus & dolor, omnia membra & loca corporis sui sanctissimi foris repleuerat, cum tamen dolor maior et tristitia cor eius repleuerat, cum sciret et videret quòd vos tam ingrati de tam copiosa eius redemptione, qua nos redemit ex omnibus iniquitatibus nostris, futuros præuidit. Tunc vulneratus est, innocens manibus & mundus corde, qui peccatum non fecit, in cuius ore dolus inuentus non fuit. Qui in hunc mundum ingressus est sine macula originalis culpæ, & habitando in nobis, ac cum hominibus conuersando, iustitiam operabatur. Qui tam sancte, iuste & sine quærela omnibus adfuit, quòd nemo eum de vllo peccato arguere potuit. Imo nec princeps & Deus huius mundi, in eo quicquam habuit. Nihilominus, vulneratus fuit propter peccata nostra, & attritus propter scelera nostra. Nam disciplina pacis nostræ fuit super ipsum, & pater misericordiarum propter peccata nostra percussit eum, ac posuit in eo omnia peccata nostra, vt liuoribus eius sanaremur à vulneribus à latronibus nobis inflictis. Vide nunc quomodo agnus Dei tollit peccata mundi. Vide quomodo peccata nostra ipse iustus & iustificans portat in corpore suo, & gratus esto. Deinde plica super calicem ponitur, quia tunc purpura indutus fuit. Crux item super hostiam figuratur, quia tunc caput eius tremendum cœli potestatibus, corona spinea fuit afflictum, & arundine percussum. Aliqui hîc lauant manus, alij ante Sanctus, in memoriam quòd Pilatus frustra coram populo noxias manus suas lauit, & innocentem se à sanguine iusti illius false asseruit. Frustra certe aquam manus diluit, quem conscientia de iniusta sententia super innocentem fulminata arguit & conuincit. Lotio ista etiam innuit quòd in sanguine agni vestimenta & conscientias nostras lauare debemus ab operibus mortuis, vt fiãt super niuem albiores. Deinde ad medium altaris, reuertitur, coram oblatis inclinans se profunde, orat, significans quòd ministri diaboli curuatis poplitibus, probrose, despicabiliter, & blasphematorie eũ adorauerunt, dicentes: Aue rex Iudæorum, & arrepta arundine, sanctum caput eius durissime percusserunt, ac fœdis sputis suis,

Mat. 2. *Rom. 2.* *Hier. 2.* *Apo. 7.* *Hebra. 9.* *Psal. 50.*

Psal. 44. speciosam faciem eius maculauerunt & operuerunt, vt
Esai. 53. quasi absconsus fuerit vultus eius, & non sit agnitus in plateis. At tunc fuit sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Vt agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Hæc omnia ex charitate æterna pro nobis passus est sine causa & culpa sua, ideo tunc sacerdos altare osculatur. Hic sacerdos vertit se ad populum, quia tunc Pilatus Iesum foras duxit ad populum indutum purpura, spinis coronatum, & plenum opprobriis abundantium & despectione superborum, instar leprosi abominabilem ad videndum. Tunc Præses dixit: Ecce homo. At synagoga Satanæ & omne
Mat. 27. theatrum diaboli vna voce conclamauit: Non habemus
Mar 15. regem nisi Cæsarem. Tolle, tolle, crucifige eum, crucifi-
Ioan. 19. ge eum. Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Tunc regirat se sacerdos ad altare, et legit voce submissa secretas. Quia tunc Pilatus in domo sua secrete sciscitabatur ab eo, vnde esset, an esset filius Dei, et multa verba vltro et citro miscebant. Cum verò Pilatus ex verbis Christi audisset sine arbitris, quòd peccauit in eum, licet minus Iudæis, voluit eum dimittere, & foras rursus Iesum duxit, dicens: Ecce rex vester, & cætera. Tunc Iudæi clamabant. Non habemus regem nisi Cæsarem. Sic alternatione verborum, ille excusat, isti accusant Christum. Ille omnem lapidem mouet, vt agnum de ore luporum eripiat, isti impudentia detestabili & malitia diabolica sanguinē eius sitiunt & mortem. Istam clamosam alternationem Pilati & Iudæorum sacerdos exprimit, alta voce dicendo:
Esai 1. Per omnia secula seculorum. Populus grauis iniquita-
Ioan. 8. te, filij diaboli, genimina viperarū, filij homicidarum, volentes mensuram patrum suorum implere, contradixerunt sermonibus iustis. Et hoc significat, quod chorus re-
Sapien. 2 spondet Amen, &c. Tamdiu donec dicunt; Dignum &
Ier. 11. iustum eum morte turpissima perire, memoriam eius
Mat 23. tollere de terra, vt nec nomen eius memoretur am-
Ioā 8. 10. plius. Nam seductor est, et malefactor. Non seruat sabbathum, dæmonium habet, insanit, et populum, &c. Dixit etiam se Christum regem esse. Ideo si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Accusabimus te quòd imperij turbatorem et regnum ambientem contra edicta Cæsaris in malitia permittis viuere. Et cum in multis accu-

saretur

ſaretur innocens agnus Dei, nihil reſpondit, ita vt Præſes vehementer miraretur. Sed Pilatus ſciens Chriſti innocentiam, & quòd Iudæi per inuidiam tradidiſſent eum, rẽdderéntque ei mala pro bonis, & odium pro ſua dilectione, vt recti iuſtíque tenax, pro Chriſto & iuſtitia agonizauit quantum potuit, vt animam eius eriperet de manibus quærentium eam. Vnde reſpondet: Vere dignum & iuſtum eſt eum dimittere. Non eſt malefactor, ſed benefactor. Multa ſiquidem bona opera oſtendit vobis ex patre ſuo, propter quod illorum vultis eum occidere. Ille viam Dei vobis in veritate docuit, leproſos mundauit, cæcos illuminauit, obſeſſos liberauit, mortuos ſuſcitauit. Smma, omnem languorem in populo ſanauit, et omnibus bonis per eum repleti eſtis. Verùm cùm ex his magis exacerbarentur et excandeſcerent, et in maiorem zelum amarum et inuidiam diabolicam accenderentur, lauit manus ſuas coram illo diabolico theatro, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis. Hoc totum altus cantus præfationis, et lotio manuum ſeculariũ ſacerdotum more ingerit oculis aſtantium et auribus. Tunc filij Belial et maledictionis, hominem inopem et mendicum perſequentes, odio iniquo gratíſque odientes, dilexerunt maledictionem. Vnde clamauerunt: Sanguis eius ſuper nos et ſuper filios noſtros. Sic manibus et verbis impij iſti accerſierunt ſibi mortem et maledictionem, et æſtimantes illas amicas defluxerunt. Dilexerunt mortem et maledictionem, et venit eis, et benedictio quam noluerunt, elongata eſt ab eis. Induerunt maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eorum, & ſicut oleum in oſſa eorum, facta eſt eis quaſi veſtimentum quo operiuntur, & ſicut zona qua ſemper præcinguntur. Ideo ad hoc ſignandum, nempe, quòd ſanguis eius ſuper eos deberet venire, alta voce chorus intonat dicens: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Sed Deus vltionum, non ſolum vltionem ſeruorum ſuorum, quos patres eorum occiderunt, imo & filij ſui dilecti, in quo ſibi bene complacet, & omnium iuſtorum ab iſta generatione peſſima requirit. Tunc videns Pilatus quia nihil proficeret laborando iuſtum eruere ab his qui eum quærebant ad mortem, ſed magis tumultus fieret in populo diris furiis turbato, timore Cæſaris & ob gratiam Iu-

Prou. 24.
Matt. 4.
Luc. 4.
Actu. 10.
Mat. 27.
Sap. 2.
Pſal. 108
Prou. 24.

dæorum,vt tali impietate & iniuſtitia eos demereretur, iuſtum,ſanctum & innocentem morti tradidit,& voluntati eorum,vt crucifigeretur. Et hoc ſignificat ſacerdos, dum manu ſignum crucis exprimit,& benedictus qui venit,&c.dicit. Nos autem clamamus Sanctus. Sanguis eius ſuper nos, vt nos emundet ab operibus mortuis. Item,oſanna in excelſis.

¶Iam incipit crucifixio.

Tunc viri ſanguinum & doloſi,exuerunt eum purpura,& veſtimentis ſuis eum induerunt.Et educentes eum extra portam,ignominiam ſuam, crucem grauiſſimam propriis humeris ad locum ſupplicij portauit. Nam in frontiſpicio canonis,crux depicta cernitur.Mox tres cruces myſtes facit, quia ſotor noſter in medio duorum latronum ibat,& vias latronum cuſtodiuit, quod illi probroſum & pœnale erat. Tum quòd in iſta eductione deriſus fuit ab iis qui præcedebãt, afflictus ab his qui iuxta illum ibant, lamentatus ab his qui eum ſequebantur. Hic orat ſacerdos pro omnibus, maxime pro his qui in ſublimitate conſtituti ſunt, & pro eis qui in omni preſſura ſunt,& circundati malis quorum non eſt numerus, pro amicis,inimicis, benefactoribus et recommendatis, vt omnes per Chriſti miſericordiam exaudiantur et conſolentur. Hîc ſanctorum merita etiam implorat ſacerdos,vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eorum nobis meritis et interceſſione donetur. Tum vt hic memores ſimus, quomodo ſequebatur eũ multa turba populi,et quomodo conuerſus locutus eſt eis:Filiæ Hieruſalem,nolite flere ſuper me,etc.Orat etiam,vt deus pacis,per Chriſti paſſionem et ſanguinem,per quem pacificauit omnia, cum ſit et pax noſtra, repleat nos omni gaudio et pace in credendo,vt hoc modo abundemus in ſpe et in virtute ſpirituſſancti,et dare nobis dignetur pacem ſempiternam. Hîc quinque cruces facit,ſuper hoſtiam et calicem ſimul, ſignificans quod hîc exutus eſt et nudatus totus. Et vt doctores ſancti dicunt, velo capitis Mariæ renes et fœmora tectus. Et ſignificant iſtæ tres cruces, tres clauos quibus cruci fuit affixus. Deinde vna crux ſuper hoſtiã et vna ſuper calicem, ſignant quod hic ſanguis à corpore fuit effuſus et ſeparatus

Ioan. 19. *Pſal. 16.* *Luc. 22.* *1. Tim. 2.* *Iacob. 5.* *Col. 1.* *Ro. 5.*

ratus. Deinde hostiam consecrat, sicut Christus in cœna fecit, & nobis facere in sui memoriã præcepit. Deinde hostiam eleuat, vt eum adoremus qui per crucem nos redemit, & eleuatus in cruce omnia ad se traxit. Vt item recogitemus, quomodo serpens in typo exaltatus est in deserto, quatenus nos filiũ hominis exaltatum in cruce vera fide aspicientes, à morsibus serpentum sanemur, ne pereamus, sed habeamus per eũ, in quam vocati sumus, vitã æternam. Postea, calicem consecrat, eleuat & offert, quasi dicat: Videte corpus quod pro vobis traditũ est in manus peccatorũ. Videte & sanguinẽ preciosum quo redẽpti estis de vana conuersatione paternæ traditionis, loti à peccatis vestris, noui testamenti confirmatorẽ, melius clamantẽ & loquentẽ, quàm sanguis Abel. Siquidem, hic vindictam, ille autẽ misericordiam & propitiationẽ pro omnibus qui eo asperguntur, precatur. Hic est preciũ magnum quo empti estis. Hic est Christus Iesus, qui est ad dexteram patris, mediator dei & hominũ, qui interpellat pro vobis. Hunc honorate, hunc diligite, & tunc omnia euenient vobis prospere. Illo pro nobis, nemo nobis nocere potest. Hic cogita primũ verbũ quod dixit in cruce, videlicet: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Deinde quinq; cruces facit, significans, quomodo Christus in cruce, à prætereuntibus, à sacerdotibus, à crucifixoribus fuit derisus. Sed & latrones crucifixi cũ eo, blasphemabant eum & conuitiabantur ei. Ideo duas cruces facit, vnã super hostiam, aliam super calicem. Orat deinde dicens: Supra quæ, etc. Quia hic titulus triumphalis in tribus linguis supra caput eius fuit cruci affixus. Inclinans et humilians deinde se ante mediũ altaris, orat vt per hoc sacrificium laudis et iustitiæ, ab omni maledictione liberemur culpæ et pœnæ, et omni benedictione cœlesti et gratia repleamur, per Christum Dominum nostrum.

1. Tim. 6. *Hebr. 9. & 12.* *1. Pet. 1.* *1. Cor. 6.* *Hebr. 7.* *Roma. 8.* *Matt. 27.* *Marc. 15.* *Luca 23.*

Tres adhuc cruces hic facit mystes, quia hic Christus in deitate, in anima et in corpore fuit inhonoratus, blasphematus et cruciatus. Et peccata tulit in corpore suo super lignum, præteritorum, præsentium et futurorum, cœlum aperuit, infernum destruxit, mundum reconciliauit: Sanctificauit nos per omnia, adeo quòd cum ipsius gratia et adiutorio, integrum spiritum nostrum et animã et corpus seruare possumus sine

Esaia 53. *2. Petr. 2.* *1. Thess. 5* *Galat. 2.*

querela(nisi abiecerimus,& in vacuum gratiam eius acᷓcipimus) in aduentum eius. Verùm,exquo vnus latronum,pulsanti ostium aperuit,trahentem sequebatur, & oblatam gratiam acceptauit,& iniquitatem suam agnouit,confitebatur,& socium sceleris arguens,secum lucra
Hebr.4. ri studuit.Insuper ad thronum gratiæ dei confugiens,misericordiam consecutus est,& gratiam inuenit in auxilio & tempore opportuno, quia in spiritu humiliato & in corde contrito,misericordiam dei magnam,existẽs ipse peccatorum maximus, blasphemus, & omnibus malis plenus,misericordiæ locum inuenit,dum dixit:Memento mei domine vniuersorum,dum veneris in regnũ tuũ cœleste.Et mox Christus, diues in misericordia & gratia,secundum multitudinem miserationum suarum,deleuit vt nubem omnes iniquitates eius,& regni sui consortium ei promisit,dicens:Amen dico tibi,hodie mecũ eris in paradiso.Vnde hîc precamur pro defunctis,vt per viscera misericordiæ suę,& diuitias bonitatis,per meritũ suæ passionis,eos à pœnis absoluat, & partis sortis sanctorum in lumine participes & dignos efficiat. Verum ex quo diues seruator noster est ad miserendum, benignus,suauis,mitis & præstabilis super malitia,ideo sacerdos cũ publicano isto recolens se in multis offendisse, percutit pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, & omnibus de multitudine misericordiarum tuarum sperantibus. Et per anticipationem rememoratur, quomodo Centurio cum his qui ad flebile spectaculũ aderant, visis his quæ operabatur magnalia in sua morte,compuncti corde percusserunt pectora sua,dicentes:Vere hic homo filius dei & iustus erat.Ideo hic etiã
1.Cor.6. sanctorum quorundam nomina recitantur. Hic rursus
2.Thes.2. tres cruces facit,ad significandum quòd sanguis vindica
Rom 11. toris nostri hîc fusus,tria operatur in præordinatis in vi-
Colos.1. tam æternam:Abluit à peccatis,sanctificat & confirmat in omni opere & sermone bono, & iustificat in gratia exercendo,bonitatem faciendo,& in omni opere bono fructificando. Rursus tres cruces inter calicem & semetipsum facit sacerdos cum hostia,dicens:Per ipsum,&
Luca 2. cum ipso, & in ipso. Quia pater summè inhonorabatur in filio, filius hîc summo dolore cruciabatur, spiritus sanctus hîc summè blasphemabatur. Tum,vt per hoc innuat,quod Christi passio gladius Simeonis est, qui hîc
Ioan. 19.

animam

animam Mariæ pertransiuit. Vnde alta voce cantat sacerdos, Per omnia secula seculorũ, Amen. Et signat tertium verbũ, quo dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Et ad discipulum: Ecce mater tua. Ideo cũ gaudio exultatione in deo salutari nostro, orationem Dominicã cantat. Quia cum prius haberemus patrem in cœlis, iam etiam matrem accipimus & habemus Mariam à dextris filij in excelsis. Deinde orat vt deus nos liberet ab omnibus malis præteritis, præsentibus & futuris, & non deserat nos in tempore malo, in manibus inimicorum. Et hîc rememorandum est, quartum verbum: Nempe: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Postea hostiam accipit super patenam, Innuens, quod Christus, Sitio, dixit, & tunc eum potauerunt aceto, & fel in escam illius dederunt. Hoc expressius significat, quòd vnã partem hostiæ in calicem mittit, Mox consummatum est, dixit, quod sacerdos designat, cum per omnia seculorũ cantat, & chorus, Amen respondet. Deinde pax Domini dicit, quia per sanguinem crucis reconciliati deo sumus & pacificati. Ideo hîc in manus patris cõmendauit spiritũ suum. Pax interna, externa et æterna, quod per hoc signat, quod tres cruces cum hostia super calicẽ figurat, vel potius in calice sancto. Hîc mittit vnam partem hostiæ in calicem, quia tunc anima eius benedicta ad infernum, ad sinum Abrahæ, & limbũ descendit. Penetrauit omnes inferiores partes terræ, inspexit omnes dormientes, illuminauit omnes sperantes in domino. Nam lætificauit eos in gaudio cũ vultu suo. Ibi videbant eum facie ad faciem, et sicuti est in gloria sua. Et tunc salua facta est omnis anima iusta, quæ obdormierat in domino, et redemptionem Israel expectans expectauit in spe electorum. Vnde hic pax dei annunciatur, et datur sanctum osculum pacis. Vel alij osculantur crucem aut imaginem Christi, per quã pax est reformata. Corpus Christi ponitur super patenam, sicut depositũ de cruce, positum fuit in signum Mariæ. Mystes et communicaturus in os sacramentum accipit, sicut corpus positum fuit in sepulchrum. Plica super calicem ponitur, et lapidem significat quem aduoluerunt ad ostium monumenti. Postea plica de calice deponitur, hoc signans, quod angelus lapidem ab ostio monumenti reuoluit, postquã rediuiuus Christus in glorioso corpore, clauso exiuit

Matt.6. *Mat.27.* *Marc.15.* *Ioan.19.* *Psal.68.* *Colos.1.* *Eccles.24* *Psal.20.* *1.Cor.13.* *2.Cor.13.* *Luca.24.*

vt sanctus spiritus veniat super nos, repleat corda nostra, & sui amoris in nobis ignem accendat, omnem veritatem nos doceat, nos agat siue regat, per semitas iustitiæ deducat sine offensa in portum salutis æternæ Amen.

Tunc reuertitur Hierarcha siue sacerdos ad sacristam, sicut filius Dei obedientiæ suæ, nostræ salutis consummato opere, quod operatus in medio terræ, ad patrem suum qui misit eum est reuersus. *Ioan. 17. Psal. 73. Mar. 16.*

* *

*

SERMO

SERMONES ALIQVOT DE COMMUNI SANCTORUM.

SERMO DE SANCTIS IN communi, ex Lutheri præceptorio desumptus.

INTELLECTVS bonus omnibus facientibus timorem Dei, laudatio eius manet in seculum seculi. Ante ista verba
Psal. 100 ait vir secundum cor Dei: Initium sapientiæ, timor Domini. Vir autem dolorum
Iob 28. Iob, timor Domini ipsa est sapientia. At Dauid de timore seruili, & initiali. Iob autem de timore casto, filiali & sancto, qui permanet in seculum seculi, ait. Vel verius dic, quod vterque loquitur de timore domini sancto. Nã iste timor ad totam vitam hominis comparatur, sicut radix ad totam arborem, quam in se virtualiter continet.
Eccl. 27. Abscinde radicem & arida est arbor: sic nisi instanter in timore Dei te tenueris, citò subuertitur domus tua. Et quanto arbor illæsa radice erat altior & exuberantior in fructibus, ac amabilior Domino suo, ac pulchrior aspectu, tanto casus eius grauior, inutilior & despicabilior læsa & abscisa radice. Sic homo iustus qui arbor bona est & fructibus bonis exuberat, manendo in radice timoris Dei, si timorem Domini in se euacuat, timorem Domini amplius non habet ante oculos suos, exiccatur, fit lignum aridum, cui securis debetur & ignis. Cadit à gratia, à iustitia, à Dei præsidio & misericordia, & fit ruina
Mat. 7. eius magna. Et eatenus magna, quatenus prius maior erat in gratia, iustitia & bonitate. Corona igitur sapientiæ
Eccl. 1. est timor Dei. Corona, vbi incipit, ibi finitur. Sic timor Dei corona dicitur sapientiæ, quia sapientia ex timore oritur, in timore Dei continuatur, consummatur & præ-
Eccl. 19. miatur. Omnis ergo sapientia, timor Domini. Ergo, bea-
1. Tim. 4. tus cui datum est habere timorem Dei. Nihil ergo melius, quàm timor Dei. Nihil vtilius incipienti, nihil cautius

tius in bono & gratia proficienti, nihil tutius egredienti de hoc seculo,& in gaudium Domini intranti. Quia timenti Deum bene erit in extremis,& in die defunctionis suæ benedicetur inter benedictos. Nec tibi blandiri debes & teipsum vana spe seducere, perinde ac Deum timeas,nisi feceris timorem Dei. Vnde ait Dauid: intellectus bonus timoris Dei,siue sacræ scripturæ est omnibus,& solis illis,qui faciunt timorē Dei,& opere & veritate eum implent. Qui per timorē Dei declinant à malo & faciunt bonum. Quia per timorem Domini,omnis homo declinat à malo. Ad hæc, Qui timet Deum,faciet bona,& nihil negligit eorū, quæ bona sunt & vtilia hominibus ad salutem. Insuper tecum reputa, an inquiras quæ beneplacita sunt Deo. Et si præparas cor tuum,lauando illud à malitia, mundando, per contritionem & confessionem humilem & veram,& virtutibus ornando, & in conspectu illius, id est, in conscientia, quam solus deus videt,sanctificas animam tuam. Vtrum te emundes ab omni inquinamento carnis & spiritus,& an sanctificationem tuam perficias in timore Dei. Amplius vide & considera,quod qui timent dominum, custodiunt mandata eius,corde,ore & opere,& totam legem obseruant, nec in vno offendunt,alioqui maledicti essent, & omniū rei. Hunc bonum intellectum timoris Dei, sanctus N. habuit,cuius hodie festum colimus, & talis in timore Dei vixit. Ideo laudatio & laus eius manet in seculum seculi. Collaudant multi(non dicit omnes,quia synagoga Satanæ,sanctos probris incessit & maledictis lacessit) sapiētiam & timorem dei sanctum, & vsque in seculum non delebitur laus eius de ore & memoria hominum, pie in Christo viuentium. Non recedet memoria eius,& nomen eius, in exemplum imitationis placendi Deo,à generatione in generationem cum laude. Sic in memoria æterna est iustus. Et sapientiam eius enarrabunt gentes, ad aliorum ædificationem, in fide & moribus. & laudem eius enunciabit omnis ecclesia sanctorum, nihil morans scandala impiorum, et filiorum diaboli, iras, fremitus dentium et inuidias tabescentes aspernendo. Sed modum quo sanctos honorare et Deum in ipsis glorificare debemus, ex Lutheri verbis et scriptis perdiscere pulchrum duxi: vt sanctorum inimicos et suggillatores, ex scriptis sui antesignaui conuincamus, et

Prou. 15. Hier. 4. Psal. 50. 3. Reg. 8. Heb. 4. 2. Cor. 7. Eccl. 2. Iac. 2. Gal. 1.

ora eorum loquentium de ſanctis iniqua, per eccleſiaſten eorum & (ſi diis placet) euangeliſtam, veritatis farre mundiſſimo obſtruantur. Neque validius, inuictius & irrefragabilius dogma contra veritatis hoſtes, & ſanctorum ſuggilatores habere poſſumus quam ſi, ſuis ſcriptis eos aggredimur, & quaſi proprio gladio ſpuriorum iſtorum & nothorum capita amputamus. Sic enim omnes iniquitas opilat os ſuum, & ex ore proprio nequam iſti iudicantur, ex verbis ſuis ſceleſti condemnantur. Sic etiam ad ſuperabundantiam, teſtimonium bonum habemus ab his qui foris ſunt. Ad ſuperabundantiam dico, quia ſine Lutheri ſcriptis ſatis ſupérque ſatis ſunt Eccleſię dei ſcripturę ſacræ & ſanctorum teſtimonia, quibus articulus de ſanctorum veneratione fulcitur. Ait ergo Lutherus in Pręceptorio ſuo, in primi pręcepti declaratione: Sancti duobus modis coluntur à nobis & inuocantur. Primo propter temporalia & corporalia duntaxat: Et hi falſe colunt ſanctos, imo magis ſeipſos in illis, quia quæ ſua ſunt quærunt, non ea quæ dei ſunt. Ac ideo ſanctos prope in idola ſibi transformant. Hos ſane B. Auguſt. non penitus reiicit: Sed ita dumtaxat commendat, vt eos meliores afferat, quàm eos qui per pacta diaboli, temporalia quærunt: *Melius eſt enim etiam à deo temporalia petere, quam à diabolo.* Sed Lutherus hic à ſcopo veritatis deflexit. Nullo modo enim licet temporalia à diabolo petere, ſed à
Mat. 6. deo: quamuis ſecundo loco. Sic in oratione dominica, primo ſpiritualia, ſecundo loco panem noſtrum quotidianum, id eſt, omnia ad vitæ vſum neceſſaria petimus
3. Reg. 8. à deo, inſtituti à Chriſto. Sic & Salomon ea in ſua inter
2. Par. 6. ſerit oratione, quā cōſummato templo fecit ad deū. Sed & malis & infidelibus, qui Deū ignorant, multa externa
Mat. 5. beneficia largitur. Sic ſolē ſuum oriri facit ſuper bonos
Luca 6. & malos, & pluit ſuper bonos & malos & ingratos. Imo, via impiorū proſperatur, & bene eſt omnibus qui præuaricantur & inique agunt. Abundāt tabernacula prædonū
Iob 12.
Hier. 12. et Lazarus micas panis eſurit, et nemo dat ei. Sic ſunt
Abac. 1. iuſti, quibus mala proueniūt, quaſi opera egerint impio-
Luca 16. rum, et ſunt impij, qui ita ſecuti ſunt, quaſi iuſtorū facta
Eccl. 8. habeant. Ideo terribilis in conſiliis Deus ſuper filios hominū, et iudicia eius abyſſus multa. Sic Syrie per Naaman idololatram ſalutem dedit. Quantas victorias Sennacherib,

nacherib, Nabuchodonosor, Alexandro magno. Romanis, et id genus multis aliis dedit Deus, ad vindictam ma- *Psal. 35.*
lorũ iusto, sed occulto iudicio suo. Sed quid hæc ad scopum? Nam illi, neque à vero Deo, neque à sanctis eius ista beneficia petierunt. Culpat deinde eos, qui sola beneficia corporalia à sanctis petunt. Vt à sancto Anthonio, petunt à sacro igne custodiri. A sancto Sebastiano, à peste custodiri. A sancto Valentino, à morbo caduco, & cętera. Interim vero nullus plane auditur, qui id â beato Anthonio petat, vt ipse mereatur lætitiam spiritus, vitæ rigorem, profundam humilitatem, charitatem ardentem, fidem veram, spem firmam, insuperabilem eius patientiam, orationis eius instantiam, et omnium aliarum virtutum illius concentum imitari, absoluere et opere adimplere, de quibus diuo Athanasio teste, in vita eius fit mentio. Hæc enim oportuit facere, & illa nõ o- *Mat. 23.*
mittere, Nũc autem ordine præpostero, quę carnis sunt quærimus, spiritualibus aut neglectis, aut ignoratis, aut quod peius est, despectis. Et post multa ait Lutherus Sed & illud vide. Ipsi mortui sancti & sanctę (quos multos recensuit) non orãt pro suis cultoribus, vt iusti et salui fiant, quia adhoc non coluntur & rogantur, sed vt diuitias, sanitatem, prosperitatem (quæ omnia ipsi per mortem contempserunt) obtineant. Sed permittit Deus ista *Psal. 102.*
qui figmentum & imperfectum eorum cognoscit. Quia *Psal. 13.*
harundinem quassatam non confringit, & linũ fumigans *Esa. 42.*
non extinguit, & largitur ea quæ petuntur, nõ quod ma- *Matt. 12.*
gna sint, sed quia bonus est & clemens, tam infirmos in fide, instar pij patris ita fouens, quam indignos ita remunerans quorum ignauus animus, nescit & neglegit æterna, & meliora petere, quæ verũ Deum decet & delectat largiri. Nam qui rite Deum & sanctos colunt, quęrentes primo gloriam Dei in illis, & imitationem, sicut facit ecclesia in suis collectis. talia non petunt, imo si habent, auferuntur ab eis, vt sola sapiant spiritualia. Nec meliori signo cognoscuntur & decernuntur veri cultores à falsis, quam si illis auferantur, illis conferantur copiæ diuitiarum. Non tamen prohibeo sanctos inuocari pro temporalibus, sed quod solum pro temporalibus id faciũt plurimi, damno, neglectis eorum virtutibus & exemplis. Ostende tu vnum ex omnibus *Collecta de sanctis*

sanctis

ſanctis,qui pro humilitate vel alia virtute tantum habeat concurſum & nomen,quantum habet S. Valentinus pro morbo caduco. Spiritualia primo loco petenda ſunt & quærenda, iuxta illud: Primum quærite regnum dei &
Matt.6. iuſtitiam eius &c.Hæc enim, nempe ſola temporalia &
Letania externa,gentes quærunt.Sic eccleſia ordine recto in letaniis,à fulgure & tempeſtate aliiſque corporalibus neceſſitatibus cuſtodiri & liberari orat, & à cunctis mentis & corporis periculis rogat defendi. Sed primo miſericordiam & remiſſionem peccatorum præcatur, deinde
1.Tim.2. externa. Sic & Apoſtolus orari iuſſit, vt pacem & tran-
Scopus quillitatem haberemus in vita. Rurſum ait: Id ego vi-
Nota bene. deo,quod eccleſia non dicit, S.Paule cura vulnera mea, ſed ora pro me. Ideo ſciendum eſt, quòd omnes ſancti omnia poſſunt,& tantum per eos à deo tibi dari,quantum credis te accepturum. Quare omnia tua commenda ei,in quem magis es affectus.Primum peccata tua,& neceſſitatem animæ tuæ,ſicut S.Cecilia fecit in nuptiis ſuis.Omnes ſanctos per ordinem inuocans,pro ſua caſtitate ſeruanda apud deum. Sane nec improbo quod S. Auguſtinus in quadã epiſtola dicit, quod deus per vnũ ſanctum,imo in vno loco facit,quod in alio & per alium ſanctum non facit. Quis enim nouit conſilium Dei? Si ille diſtribuit ſicut vult,bene & recte diſtributũ eſt. Hæc Lutherus.Et hoc ipſe probo per varia & diſtincta dona,
Rom.12. gratias,operationes, miniſtrationes in diuerſis mẽbris
1.Cor.12 corporis Chriſti myſtici,quod eſt eccleſia ſanctorũ.Hæc
Epheſ.4. enim omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Hæc de Lutheri longa proſecutione,quomodo ſancti honorandi ſunt,primo id eſt,corporali et exteriori,perſtricta ſunt: Quibus qui fidem dare recuſat,originale Lutheri legat,et me veraciſſimum cõprobabit.

DE CVLTV SANCTORVM
VERO ET INTERNO.

SECVNDO ſancti coluntur vere et interne Hic autem cultus conſiſtit in laude cordis primum,deinde in voce et opere foris,id eſt,quando Deus laudatur in ſanctis: et ſancti laudãtur in Deo, ſicut ſcriptũ eſt,
Pſal.150. Laudate dominum in ſanctis eius, laudate eum ſecundum

dum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in *Psal. 59.*
virtutibus eius.&c. Sic Paulus fecisse scribit primiti- *Galat. 1.*
uos Christianos. Et in me inquit clarificabant deū. Sic
facit Psalmista: Confitebor tibi domine in toto corde *Psal. 110*
meo,in consilio iustorū & congregatione. Magna opera
domini,exquisita in omnes voluntates eius. Vult enim
dominus enarrari gloriā suam,& annunciari opera ma- *Psal. 101*
nuū suarū,sicut dicit:Vt annuncient in Sion nomen do
mini,& laudē eius in Hierusalē. Et rursus:Narrabo om- *Psalm. 9.*
nia mirabilia tua.Item:Vt enarrē omnes prædicationes
tuas,in portis filiæ Sion.Et multa alia in psalterio. Ideo *Psal. 72.*
enim Deus tot & tanta operatur in sanctis,vt ipse glori
ficetur.Quare non est dubiū,quin sancti nolint in seipsis
laudari & glorificari, sed in domino, & dominum in se.

Vnde vt pro rudibus demus modū.Ille vere colit sanctos Dei in Deo, qui gratiā Dei & opera in illis intuitus & meditatus,mouetur & soluitur in dulcē affectū erga Deū,quod tanta & talia largiri illis dignatus est velut diceret:Benedico te,& gratias ago tibi piissime deus, quia æterna misericordia tua sanctū N.præuenisti, & ad *Psal. 20.* peccati perditionisq; massa, tam eximiū gloriæ vas tibi perfecisti. Sic Deū laudasti in sancto suo. Rursum & sanctū ipsum in Domino sic laudabis:O sancte dei,N. Bene *1. Tim. 2.* dictus tu in filiis hominū,qui dignus Deo visus es, tam ineffabilis gratiæ & gloriæ Dei donis ornari. Quemadmodū Sancta Elizabeth benedixit beatam virginem,dicens:Benedicta tu in mulieribus,& beata quæ credidisti,perficiētur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. *Luca 1.* Oportet enim vt diuinum odorem diffusum in sanctos,percipias, & guttulas bonitatis eius prægustes, vt ex hoc & tu in amorem Dei succendaris. Quia totum quod sunt & faciunt sancti,ros & gratia cœlestis est,spirans suauissimam Dei misericordiam super filios hominum. Sic sic oportet omnem gloriam sanctorum referre in Deū,qui hanc eis dedit potestatem. Vnde ecclesia de beata virgine canit: Benedicta filia tu, (sed) à Domino,quia non à te,sed per te fructum vitæ communicauimus. Et in omnium sanctorum festis, ecclesia orationem dirigit, non ad sanctos, sed ad Deum, cum nominibus sanctorum, eorum merita ex Deo venisse protestans. Deinde per eadem sanctorum merita, preces suas Deo commendans. Isto enim sacrificio laudis, rite peracto primo

loco,tunc demum subnectenda est petitio nostra. Primum pro simili Dei gratia,nouissime pro temporalibus. Si tamen temporalia petere potest, qui sitit spiritualia. Verùm ista inuocatio & cultura sanctorum,adeo est neglecta, vt non solùm non meditentur opera misericordiæ Dei in sanctis suis, sed etiam nesciantur eorū gesta, imo & nomina. Adeo non quid Deus in illis boni fecit, vt glorificetur, sed neque quid nobis bonifaciunt vt lætemur,consideramus. At spiritussanctus & ecclesia Christi,intendūt certe in omni cultu & festis sanctorum, scilicet eleuare cor nostrum in deum & in diuina opera, & parare fiduciam ex contemplatione gratiarum in illos collatarum.Sic Christus ait:Sic luceat lux vestra coram
Matt.5. hominibus, vt videant opera vestra bona. Ad quid? vt crux me nō doleat?Non:Sed vt gloriam patris vestri qui in cœlis est quæratis.Vt sic non desperent in suis peccatis,vt diuus ait Augusti.sed confidant in domino,etiam sibi,si voluerint ea posse præstari. Et sancti quidem hac regula & eo fine vixerunt,& bona opera fecerunt,vt lucerent ad gloriam Dei,& ædificationem proximi.Et hoc fine adhuc festa eorum celebrāda sunt, & opera eorum prædicanda.At factum est diaboli opera,vt eorum vita &
1.Cor.10 opera, non eo fine celebrentur & prædicentur. Ipsi per
& 13. totam vitam suam quæsierunt quæ Dei sunt. Nos vero
Philip.2. non solum in nostra, sed & in sanctorum vita, non nisi quæ nostra sunt quærimus, nihil solliciti de gloria Dei. Et solum prædicatur quid & quantum possunt in nostris commodis externis,non quantum fuit Deus misericors & bonus in illis.Hic iam mordaci calamo Fraternitates, Kalendas & Officiorū patronos taxat. Quomodo vnusquisque in patroni sui die feriatur,edit,ludit,bibit, corizat, &c. Sed si ista festa abroganda erant,o Luthere, & abrogata sunt, cur non carnispriuium, vigiliam Sancti Martini,Sancti Burchardi,eadem lege abrogasti? In nuptiis,in baptismo paruulorum,in comitiis principum, in electione noui consulatus & confirmatione, in institutione magistrorum inter sutores,sartores,pistores &c.in promotionibus magistrorum et doctorum? Sed illa tulisti,hæc auxisti. Non fuit tibi curæ zizania extrahere il-
Matt.13. læso tritico, sed omnes dies festos dei à terra quiescere moliebaris simul cum tota cognatione tua.Et desideriū cordis tui assecutus es cum festis sanctorum, sed luxum
anniuer-

anniuerſarium in ſanctorum feſtis, in quotidianum tuis ſodalibus commutaſti et feciſti. Nam quotidie prædicatores tui dogmatis,à diuitibus inuitantur, ferculis multis et potibus diuerſis honorantur,prandium cum cœna iungitur,ad medium noctis potatur &c.Hæc eſt Lutherе deformatio, (reformatio dicere debueram)quam feciſti.Prius multa malitia fuit in terra.Iam te auctore,diluuium malitiæ venit,et perdidit omnes, octo exceptis, qui in arca eccleſiæ Dei munere ſunt reſeruati. Deinde cum Iuda hanc quæ fiebat calumniatur profuſionem et perditionem, quam melius dicit fuiſſe datam pauperibus.At quod iſta non propter pauperum curam dixerit, noſtra tempora abunde atteſtantur.In quibus videmus, quod quicquid eleemoſynarum et redituum erat datum & fundatum pro pauperibus, totum in corbanam, in ſiſtam ſiue arcam in eccleſiá erectam congerunt. Et ſubtrahitur pauperibus,et datur Satanæ apoſtolis,ſeductoribus,magiſtris mendacibus,et ducibus cæcis. *Gene.6.* *Gene.7.*

IN FINE HVIVS MATERIAE

DICIT LVTHERVS QVOD

& aſteriſco notari dignum eſt.

VERVM, ne Pichardi hæretici infelices, ſuas partes à me adiutas cõfidant,qui præ nimia ruditate vobis Germanis imponunt (ſuperbiſſimo faſtigio indignati)quod ſanctos Dei colamus, & idola faciamus. Et ideo contra nos aceruum verſuum ſcripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis niſi vnum Deum. Et vt nobis apud ſuos iuſtiſſimam inuidiam conflare videantur, inſidioſiſſime omittunt, quod ſcribitur rex Dauid & Salomon & multi alij adorati, ſimul impij peruerſores ſcripturæ, & ſubdoli calumniatores noſtræ pietatis. Ita enim ruſtici illi,nos tandem docent, quòd ſolus Deus ſit adorandus, & gloriantur, ac ſi nos id negauerimus vnquam. Cum tamen negare non poſſint, frequenter aulicos regios honorari ac velut adorari,vt facilius ad regem perueniatur. Propter horum itaque rudiſſimam & inſulſiſſimam ruſticitatem, dico ego, ad ſanctorum ſuffragiá recurrendum omni modo, ſicut *Pichardos calũniatur.* *Gen. 33. & 37.*

 in Iob

Iob 5. in Iob dicitur: Ad sanctorum aliquem cõuertere. Et sicut
Psal. 131 Salomon suum patrem allegat: Memento domine Da-
Gen. 49. uid & omnis mansuetudinis eius. Sed & Iacob patriarcha dixit de Ephraim & Manasse: Inuocetur nomen meum super pueros istos, & nomina patrum meorum Abraham & Isaac. Hæc Lutherus, nullo verbo omisso hic vel addito. Iam vide Lector, quòd Lutherus cultum & inuocationem sanctorum, pietatem vocat. Et ad sanctorum suffragia dicit recurrendum omni modo, vt per eorum merita & intercessiones, facilius & melius venire possimus ad Christum. Et Pichardos, cultum & venerationem sanctorũ calumniantes, infelices hæreticos, superbissimos insidiosissimósque vocat. Vocat itẽ eos peruersores siue deprauatores scripturæ, & subdolos nostræ pietatis calumniatores. Vocat item eos rusticos rudissimos & insulsissimos. Sed in eum & suos asseclas ista verius retorquentur. Quia Lutherus cum sua colluuie, in isto articulo, longe sunt Pichardis peiores, impudentiores, sceleratiores, rudiores, insolentiores, & hæretici obstinatiores, peruersiores ac damnabiliores. Hæc de sanctorum veneratione, ex veritatis hoste Luthero, adduxisse in medium, in præsentiarum sufficiat. Talia Lutherus scripsit de sanctis, antequam penitus in reprobũ sensum datus fuit, antequam frons mulieris meretricis facta ei fuit, & quando adhuc parum erubuit. Antequam venit in profundum malorum, & prorsus per malitiã excæcatus fuit. Priusquam desperauit semetipsum, & deum amplius nec timuit, nec homines vltra reuerebatur. At, postquã, qui de eo exierat in sua professione malus spiritus vidit eum vacãtem à bonis operibus, scopis mundatum ad speciem, & soli pietatis prætextu, non ipsa veritate ornatum, & ad seducendum corda innocentũ propensissimum. Nec non ad iurgia seminanda omni tempore, dissentiones item & offendicula facienda calentissimum instructissimúmque, tunc septem aliis reprobis spiritibus seipso peioribus assumptis, in eum rediit, atque ex tunc posteriora eius prioribus peiora semper facta sunt. Semper in peius profecit, semper in sordibus magis sorduit, & absque vllo timore mala fecit. Ex tunc in corde suo dixit & scripsit, quod noluit moueri à generatione in generationem sine malo. Ex tunc gloriari cepit in
Psal. 51. malitia, & quod potens fuit iniquitate. Lætabatur ex

hoc

hoc quod malefecit, & in rebus pessimis exultauit. Et dolus semper in manu eius directus fuit & prosperatus. Nam os suum ex tunc posuit in cœlum, beatam & benedictam virginem matrem agni, maledictis lacessendo & sanctos Dei, & lingua eius contra omnes suæ hæreseos aduersarios transiuit in terra. Vsque dum sine manibus contritus fuit, & vltricem regerit mortem, & damnationem æternam. Et iconibus sanctorum combustis & deiectis, nefandã imaginem suam & salacis meretricis suæ, cum aliorum apostatarum, scurrarum, impiorúmque facies & spectra collocauerunt. Hæc est mutatio dextræ diaboli, & Lutheri apostoli Satanæ. Priores sanctorum imagines ad omnia bona nos incitabant, Lutheranorũ, ad omnem impietatem & omnia scelera nos prouocant.

DE SANCTIS. SERMO AD SORTEM.

IN *me glorificabant deum*. Magna sunt opera domini vniuersa, exquisita in omnes voluntates eius. Maxime tamen terribilis est in consiliis suis super filios hominum, qui audacter deum prouocant, & contra eum currunt erecto collo, pingui ceruice armati. Nam eorũ quosdã in iniquitatibus venditos, vt faciant mala, instar Achab, in sceleribus suis dimittit secundũ desideria cordis eorum maligna, & tũc eunt in adinuentionibus suis, semper proficiũt in peius, addunt peccatum peccato, nec deum amplius timent, nec homines reuerentur. Donec veniunt in profundum malorum, & omne salutis consilium, documentum, adiutorium & remediũ contemnũt. Ex tunc gloriantur in malitia, & quòd potentes sunt iniquitate. Lætantur cum malefecerunt, & in rebus pessimis exultant. Tunc illudunt peccata, & per risum operantur scelera sua. Hos deus crebrò, volens ostendere irã suam, & notam facere potentiam suam, sustinet in multa patientia, quamuis vasa iræ sint apta ad interitũ, vt conuertantur & viuant. Et hoc etiã facit, vt ostendat in futuro diuitias gratiæ, misericordiæ, bonitatis & gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ eligit & præparat in gloriam suam. Nã dum impij relicta malitia cõuertũtur ad deum in toto corde suo, & credũt in deum, ex vasis cõtumeliæ

Gala. 1. Psal. 110. Iob 2. Esaia. 5. 3. Reg. 21. Rom. 9. Esaia 30. 1. Pet. 3. Roma. 2. Sap. 12. 2. Tim. 2.

fiunt vasa in honorē, quo ad bonam famā & conscientiā siue vitā inculpatam, & Christi bonus odor fiunt in omni loco. Et sic placent omnibus in bono ad ædificationem, & parati sunt ad omnia opera bona. Vasa sanctificata per cordis puritatem, vtilia Domino, per fidem non fictam & doctrinam sanam ad alios lucrandos & saluandos. Talis fuit apostolus Paulus, qui ex lupo factus est agnus, ex persecutore amicus Christi & discipulus, ex blasphemo, euangelij præco, ex vase reprobo, vas electionis & gratiæ. Et ideo fideles mirabili eius cōuersione audita, in eo glorificabant Deum, cuius gratia & misericordia, mutatus fuit in virum alterum. Potest & hoc de quolibet sancto dici & applicari cuilibet electo, cuius festiuitas in ecclesia Dei celebratur. Nā in vnoquoque eorum est Deus glorificandus, magnificandus & benedicendus, & superexaltandus in secula. Sed modū quo Deus in sanctis suis laudandus est, breuiter adscribere operæprecium duxi. Est igitur Deus vnus & trinus, summa potestas & maiestas, sapientia & veritas, charitas & bonitas. Potentia patri, sapientia filio, bonitas attribuitur spirituisancto. Iam quomodo sancti imitatores Dei, sicut filij charissimi extiterunt, videamus. Consideremus etiam quomodo glorificauerunt corde, ore & opere, & portauerunt deum in corpore suo. Imitati sunt potentiam patris, in sapientia filij ambulauerunt, in charitate spiritussancti instar ignis vehementer arserunt, & bonitatē sine defectione fecerunt. Ergo date gloriā deo super Israël, secundum spiritum, qua magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Hoc est, proprietates diuinæ laudabiles & præcellentissimæ relucent in sanctis. Istæ nubes rorāt desuper, & pluunt iustū. In istis nubibus Deus clementiæ suæ arcum posuit & fœderis, & cū terræ iratus fuerit, nubes istas in quibus arcus suus est, aspicit, & misericordiæ recordatur, et in misericordia sua iras suas continet. Sunt nubes, in quarū luce et sanctitatis splēdore, deus veros Israëlitas deducit in die, quæ solis ardorē mitigant, et dei irā, vel feruorē tentationis. Et tota nocte lucēt nobis suis bonis operibus et exēplis, vt inoffensis pedibus ire possimus in terrā viuētiū promissam, lacte et melle manantē. In nubibus istis gloria Domini apparet, et thronus eius est in colūna et eiusmodi nubibus. Nubes istæ, inter solē iustitiæ Christū et terrā, quæ

2. Tim. 2. 2. Cor. 2. 1. Cor. 10 Gen. 49. 1. Tim. 1. Actu 9. 1. Reg. 10 Ephe. 5. 1. Cor. 6. Psal. 36. Esai. 45. Gen. 9. Psal. 76. Exo. 13. 14. Psal. 77.

sumus

ſumus nos, iuxta illud: Quid ſuperbis, terra & cinis, me- *Eccleſ. 10.*
diæ ſunt, etiam ſi rumperentur Lutherani. Ideo mirabi-
lis, amabilis, deſiderabilis, & laudabilis eſt, Deus trinitas
in ſanctis ſuis, & per eos facit ipſe mirabilia multa & ma
gna ſolus. Sic ergo ſancti mirandi, & opera quæ per eos
deus facit extollenda, vt gratia Dei, per quā erant quod
erant, & deus ipſe qui in ipſis manens, ſtupenda fecit,
prædicetur, laudetur & benedicatur. Et hoc ipſi, gloriā
Deo reddendo, confitentur dicendo: Omnia opera no- *Ioan. 14.*
ſtra, operatus es in nobis. Tu enim operaris in nobis vel
le & perficere, pro bona voluntate. Non ergo eſt curren
tis, neq; volentis, ſed dei miſerentis. Tamen liberū arbi- *Eſaia 26.*
triū gratiæ cooperatur. Ne deſit gratiæ Dei, aut gratiam *Philip. 2.*
Dei in vacuum recipiat, aut negligat, aut venire recuſet
vocatus, tractus aut pulſatus. Vnde ait: Non ego, quaſi *Roma. 9.*
ex me, ſed gratia dei mecū & in me, cui acceptū refero,
quicquid in me eſt, & ſit, bonitatis iuſtitiæ & ſanctitatis.
Non enim ex me eſt & habeo, qui palmes ſum, quod fru
ctibus exubero, ſed ex vite Chriſto, & agricola patre. *Matt. 22.*
Qui palmites purgat, fœcundat & compluit, vt fructum *1. Cor. 15.*
plurimum, qui in vitam æternam permanet, adferre poſ- *Ioan. 15.*
ſint. Sic omnia flumina gratiarum per exuberantē Dei
benignitatem ac bonitatem de mari & pelago infinitæ
ſubſtantiæ exeunt citra maris detrimentū, & per gratia-
rum actionem illuc reuertuntur, vt iterum fluant. Hinc
ſancti rurſus dicunt, Deo ſuam iuſtitiam acceptam refe- *Eccleſ. 1.*
rentes: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo *Pſal. 113*
da gloriam, ſuper miſericordia tua & veritate. Et rurſus:
In domino laudabitur anima mea. Nam quod bonū fecit *Matt. 26.*
caro infirma, ad malū propenſa ab adoleſcentia, putredo *Geneſ. 6.*
& vermis, contra ſpiritū ſemper concupiſcens, quod ad *& 9.*
gloriam peruenit, quod non ſuccubuit, curā ſuam in de- *Galat. 5.*
ſideriis non fecit, totū operata eſt diuinitas: Ergo ma-
gnificate Dominū mecū, & exaltemus nomen eius in-
ipſum, id eſt, ſimul omnes. Cantate domino, quoniam *Eſaia 12.*
per ſanctos magnifice fecit, annunciate hoc in vniuerſa
terra. Laudemus proinde in ſanctis, potentiam patris, ſa
pientiam filij, benignitatem ſpiritusſancti. Nam per po-
tentiā pater potuit, per ſapientiā filius ſciuit, per benigni
tatem ſpiritusſanctus voluit eis miſereri, & magnifica-
uit facere cum eis. *Laudemus in eis potentiam* patris, qua
per filium ſuum eripuit eos de poteſtate tenebrarum,

fortem vicit,ligauit,vasa eius diripuit,& spolia distribuit.
Potentia magna est & maius quàm creare cœlũ & ter-
Ephes.2. ram,quòd eos iustificauit gratis,de veteribus nouas crea
Tit 3. turas,nouos homines secundũ imaginem dei fecit:Hæc
Galat. 6. certe est mutatio dexteræ excelsi. Certe, non est san-
Colos 3. ctus vt est dominus, & non est fortis sicut Deus noster.
Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens
pauperẽ.Vt sedeat cũ principibus populi sui,& soliũ glo
riæ teneat.Sic facit eos magnos,iuxta nomen magno-
Apoc 1. rum qui sunt super terrã.Nẽpe filios dei altissimi,fratres
1. Pet.2. Christi,hæredes Dei,& cohæredes Christi.Facit eos re
Ephes.2. ges & sacerdotes,principes populi,iudices seculi, gentẽ
sanctam,genus electũ,regale sacerdotium,populum ac-
quisitionis,hæreditatẽ Christi,ciues sanctorũ,domesti-
cos dei,animata & viua templa spiritussancti, membra
Luca 8. Christi. Insuper fratres,sorores & matres vnigeniti filij
Dei.Hæc & alia quæ calamo assequi longũ nimis foret,
Luc.1. Maria secũ reputans dixit:Fecit mihi magna, qui potẽs
est.Nec solũ ista facit vocando, iustificando & magnifi-
Iob 7. cando electos suos,sed interim quod hic viuunt,vbi vita
eorũ tota militia est, & iugis cũ vigili hoste conflictus,
Psal. 16. fortes facit eos in bello, sub vmbra alarũ suarũ eos po-
tenter protegit,à facie impiorũ qui eos affligunt,& ani
mas eorum quærunt.Sed & manus sua auxiliatur eis &
brachiũ eius confirmat eos. Adeo quòd inimicus eorũ
nihil proficere potest in eis,nec filius iniquitatis eis no-
cere.Et concidit à facie eorũ inimicos eorũ, & odien-
tes eos in fugam conuertit. Sic facit eos vbique legiti-
me certare, & semper triumphare in Christo,& victo-
riam eis dat per Christũ Iesum. Deus pater dat eis vir-
tutem & fortitudinẽ. Sed & illi confortauerunt se in do-
mino,& in potentia virtutis eius(non in propria.) Et in-
duerunt se armaturã dei,quæ sunt arma lucis,& sic ste-
1. Petr.5. terunt aduersus insidias diaboli. Fortes ei in fide resti-
Iaco 4. terunt,& fugit ab eis,atque nullum ei locum dederunt.
Ephes. 4. Sic confortati & armati restiterunt ei in die malo,& in
omnibus tentationibus perfecti steterunt,viriliter ege-
Psal.26. runt, & dominum sustinuerunt, qui & inimicos eorum
Exod. 14. expugnauit ipsis tacentibus. In domini virtute,viã man
datorum dei cucurrerunt. Vnde Apostolus ait de seip-
Philip. 4. so:Omnia possum in eo,videlicet patre cœlesti, qui me
confortat.Et sic in deo patre omnipotente,omnipoten-
tes

tes erant. Ipse dat lassis in via perditionis & iniquitatis virtutē, his qui non sunt, scilicet contemptibiles in mundo, & fortitudinē et robur multiplicat. O fortitudo vera, quā es patri cœlesti accepta et nobis vtilis et necessaria. Quia gaudiū domini est fortitudo nostra, qua diabolo resistimus, et facimus bonitatem. Qui hanc fortitudinem habent, semper faciunt quæ placita sunt patri. Nec solū faciunt opera, sed sicut mandatū dedit nobis sic faciunt. Quia omnia opera sua faciunt in charitate. Et cibus eorum siue delectatio est, quod faciunt voluntatem patris, et perficiunt opus eius, videlicet salutem propriam et aliorum.

Esaie 40. *Sapien. 5.* *1.Cor.4.* *Ioan. 14.* *1.Cor.16.* *Ioan.4.*

SERMO TERTIVS DE SANCTIS

AD SORTEM, QVOMODO SAPIENTIA

tia filij in eis lucet, & manifestatur, & quomodo Christum induerunt, declarans. Scitu necessarius & vtilis.

SAPIENTIAM filij deinde laudemus in sanctis eius. Ipsi ecce doctrinam Christi, quæ vera est sapientia, de sursum descendens à patre luminū, in cor suum susceperunt, et seruauerunt verba illius in cordibus suis, initar mundorū animaliū verba eius ruminauerunt, et contulerunt in corde suo cū Maria matre sapientiæ. Nec hic sistebant gradū, sed in sapientia Christi ambulauerunt, quasi sapientes, tempus redimendo, fructū in patientia afferendo, declinando à malo et faciendo bonū. Sic Ezechias laudatur, quòd mandata dei custodiebat. Ideo dominus cū eo fuit, et in cunctis ad quæ procedebat sapienter se gerebat. Sic ore sapientiæ æternæ, is sapiens vir censetur, qui verba eius habet et facit. Qui secus, stultus est, etiā si haberet omnem fidem et omnem scientiam sciret, quæ est in mundo, et omnia mysteria Christi lympido intellectus scrutaretur acumine, cordium secreta rimaretur, et futurorū omnium scientiam haberet. Sed et si linguis hominū loqueretur et angelorū, et totum mundum lucraretur et saluaret, nihilo minus stultissimus esset virorū, et sapientia vera secum non esset. Hæc est sapientia huius seculi, carnalis et dia-

Matt.7. *Luca 6.*

bolica, inimica Deo. Hanc Deus stultã facit,& stultitia est apud Deum,hanc reprobat & damnat Ista sapientia inflat,j.Corinthiorũ viij. Stultos facit,decipit. Esaiæ xlvij.semper discit & nunquã ad scientiam veritatis peruenit. Istius professores sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt, quia nolunt. Et ad omnia opera reprobi. Sed & nolunt intelligere, vt bene agant.
Tit 1. Ideo,iustorum sanctam in timore Dei conuersationem calumniantur & suggillant, quia non sapiunt ea quæ Dei sunt et spiritus,sed magis,quæ mundi sunt, diaboli et carnis. Illa enim stultitia sunt eis, et non possunt in-
Roma. 8. telligere. At olim cum illos cum Christo apparere viderint in gloria,calculum reducent,et se insensatos fuisse dicent. Videamus paulo latius,quomodo in sapientia ambularunt, ambulando sicut Christus ambulauit.
1.Ioan.2. Induerunt quippe Dominum Iesum Christum. Vixe-
Rom. 11. runt hic postquam Christum induerunt:at non illi,quia
Galat. 9. mutati erant in viros alios. Et deposuerunt se secundum
Ephes. 4. pristinã conuersationẽ,et expoliauerunt veterẽ hominẽ
Galat. 2. cũ actibus suis,qui corrũpitur, secundũ desideria erroris: viuebat vero in eis Christus postquã induerunt nouũ hominẽ,qui secundũ deũ creatur in iustitia et sancti-
Roma. 8. tate veritatis. Et quod tunc viuebant in carne,non secun
2.Cor.10 dũ carnẽ,sed in fide viuebant filij dei. Et semper mortificationẽ Iesu Christi in corpore suo circũferebant, sic
2.Cor.4. quòd vita Iesu in corporibus eorũ manifestabatur,et in carne eorũ mortali. Et tam sancte et iuste et sine querela credentibus affuerunt, quòd sicut angelos Dei eos
1. Cor.5. exceperunt et venerati sunt. Imo quod plus est, sicut
& 10. Christũ Iesum. Hoc dixerim,in sapiẽtia ambulare. Hoc
Galat. 2. fecit vas electionis, cum ait de seipso: Imitatores mei
Roma. 6. estote,sicut et ego Christi,cui confixus sum cruci, clauibus amoris. Ideo vetus homo meus simul cũ illo crucifixus est,et destructum in me est corpus peccati,et in nouitate vitæ ambulo. At breuiter videre operæpreciũ et consilium ratus sum et declarare, quomodo sanctus iste Christum induit, vt sic elucescat quomodo filius dei Christus Iesus,in eo laudari possit ac debeat. Verùm cùm hoc late in alio sermone ostenderim, ideo hic
Heb.1. breuius me absoluam. Scimus Christũ lucem mundi ve
Colos.1. ram esse,splendorem paternæ gloriæ,figuram eius sub-
Sapien.7. stantiæ,imaginem Dei inuisibilis,speculum sine macula

Dei

Dei maiestatis.candorem lucis æternæ.Insuper, ipse iustus est,sanctus,bonus,pius,dulcis,benignus,charitas,veritas,patiens,mitis,humilis,suauis vniuersis,rectus, misericors,innocens manibus & mundo corde, obediens, pax & pacificus,pauper & dolens,&c. Est & (vt laconismo vtar) saluator,reconciliator,mediator,doctor & magister,iudex & rex solus potens. Et quod maximum est, dilectus Dei filius,in quo pater luminum sibi bene complacet. Iam tecum alta consideratione obsecro reputa, nimiam charitatem,viscera pietatis, abyssalem bonitatem, benignitatis, stuporem dignationis diuinæ. Nam non solum indignos vocat, peccatores iustificat, sed & magnificat eos,plus quàm calamo assequi & verbis equare loquendo possumus,aut corde pensare. Assimilat ecce pater misericordiarum filios gratiæ,ex nimia charitate qua nos diligit,filio suo naturali vnigenito & consubstantiali, vt conformes sint in actibus vitæ imaginis filij sui,& eisdem epithetis siue titulis nominentur. Vnde illud Pharaonis Christus ad quemlibet electum non inconcinne dicere potest: Tu eris super domum meam,& ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantum regni solio quo æternus & consubstantialis patris sum filius,& in dextera patris sedeo in excelsis:te precedam.Et quod ego sum & dicor per naturam, tu per participantem eris & vocaberis meam exuberantem gratiam.Etiam si irascantur hæc audientes perfidi Lutherani, dentibúsque suis fremant & tabescant, imo etiam si per inuidiam rumpantur.Quantumlibet inflatus Aman excandescat,moliatur insidias, perdere cogitet, & infamiæ vos notis inurere fictísque de corde suo pessimo mendaciis affecerit maculaueritque.Nihilominus, si quis mihi ministrauerit,sic honorificabit eū pater meus. Et hoc honore condignus est(malis gratibus iniquorū, & hoc etiam inuiti post hanc vitam, cū eos cum Christo viderint apparere in gloria,confitebuntur) quemcunque rex regum,princeps regum terræ,ego Christus Iesus,voluerit honorare.Quicunque honorificauerit me, atque vos fecistis,sic glorificabo eum,qui autem contemnunt me, aut inhonorant.& spernunt, & maledictis vos maculant (quia quod vni ex minimis meis faciunt, siue bonum illud fuerit siue malum, mihi faciunt) erunt ignobiles et inglorij, imo et maledicti. Ego in benedictionibus, dulcedinis

1.Tim.6. Gen. 41. Rom.8. Ioan. 12. 1 Tim.6. Apoc.1. Matt.25. Psal.8.

dulcedinis vos præueni, omni benedictione spirituali in cœlestibus vos benedixi. Benedictionē vobis dedi, qua
Mat.5. iuistis de virtute in virtutem. Benedixi vos inquā, Quia vos me benedixistis omni tempore, non solum ore laudes meas resonando, & corde sentiendo de me in bonitate, sed & opere et vita, faciendo bonitatem et per bona opera lucendo coram hominibus in quibus pater
Rom 2. meus cœlestis glorificatur. Sic è regione, inimici vestri et
Ezec. 36. contemptores, per legis præuaricationes patrem meum inhonorant, et nomen meum inter gentes faciunt blasphemari. Ideo dedi vos in benedictionem in seculum seculi, et inter benedictos benedixi. Benedixi vos, et eritis benedicti. Ideo qui maledixerit vobis, sit ille maledictus, et qui benedixerit vobis, sit ille benedictus. Maledicant igitur Lutherani, amicis tuis, sanctis et dilectis tuis Domine, sed nihil hac molitione sua sceleratissima proficient, cum tu eos benedicis. Sed ipsi confunduntur
Psal.108 dum in filios tuos insurgunt. Et dum eis detrahunt, induuntur pudore, & sicut diploide operiuntur confusione
Esa 40. sua. Et sic de manu Domini duplicia accipiunt, pro omnibus peccatis suis. Sed zelum honoris diuini mentiuntur se habere, & hoc conari, ne gloria & honor Deo soli & Christo debitus, impendatur creaturæ. At, mentitur iniquitas sibi. Non æquamus nos sanctos Deo & Christo per omnia. Deus lux, bonus & charitas est per essentiam & naturam, & Christus per vnionem hypostaticam. Sancti illis titulis dignantur & tales sunt per participatam gratiam, secundum quod Deus hanc vnicuique distribuit, sicut voluit, vnicuique secundum propriam virtutem. Et vnum sunt cum Deo & in Deo per charitatem & voluntatem. Meræ nugæ igitur sunt & fascinationes, quas impostores falso obtrudunt de gloria Dei tuenda & vindicanda. Mel ferentes in ore, sed fel in corde, zelant pro honore Dei, sicut æmuli Danielis, honorem magni Darij regis. Cuniculis men-
Dan.6. daciorum, vt iustum Danielem macularent & perderent, regi imposuerunt, Parturierunt ecce iniustitiam, conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem. Lacum aperuerunt & effoderunt eum. Et iustum miserunt in lacum à leonibus deuorandum. At, iustus de angustia liberatus fuit, & impij traditi sunt pro eo. Nam inciderunt in foueam quam fecerunt.

Conuersus

Conuerſus fuit dolus eorum in caput ipſorum, & in verticem illorum, iniquitas eorum deſcendit. Nec noſtri ſanctorum blaſphematores manum dei euaſerunt. dabant & pendent in interitu pœnas æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt in eum. Similem zelum atque nunc habent Lutherani pro Chriſto, qualem olim contra Chriſtum habuerunt Iudæi perfidi pro Deo & Moyſe ſuo. Dixit ſe Deum eſſe, & ecce vnus eſt deus. Soluit legem Moyſi, &c. Sed ora obſtructa ſunt loquentium iniqua. Et veſtrorum inſidientia, vel potius diabolica malitia, omnibus manifeſta erit, ſicut & illorum fuit. Iam titulos honoris & epitheta quos ſcriptura & Chriſto & ſanctis tribuit (quem malitia non excæcauit, & qui cum inuidia tabeſcente iter non habet) faciliter conciliare poteſt. Quod ille eſt per naturam, hoc hi ſunt et dicuntur per gratiam. Sunt ergo lux in domino et lucis filij, ſed illuminati per Chriſtum. Ipſe iuſtus eſt et iuſtificans, ſancti iuſti ſunt per gratiam et iuſtitiam faciendo, et ſecundum iuſtitiam eorū etiam retribuit illis. Ex iſta radice pingui et ſancta, ex iſta vite vera, ſancti habent omnem ſufficientiam ſuam, et incrementa frugum iuſtitiæ ſuæ, et abundantiam gratiæ, qua abundant in omne opus bonum, et in omnem ſimplicitatem, cordis, oris, et operis. Vt in eorum corde Bonitas, in ore Veritas, in opere iuſtitia et Sāctitas exuberet. Hanc ſimplicitatem diligit Deus. Iſti ſunt ſimplices ſicut columbæ, et ſimplices filij dei. Sed quod ſancti in cœlis ſint inteceſſores et mediatores noſtri, hoc nullo modo delicatæ aures eorum, et ſyncera eorum theologia pati poteſt: Quia vnus eſt mediator Dei et hominum. Ad quod breuiter reſpondeo. Quia Chriſtus Ieſus vnus et principalis eſt mediator, ſancti et iuſti inferioris gradus et ſecundarij ſunt mediatores. Chriſtus item vnus eſt mediator, quo ad redemptionem. Sic vnus pro omnibus mortuus eſt, et ſic ſolus tulit peccata mundi. Sed in reconciliatione, per interceſſionem orationis, tunc Chriſtus eſt aduocatus noſter apud patrem. ſed non ſolus, quia et ſancti orant pro nobis. Et faſcinatio Lutheranorum ſeipſum traducit. Concedunt enim quòd in hac vita alter alterum orationibus ſuis iuuare poteſt, et quod multum valet deprecatio iuſti aſſidua:

Ioan. 10. Pſal. 62. 2. Tim. 3. Epitheta Chriſti. Rom. 3. Ioan. 15. Mediatores ſunt ſancti. 1. Tim. 2. 2. Cor. 5. Rom. 8. Heb. 7. 1. Ioan. 2.

Iac 5. dua. Sic Paulus sine intermissione orat pro aliis, rogat et
Rom. 15. alios vt pro se orēt ad deum. Hoc si verum est, atque est verissimum, consequens est, quod Christus non est solus mediator dei & hominum ratione intercessionis, sed redemptionis tantum. Et si Christi gloriæ non derogat, quòd sancti in hac vita orant pro aliis, dicant & ex scripturis ostendant, (quod ad grecas Kalendas facient, & cum mare exiccabitur, scio,) quod hoc non faciunt nec
Rom. 8. possunt in regno cœlorum. Christus hic orauit pro transgressoribus ne perirent, itidem facit & in cœlo. Orant & angeli pro viuis, dicant quare hoc sanctis non licet qui sunt cum Christo? Falsum est quòd eos dicunt non esse in cœlo, falsum est quod eos dicunt mortuos. Viuunt, & beatissima vita viuunt. Sed & imposturam eorum textus Apostoli manifestat & diluit, Dicit enim: Vnus est deus, vnus & mediator dei & hominum. In confesso autem est quod potestate præditi, & quibus sermo dei factus est, dij
Exod. 21. sunt & filij excelsi omnes. Ergo vnus est deus & multi.
Psal. 81. Vnus per naturam, plures per gratiam. Sic vnus est me-
Ioan. 10. diator redemptionis, plures per intercessionis opitula-
1. Reg. 9. tionem. Solus deus bonus est per essentiam. Nihilomi-
Luca 23. nus Saul in regni sui exordio, electus & bonus astruitur,
Act. 11. Et Ioseph decurio, vir bonus & iustus fuit. Et Barnabas Luca teste, erat vir bon', plenus spiritusancto & fide. Absque deo & Christo, non est saluator. At Ioseph vocatus est saluator mundi. Verùm, locum istum deprauauit Lutherus. Quid autem dicet ad hoc, quod inficiari non potest & alio detorquere? Nempe, quod iudices qui populum dei de manu affligentium eos vindicauerunt, vocantur saluatores. Sic clamauerũt ad dominum, qui sus-
4. Reg. 13 citauit eis saluatorem. Sic rex Israel in angustiis clama-
De hoc latius sermo ne 1. in natiuitate Mariæ. uit ad dominum, qui dedit eis saluatorem &c. Et quotiēs propter peccata sua traditi essent in manus inimicorum suorum, & clamarent ad dominũ, semper dedit eis saluatores, qui saluauerũt eos de manu hostiũ suorum. Et hic distinguere oportet, inter saluatorē Christũ filium Dei, & alios: Vt Christus sit saluator omniũ in se credentiũ & sibi obtemperantiũ ab ęterno vsque in ęternũ. Cęteri saluatores vna vice, et paruũ populum ope dei liberauerũt de manu inimicorũ suorum. Sic Apostolus, omnibus omnia fact' est, vt omnes saluos faceret. Et omnes voluit vt salutē suam siue propriã cũ metu et tremore, operarētur.

Sic Timotheus lectioni et predicationi instando, seipsum saluum fecit et eos qui eum audierunt. Et mulier saluatur per filiorum generationem etc. Ergo plures sunt saluatores et vnus. Sic Christus teste Apostolo, beatus et solus deus potens scribitur. Et nihilominus principes gentium potestatem habent etc. Nec ille potentes abiicit etc. Sed hominũ potestas à deo est data desuper, deus est summa potestas, et à nullo habet eam. Sic Christus est solus sanctus, solus dominus, et nihilomin' multi scribuntur et sunt sancti. Similiter et multi sunt domini. Sic vt finem faciam, vnus est magister Christus, rex sacerdos iudex. Et vnus est pater, qui in cœlis est. Vel nunc pudefiatis necesse est. Vrgete iam voculam vnus, ad confusionem vestram. An non & Apostolus doctor & magister gentium est? An non post verba ista Stephanus dixit: Viri fratres & patres audite? Et Paulus dixit ad Iudeos, Viri patres & fratres audite &c. Et dum hæc soluitis, manifestatis malitiam vestram, & quod mendaces estis, & per uersorum dogmatum cultores. Dicimus insuper, vt frontes vestræ duræ & perfrictæ confundantur. Quia vnus est mediator Christus Iesus, & manet vnus etiam cum sancti in cœlo pro viuis intercedunt, vel quando viui mutuis precationibus se iuuant. Nam electi cum deo vnus spiritus sunt. Et vnum sunt in Christo, & vnum corpus. cor vnum & anima. Et ideo Christus per eos loquitur, docet, orat, & operatur quicquid boni faciunt. Quapropter vnus est mediator & aduocatus Christus Iesus, siue cum per seipsum, siue per sanctos suos patrem interpellat, vel exaudit & beneficia sua præstat. Laudemus ergo deũ filiũ in sanctis eius. Et videam' quomodo in sapiẽtia filij ambulauerũt, & quo ad possibile est, similes ei fuerũt in vita, quæ nũc est, & etiã futura. Sic sẽper vult pater eos cõformes esse imaginis filij sui. Et qualis iã cœlestis est, tales etiã sunt cœlestes. Laudemus itẽ sapiẽtiã filij in eis per quã illuminati sunt, vt maligni laqueos mortis, foueas insidiarũ, scãdala offensionũ & technas fraudiũ cognouerũt & declinauerũt, nec seduci potuerũt. Benedictus de' filius, super inenarrabili dono suo. Laudemus demũ in sanctis multiformẽ gratiam, ardentẽ charitatem, abyssalem bonitatem, synceram pacem, concordiam et vnitatem spiritus sancti. Ipse est omnium bonorum artifex, omnem habet virtutẽ, et omnia prospicit

Sanctus. Dominus. Magister. 2.Tim.1. Act.2. Col.4. Rom.8. 1.Cor.15

id

id est, prospicere facit, Ille eis gratiam obtulit, charitatē in corda eorum diffudit, filios dei eos fecit, duxit eos per vias rectas, adiuuit infirmitatem eorum, quid petere deberent, edocuit. Eos in bono confirmauit. Ille spiritus cœlos istos ornauit virtutibus, ditauit gratia multiformi, consolatus est in tribulationibus, robustos ad omnia fecit perferenda pro Christo. Vnxit eos, & omnem eos veritatem docuit, reddidit spiritui corū testimonium, quòd filij dei erant, verā illis contulit libertatem. Eo item signati erant, & erat eis pignus vitæ æternæ. Iste firmauit eos in pace, stabiliuit in bono, ad omnia mandata dei eos direxit, & propenso animo fecit, & omnem viam iniquam abominari & odio habere. Hæc dum nobiscum reputamus, non possumus non laudare in sanctis suis spi-
1.Cor.12 ritum sanctum. Et licet vnus & idem spiritus sanctus sit, qui omnia in omnibus operatur, & singulis diuidit prout vult: multa tamē nomina & epitheta habet, quibus quæ, qualia & quanta in bonis & rectis corde operatur magnalia, & dona confert atque distribuit, datur intelligi.
2.Tim.1. Dicitur itaque spiritus charitatis, quia charitatem & sei-
Roma. 5. psum cum charitate in corda electorum diffundit. Vo-
Sap. 1. catur spiritus benignus, quia electos in inuicē benignos facit. Spiritus bonus, quia quos replet, ex malis bonos
Ephe.4. facit. Spiritus adoptionis, quia de alienis domesticos dei,
Roma. 8. ciues sanctorū, & filios dei facit. Spiritus sanctus & san-
Ephe.2. ctificationis, quia vasa sua ab omni inquinamento carnis & spiritus emundat, & sua sancta templa facit. Facit & eos sancte, iuste & sine querela in medio nationis prauæ & peruersæ conuersari, & Deum in omnibus operibus suis sanctificare coram hominibus. Vocatur spiritus gratiæ & precū, quia gratiam affluenter iuxta vniuscuiusq; virtutem singulis distribuit, sine personarū acceptione.
Roma. 8. Spiritus precum dicitur, quia quid oremus, secundum Deum, nescimus, ipse autem postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus & secundū deum pro sanctis. Dicitur spiritus vitæ, quia mortuos in peccatis & delictis suis, viuificat, et viuere deo facit et iustitiæ et secundū Deum in spiritu. Dicitur spiritus sobrietatis, quia facit sapere non plus quàm oportet, sed ad sobrietatē, et sobrie docet viuere in hoc seculo, et modestiam vbiq; et in omnibus seruare. Dicitur spiritus virtutis, quia fortes facit ad omnia beneplacita Dei absoluēda. Hac virtute Apo-

ftoli in die Pentecoftes induti fuerunt ex alto. Dicitur *Luc. 24.*
fpirit' iudicij & ardoris,quia omnia iudicare facit quos
replet, & ipsi à nemine iudicantur. Et ardentes facit
homines,inftar lucernarũ ardentium atq; lucentiũ. Et
funt ficut ignis,& fermo eorum vt facula ardet,& ignis
amoris in eis æftuat vehementer. Eft fpiritus veritatis, *Zach. 8.*
quia quos replet veraces facit,in corde,in fermone & in
vita & opere.Facit eos veritatem diligere,loqui & face- *Ephef. 4.*
re,& in ea ftare. Dicitur & fpiritus fapientiæ & intelle-
ctus &c.Nam quos replet,donis iftis replet. Vt habeant
donũ timoris,Deũ reuerendo,pietatis in compatiendo,
fcientiæ in conuerfando,fortitudinis in refiftendo & to-
lerando,confilij, in eligendo quod melius eft & repro-
bando malũ,intellectus in cognofcendo,fapientiæ in di
ligendo & diuina guftando.In arctũ copias cotraho. Di
citur fpiritus Chrifti & Dei,quia quos replet(vt taceam
quod Deus eft,& à patre & filio procedit, & mittitur à
patre & filio)Chrifti membra facit & amicos, fratres & *Ephef. 5.*
forores.Infuper Chrifti & Dei imitatores facit ficut fi-
lios chariffimos & ambulare in dilectione. Sic & Deus *Matt. 12.*
fpiritaffactus in domibus fuis cognofcitur, & cognitus
laudatur,& glorificatur in donis fuis & operibus.In do-
nis gratiæ,quæ dedit in operibus bonis,quæ cũ ipfis, in
ipfis & per ipfos. Quæ qui fuggillat,exufflat, extenuat,
damnat, non homines amicos Dei,fed Deũ ipfum fu-
per omnia benedictũ blafphemat, maledicit & damnat.
Plus debito calamus excurrit,& tamen multa vix extre
mis digitis attigi. Sed lectorem vt cum prolixitate pa-
tentiam habeat,obteftor per Dei mifericordiã, & quod
folũmodo tetigi, ipfe marte fuo abfoluat atq; fuppleat,
humiliter rogo.Laudate ergo dominum in fanctis eius.

DE SANCTIS SERMO, SEMPER APPLICABILIS.

PROPTER te mortificamur tota die, *Pfal. 43.*
æftimati fumus ficut oues occifionis. Vox *Roma. 8.*
eft crucẽ fuã baiulantiũ & Chriftũ fequen
tiũ.Multæ enim funt tribulationes iuftorũ.
Eo quòd omnes qui pie viuere volunt in
Chrifto, perfecutionem patiuntur. Idipfum Chriftus

Apoſtolis ſuis prædixit, dicens: In mundo preſſuram habebitis. Et iterum: Eritis odio omnibus hominibus propter nomẽ meum. Sed & venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitrabitur ſe Deo obſequium præſtare. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrẽ neque me. Verum, hanc coronam alij fabricant ſuper dorſum iuſtorũ, ſicut & Chriſtum alij occiderunt, & martyres, ab aliis ludibria & verbera experti ſunt, ab aliis lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, vincula & carceres pertulerũt, & id genus innumera tormenta ſuſtinuerunt: nõ propter ſua facinora, cum tam ſancti eſſent, quòd mundus eis dignus non fuit, ſed propter dei conſcientiam ſuſtinuerũt triſtitias, patiendo iniuſte, quæ gratia magna eſt apud Deum. Eſt & alia crux aliúdque martyrium, qua homo vincit ſeipſum, vim ſibi facit, à voluntate ſua auertitur, & non quod ſibi bonum, cõſolatorium & vtile eſt, facit & eligit, ſed quod aliis, vt ſalui fiant. Nec ſuam, ſed patris qui in cœlis eſt, & qui locum eius tenet in terris, voluntatẽ facit, obediendo humiliter, carnem ſuam crucifigẽdo cum vitiis & concupiſcentiis, cuſtodiendo vias duras, omnia relinquendo, & nude nudum & in paupertate pauperem ſequendo Chriſtum. Nam et ſic non ſolum homo membra ſua quæ ſuper terrã ſunt mortificat, et corpus ſuum in hoſtiam ſanctam, viuam et deo placentem offert, ſed etiam animam ſuam caſtificat, et eam reformat in nouitate ſenſus ſui, renouátque de die in diem, probando opere et veritate, quæ eſt voluntas dei bona, beneplacẽs et perfecta. Et qui in hoc ſeruit Chriſto, placet deo, et probatus eſt hominibus. Sed hoc facere, durum eſt carni, amarum item et contrarium eſt noſtræ inclinationi et voluntati. At, via regia, immaculata, compendiaria et arcta eſt, quæ ducit ad cœlum. Ideo regnum cœlorum vim patitur, et violenti atque vim ſibi facientes, rapiunt illud. Et vt Lucas ait: Omnis in illud tendens videlicet, vim facit ſibi. Et qui hoc faciunt, licet nõ occidantur pro Chriſto per mundi huius homines, et amatores, martyres tamen ſunt ſine ſanguinis effuſione. De quibus thematis mei verba accipi appoſite poſſunt. Nam boni Chriſtiani, maxime veri religioſi, vtique ſe mortificant tota die, et toto tempore vitæ ſuæ. Et mortificantur etiam ab his qui laborãt inter eos et præſunt eis in domino, dum non licet eis facere quod ipſi, ſed quod poteſtate præditi volunt

Marginal references: Ioan. 16. Mat 10. Luc. 21. Heb. 11. 1. Pet. 2. 1. Cor. 19. Mat. 26. Mar. 14. Gal. 5. Mat. 19. Matt. 7. Mat. 11. Luce 16. 1. Thes. 5. Mat. 26.

volunt & decernunt. Et æstimãtur, tum à seipsis propter mentis humilitatem & verissimam sui cognitionem, qua quò magis abundant in gratia & in bono proficiunt, eò viliores, abiectiores, & humiliores fiunt in oculis propriis quàm erant prius, & magis imperfectio eorum & confusio eis ingeritur, & quàm longe adhuc sunt à perfectionis culmine & Christi similitudine, clare intuentur. Sic Abraham cum tantam venisset ad virtutũ vsum *Iac. 2.* & perfectionem, quòd amicus Dei vocaretur & vere *Gene. 18.* esset, figmentum suum, & quid ex seipso erat respiciens, puluerem & cinerem se esse vidit & dixit. Dauid electus *1. Re. 13.* vir secundum cor Domini, cum consummasset, incepit, & se iuxta modulum ac pedem suum metiens, dixit ad reprobum regem: Quem persequeris o rex? Canem mortuum & pulicem vnum persequeris. Vas electionis Paulus, postquam in tertium cœlum raptus fuit, & diu *1. Cor. 6.* glorificauerat & portauerat Deum in corpore suo, secum habitans et in se descendens, videt & vocat se minimum sanctorum et apostolorum et abortiuum. Dicit *Ephe. 3.* se fuisse blasphemum et contumeliosum & persecutorem. *1. Cor. 15.* Sic sancti, quanto magis luci inaccessibili & sine tenebris appropinquauerũt, tanto magis & plenius imperfectum suum viderũt, & in nihilũ redacti sunt, et facti humiliores abiectioresque in oculis suis, et in domo dei. Nam quanto copiosius sol iustitiæ radios in domum *2. Re. 6.* mentis nostræ diffundit, eo amplius minimi defectus et atomi conspiciuntur. Qui si domum mentis non illuminauerit, *Esai. 59.* ecce tenebrę terram operiunt, et caligo populos, et tenebris obscuratum habent intellectum, ambulántque in tenebris malitiæ et nequitiæ, et impingunt in meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Nesciunt enim deum, ignorant eius legem, non vident neque cognoscunt seipsos, nec intelligunt, imo nolunt intelligere vt bene agant, ideo in tenebris ambulant. Et ipsi sibi grauiores sunt tenebræ: Sic ergo iusti humiliant se sub potenti manu dei, & seipsos despiciendo, fiũt sicut oues occisionis, & ipsa vita indignos se reputant. At mali *Gala. 6.* tenebrarũ filij & ipsæ tenebræ inflati sunt, seipsos aliquid esse, cũ tamen nihil sint, putant. Nam tenebris suis *Sap. 2.* & malitia excæcati sic sunt, quòd etiã magna scãdala sua & offendicula nõ vident. Ruunt de vno peccato in aliud, et nesciunt quò corruunt. Rursus, boni et recti corde, *Prou. 4.*

licet agni sint & oues, animalia innocua, & instar ouium sine vllius offensione in medio luporū viuant, à lupis tamen & vrsis, perinde ac oues morbidæ censentur, & culpātur sine veritate, vt eos diripiāt & douorēt sicut escā pa-
Mat. 10. nis. Tolle tolle, crucifige eum, Et iterū: Leuauerūt vocē suā dicentes: Tolle de terra huiuscemodi (pestiferū) Paulum designantes: Non enim fas est eū viuere. Reus est mortis, Sic & Naboth vir bonus & iustus à lupis, ouis occiditur, qui Deū & regē maledixisse criminabatur. Ta-
Dan. 4. ceo pudicitiæ speculum Susannam, cuius memoria in benedictione est. Taceo virū virtutis Danielē cuius iustitia obliuionem non accipiet in æternum. Et quamuis Daniel & Susanna in occisione gladij mortui non sunt,
Eccle. 4. pro iustita tamen agonizauerūt vsque ad mortē. Parati magis mori, quā iustissimas leges Dei transgredi, & ideo deus expugnauit pro eis inimicos eorum. Iusti de angu-
Gene. 39. stia liberati fuerunt, & impij traditi sunt pro eis. Idipsum
Hest. 6. in Ioseph honestatis speculo, & Mardochæo viro æqui
1. Pet. 3. iustique amantissimo cernere est. Nouit enim dominus iustos de tribulatione eripere, & impios in diē iudicij reseruare cruciandos, Nihilominus martyres, id est, testes veritatis fuerunt, & quiduis pro veritate pati parati erāt; sic & nos, si volumus in pace, sine mortis gustatione, sine carnis nostræ vulneratione, sine calicis potatione, sine sanguinis effusione, esse possumus martyres Christi, Martyrum namque Christi, quatuor genera à doctoribus recensentur, Aliquantorum passio in corpus redundat & animam. Sic assertoris nostri passio, omnium fuit grauissima, pro eo quòd pater in passione eum quantum
Matt. 27. potuit pati dereliquit intus & fortis, Sic foris interfecit
Mar. 15. cum gladius modis omnibus desæuiens in carne eius tenerrima, per illationē tormentorū pœnarúmque diuersi generis, & intus in corde & anima, quæ tristis erat vsque ad mortem, Quia amaritudinibus eum valde repleuit omnipotens, Ad quod rememorandum adhortans, ait:
Thre. 1. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Aliquantorum martyrium in sola anima est, Sic Simeonis gladius doloris, in sola
Luc 2. anima Mariæ deseuit, dum Iudæi agnum dei sine macula, contra legem suam, in lacte matris suæ coxerunt, hoc est, Christum in conspectu matris suæ morte turpissima occiderunt. Vnde eam longe plus quàm martyrē censemus,

mus,in qua cõpassionis affectus superauit passionis effe-
ctum. Aliorum martyrium est in sola carne. Quamuis
enim duros in corpore cruciatus sustineant pro iustitia
& Christi nomine,tamen vnctio quam habent à sancto,
adeo eos replet in corde per gratiam, & fortes facit per
charitatem ardentissimam, & replet omni gaudio & pa-
ce in credendo:vt cum Apostolo inter cruciatus horren- *Rom. 15.*
dos(dum ignis in eis desæuit, & ferrum carnes rimauit, *2.Mat.6.*
vel tortoris crudelitas in aculeo eos extendit,quod om-
nia ossa eorum dinumerare potuerunt),dicerent:Reple- *2.Cor.7.*
ti sumus consolatione,superabundamus gaudio,in omni
tribulatione nostra.Sic Laurentius, sæuos ignes dulces
epulas reputat & refrigeriũ. Nã secundũ multitudinem *Psal. 63.*
dolorũ quos pertulerũt in corpore,consolationes diuinę
lætificauerũt animas eorũ.Adeo quod gloriabãtur in tri- *Rom.5.*
bulationibus & in afflictionibus sibi complacebant, vt *2.Cor. 12*
ex multorum sanctorum legendis ad superabundantiam
ostendi posset.Quartum genus martyrij est, quãdo paſ- *Col. 3.*
sio & cruciatus corpus non occidit,nec animam separat, *Ephe.4.*
sed per continuam crucifixionẽ carnis cum viciis & cõ- *Rom. 13.*
cupiscentiis, & membrorum mortificationem , Christo
configuntur cruci,& viuunt iam non ipsi & vetus homo,
cũ actibus suis & concupiscentiis, sed viuit in eis Chri-
stus,quem induerunt.Cuius mortificationem semper in *Gala.3.*
corpore suo circumferunt,atque sic vita Iesu manifesta- *2. Cor.4.*
tur in corporibus eorum,& in carne eorum mortali. Sic *1. Pet.2.*
Christus passus est pro nobis,& nobis reliquit exemplũ, *Matt.10.*
vt sequamur vestigia eius. Quod & faciunt,abnegando *Mar. 8.*
semetipsos & tollendo crucem suam quotidie,& eum se- *Luc. 9.*
quuntur quocunque ierit. Et hoc est martyrium spiri- *Apo. 14.*
tuale.Sic pax nostra , quamuis persecutor foris non vr-
geat ad infanda,nec mortem inferat , habet tamen mar-
tyriũ suum. Quia quamuis carnis collum ferro nõ sub- *Ephe.6.*
dimus quem vibrat tyrannus,tamẽ gladio sanctispiritus,
quod est verbum Dei , nos martyres facimus & occidi-
mus,si vitam & mores nostros ad eius regulam ordina-
mus,& carnalia desideria , in carne viuentes mortifica-
mus.Vt nos iam non viuamus , sed viuat in nobis Chri- *Gala.2.*
stus.Et quod in carne nunc viuimus,in fide viuamus filij *Apo. 14.*
Dei.Beati qui sic in Domino moriuntur.Illa est precio- *Psal.114*
sa mors sanctorũ.De illa rursus ait euangelij tuba:Mor- *Colos.3.*
tui estis huic mundo & eius concupiscentiis , et vita ve-

ſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.Nec tamē ſemper ſic abſcondita manebit.Sed cum Chriſtus in iudicio apparuerit in vita veſtra, tunc et vos cum eo apparebibitis in gloria.

DE TRIPLICI MARTIRYO SPIRITVALI, OMNIVM PIE in CHriſto viuentium, Sermo quintus,de Patientia.

SPIRITVALE martyrium, omnium pie in Chriſto viuentium et crucem ſuam quotidie poſt ipſum portantium,et in vera dilectione ambulantium,triplex eſt,Nempe:Patientia in aduerſis. Compaſſio eorū qui ſunt in tētationibus afflictionibúſque variis, et amor inimicorū. Patientia in aduerſis martyrij genus eſt. Si aliena mala æquanimiter toleramus, et contra eum qui mala nobis ingerit,nullo inuidiæ rancore, aut indignationis ſigno vel verbo mouemur. Virtus hæc charitatis primarius & fundamentalis lapis eſt:Quia Apoſtolo te-
1.Cor.13 ſte Charitas patiēs eſt.Multa in libris de patiētia ſunt digeſta,prompta eſt in omniū ore,in vſu & opere non ita. Vir patiens, melior eſt & præferendus multū per omnē
Prou.16. modū, expugnatori vrbiū & viris fortiſſimis.Nā exteras domaſſe nationes,inimicorū maximas parua manu fudiſſe copias,horrendos reges viciſſe,Dei ordinatio & volūtas eſt,ad laudē bonorū & vindictā malorū, & virt⁹ bel-
Pſal.37. lantiū.Sed inter opprobria exprobrantiū obmuteſcere,
2.Cor.12 & ſilere à bonis,eſſe atque homo eſt nō audiens, & non habēs in ore ſuo redargutiones,ſibi placere in infirmitatibus,in cōtumeliis,in neceſſitatibus,in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto,hoc eſt Smaſonis opus,& Apo-
Rom.5. ſtolicæ perfectionis inſigne. Ipſi enim gloriabātur in tribulationibus,& magnū putabāt,quod digni erāt pro no-
Iob 6. mine Ieſu cōtumelias pati.Hinc vir dolorū Iob , quem Dominus ſicut aurū in fornace probauit,& purgauit ſeptuplū animi ſui trāquillitatē,immobilitatē,firmitatēq́;, inter flagella Domini,& amicorū ſuorū ſcōmota & cōuitia,quātumlibet duros corporis dolores ſuſtinuit, cōteſtabatur,dicēs: Quis det mihi vt veniat petitio mea,& quod expecto tribuat mihi Deus , vt qui cœpit,ipſe me
conterat?

conterat? Soluat manum suã & succidat me,& hæc mihi
sit consolatio,vt affligens me dolore, non parcat, nec
contradicam sermonibus sancti. O patientia quàm per- *Iac. 1.*
fectũ opus habes,dum perfecta & integra es,& in nullo
deficiens. In hac sancti possederunt animas suas. Hæc ser
uo dei,cum primis necessaria est,vt in ea voluntatẽ Dei
faciens,repromissionem vitæ æternæ reportet. Sic opor *Luc. 21.*
tet, vt semen verbi Dei in bono agro cordis nostri fru- *Mat. 13.*
ctum faciat. Vnde Apostolus ait: Deus reddet his qui se- *Roma. 2.*
cundum patientiam boni operis ei seruiunt, gloriam &
honorem & incorruptionem quærentibus vitam æter-
nam. Sed dicis: Omnia sufferre, omnia sustinere, non
irritari,non turbari,æqui boniq; omnia consulere,in bo *1.Cor.13*
no malum vincere, inter opprobria linguam refrenare,
nullum sermonem malum ex ore suo proferre,inter ma
ledicta non maledicere,inter cruciatus non comminari,
sed corde tacito ac mente sibi bene conscia patientiam
seruare,impossibile est. Durus proinde sermo iste est,& *Ephes. 4.*
quis potest eum audire,taceo facere? Durus fateor est, *1.Petr.2.*
sed animalibus hominibus,spiritũ Dei non habentibus.
Durus est prudẽtia carnis imbutis,& ea quæ carnis sunt
sapientibus,secundũ carnem viuentibus,curã carnis suæ *Ioan.6.*
in desideriis facientibus, & his quorũ Deus venter est,
& qui seruiunt suo ventri,non Christo. Durus est, non
diffiteor mundum hunc & ea quæ in mundo sunt dili- *Rom.16.*
gentibus,atq; seipsos improbo damnabiliq; amore. Ve-
rum eis qui Domino seruiunt in sanctitate & iustitia,qui *Rom. 13.*
adorant eũ in spiritu & veritate. Qui glorificant & por- *Phil. 13.*
tant deum in corpore suo. Qui carnem suam cũ vitiis & *Rom. 16.*
concupiscentiis crucifigunt. Qui membra sua quæ super
terram sunt mortificant, & propter verba labiorum dei,
vias duras custodiunt,atq; seipsos abnegauerunt,& cru-
cem suam quotidie Christum sequendo portant. Illis ser
mo iste super mel dulcis est,& desiderabilior super aurũ
& lapides quosque pretiosos. Dum namque secum re-
putant quòd id quod est in præsenti momentaneum &
leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate
æternum gloriæ pondus in eis operatur, non deficiunt, *Prou 12.*
non contristantur, non irritantur, non mouentur vel *1.Cor.13.*
tantillum. Sed inter scommata & opprobria, testimo-
nium conscientiæ suæ bonæ respiciunt, & gaudent atq; *2. Cor. 1.*
exultant,scientes quòd merces eorum copiosa est cœlis. *Matt.5.*

Hinc est,quod in omnibus quæ ad honorem dei & proximorũ ædificationem et salutem vel auspicantur vel faciunt,tribulationẽ patiuntur,sed non anguſtiantur.Aporiantur,sed non destituuntur.Persecutionem patiuntur, sed non derelinquuntur.Humiliantur, sed non confun-
2. Thes.1. duntur:Deiiciuntur,sed non pereunt.Nã pater misericordiarum et deus omnis consolationis, consolatur eos in omni tribulatione eorũ.Ergo dũ peccator consistit aduersus eos, et qui oderunt eos gratis, et mala pro bonis eis retribuunt,omne malũ de eis dicunt mentiendo,ad cor cõuertuntur,& quã sancte,iuste & sine querela omnibus affuerunt rememorant, & pro nihilo ventos calumniantiũ suam bonã conuersationẽ habent,& dicũt:
Ioan.5 Testis meus in cœlo est,& conscius meus in excelsis.Illi pater omne iudiciũ dedit. Ideo mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sic amicus dei Moyses,grandis factus, filiũ filiæ Pharaonis se esse negauit.Magis eligens affligi cũ populo dei,quã temporalis peccati habere iucunditatẽ.Maiores diuitias æstimãs thesauro Ægyptiorum, improperium crucis.Aspiciebat
Hebr.2. enim in remunerationẽ.Sic sancti confusione cõtẽpta,
Esaia 53. in auctorẽ fidei consummatorem Iesum respiciunt,qui
1.Petr.2. proposito sibi gaudio crucẽ sustinuit.Et recogitantes eũ, qui talem à peccatoribus sustinuit aduersus semetipsum (licet peccatũ nullũ fecisset,nec vllus dolus in eius ore inuentus fuisset)contradictionẽ, non fatigantur animis suis deficiẽtes. Imo sic cõmunicant Christi passionibus, & gaudent in spiritusancto,& patienter sustinent,& fideli creatori cõmendant animas suas in benefactis.Scien-
Marc. 10 tes quòd sic eos oportet contristari in variis tentationibus, vt probatio fidei illorum multo preciosior sit auro quod per ignẽ probatur,& inueniatur sic in laudẽ & gloriã & honorẽ Dei in reuelatiõe Iesu Christi.Magna gloria est homini,sequi Dominũ suũ,bibere calicem quẽ ille bibit,sustinere improperia,male audire à malis. Insuper ad tantam patientiæ perfectionẽ & humilitatis sancti peruenerunt, quòd potius de se malum quàm bonũ audire voluerunt.Dũ illud ad se emendandũ,hoc ad casum inuitabat eos.Hinc in laudibus suis tristabantur,et in sannis, conuiciisq; iucundabantur et sibi complacebant.Et plus est maiorísq; meriti in tribulationibus, in aduersitatibus,in verbis contumeliæ, patientiam,cordis pacem,

pacē,animi imperturbationē seruare, quā mortuos susci tare,dæmones eiicere,mortifera sine nocumento bibere,super aquas siccis pedibus ambulare aut cæcos illuminare.Nā natura non dat patientiā in aduersis,sed charitas dei syncera.Hæc est firma petra,supra quā domum nostræ mentis,ædificare debemus,ne per ventos superbiæ,aut pluuiā voluptatis carnalis,aut alluuionē aquarum auaritiæ euertatur et deiiciatur. Qui hoc neglecto Eccl.12.
fundamento,domū mentis suæ ædificat, homini stulto similis est,qui super arenā ædificat, et lapides in hyeme collocat. Nā quo altius morū fabricā et vitæ erigit,tanto magis proximat casui et ruinæ.Et quo ditior putatur in gratia et meritis, eo citius per impatientiam perdit, quod multo et longo partū erat labore.Vnde Apostolus Roma.5.
ait:Dominus dirigat corda vestra,in charitate dei et patientia Christi. Patientia autē Christi, est pati tristitias iniuste,et sustinere magnū certamen passionū,propter nomen domini,propter iustitiā et propter dei conscientiā. Triplex autē est gradus patientiæ. Vnus, æquanimiter aliena mala perpeti. Alius, libenter et gaudentes aduersa pati.Tertius,in tribulationibus gloriari etc.Perfectæ patientiæ signa sunt,Lætari et exultare cū omne malū de nobis dicitur.Aliud est compati malū inferenti et vicē eius dolere,iuxta illud:In patientia, pietatē mi- 2. Petr.1.
nistrate.Tertium signum est,bonū pro malo reddere,et Rom.9.
vincere in bono malū. Amare inimicos,odientibus be- Matt.5.
nefacere,pro persecutoribus orare,maledicentibus be- Luca 6.
nedicere.Quartū est inferenti et deo regratiari. Sic læ- Roma.12
tati sunt pro diebus quibus fuerūt humiliati,annis quibus viderunt mala. Sic Tobias immobilis in dei timore permansit,gratias agens adeo,omnibus diebus vitæ suę. Sic sanctus Franciscus, fratrē qui iussus vilia de eo dixit, laudibus cumulauit.Obsecro igitur cū Apostolo, vt di- Ephes.4.
gne deo et euangelio eius ambuletis vocatione qua vocati estis cū omni humilitate et patientia. Et patientes estote ad omnes.Et alibi:Homo dei,sectare patientiam. 1.Tim.6.
Vide patientiam Christi,beati Iob, sancti pueri Dauid, Hebr.6.
Pauli et aliorū,qui sustinuerunt sustentationes dei, et per fidē et patientiā hæreditarunt promissiones, et noli segnis effici.Sed omne quod tibi applicitū fuerit,accipe, Eccles.2.
et in dolore sustine,et in humilitate tua patientiā habe. Quoniā cum probatus fueris, accipies coronā iustitiæ Iacob.1.

& vitæ,legitime certantibus & deū diligentibus,& in trĩbulatione patientiā exhibentibus,repromissam. Pudefias etiam & confundere de impatientia tua,quæ deo & hominibus abominabilē te fecit & odiosum. Sed qualis vnusquisq; intus est,illata contumelia probat. Et quantam patientiā vnusquisq; exhibet, dū lacessitur verbis, damnis grauatur,iniuriis pulsatur, et non solùm debita & necessaria,sed et cū ea quæ appetit ei negantur,tantā habet, et non maiorē. Cōpassio afflictorū alterum est,in quo sine sanguinis effusione spirituales martyres esse possumus. Nā qui dolorē in aliena necessitate exhibet,crucē profectò portat in mente. Hinc beatus Iob ait:Flebā quondā super eo qui afflictus erat,& cōpatiebatur anima mea pauperi. Hac de re Hebræos Apo-
Iob 30. stolus laudat,dicens:Vinctis cōpassi estis. Sic flere debe-
Hebr. 10. mus cū flentibus. Et Apostolus ait de seipso: Quis infir-
Rom. 12. matur,et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego
1. Cor. 12 non vror? Sic Christus dixit:Misereor super turbā, quia
Matt. 9. erant vexati,et erant sicut oues non habentes pastorē.
Luca 23. Sic Maria mater Iesu iuxta crucē Iesu plusquā martyr facta est,quia omnia vulnera quæ filius eius sustinuit in corpore,ipsa in mente,et anima suscepit. Sic si vicē pauperū doles,qua necessitatē patiuntur,vel spoliantur,vel persequuntur in corpore et bonis externis. Vel in omni pressura sunt. Itē lachrymas pauperū et innocētū,et neminē consolatorē habentiū,nec posse resistere maleuolorū violentiæ,cunctorū auxilio destitutorū crucē portas in mēte. Sic adsertor noster misericordissimus,dū baiulās sibi crucē exiuit,multa turba populi et mulierū eū
Iob 29. sequebatur,qui plangebāt et lamētabātur eū. Hinc Iob ait de seipso: Liberaui pauperē vociferantē,et pupillum
Dan. 13. cui non erat adiutor. Sic Daniel Susannā à calumniis seniorum eripuit cum duceretur ad mortem. Vel cum vides aliquem manifeste peccare,scandalizari pusillū gre-
Psal. 118 gem Christi. Vidi,inquit vir secundum cor dei, præuaricantes et tabescam,et nullam aliam ob causam id feci, nisi quòd eloquia siue mandata tua non custodie-
2 Cor 12 runt. Sic Apostolus timuit, ne veniens ad Corinthios Deus eum humiliaret apud eos, et lugere cogeretur multos ex his qui prius peccauerunt, et non egerunt
Rom. 9. pœnitentiam super immunditia et fornicatione et impudicitia quam gesserunt. Sic induratio et obstinatio

I udæo-

Iudæorum tristitia magna illi fuit, & continuus dolor cordi suo. Sic Christus videns ciuitatem Hierusalem, *Luca 19.*
fleuit super eam. Sic Esdras zelator legis integerrimus. *Esdr. 9.*
Sic Hieremias, sanctus antequam natus, peccata populi *& 10.*
plangunt planctu magno. Tabescere eos fecit zelus eo- *Hier. 9.*
rum, pro eo quòd quorum salutem sitiebant, obliti erāt verba dei. Hæc est pietas vera, promissionem vitæ habēs quæ nunc est & futuræ. Sic sumus imitatores Dei sicut filij charissimi. Sic sentimus in nobis, quod & in Christo Iesu. Sic vera sumus corporis Christi membra. Nam patiente vno membro (aut infirmante in fide aut vulnerato à latronibus plagis peccatorum sæuissimis, aut funibus peccatorum cōstricto, & in captiuitatem diaboli ducto, vt ibi seruiat die ac nocte sine vlla requie & miseratione, operando in luto luxuriæ, in palea superbiæ, in lateribus auaritię) compatiuntur omnia membra, vicem eius dolent, de eius liberatione & sanatione cogitant semper. Sed & nullum non lapidem mouent, vt vincula *2. Tim. 2.*
eius quibus ad voluntatem diaboli explendam captiuus *Rom. 8.*
tenetur, dirumpant, & illum in libertatem gloriæ filio- *Gal. 6.*
rum dei reducant. Sic vinctis, qui spirituales sunt, & quos aliquo peccato præoccupatos conspiciunt, compatiuntur, tamquam simul vincti, & laborantium vt inique agāt & lassatis in via perditionis tamquam & ipsi in corpore, animam aggrauante morantes, opem impendant vt eos saluos faciant. Et seipsos considerant, paupertatem suam vident & imperfectum & figmentum, ne & ipsi tententur. Et omnia quæcunque volunt vt eis faciant homines ipsi aliis faciunt. Ideo consolantur pusillanimes, suscipiunt infirmos, corripiunt inquietos, ad iustitiam erudiunt plurimos. Vacillantes, fluctuantes, morituros q́; confirmant, manus lassas roborant, genua tremētia con- *Esa. 1.*
fortant. Subueniunt oppressis, iudicant pupillis, defendūt viduas. Eruunt eos qui trahuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cessant. Diligunt non verbo & lingua solummodo, sed opere & veritate. Ideo necessitatem patientibus, quę eis necessaria sunt, largiū- *Iac. 1.*
tur animo propenso, & non ex tristitia aut ex necessitate. Qui probatus in illis & perfectus est, huic erit gloria æterna. Ergo beati misericordes, quia eorum miserebitur Deus, & misericordiam consequentur.

Dilectio

Dilectio inimicorum.

DILECTIO inimicorum tertium est, per quod martyres sine sanguinis effusione fieri possumus. Charitas non solum patiens est, sed & benigna. Patiens est, quia alterius onera portat, nec benedictione nec maledictione mouetur, Aliena mala æquanimiter portat, & contra eum qui sibi molestus est & grauis, nullo inuidiæ

Leuit. 19 vel rancoris dolore mouetur. Eo quod charitas non æmulatur aut inuidet, nec memor est iniuriæ ciuium suorum. Benignitas verò, quem tolerat, diligit, beneficiis demeretur, obsequiis cõsiliat, verbis demulcet, honore preuenit, laudibus cumulat, vt animam illius lucretur. Hinc

Ephes. 4. Apostolus ait: Estote in inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit vobis, et non reputat vobis peccata vestra. Nec improperat. Imo omnium iniquitatum quas operati sumus, non recordatur amplius, si manemus, relicta malitia, in bonitate. Est autem benignitas, amor boni, igniti et liquefacti cordis, in omni bonitate, super actu rebelles, ingratos, malos et contrarios, effluxio, et suiipsius bonorũque suorum communicatio liberalis. De qua seruator noster ait,

Mat. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite et mutuum date

Luca 6. his qui oderunt vos, orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Et eritis filij altissimi quia ipse benignus est et præstabilis super ingratos et malos, et pluit super iustos et iniustos, et solem suum oriri facit super bonos et malos. Tria ecce male de nobis meritis, facere debemus beneficia. Nempe, ex corde, ex ore, ex opere. Cor-

Mat. 18. de eos debemus in veritate diligere, eis bene velle & desiderare, donare offensas & misereri. Ore debemus pro eis deũ vt eis misereatur orare vt eos cõuertat, vt gratia sua illos dignetur, vt eos in benedictionibus præueniat, vt eos custodiat à malo, vt eos saluet in regnũ suum æternum. Ore debemus eos excusare, laudibus cumulare, benedicere & non maledicere, salutare per viam. Opere debemus eos exemplo dei & adsertoris nostri Iesu Chri-

Prou. 25. sti, beneficiis cumulare, carbones ignis super capita eo-

Rom. 12. rum congerere, commodum eorum facere, & damnum eorũ impedire. Hæc tamẽ nõ sunt semper de necessitate salutis vt sic fiant. Sed si inimicis bonũ pro malo reddi-

Mat. 11 mus, consummatę charitatis est opus, & tanto maioris meriti,

meriti, quanto maiorē vim nobis, in hoc facimus, & amplius in hoc nos abnegamus, & voluntati nostræ peruersæ magis resistimus, & perfectius Christi exemplum qui pro suis crucifixoribus orauit & transgressoribus, & benignitatem dei consummatius imitamur. Nam contumelias ferre, odientem diligere, benefacere inimico, benedicere maledicenti, bene precari persecutoribus, martyriū est in occulta cogitatione, & maius omnibus holocaustomatib⁹ & sacrificiis. Per hoc Dauid Deo placuit, quia vna & altera vice Sauli inimico suo, qui animam eius quæsiuit cum sine omni suo periculo Imo cum maximo suo commodo, eū occidere potuisset, pepercit. Vnde ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus animā meā, &c. Imo super morte eius fleuit, & nūtium mortis illius gladio feriri iussit. Moyses amicus Dei & Aaron frater eius, cum iniustissime populus stultus & insipiens, generatio praua & exasperans, contra eos murmurauit, eósque occisores Dathan Chore & Abiron, compliciúmq; eorum criminarentur, fugęq; præsidio vix mortis euasissent imperium, mox vltrix flamma desæuit in populo, & quatuordecim millia hominum septingentósque consumpsit. Tunc mitissimus omnium hominum Moyses iniuriæ immemor & memor clementię Aaroni dixit: Vt incensum offerret, & pro delictis populi Dominum deprecaretur, Quod & dicto citius fecit. Et stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecabatur: & mox vastās plaga cessauit. Ecce quantam perfectionem habuerunt electi isti tempore legis, quæ ad nihil perfectū perduxit. Quantam lucem sanctitatis ostenderunt qui in nocte et vmbra legis deo placuerunt. Nulla ergo nobis excusatio est, si Dei imitatores in hac re non fuerimus, cum simus in lumine perfectionis euangelicæ, et lucis deíque filij, et Christum lucem mundi, in hoc habeamus exemplar et doctorem. Et si hęc nos ad inimicorum amorem non prouocant, vel illud nos vrgeat, quod per amorem hominis inimici, efficimur amici dei. Nam si quis dixerit, quoniam diligo deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deū quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. Deus autem se diligentes, diligit. Ad hæc

Marc. 12. *1. Reg. 24 & 26.* *Psal. 7.* *2. Reg. 1.* *Heb. 10.* *1. Ioan. 2.* *1. Ioan. 4.* *Prou. 8.*

qui in se peccantibus clementer ignoscit, in eius animâ nullum peccatum manet. Vnde dicimus et oramus: Dimitte nobis peccata nostra, sicut et nos dimittimus debi
Mat. 6. toribus nostris. Et addit Christus: Si dimiseritis homini-
Luca 6. bus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester cœlestis, dimittet vobis peccata vestra. Imo: Et peccata quæ iam remiserat nobis, reuocat ad vindictam, si non remiserimus vnusquisque fratri suo de cor
Eccl. 10. dibus nostris. Hinc Iesus Syrach ait: Omnis iniuriæ proximi ne memineris, et nihil agas in operibus iniuriæ. Nã itinera eorum, qui iniuriam retinent malefacti in mortẽ. Et iterum ait: Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, et peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & nunc deprecanti tibi, peccata sol
Eccl. 28. uentur. Homo homini reseruat iram, et à Deo quærit medelam. In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis depræcatur, ipse dum caro sit reseruat iram, et propitiationem petit à deo. Quis exorabit pro delictis illius? Hoc natura non docet, sed gratia, et perfectio viarum Dei. Hoc amor sui et mundi stul-
1. Cor. 2. titiam censet, sed amor Dei hoc summam et veram sapiẽtiam, quæ à patre luminum descendit, quam Paulus inter perfectos docuit, profitetur. Sic verbũ crucis pereuntibus stultitia est, his autem qui salui fiunt, Dei virtus et vera sapiẽtia est. Sic prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam,
1. Cor. 1. ipsis autem vocatis ad fidem Iudæis et Græcis Christũ dei virtutem et sapientiam. Si quis ergo vere sapiens esse vult in hoc seculo, stultus fiat coram mundi sapientibus, necesse est, vt sit sapiens in hac vera sapientia, quam mundus ignorat, stultitiam reputat, despicit atque letum et detrimentum, et scire recusat. Nobis autem absit gloriari, nisi in hac cruce Domini nostri Iesu Christi, per
Gal. 6. quem nobis mundus crucifixus est, et nos mundo. In hac est salus, vita, iustitia, pax, vnitas, resurrectio, sanctificatio, fortitudo et sapientia nostra, et totius euangelij cardo, et summatio continetur. Sanctus Bernardus aliud triplex martyrium spirituale ponit. Vnum est paupertas in abundantia. Aliud est obedientia in sublimitate siue in alto gradu, statu et honore. Tertium est castitas in iuuentute. Sed ex quo late hac de materia in

cruce

cruce egi religiosum, ideo hic calamum cohibendum consilium putaui. Soli Deo honor & gloria.

SERMO AD SORTEM DE SANCTIS.

INduimini dominum Iesum Christum. Vir secundum cor dei, cui incerta & occulta sapientiæ suæ deus reuelauit, reginam iuxta regem à dextris eius stantem vidit in vestitu deaurato charitatis, & circumamictam varietate aliarum virtutum, quas Apostolus charitati tribuit ad Corinthios scribēs. Nempe, charitas patiens est, benigna est, &c. Nam dum ornatur his virtutum vestimentis, tunc rex regum & dominus dominantium, decorem eius concupiscit. Enimuero, sic formosa est valde & incredibilis pulchritudinis, omnium oculis gratiosa & amabilis videtur. At obiter considerandum, quòd duplex est homo: interior videlicet & exterior, anima & corpus, immortalis & mortalis. Ille cum deo & angelis, hic nobis cum bestiis communis est. Illius imperio, huius seruitio vti debemus. Ille legi dei condelectatur, quæ scripta est in cordibus nostris, hic animam aggrauat, ab adolescentia ad malum pronus, et captiuam tenet animam in lege peccati, quæ est in membris nostris. Ille dicitur homo nouus, hic homo vetus. Adam nouus et Adam vetus. Ideo hic deponendus et expoliandus cum actibus suis, eo quòd corrumpitur secundum desideria errorum, et iste induendus, quia renouatur in agnitione dei secundū imaginem eius qui creauit eum. Et hoc in iustitia et sanctitate veritatis. De hoc iterū tuba euangelij ait: Primus homo de terra terrenus et animalis, secundus homo, de cœlo, cœlestis et spiritualis factus est. Ille non sapit quę dei sunt, et nō potest intelligere quia stultitia est ei. Spiritualis autē, q. viuit in spiritu, q. ea quæ spiritus sunt sentit, et agitur à spiritu, omnia diiudicat. Ex primo Adā habem⁹ perditionē, ex secūdo Adam habemus salutē. Per primū omnib⁹ bonis priuati sumus, per secundū omnibus bonis repleti, et diuites in illo facti in omnib⁹, ita vt nihil nobis in vlla gratia desit, et diuinæ cōsortes naturę facti, si fugimus eā quæ in mūdo est et cum mundo transit, concupiscentiæ corruptionem. Proinde sicut portauimus imaginem terreni, carnis curam faciendo in de

Rom. 13.
2. Cor. 4.
Rom. 7.
Ephes. 4.
1. Cor. 15.
Rom. 8.
Iac. 2.
1. Tim. 4.

Hebr. 31. fideriis,ambulando secundũ principem potestatis aëris huius, eius,non dei mandatis & verbis fidem dando & parendo,peccata peccatis addendo,in verba malitiæ,ad concinnandas excusationes in peccatis cor & linguam
Roma. 2. declinando. Sic nos, postquam renati sumus per ver-
& 8. bũ dei viui,& aquam,& Christũ induimus in baptismo, & translati sumus de morte ad vitam,& excisi ex naturali, infructuoso & maledicto oleastro,& contra naturã insertí in oliuam bonam,pinguem & fructuosam,portare debemus imaginem Adæ cœlestis. Vt qualis cœlestis in gratia,virtutibus,sanctitate,iustitia & bonitate, tales fint in vita & moribus & cœlestes,qui Christi sunt, qui dicunt se nosse Christũ,qui spiritu seruiunt deo,& glo-
Ioan. 1. riantur in Christo Iesu.Nam pater gloriæ, qui in cœlis est,vult filios gratiæ,quos prędestinauit,conformes fieri imaginis filij sui naturalis,& ambulare sicut ipse ambulauit.Vult eos mortificationem Iesu Christi semper in corpore suo circumferre, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus eorum,& in carne eorum mortali.Vt Christo confixi sint cruci,& viuant non ipsi, viuat vero in eis Christus.Qui facit hæc,hic Christum induit,amictus est lumine,sicut vestimento.Vt autem,quæ summis digitis attigimus fiant lucidiora,& cunctis intelligibilia reddãtur,sciendum quod Christus sapientia,iustitia, sanctificatio & virtus siue fortitudo vno in loco vocatur ab Apostolo.In cæteris vero sacræ scripturæ locis,multis passim & rebus comparatur,& nominibus appellatur. De qui-
Ioan. 1. bus paucula,exempli gratia hic depromam.Nam dicitur
Esai. 6. agnus dei,magni consilij angelus, bonus, iustus,verus,
Mat. 19. sanctus,benignus, & benignitas,lux,lumen,pax,mitis,
Iohel. 2. misericors,patiens,pius,suauis.Imago bonitatis, splendor gloriæ paternæ,figura substantiæ eius,speculum sine
Mat. 12. macula.Sol iustitiæ, stella matutina,ignis,lignum vitæ, vitis vera,templum dei viui, mediator & saluator, flos campi & lilium conuallium. Has & alias virtutes, quas scriptura Christo tribuit, qui habet, vtique Christum induit,& cum Melchisedech assimilatur filio Dei. Sic assimilat nos sibi Christus,per viscera misericordiæ suæ,& non ex operibus iustitiæ quæ nos fecissemus, vt ostendat abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super
Sap. 8. nos.Sicut ab exordio pauca de multis quæ digesta sunt, repetam.Si ambulaueris in sapientia, & iustitiam dilexe

ris &

ris & feceris,& in omni conuersatione tua sanctus fueris,sicut & ille sanctus,innocens,impollutus,à peccatoribus est segregatus.Si diabolo fortiter in fide restiteris, nullũ ei locum dederis,mundum viceris,& vim tibi feceris,Christũ induisti,qui nobis à Deo factus est sapiẽtia, & iustitia & sanctificatio & redẽptio,in qua maxima eius fortitudo emicuit. Quia ibi fortem vicit,ligauit & in se metipso triũphauit.Ibi vasa eius diripuit & arma,et spolia eius distribuit.Si innocens manibus fueris et mundo corde,patiens et tacens, agnus esse et dici meruisti. Si obedieris deo,voluntatẽ dei et omne consilium eius denunciaueris,et benedictione nec maledictione,vel tantillũ motus fueris,angelum viuis. Si bonitatẽ feceris et manseris in bonitate,seruus bonus es, et participas dei bonitatẽ. Si iustitiam feceris,iustus es.Si facis et diligis veritatẽ,similis es filio dei,et veritas te liberabit. Si benignus es super ingratos et malos,et dilexeris inimicos, odientes beneficiis demerueris,calumniantes laudibus cumulaueris, vtiq; filius altissimi dici et esse meruisti. Ipse lux vera est,et tu si bona opera facis,in quibus pater cœlestis glorificatur et proximus ædificatur, ac verbum vitæ contines, lux es in domino et filius lucis. Si cum his qui pacem odiunt,es pacificus,et pacem inquisieris et persecutus fueris, filius Dei et pacis es et dici poteris.Æmulare item mititatẽ eius in moribus,patientiam in aduersitatibus,suauitatẽ in verbis et affectu,pietatẽ in compassione et subuẽtione,misericordiam in iniuriarum remissione,et ambula in dilectione, et Christum induisti.Ipse est sol iustitiæ,lux vera et ignis consumans et non comburens.Et tu si in sapientia permanes, si instar lucernæ supra candelabrum positæ,sine delecto omnibus lucens per sanctitatis et iustitiæ operationẽ. Et es lucerna ardens intus per dilectionẽ,et lucens aliis per legis obseruationem. Et instar Hæliæ, quasi ignis ascendis, et sermo tuus sicut facula ardet. Et si duodecim articulos fidei corde credis ad iustitiam, et ore confiteris ad salutem,et mundum hunc qui transit cum concupiscentia sua damnabili despexeris quasi lutum et detrimentum. Tunc vere amicus es sole,et coronam duodecim stellarum gestas in capite,et lunam instabilem mirabilémque habes sub pedibus tuis. Sic et imago es bonitatis, splendor gloriæ, figura substantiæ

1. Pet.1. *Hebr.7.* *Matt.12.* *Luca 11.* *Mat.5.* *Rom.12.* *Malac.4.* *Hebr.12.* *Deute.4.* *Ecclesi.2.*

diuinæ,& ſpeculū nō ſolùm ſine macula, ſed etiā exemplum es omniū bonorum operum,forma gregis,lux eorum qui in tenebris ſedent,virtutū ſchola & forma vitę. Tunc in te deum omnes glorificant, omnes qui te vidēt velut angelum dei te recipiunt, & velut Ieſum Chriſtū, quem imitaris,quem induiſti,qui in te viuit, loquitur & operatur,obſeruant & honorant.Si in eo manes per dilectionē & veram fidem,& fructus omnium bonorū operum profers & lucis, qui ſunt in omni bonitate & iuſtitia & veritate,tunc es lignū vitæ,arbor bona,palmes fructifera,ager benedictus, benedictionibus variis in ſeculum ſeculi cumulandus. Sic item es templum dei ſanctum,& deus in te manſionem facit. Sic es bonus odor Chriſti in omni loco, flos campi, & lilium conuallium cenſeris.Ad hæc,ſi es fratrum amator, & multum oras pro populo, & auertis iram dei ab eccleſia, nec non in tempore iracundiæ es reconciliatio,ſi à via veritatis errantes conuertis,& ſi attendis lectioni, exhortationi & doctrinæ,et attendis tibi ipſi et doctrinæ,et in his perſiſtis,dum ſic faciendo, teipſum ſeruas ęt eos qui te audiunt,ſuo modo mediator es et ſaluator. Hinc ſcriptum
Eſaia.30 eſt:Aſſimilaui te mihi,et nō cognouiſti.Videte ergo charitatem perpetuam dei erga nos.Videte viſcera pietatis eius,quia nos vult conformes fieri imaginis filij ſui. Videte diuitias illius,quas non ſolùm multi contemnunt, ſed et ſuggillant, inſuper & blaſphemant ad ſuæ cumulum perditionis.Videte obſecro, quomodo magnificauit facere nobiſcum, quomodo benigne facit in bona voluntate ſua Sion, et dat nobis nomina grandia (ſi eum diligimus et facimus eius voluntatem)non ſolum iuxta nomina magnorum qui ſunt in cœlis.Sic filij dei nominamur & ſumus. Sic fratres, ſorores & matres Chriſti,
Gala.3. hæredes dei & cohæredes Chriſti appellamur et ſumus, Imo et dij,ſimiliter & angeli pacis.Sic reges et ſacerdotes,genus electum,regale ſacerdotium,gens ſancta, populus acquiſitionis vocantur iuſti. Sic ciues ſanctorum, domeſtici dei,templa dei viui,membra Chriſti, hæreditas Domini.Et vt quidam dixit: Ipſius genus ſumus,ex Deo nati,teſte Ioanne, et ex abyſſali eius miſericordia, per gratiæ dona maxima et precioſa, diuinæ conſortes facti naturæ. Pudeſiant igitur, quorum oculus nequam
Matt.20. eſt,eo quòd ipſe tam bonus eſt. An non licet ei facere quod

quod vult? Sed tabescens eos excæcauit inuidia, ideo supereminentem scientiæ Christi charitatem cognoscere non possunt, nec volunt intelligere vt bene agāt, et Deo debitas persoluant gratiarum actiones, pro inenarrabilibus bonis et gratiis eius. Sic pro eo, quòd eum diligerēt detrahunt ei. Sic retribuunt ei mala pro bonis ingrati Lutherani, et odium pro sua nimia spontaneáque dilectione. Si hæc secum reputarent, deiparam virginem nō incesserent impij, vidissent insuper, quod nequicquā epithetis, quibus eam mater ecclesia honorat, spoliare deberent. Hæc summis labiis attigisse sufficiat.

SERMO SEPTIMVS DE SANCTIS, EXEMPLIS ET SIMILITUDINIBUS declarat, quomodo sancti Christum induunt, & ei similes sunt, atque vnum cum Deo & Christo Iesu.

QVI adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo. Non per identitatem naturæ et substantiæ, sed per concordiam voluntatis, vinculum amoris et pacis. Sed exemplis similitudinibúsque quæ dicta in sermone præcedenti ad superabundantiam commonstrare, consilium puto, et è re fore arbitror, vt testimonia quæ inducta sunt, fiāt credibilia nimis. Nec absona cuiquam erunt, si rerum occultas considerat naturas et operationes. Vide ignem et ferrum. Ferrum nigrum, frigidum est et inflectibile. Sic homo per abundantem malitiam frigidus, niger super carbones, durior adamante est. Sed dum per ignem diuini amoris inflammatur, isque in corde eius vehemēter accenditur, decorem induit, fit candidus et rubicundus, mollescit, et in quam voluerit faber ferrarius partē flectitur, et quam voluerit recipit formam. Peccator ferrum est, ignis deus. Et quid est ferrum ignitum, nisi ignis in ferro? Et quid est homo deum diligens, nisi deus in homine, et imago dei et similitudo apparens? Iste est homo dei, vir dei, lucerna ardens et lucens, et flamma ignis siue ignis ardens, lapis ignitus, carbo desolatorius. Augusti. Verbo dei sagittatur cor ad amorem dei, vt fiat in Heb. 12.
eo vulnus amoris, non liuoris. Verbum autem ignitū est Cant. 4.

vehementer,ficut et lex ignea dicitur. Carbones defo-
Ioan.5. latorij funt per verbum dei conuerfi ad deum. Qui in-
ftar carbonũ olim mortuorũ in delictis & peccatis fuis,
iram per verbũ dei ignitum & charitatẽ, quæ ignis eft,
quam dominus in cordibus noftris vult vehementer ac-
cẽndi,de mortuis reuiuifcunt,& funt accenfi,iuxta illud:
Pfal.119 Ignis à facie eius exarfit, carbones fuccenfi funt ab eo.
Prou.20. Et fic dextera dei mutati in viros alios,fuo exẽplo alios
etiam accenderũt,vt viuerẽt fobrie & pie & iufte in hoc
Ioan. 2. mundo. Et dicerent in veritate:Mihi viuere Chriftus eft.
Thren. 1. Hæc eft mutatio dexteræ excelfi.Sic deus gloriofus idẽ
ipfe manens, electos ficut opertoriũ mutat in melius,&
mutantur,non quantũ ad fuperbiã & naturã,fed quantũ
ad qualitates,formas,mores,affectus,vitam & operatio-
nes.Sic cera dura fluit à facie ignis,& varias,pulchras ac
dei fanctorúmque eius recipit formas. Cera dura,indu-
ratus homo eft,qui Deum non timet.Ifte in igne chari-
tatis liquefcit per pietatem, fluit per tractabilitatẽ obe-
dientiæ,dicens: Domine quid vis me facere? Loquere
domine,quia audit feruus tuus.Sic cor induratum fupra
petrã,& adamentẽ,fit tanquam cera liquefcens. Dilata-
tur item per affectũ & fubuentionẽ.Ad hæc faciliter for-
mas varias,pulchras,honeftas & fanctorũ recipit,ex qui-
bus pulchra,delectabilis,honorabilis, & omnium oculis
gratiofa redditur. Nam eiufmodi imaginem pueri Iefu
1.Co. 14. recipiunt, & paruuli malitia fiunt. Sed & crefcunt cum
Ephe.6. puero Iefu in gratia, & confortantur in domino, & in
potentia virtutis eius,pleni fapientia, & gratia dei eft in
Matt.5. illis.Infuper,configurantur vitæ eius & morti:imo, per-
Luc. 6. fecti fiunt,ficut pater cœleftis perfectus eft, & imitato-
res dei efficiuntur, ficut filij chariffimi, & ambulant in
dilectione.Atque ex hoc nõ folũ homines dei & filij al-
tiffimi,fed & dij dici merentur.Sic per charitatem,homi-
Exod.22. nes fimiles diis fiunt.Vel vt in Actis legimus Apofto.dij
Actu.14. fimiles fiunt hominibus & defcendunt ad nos. Vnde de
tali homine appofite illud dici poteft, quod legimus in
Tobia:Quã fimilis eft iuuenis ifte(hoc eft,)homo deum
diligẽs,noua creatura factus,cuius iuuentus inftar aquilę
renouatur de die in diẽ,qui hominem nouũ indutus eft,
qui fecundũ deum creatus eft,& ambulat in nouitate vi-
tæ,quam fimilis inquã eft iuuenis ifte, non Tobiæ,fed
deo patri omnium,qui fuper omnia benedictus eft in fe-
cula,

cula,& Christo Iesu seruatori nostro. Eiusmodi cera & homo,formam Abrahæ habet,dum opera Abrahæ facit. Sic alij formam Apostoli habuerunt,qui imitatores eius fuerunt,sicut & illi Christi,& ambulabant,sicut habebāt formā eius.Sic Galatas rursus parturiit,donec Christus iterum formaretur in eis. De auro & argēto id manifestius adparet.Nam virtus solis,terram in aurum & argētum cōuertit.Labore de terra eruitur, per ignem purgatur, per malleationes crebras & labores vasa in honorē & in formas siue vsus varios magnatorū perducitur.Terra,homo est,de terra formatus.Hic virtute solis iustitiæ, in aurum & argentum mutatur optimum.Per ignē charitatis in camino tribulationis purgatur, exanimatur & cōflatur.Tandem cum septies purgatus est in igne tribulationis,examinatus per patientiam,colatus, conflatus, emundatus & probatus, atque ab omni iniquinamento carnis & spiritus purificatus,tunc non sine malleo, sæui persecutoris & percussione linguæ dolosæ,igne & camino cruciatus & calamitatis, opera & lima tribulantis et fabricantis supra dorsum eius,& prolongantis iniquitates suas assimilatur filio Dei. Sic Satan probauit Iob tamquam aurum in fornace, & fecit eum vas auri solidum,ornatum omni lapide precioso virtutū. Ioseph inimica fraternitas,mendax lingua salacis fœminæ,longum exilium & longa carceris pœna, gloria & honore coronauit,et vas fecit in honorē sanctificatum, vtile Domino,et ad omne opus bonum paratum. Dauidem æmulans Saul sicut triticū,malo eum spiritu agente, cribrauit,quasi ignis conflans et quasi herba fullonum factus: Nec insonti nocuit, sed sibiipsi. Nam eum fecit vas admirabile & singulare opus excelsi.Quid prophetarū laudabilem numerum recenseam, & patriarcharum benedictam propagationem? Quid Apostolorum senatum? Quid martyrum victoriosum exercitum?Quid confessorum sanctimoniam? Quid virginum trophæa et omniū electorum merita,commemorē?Nonne omnes qui placuerunt deo ab initio, per multas tribulationes transierunt fideles?Hic fuerūt socij Christi passionum, & nunc socij sunt eius consolationum. Cōpassi sunt,ideo & sunt cōglorificati.Patientes fuerūt,omnia sufferebāt, omnia sustinuerunt,ideo acceperunt regnū decoris & diadema speciei de manu domini. Sic nimis honorauit amicos suos

Margin: *Gala.4.* — *Psal. 11.* — *Mala.3.* — *2. Cor.7.* — *2.Tim.2.* — *2.Cor.1.* — *Roma. 8.* — *2.Tim.2.* — *Psal.138*

suos deus, etiam in vita quæ nunc est: Nã assimilauit eos
Roma. 8. filio suo, & electis suis. Sic omnia fecit eis cooperari in
Luc. 8. bonum, dum in patientia possederunt animas suas. Qui
autẽ in cõflatorio defecerunt, crucem abiecerunt, in tẽpore tentationis recedunt, à sollicitudinibus suffocātur & diuitiis & voluptatibus vitæ, & retro abeunt post Satanam, & instar canum ad vomitũ, & instar suum reuertuntur ad volutabrũ luti, similes sunt stultis virginibus &
Mat. 25. Iudæ proditori. Sunt hypocritæ, aurũ sunt & argentũ sophisticũ, quod deficit in cõflatorio, & vertitur in scoriã falsitatis, malitiæ & nequitiæ. Hinc scriptũ est: Versa est
Esai. 18. mihi domus Israël in scoriam. Omnes qui disciplinã domini abiiciunt, æs sunt & stagnũ & ferrũ, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. Sed defluẽtem cogor calamũ cohibere, & breuius quæ institueram tangere. Facile siquidẽ est, symbola dilatare. Granũ tritici, excutitur flagello, purgatur, inter grauissima saxa conteritur, cribratur, aqua miscetur, & laboribus aptatur in
Ioan. 6. formam panis delicatissimi. Et tandẽ in camino siue cli-
Heb. 12. bano paratur vt sit cibus regũ, dulcis, sanus & acceptus. Sic tu granũ tritici, vt assimileris pani vitæ, qui dat vitã mundo, oportet vt prius sustineas flagella domini, & flagelleris tota die, purgeris à palea leuitatis & immundiciis. Moleris inter angustias, vt habeas cor contritũ & humiliatũ. Necesse item est à peruersis, ne cum eis peruertaris, quasi à furfure te separare, aqua sapientiæ saluta-
Ioan. 4. ris & gratiæ Dei necesse est te perfundi, & manũ in te laborantis, docendo, arguendo, obsecrãdo & increpãdo su-
Ephe. 5. stinere. Et vltimo clibanũ succẽsum ferre patienter. Aër
2. Cor. 3. tenebrosus, per solẽ illuminatur. Sic homo peccator, qui tenebræ ipsæ & tenebrosus vocatur, cum per solem iustitiæ illuminatur, dies, lux & filius lucis dici meretur, & in eandem imaginem transformatur, à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu. Sic lana varios colores accipit. Sic arbor rorem accipit & pluuiam de cœlo, & floret, frondet, fructúsque profert multos. Sic infirmus sanitatem & virtutem induit ex alto, & Dei munere & mortuus vitam assequitur, & mox ambulat in lege Dei, et salutem suam cum metu et tremore operatur. Sic gutta aquæ infusa ad vinum bonum, colorem, gustum, odorem pristinum suum amittit, et vino vnitur, à vino suo modo in se transmutatur. Sic homo Deo adhærẽs, in

deo

deo manens, vnus cum eo spiritus efficitur, vna volunta-tas, & ab eius charitate separari non potest. In Deo manet, & deus in eo. Quæ spiritus sunt sentit, & quod est in Christo Iesu. Aqua est populus, mutatur in vinum, quando deficit in salutare, id est, in Christũ. Sic vertuntur impij, & non sunt. Sic Saul mutatus est in virum alterum, facta super se manu domini. Sic Apostolus ex lupo rapaci, factus est agnus. Matthæus ex camelo factus homo &c. Nã vnaquæq; res, ex eo cui iungitur, vel melior vel peior euadit et efficitur. Si parum farinæ hordei ad triticum addis, melior fit hordæi farina. Argentũ fit melius si auro additur. Aqua si additur vino. At aurũ additũ aurichalco, et argentũ plumbo, vinum paruũ, aquæ multæ, peioratur. Sic homo vnitus Deo, adhærens deo et manens in eo, fit bonus et similis Deo: auertens se, elongans et recedens à Deo, et adhærẽs diabolo, et seruiens desideriis et carni suæ, et diligens mundũ et ea quæ in mũdo sunt, fit malus, animalis, carnalis, Deo odibilis et abominabilis sicut ea quæ diligit. Fit filius diaboli, tenebræ, vas iræ et contumiliæ, genimen viperarũ, sal infatuatũ, gens peccatrix, populus grauis iniquitate, semen nequam et maledictũ, filius sceleratus et gehennæ siue perditionis. Sed postquã paucis dilibauimus, quomodo homo ex Christi amore et imitatione fit melior dũ facit bonitatẽ et quæ placita sunt deo, iã perpaucis ostendere oportet ordine recto, quomodo etiã Christo similes nos esse oportet per crucis baiulationem et tolerantiam improperiorum et opprobiorum eius, quæ cadunt super nos. Hinc scriptum est: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me. Hæc enim est gratia apud Deum, si benefacientes sustinemus tristitias patientes iniuste. Sic infamiam et bonam famam, oportet nos sequi Christum, qui confusione contempta, sustinuit crucem. Nam cum exprobramur in nomine Christi, beati sumus. Quoniam quod est honoris, quo ad opus virtuosum, et gloriæ, quo ad conscientiæ testimonium, et virtutis dei, quo ad triumphum de diabolo habitum, et spiritus sanctus super vos requiescit, et in vobis est, ducens vos per vias rectas. Sic sine culpa, nouissimus virorum, vir dolorũ, opprobrium hominum & abiectio ple-

1. Cor. 6. Roma. 8. Luca 15. 1. Ioan. 2. Esaia. 1. Matt. 5. 2. Cor. 6. Hebr. 11. 1. Petr. 4. Esaia 53. Psal. 21. 1. Pet 4.

bis factus est propter nos,vt eadem nos cogitatione ar
memus.Bonum est Christo conformari in virtutibus &
operibus bonis,sed multo melius est propter eũ sustine
1.Petr.2. re opprobria & maledictiones iniuste. Sic Christus pas-
sus est pro nobis,iustus pro iniustis,sanctus pro peccato
ribus,bonus pro malis,benedictus pro maledictis,& no-
Ioan.9. bis reliquit exemplum, vt sequamur vestigia eius. Ipse
1. Cor.5. vocatus fuit peccator.Et quod plus est, deus pater eum
Galat. 3. pro nobis fecit peccatũ, vt nos efficeremur iustitia Dei
Deut. 21. in illo.Sic & maledictũ factus est pro nobis,vt nos redi-
meret de maledicto legis.Sic sanctũ sanctorum, Deum
Ioan. 10. Deorũ,vocant legis transgressorem,seductorẽ,blasphe-
Psal.30. mũ,voracem,potatorem vini,publicanorũ amicum,Be-
elzebub.Item:Samaritanus es & diabolũ habes. Item,
Nõ est homo iste à Deo &c. Vnde ipse ait:Ego sum ver
mis,& non homo. Item factus sum tanquã vas perditũ,
& audiui vituperationem multorũ,commorantiũ in cir
cuitu.Qui dixerunt:Deus reliquit eum,persequimini &
1.Petr.4. compræhendite eũ,quia non est qui eripiat.Cum igitur
propter iustitiam & nomen domini talia te pati & audi
re contingit,hoc signũ habeto in bonũ,gaude & exulta,
& communica Christi passionibus,quoniam tunc mer-
Act.5. ces tua copiosa est in cœlis.Sic Apostoli gaudebãt quòd
Roma. 5. digni erant pro nomine Iesu contumelias pati.Sic Apo-
stolus sibi complacuit in infirmitatibus suis,in contume
liis,in necessitatibus,in persecutionibus,in angustiis pro
Galat.6. Christo.Et in tribulationibus gloriabatur et cruce Chri
sti,per quem illi mundus crucifixus erat,et ille mundo.

DE SANCTIS SERMO.

Psal.150 LAVDATE Dominũ in sanctis eius.An
gelus Raphael olim ad Tobiã dixit:Sacra-
mentũ regis abscondere,bonum est:opera
Tobiæ 12 autẽ Domini reuelare et confiteri, honori
ficũ est. Magna siquidẽ sunt opera Domi-
ni, exquisita in omnes voluntates eius. Opera inquam
eius,magna sunt,quæ sanctis suis fecit,et quæ cũ eis et
Psal. 67. per eos fecit et facit adhuc. Vnde Dauid ait:Magnus es
tu, et faciens mirabilia in sanctis tuis. Vt sit mirabilis
Deus in sanctis suis. Ipse in sanctis suis facit magna, et
inscrutabilia et mirabilia absq; numero.Vnde Dauid se-
cur us

curus ait: Deus Israel, ipse dabit virtutē animæ, & fortitu dinem corporis, vt omnia bona in Deo possint, qui eos confortat, & hoc plebi suæ, quæ dat gloriā Deo, visis mi rabilibus suis in sanctis eius. Filij autē diaboli, Deū in sanctis inhonorant, miracula eorū Satanæ & Beelzebub deputant. Nec solūmodo de deo, sed etiā de sanctis eius male loquuntur. At parū est esse eos molestos hominibus, qui non expauescunt quod molesti sunt deo, qui super omnia benedictus est in secula. Sed filij diaboli, honorē dei pertæsi & sanctorū eius, qui à seculo sunt, tam multi vt nequeant dinumerari, & multiplicati super arenam maris, tam horrendas de malo cordis sui thesauro blasphemias euomunt. Neq; enim arbores istæ malæ, alios quam malos fructus proferre possunt. Et si patrēfamilias vocauerunt Beelzebub, non mirū, quòd sic vocant domesticos eius. Non est discipulus supra magistrū, nec seruus super dominū suū. Sufficit discipulo, quòd sit sicut magister eius, & seruo sicut dominus eius. Et si opera Christi deputauerunt Beelzebub, & diabolo cū plenū esse dixerunt, ac peccatorē & seductorem, parū certe est quod electorū suorū & amicorū eius opera dicunt illusiones diabolicas, ad credentiū seductionē fascinationémq; facta. Sic ex Apostolis inimicos Christi, ex Christianissimis sanctissimísq; imitatoribus amatoribúsque Christi, faciunt antichristos. Siquidē Antichristus cum suis affeclis, operatione Satanæ, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt (eo quòd veritatē charitatis non recipiunt, nec habent, nec custodiunt, vt salui fiant) imponet. Sic illis auctoribus, Satanas Satanā iā eiicit. At apagēsis, blasphemias istas horrēdas auditu. Progenies ista viperarum, filij diaboli & desertores, semen nequā, populus grauis iniquitate, filij scelerati & tenebrarū, cū mali sint, non possunt de bonis & rectis corde, bona loqui. Sed illa eructant & faciunt quæ apud patrē suū diabolū viderūt & didicerunt. Nos vero aliter instituti sumus & didicimus: Nēpe, vt laudemus dominū in sanctis eius. Et hanc institutionem à domino Deo nostro habemus. Ipse promisit, dicens: Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum. Et iterum: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Iam videre pulchrum & è re fore duxi, quam mirabilis, & quàm amabilis deus est

Philip. 4. *Luca 17.* *Esaia 7.* *Matt. 3.* *Mat. 10.* *Luc. 11.* *Ioan. 8.* *Ioan. 7.* *Matt. 24.* *Luca 10.* *2. Thes. 2.* *Ioan. 8.* *Esa. 30.* *Matt. 12.* *Ioan. 2.* *1. Reg. 2.* *Ioan. 12.*

2. Tim. 3. in sanctis suis, producere in lucē, idq; breuiter, perinde ac occasionem solūmodo dederim sapientibus, & pio in Christo viuentibus, vt ex libatione ad augustiora cogi-
Psal. 67. tanda prouocentur. Est igitur deus mirabilis in sanctis suis. Prædestinatis. Sic cum nondum nati fuissent Esau
Roma. 9. & Iacob, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundū electionem propositū dei maneret, et non ex operibus,
Malac. 1. sed ex vocante dictū est: Maior seruiet minori. Et Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Sic Iacob constituit Ephraim ante Manassen in benedictione. Sed cur hoc;
Deut. 32. Hæc condita sunt apud eū, & signata in thesauris eius. Sic prædestinauit sanctos in adoptionem filiorū per Ie-
Rom. 8. sum Christū. Et vult eos etiam conformes fieri imaginis filij sui naturalis. Et sancti profecto imaginē Christi, qui
Roma. 13 Adā cœlestis est, hic portauerunt, Christū induerunt, in
Ephes 5. dilectione ambulauerunt sicut filij dilectissimi. Ergo laudemus dominū in sanctis eius, qui eos ab æterno prædestinauit. Mirabilis est deus in vocandis sanctis suis. Nā vocat ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destruat. Vocat ignobilia, & contemptibilia mundi eligit Deus, vt non glorietur omnis homo in conspectu eius. Sic eligit
Luca 14. infirma, vt cōfundat fortia. Stulta mundi, vt cōfundat sapiētes. Vnde scriptū est: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, & cœcos, & debiles, & claudos, bonos & malos, vt habet Matthæus, introduc huc, vt impleatur dom⁹ mea. Sic exasperātē, cædes & minas spirātē, ac cōtra stimulū calcitrātē vocat apostolū Paulū. Sic educit vinctos funib⁹ peccatorū suorū in fortitudine sua, & vincula eorū dirūpit, vt Matthæū, Zachæū, Magdalenā, latronē. Similiter eos q exasperāt, vt Manassen, Nabuchodonosor, Paulū, Constantinum magnū &c. Et qui habitant in sepulchris et mortui fuerunt in peccatis suis et delictis, vt in multis sanctorum legendis cernere est. Er-
Iob 11. go laudemus dominū in sanctis eius. Et quis potest hic dicere domino, cur ita facis? In promptu respon sio est, cur abscondit à sapientibus, et prudentibus salutis sacramenta, et ea paruulis reuelat? quia sic placitum est ante
Matt. 20. eum. Et vtiq; licet ei facere quod vult, quantumlibet oculus vester nequam est, eo quòd ipse bonus est. Vult
Mat. 22. omnes saluos fieri, sed qui venire nolunt, aut se excusant, sua culpa pereunt, non domini duritia aut volunta
Prou. 1. te, aut culpa. Ipsi nolunt venire ad nuptias. Nolunt sub

al 2

alis illius colligi. Nolunt relicta malitia ad eum reuerti. Nolunt vias suas & cogitationes suas pessimas derelinquere. Mirabilis est in iustificandis sanctis suis. Gratis enim per fidem saluat eos, & non ex ipsis. Dei enim donum est & non ex operibus, ne quis glorietur. Venies, ait vsque ad Babylonem, & ibi liberaberis. Transeo multa. In magnificandis sanctis suis mirabilis est deus in vita quæ nunc est & futura. In hac vita sancti in nomine dei nostri magnificantur. Suscitat ecce egenos de puluere, & de stercore eleuat pauperes vt sedeant cum principibus, & solium gloriæ teneant, vt de apostolis piscatoribus nec accipiantur, nihil prohibet. Qui facti sunt lumina mundi, sal terræ, amici Christi et discipuli, iudices seculi, atq; in duodecim thronis cum eo sedebunt. Sic & Dauid minimũ natu inter fratres suos, & despectum, de ouibus tulit, de post fętantes, & posuit eum ducem super populum suum, fecitque ei nomem grande iuxta nomina magnorum qui sunt in terra. Sed magnificat facere cum omnibus, qui digne deo & euangelio viuunt. Nam hos quantumlibet despecti sunt in mundo, & abiecti, facit filios altissimi, & genus Dei. Vt sint filij dei, fratres Christi, membra corporis eius, reges & sacerdotes, ciues sanctorum, domesticos dei, suos cohæredes & conregnatores. Facit vt sint genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, et amicos suos. Ideo vere magnificauit dominus facere nobiscum, iuxta illud, In omnibus magnificasti populum tuum et honorasti domine, et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis. Etsi hæc parua sunt, audi quomodo eleuata est magnificentia eius super cœlos: Nam si eũ diligimus, tũc non solum serui Dei, sed et Dei nomen nobis cõmunicat, iuxta illud: Ego dixi dij estis, et filij excelsi omnes. Sic videmus, legimus et scimus magnifica quæ in nobis et nobiscũ facit Deus. Ideo vt timeamus eũ, et seruiam⁹ ei in spiritu & veritate, & ex toto corde nostro dignũ est. Hinc scriptũ est: Insuspicabilis portat diadema. Hinc Maria Deũ magnificãdo dixit: Quia fecit mihi magna & inenarrabilia, quia potens est, &c. At illi retro nõ abierũt, gratiã Dei nõ abiecerunt, gratiam Dei in vacuũ nõ receperũt, sed cũ ea salutẽ suam cũ metu & tremore operati sunt. De his 4. Apostolus ait: Quos Deus prędestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit et

Rom. 3. Ephes. 2. Tit. 3. Mich. 4. Matt. 19. Psal. 77. 2. Par. 17. Ephes. 4. Luca 6. Heb. 2. Ephes. 2. Psal. 8. Rom. 1. Psal. 8. 1. Reg. 1 Ioan. 4. Luca 1. Gal. 2. Philip 2. Rom. 8.

et quos iustificauit,hos et magnificauit in præsenti, vt per transennam ostendimus et in alia vita super omnia bona sua cõstituit. Magnificauit etiã sanctos suos Deus in operando,dum opera quę Christus fecit,et ipsi fece-
Ioan. 14. runt,et maiora eis fecerunt in nomine Christi,vt ad lõ gum deduci potest etc. Mirabilis etiã deus est in exer-
2.Cor.12 cendis sanctis suis.Nam vas electionis per angelum Sa-
Tob.2. tãnæ,Tobiam per stercus hirundinis,Saram filiam Raguelis, per linguam famulę et Asmodæum dæmonium
2.Reg.16 exercuit,Dauid per Saul regem et Absalonẽ suum filiũ, et maledicam Semei linguam et iactus lapidum,Susan-
Dan.6. nam per seniorum falsas calumnias tentauit.Danielem
Gen.37. per æmulorum insidias et fraudium technas, Ioseph per fratrum suorum inuidiam et salacis mulieris sermones procaces atque sollicitationes ad nefanda,Abel per fratrem Cain,Apostolos et martyres per tyrannos. Mirabilis item deus in sanctis suis est in probando. Sic tan-
Iob 23. quam aurum in fornace probauit sanctum Iob, per Sa-
Tob.2. tanam & amicos,Tobiam per cęcitatem, tres pueros in
Dan.3. camino ignis,Abraham in Vr Chaldæorum.Et quis ago
Gen. 33. nes, cruciatus & tormẽta electorum enumerare sufficit, quibus probauit,& inuenit eos dignos se Deus noster?
Gen. 14. Mirabilis etiam est in liberandis electis suis, Vt Loth iustum de Sodomitis,filios Chore de perditione sui patris. Sic credentes liberauit de obsidione Hierusalem per Titum,vt dicit Eusebius.Taceo Danielem,Ioseph, Susannam,Dauid & ipsum Christum,quando ipsum præcipita
Luce 4. re voluerunt de monte,& vna & altera vice lapidare. Est
Luce 1. & mirabilis Deus in sanctis suis redimẽdis de manibus
Psal. 129 inimicorũ,& omnib' iniquitatibus corũ.Quia nõ corruptibilibus auro & argento,sed gratis nos redemit suo
Esa.52. sanguine præcioso. Sed & est mirabilis Deus in sanctis suis mittendis,scilicet ideotis,comperto quod essent si-
Mat. 10. ne literis & idiotę Sic Hieremias ait:Ecce puer ego sum & nescio loqui.Sic os mutorũ aperit,& linguas infantiũ facit disertas.Quia nõ ipsi loquebantur,sed spiritus sanctus loquebatur per eos.Et ille dedit eis os & sapientiã, cui non poterant resistere & contradicere omnes aduersarij eorum. Ergo laudate deum in sanctis eius. Est & mirabilis in sanctis roborandis in passionibus & pressuris.Sic virgo tenera & iuuẽcula Agatha,lætissime & gloriater ibat ad carcerẽ.Sic tuba euangelij de se & aliis pie

in

in Christo viuentibus ait: Gloriamur in tribulationibus. Et apostoli gaudentes ibāt à conspectu concilij quod *Act.5.* digni habebantur pro nomine Iesu contumeliam pati. Sic Paulus non solum ligari, sed & mori pro nomine Iesu paratus erat in Hierusalem. Sic Sanctus Andreas pa- *Act 21.* ratam crucē, exclamans dixit: Salue crux præciosa, quę *2.Cor.12* decorem & pulchritudinem à membris domini suscepisti, diu desiderata, & iam concupiscenti animo preparata securus & gaudens venio ad te, &c. Ingentem hic exemplorum syluam ad istud institutum adducere possem, nisi lectoris fastidium formidarem. Deduxit eos dominus in via mirabili. Est mirabilis deus in sanctis suis vincēdis & lucrandis. Vbique vincunt, vbique lucrātur, & omnia eis cooperantur in bonum. Et impij eorum persecu- *Rom.8.* tores, dū se vicisse putauerunt, perdiderūt, & electos gloria & honore coronauerunt. Sed & quod fugere, impedire & vitare conabantur, malis accidit & æmulis iustorum. Fratres Ioseph nolebant eum adorare superiorem *Gen. 37.* suum esse. Hinc meditabantur inania, super eum mali- *Psal.82.* gnauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctum, dicentes: Venite & disperdamus eum de gente, & non memoretur nomen eius vltra, & videamus quid ei prosint somnia sua. Sed dominus conuertit hoc in bonum, *Gen. 50.* quod illi ordinabant in malum. Et per hoc quod volebāt eum humiliare, exaltatus est à deo, malis gratibus eorū. Taceo virtutum iubar & culmen beatum Iob, quem Sa *Iob 1.* tanas orbi terrarum fecit per ea mirabilem quibus eum sternere & cunctis despicabilem reddere nitebatur. Nec quod moliebatur malignus obtinuit, sed quod Deus voluit molitione sua promouit. Sed regem gloriæ, quē impij Iudæi eum nolebant super se regnare quid commemorem? Ecce consilium eorū est reprobatū, infatuatum *Luca 19.* et dissipatum, et ipse iudex viuorum et mortuorū est cōstitutus, et à patre omnem potestatem in cœlo et in terra accepit. Taceo Amam superbū, quomodo nihil profe- *Hest.9.* cit contra iustū Mardochæum, sed magis in foueam quā pedibus eius foderat, ipse incidit. Sic cōsiliū Achitophel deus infatuauit, et dolus eius in caput eius cū Absolon descendit. Sic insidiatores Danielis in laqueo quem pedi- *Dan.6.* bus illius posuerunt, perierunt: sic tyranni crudelissimi, nihil damnationis, nihil deniq; nocumenti martyribus Christi intulerunt, sed gloria et honore coronauerūt, ac

coronat

Rom.8. coronas eis perpetuas fabricauerunt, Nihil enim damnationis est his qui sunt in Christo Iesu. Et nemo bonitatis æmulatoribus nocere potest. Nec vnquam obsequlo tantum martyribus prodesse potuissent tyranni crudeles, quantum eis odio & mala inferendo profuerunt. Ma-
Psal.88. nus Domini in omnibus auxiliatur bonis & rectis corde,
& 120. & brachium eius confortat eos. Ideo nihil proficit inimicus in eis, & filius iniquitatis nõ valet nocere eis. Sed nec hominem relinquit nocere eis, magis autem custodit eos ab omni malo, & à facie impiorum qui eos affligunt, sub vmbra manus suæ vt pupillam oculi sui eos protegit. Proinde dominum in sanctis suis glorificemus. Mirabilis postremo Deus est in sanctis suis glorificandis. Nam super omnia bona sua eos constituit. Dabit eos in benedictionem in sęculum seculi, & lætificabit eos in gaudio cum vultu suo. Tunc fulgebunt sicut sol in regno
1.Ioã.17. cœlorum. Tunc cum Christo apparebunt in gloria, &
Luca 6. similes ei erunt, & facie ad faciem videbunt eum sicuti
Rom.8. est, hoc est, claritatẽ eius. Et hæc est vita æterna, cognos-
Isa.64. scere deum verũ, & quem misit pater, Iesum Christum.
Apoc.6. Ibi reddit illis mercedem laborum suorum. Reddit illis inquam mensuram bonam, quia secundum exigentiam meritorum. Confertam, quia supra condignum. Coagitatam, quia supra desideratum, vt patet in latrone. Et supereffluentem, quia supra cogitatum. Quia oculus non vidit &c. Vel mensuram bonam, quoad animæ stolam primam. Confertam, quo ad stolam corporis superadditam. Coagitatam, quo ad aliorum gloriæ comparticipationẽ. Supereffluentem, quo ad Christi visionem & cognitionem, vbi ingrediendo & egrediendo, pascua inueniunt, dum eum in decore suo vident. Laudate proinde dominum in sanctis eius, in quibus mirabilis est & amabilis. Sic enim honorabitur ab omnibus regis subditis, quemcunque rex voluerit honorare. Gloria autem hæc, est omnibus sanctis eius. Sic generatio rectorum benedicetur. Si qui vero cum inuidia tabescente iter habent, & cum Iudęis perfidis, vel in Christum impudentia ora laxauerint, & male de eo locuti fuerint: vel in sanctos eius filios & amicos maledicta euomuerint & blasphemias, tales in Deum offendunt. peccant in Christum, cuius membra sunt sancti & templa, & vltricem manum eius
Heb.10. in quam horrendum est incidere non effugient. Sic scri-

ptum

ptum eſt:Qui vos ſpernit, me ſpernit.Et quod vni ex minimis eius faciunt qui in eum credunt,Chriſto faciunt, ſiue bonum illud ſit,ſiue malum.Rememorari deberent qui eiuſmodi ſunt,quid maligno Cain acciderit.Quid zelantibus fratribus Ioſeph mali contigerit.Quid ſuperbo Amam mœroris occurrerit & confuſionis, dum non ſolum gloriæ,ſed & vitæ iuſti Mardochæi laqueos interius poſuit.Quid inſidiatoribus tandem ſancti Danielis contigerit,& proditorib.Chriſti.Fugite Iſraelẽ conſulo,quia dominus pro eo pugnat:Ceſſate à malitia,digitum ori veſtro ſuperponite,nolite os veſtrũ ponere in cœlum Nam ſic peccantes in ſanctos,in Chriſtum peccatis.Nã Chriſtus illos benedixit omni benedictione in cœleſtibus, & inter benedictos ſunt benedicti.Ideo qui illis maledicit, eſt maledictus,& qui eos benedicit,benedictionibus repletur in vita quæ nunc eſt & futura.Magis autem laudate dominum in ſanctis eius,& date gloriam deo ſuper Iſrael & electis eius. Nam magnificentia eius & virtus eius in nubibus relucet. Hoc eſt in ſanctis ſuis.Et eorum intuentes exitum felicem, etiam conuerſationis fidem imitamini. Et tunc ad finem illum & locum & regnum peruenietis in quo illi cum agno regnant, & omnium bonorum affluentia perfruuntur, per gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum patre & ſpirituſancto laus eſt in ſecula ſeculorum Amen. *Heb.13.*

DE SANCTIS SERMO AD SORTEM.

SIC honorabitur,quem rex voluerit honorari.Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum:qui autem me contemnunt, erunt ignobiles, ait dominus ad Samuelẽ. Et ſeruator noſter, in euangelio: Si quis mihi miniſtrat,me ſequatur,& vbi ego ſum,illic & miniſter meus erit.Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus.Et vt ad Dauid dixit dominus, fecit ſanctis ſuis nomina grandia, iuxta nomina magnorum qui ſunt in terra. Imo quod plus eſt,ex abundantia pietatis bonitatiſque ſuæ infinitæ, dat & dedit eis magna nomina,iuxta nomina magnorum qui ſunt in cœlis: vt in alio ſermone habes,cuius exordium eſt,Laudate dominum

Luc.10. minum in ſanctis eius. Hinc Chriſtus dixit ad ſuos amicos apoſtolos: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.
Pſal.233 Et Dauid ait: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui deus, adeo quòd nec verbis oris, nec calamo manus, nec cogitationibus cordis, honores eorum, gloriam eorum, & laudem conſequi poſſim. Nimis confortatus eſt principatus eorum. Nam regnant cum agno, conſtituti ſuper omnia opera illius, & quodcũque petunt Chriſtũ in nomine eius, hoc facit. Poſſem hic gloriã Ioſeph in Ægypto, Mardorchæi in regno Aſſueri, Danielis exaltationem & poteſtatẽ in imperio Nabuchodonoſor & Darij
Daniel.6. adſcribere, cũ omnia in illis contigerint in figura. Ecce
Gen. 39. falax mulier, ſanctum Ioſeph criminis peſſimi accuſauit, ſed cum probatus fuit, & tentationem ſuſtinuit, Deus mendaces oſtendit qui maculauerunt eum, & ſceptrum regni dedit illi cum potentia. Fruſtra & cum æterno dedecore ſuo contra virum virtutis Mardochæum, ſceleſtus Aman fremuit & inania meditabatur. Nam incidit in foueam quam fecit. Superuacue principes Darij laqueos interitus ſapientiſsimo Danieli & vere pio poſuerunt. Nam deus pium de tribulatione eripuit, & impios
2. Pet.2. tradidit pro eo. Atq; ſic dolus in caput eorum conuerſus eſt, & in verticem eorum iniquitas illorum deſcendit. Vtinam qui iam os ſuum ponunt in cœlum, & male
Deut. 23. loquuntur de Deo & ſanctis eius, attenderent, ac nouiſſima ſua prouiderent. Verùm, quia nolunt intelligere vt bene agant, & malitiam diligunt ſuper benignitatem, & iniquitatem magis quàm loqui æquitatem & veritatem, ideo magis magiſque obſcuratur inſipiens cor eorum: Et dicentes ſe ſapientes, ſtulti fiunt. Adeo, vt non intelligãt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ideo hos miſſos faciamus, & tantiſper de ipſa quam Deus diligit, & vincit omnia veritate ſermonem texamus. Atq; illud prophetæ tantiſper ruminemus: Celebra, inquit, Iuda feſtiuitates tuas. Ad celebrandum autem feſta ſanctorum, multa nos incitant. Vult ſiquidem hoc Deus ſuper omnia benedictus, vt eis honorem impendamus, vt iam dixi ex parte. Vt ſic Deus laudetur in ſanctis ſuis. Vult namque Deus adeo ſanctos ſuos honorari, & per eos exorari, vt etiam quædam beneficia, non niſi per eorum ſuffragia & interceſſiones largiatur. Vnde dixit ad amicos

amicos Iob:Iratus eſt furor meus in vos,ſed ite ad ſeruum meum Iob,& ipſe offerat ſacrificium pro vobis,& orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia,Vt ſic:

Sua Maieſtas veneretur, Ordo ſapientiæ conſeruetur, Bonitas oſtendatur, Fiducia noſtra erigatur,	dum per	ſuos exoratur. media omnia moderatur. ſanctos beneficia largitur. fratres adiuuatur.

Secundo id facimus(eo quod eccleſia,ſponſa agni quæ regitur,& omnem veritatē docetur à ſpiritu ſancto,& ideo ſub anathematis cenſura & maledictionis æternæ interminatione audienda)id ſanxit atque ordinauit.Nam ſic multorum perfidorum error eliditur, debitæ gratiarum actiones ſuper beneficiis recepti abſoluuntur,forma imitandi & placendi deo nobis proponitur,vt hæc late Rupertus de Licio in quadrageſimali deducit.Tertium ad hoc nos prouocans iuſtitia eſt.Iuſtum quippe & dignum eſt vt ſanctos honore pro ſequamur.Nam ipſi gaudent & deum honorant & laudant in cœlis,dum nos dignos pœnitentiæ fructus facimus in terris, ergo nos viceuerſa illis congaudemus & congratulamur,quod gloria & honore coronati, ſupra omnia bona domini conſtituti,& gaudium illud intrauerunt,quod nemo tollit aut tollere poteſt ab eis. Sic vno membro gloriante,congaudent omnia membra.Sunt & fratres noſtri:ergo charitas expoſcit,vt in proſperitatibus eorum congratulemur eis.Certe ſi gaudere oportet,pſalmis,hymnis & canticis ſpiritualibus dei bonitatem efferre quantū poſſumus,quod per ſymphoniam & chorum vindicator noſter deſignauit,quādo frater noſter,qui mortuus erat in delictis & peccatis,reuixit per fidem & Chriſti gratiam qui perierat ſicut quis errans, inuentus eſt à paſtore,& reductus humeris ſuis in ouile eccleſiæ,vbi rurſus labi poteſt,& per maliciam occidi & iniquitatem.Multo magis eis congaudendum eſt,quando in æternum regnum Chriſti ſunt ſaluati,vbi affluunt omnibus bonis, & nihil mali aut velle,aut facere,aut pati poſſunt in ſecula ſeculorum. Sic vicini & cognati Elizabeth,audito quod Deus

Apo.19 Ephe.5 Ioan.16 1.Theſ.4 Sapi.46 Pſal.8 1.Co.12 Ephe.2 Luca.15 Sapiē.2 & 16

misericordiã suã magnificauit cum illa, congratulaban-
Tob. 12 tur ei. Sic amici Tobiæ gaudẽtes venerunt ad Tobiam
& congratulabantur ei de omnibus bonis quæ circa il-
Sapien. 6 lum ostenderat Deus. Pudefiant igitur omnes cum in-
uidia tabescente iter habentes, qui fratribus sanctis cõ-
gaudere dedignantur, & ecclesiam intrare nolunt, vt cũ
aliis Deo laudem dicant, pro omnibus quæ retribuit
illis. Tertiò iustum est vt memoriam eorum agamus
cum laude, quia multa beneficia ab eis accepimus &
1. Cor. 4 bona. Ipsi per euangelium in Christo nos genuerunt.
1. Pet. 4 Ipsi multiplicem Dei gratiam nobis sicut boni dispen
satores administrauerunt. Ipsi opere & sermone viam sa
lutis nos docuerunt, &c. Quartò, propter procurationẽ
nostri honoris. Cum enim sanctos, qui fratres nostri &
Gene 37 caro nostra sunt, honoramus, rem nostram agimus & no
strum honorem promouemus Quia eorum festiuitas,
est nostra dignitas. Quinto, digni sunt & iustum est eos
honorare & laudare quantum valemus, quia in eis om-
nes rationes sunt propter quas aliquis solet honorari.
Vt sunt, potentia, sapientia, bonitas, iustitia fortitudo,
virtus, pietas, prudentia, innocentia, sanctitas, &c Quar-
tum principale motiuum est nostra necessitas, cui illi sub
uenire possunt. Nos enim circundant mala, quorum nõ
Sapie 9 est numerus, hostes nos in gyro obsident. Corpus ani
1. Ioan. 5 mam aggrauat. Mundus in maligno positus, laqueos
mortis nobis in via qua ambulamus ponit & scandala:
Esai. 1 A vertice capitis vsque ad plantam pedis non est in no
bis sanitas. Sensus & cogitatio cordis nostri ad malum
semper intenta est ab incunabilis. Sed & cunctorum, in
tam infinitis miseriis sumus consilio & auxilio destitu
ti. Atque nec in nobis aliquid auxilij reliquum est. Vn-
de ad deum cum tribulamur clamare nos oportet pro
Psal. 119 ope, & leuare oculos nostros in montes, id est, sanctos,
qui montes sunt, in quibus beneplacitum est Deo ha-
bitare, vt inde veniat auxilium nobis. Quintum indu
ctiuum, est vtilitas proueniens nobis ex sanctorum festis
digne celebratis. Nam vt emolumenta hæc in fascem
Luc 12 colligã, Ex hoc torpor noster accenditur igne illo quẽ
dominus in terram veniens voluit in cordibus nostris
vehementer accendi Fides nostra firmatur, spes erigi-
tur, humilitas oritur, vita ordinatur, virtutes inserũtur,
vicia & peccata abdicantur, sollicite cum deo ambula-
tur

tur,in omnibus operibus bonis fructificamus. Nemini vllam offensionem damus,salutē nostram cum metu & tremore operamur. Mundum & ea quæ in mundo sunt, instar luti & detrimētorum,aspernamur,recta via Christū,quia est via,& sanctos imitamur,in lumine ambulando,& viam mandatorum illius currendo. Postremum quod ad sanctorum venerationē nos inducere debet,est eorum dignitas,quā habent,tum ex animæ,tū ex parte corporis.Ex parte animæ omni honore digni sunt & laude.Hæredes regni cœlorum & Christi, duces exercitus Christianorum,lux mūdi,sal & iudices terræ,columnæ & fundamenta. Ex parte verò corporis omni honore digni sunt.Nā sunt cellæ,tēpla dei,fontes,organa,membra corporis Christi,fercula dei,throni veri Salomonis, ossa de ossibus,& caro de carne Christi.Et quis tā mentis inops,tam perfidus, tam excæcatus per malitiā,tam damnabiliter mersus in profundū malorum,tam longe proiectus à facie dei,tā incurabiliter & desperabiliter à diabolo siue malo spiritu obsessus,qui auditis istis scripturis & rationibus,non mox detestetur affectatam Lutheranorum maliciam,sanctorum honori derogantium, & toto cordis affectu cum ecclesia dei & obedientiæ filiis, in laudem non prorumpat?Adorabo igitur ad tēplum sanctum tuum.In loco vbi steterunt pedes eius.Et ad hoc adhortans nos,ait:Adorate dominum in atrio sancto eius.Hinc ego confitebor & laudabo dominū in toto corde meo,quoniā audiuit omnia verba oris mei. In conspectu angelorum psallā illi,sed & adorabo eum ad templum sanctū eius (quod sanctus quisq; est,vt ait Apost.)& ibi confitebor, & laudem dicam nomini tuo. Super misericordia tua,qua eū elegisti ab æterno,prædestinasti in adoptionem filiorum per Iesum Christum, vocasti,iustificasti,magnificasti, & glorificasti.In istis enim abundantes diuitias gratiæ & misericordiæ tuæ in bonitate tua ostendisti super eos. Gratia enim saluati sunt per fidem & non ex seipsis.Sed & cōfitebor tibi in sancto isto super veritate tua,qua tribuisti ei abundanter omnia diuinæ virtutis tuæ dona , maxima & preciosa promissa, per quæ digne tibi & euangelio tuo vixit, pie egit , hoc est , in spiritu & veritate tibi seruiuit omnibus diebus vitæ suę. Et cōcupiscentiæ corruptionem fugit atque exhorruit.In omnibus bonis operibus

Ioan 14 & 12. 1.Cor.4 & 11 Ephe.5 Psal.5 & Ephes.1. Ephe.2.

fructificauit,te per omnia glorificauit,& in corpore sug portauit. Et nunc super omnia bona tua constitutus est, gloria & honore coronatus. Et sic super omne magnificasti in sancto isto nomen sanctum tuum Iesu Christo.

DE MODO FESTA PRÆVENIENDI ET FESTA rite celebrandi.

Eccle.15 Psal.49 Esai.1 NON est speciosa laus in ore peccatoris. Sic peccatori dixit deus: Quare tu enarras iustitias meas? &c. Hinc omnibus quorum manus sanguine plenæ sunt,& quorum iniqui sunt cœtus,dicitur: Calendas vestras & solennitates vestras,& festiuitates vestras,non feram, & eas odit anima mea,facta sunt mihi molesta. Quia seruire me fecistis in peccatis vestris,prebuistis mihi laborem in iniquitatibus vestris. Et per legis præuarica- Rom.2. Mar.7 tionem me inhonoratis,licet labiis me honoretis. Et nomen meum per vos blasphematur inter gentes. Vt igitur recte & meritoriè & cum salutis nostrę emolumẽto festa sanctorum celebrare possimus,de tribus rationem nos habere oportet & alta mente pertractare. Nẽpe, quomodo festa sanctorum sunt exordienda, cele- Sapi.11 branda & finienda. Sic omnia deus facit in numero, pondere & mensura. Sic ex ipso,& per ipsum & in ipso sunt omnia Ecce modus,species & ordo,ex quibus omnis bonitas est in rebus. Et id solummodo bonum est, quod ista tria habet. Et quanto hæc absolutius in rebus inueniuntur,tanto meliora & diuiniora sunt,& deo acceptiora. Et quanto hæc minora in rebus sunt,tanto viliora sunt & minora coram deo. Et vbi hæc nulla sunt, tunc & res istæ nihil sunt coram deo,& abominatio & molesta & odibilia in oculis eius Hinc scriptum est: Pla- Esai.40 stę idoli nihil sunt,sicut & idola nihil sunt in mundo. Omnia per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil,i.peccatum. Et quando homo peccat,ad nihilum redigitur & ignorat. Sic expers charitatis,etiam si om- Rom.11 nem fidem habuerit,nihil est. Sic omnes gentes quæ ignorant Deum,nihil sunt & inane coram eo. Modus autem quẽ in omni opere bono seruare & habere nos oportet

oportet, est quod si ex ipso patre æterno tāquā ex principio producente per potentiā.& per ipsum filium qui est sapientia patris,tanquam per exemplar regulans secundum suum exemplum & suam sapientiam. Vt omnia faciamus secundum exemplar, quod nobis in seipso monstrauit. Et in ipso spiritusancto, qui est bonitas & charitas tamquā in fine quietante. Vt omnia faciamus ad gloriam dei. Et iste verus ordo est,sicut Christus est vera species,forma & exēplar ambulandi & placēdi deo vt abundemus magis. Iam ad institutum redeundo,tunc vere & fructuose sanctorum festa auspicamur, quando in eorum vigiliis per ieiunia nos præparamus,per maculatæ tunicæ & veteris hominis cum actibus suis depositionem,per veram contritionem, per mundationē ab omni inquinamento carnis,& spiritus,sicut scriptum est: Laua à malicia cor tuum in sanguine agni,vt super niuem albior efficiaris Et indue nouum hominem,qui secundum Deum creatur in iustitia & sanctitate veritatis. Nam ista ad festa celebranda nos disponunt sanctis & eorum virtutibus ac passionibus nos conformāt Et quod sine tribulatione,cruce & passione non peruenitur ad regnum cœlorum,insinuant. Sic in vigiliis sanctorum iustos euigilare oportet,& vigilare in orationibus,si volunt festa sanctorum celebrare in spiritu & veritate,& Deo in sanctitate & iustitia seruire. Oportet expurgare vetus fermentum,aspergere corda à consciētia mala,& abluere corpus aqua munda,& accedere ad sanctorum templa,cum vero corde,in plenitudine fidei & tenere spei indeclinabilem confessionem. Hinc Dominus per Esaiam: Lauamini,& lauate per singulas noctes lectum conscientię vestræ,mundi estote,auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruerse,discite benefacere. Declinate à malo & facite bonum. Quærite iudicium,subuenite oppresso. Et cætera opera pietatis misericordiæque proximis impendite,cùm spiritualia, tum corporalia. In vigiliis ergo euigelemus,qui dormiuimus in nocte culpæ,vel q in aliqua negligentia vel in aliquo tempore dormitauimus prę tædio,& præoccupemus faciem domini & sanctorum in confessione. Confitentes aduersum nos iniustitias nostras domino,vt ille remittat nobis iniquitates nostras. Sic iustum oportet in principio sui accusatorem

[Margin notes: Ioan. 15 (beside "cundum suum exemplum"); 1. Cor. 10 (beside "charitas tamquā"); 1. Thes. 4 (beside "vt abundemus"); Hie. 4 (beside "est: Laua"); Eph. 4 (beside "secundum Deum"); Col 3 (beside "Et quod sine"); 2. Cor. 15 (beside "nitur ad regnum"); 1. Pet. 4 (beside "ctorum iustos"); Ioan. 4. (beside "bus,si volunt"); Esai. 1 (beside "ctes lectum"); Prou. 18 (beside "tates nostras")]

ſatorem eſſe,eo quòd in multis offendimus omnes, & non niſi à propria accuſatione & humiliatione, laudes auſpicari iuſtorum, qui iã ſunt exaltati & cum principibus in cœleſtibus mãſionibus conſtituti Vt ſic bonus homo bonos, electus electos, ſanctus ſanctos laudet &
2.Cor.1 glorificet quantum poteſt Altera cauſa eſt cur vigilias
Roman.8 ieiunamus,vt ſicut ſocij ſumus paſſionũ in præſenti,ſic
2.Tim.2 in futuro ſocij gaudiorum in quæ intrauerunt,eſſe poſſimus & conſolationum.Nam ſi commorimur, & con-
Pſal.125 uiuemus,ſi compatimur,& conregnabimus.Sic ire oportet & flere dum ſemina iuſtitiæ ſeminamus exemplo ſanctorum,vt in hora mortis veniamus cum exultatione,& portemus manipulos noſtros & coronam iuſtitiæ & vitæ,quàm Deus repromiſit eis,qui tentationes ſufferunt & diligunt eum.Ergo beati qui eſuriunt nunc, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis iam crucifigunt,carnis curam in deſideriis non faciunt, mortificationem Ieſu Chriſti ſemper in corpore ſuo circum ferunt, quia ipſi ſaturabuntur,cum apparuerit gloria Chriſti.Poſtremò,non tantùm conformatio & præparatio,verùm & admonitio quædam eruditíoque haud parua ſunt ieiunia iſta ſancta & mortificatio membro-
Matt.5 rum,quæ ſunt ſuper terram.Diſcimus namque ex hoc, quæ eſt via arcta & regia,ducens ad cœlum,quam pauci inueniũt & ambulant,Quid enim eſt,quòd per ieiunia & dignæ pœnitentiæ fructus feſta præuenimus, niſi quòd multas per tribulationes,per crucis baiulationẽ,
Actu.14 per laborem in vinea,per ſeminationem in ſpiritu,per
Mat.8.9 legitimum certamen,per cuſtodiam durarum viarum,
14 per odium animæ ſuæ in hoc mundo,per ſui abnegationem,per hoc quòd vim nobis facimus,& nõ præſtamus animæ noſtræ concupiſcentias eius,& ſub rationis imperio tenemus appetitum noſtrum,& per ſpiritum do-
Pſal.16 minamur illius,& ita oportet nos intrare in regnum cœ
Luc.14 lorum Indigaus reuera lætitia ſpirituali, qui in carne delectatur.Nec delectare & gaudere poteſt in domino in ſanctorum feſtis,qui animam ſuam non afflixit ieiunio & contritione pro peccatis,recogitando in amaritudine animæ ſuæ omnes annos ſuos in ſanctorum vigiliis.Docent inſuper vigiliæ quanta ſancti paſſi ſunt
Phil.4 tormenta,quomodo mundum & ea quæ in mũdo ſunt, cũ concupiſcentiis ſuis lethalibus & malè dulcibus , vt

Deum

Deum syncere diligerent,& parata in cœlis gaudia acquirerent,contẽpſerunt.In aprico igitur eſt & luce clarius,quod non ad inſipientiam nobis ieiunia ſunt inſtituta.Sed ſtulti ea quæ ſibi noxia ſunt capiunt,& impru dentes odiunt ſcienriam ſalutis & ſanctorum.Quia ani malis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus,ſtultitia enim eſt illi.Vnde Salomon ait:Non recipit ſtultus ver ba prudentiæ tuæ.(Nẽpe,prudentiæ ſpiritus,quæ vita & pax ſunt,& vniuerſę carni ſanitas)niſi ea dixeris,quę verſantur in corde eius Verùm his malis diebus,in qui bus chariras Dei non ſolùm refriguit multorũ,ſed pror ſus exrincta eſt,videmus quòd etiam non gregatiorum ſanctorũ ſollennia aguntur,quæ tamen propter imper ſectum noſtrum & carnis infirmitatem per ieiunia nòn præueniuntur.Oportet tamẽ ea aliis piis exercitiis præ uenire.Vnde quos vnctio potiora non docet,quæ diuidit ſingulis vt vult,ſequentes gradus exercere poſſunt.

Prouer. 1 *Sapi 10* *Matt. 24*

Secum ergo reputet quid oporteat eum agere. Sanctorum opera eũ facere oportet & eos imitari in bono. Ad hoc autem neceſſe eſt,vt ſe à vitiis expurget,adornet virtutibus, & per ieiunia,conrtitionem & orationẽ diſponat.Hæc Apoſtolus roborat,dicens:Diſcedat ab iniquitate,omnis qui inuocat nomen Domini Et omnis qui ab iniquitate ſua ſe emundauerit,erit vas in honorem ſanctificatum,vtile Domino,& ad omne opus bonum paratum, ac omni lapide precioſo Chriſtiformiũ virtutum adornatum. Deinde conſideret

2. Tim. 2

Ordinem ſanctæ vitæ, } eorum { vixerunt,
Ordinẽ paſſionis amaræ, } quomodo { paſſi ſunt,
Pondus æternæ gloriæ, } { remunerati ſũt.

SERMO ALIVS AD SORTEM DE SANCTIS, DE EXERCI- *tiis in ſanctorum feſtis in genere.*

MEMENTOTE præpoſitorum veſtrorum , qui locuti vobis ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuerſationis imitamini fidem.In feſtis igitur ſanctorum cupimus vnumquemque qui feſta eorum celebrat,eandem oſtendere ſollicitudinem,qua ſanctus animam ſuam & ſeipſum cuſtodiuit,& cum deo ambu-

Heb. 13

lauit,ad expletionem ſpei vſque in finem. Nam ſpes non confundit, dum ſperans domino non delinquit (quod
Rom. 5 oportet) & facit bonitatem, & manet in bonitate. Vt
Pſal. 38 non ſegnis efficiatur, ſed magis eos imitetur qui fide & patientia hæreditarunt promiſſiones diuinas. Et hoc
Rom 11 neceſſe eſt. Nihil enim prodeſt ſe præparaſſe, niſi ſanctorum feſta digne exigantur. Et tunc digne exiguntur quando hoc ſentimus in nobis, quod illi in ſe ſenſerũt, in via dei ambulando, & eadem cogitatione armamur & feruore accendimur quo illi ardebant & lucebant coram deo & hominibus ad gloriam patris. Nemo igitur ſeipſum ſeducat, et putet ſe feſtos dies ſanctis agere, cuius adhuc oculus nequam eſt, cuius cor prauum eſt, cuius opera maligna ſunt, cuius os maledictione & amaritudine plenum eſt, qui declinat à mandatis dei, & illud pro nihilo habet. Qui puſillas greges ſcandaliſat offendit, contriſtat. Qui non ſentit in corde quæ illi ſenſerũt qui non facit & operatur quæ illi ſunt operati, propter quæ coronas incorruptas & brabeum cœleſte acceperunt, & propter quæ à fidelibus honorantur. Nullum nobis feſtum ſancti alicuius eſt quod in corde non eſt. & in vitæ eorum imitatione. Sed quando exterioribus feſtiuitatibus & ceremoniis interior homo bene concordat & congaudet, non mihi iam ſimplex, ſed duplex feſtum eſſe videtur, quia cor & caro in deum viuum exultant. Tunc cor repletur gaudio intus, & lingua foris exultatione. Et quod foris agitur, intus perfecte in ſpiritu conſummatur & vere Reuera ex quo deus ſpiritus eſt, ideo in ſanctorum feſtis hoc modo deum in ſpiritu & veritate adorare & honorare oportet. Sed & in eorum feſtis oportet quod Eccleſiaſticum officium abſoluatur deuotius, Sacrificium altaris offeratur reuerẽtius, Dies totá, in piis operibus exigatur ſollicitius.

Inſuper, tunc oportet

Paſſiones eorum & virtutes meditari.

Exempla & opera eorum imitari.

Pſal. 50 Pro ſe & pro tota eccleſia eorum auxilia implorare.

Epheſ. 1. Canticis ſpiritualibus eorum trophæa efferre.

Rom. 1 Et Deum in ſanctis ſuis laudare qui cunctos condidit ſanctos, qui eos ante mundi conſtitutionem elegit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit, Laudemus Deum in ſanctis ſuis propter relucentes in eis proprietates,

Generales,

eius { Generales, Speciales, Singulares, } videlicet { potentiā, sapiētiā, bonitatē. in apostolis charitatem. in singulis singulas, &c.

Post hæc gratos nos esse oportet Deo, quòd ille ex sua æterna charitate & bonitate dedit nobis tales aduocatos & patronos.

Viuacissima omnium virtutum exempla,

Tanta per sanctos suos beneficia,

In omnibus gratias agite, dicit Apostolus: 1. Cor. 3. & 6

Ad hæc, & deus in sanctis suis est adorandus, iuxta illud: Adorate dominum in atrio sancto eius. Et quid aliud sunt sanctorum animæ & corpora, nisi sancta domini atria, viua dei habitacula, animata templa, domus sanctæ, regna pacatissima? In sanctis enim deus requiescit sicut in suo tabernaculo dilectissimo, in eis habitat sicut hospes in domo. In eis ordinat & regit sicut rex in regno. In eis est sicut pontifex in suo templo, sponsus in suo thalamo, iudex in suo throno, cultor in sua vinea, gubernator in sua naui, dux in suo exercitu, spiritus viuificans in suo corpore, magister in suis discipulis. O altitudo diuitiarum, non solum sapientiæ & scientiæ dei, sed bonitatis & charitatis æternæ, qua sic magnificauit dominus facere nobiscum, & mansionem suam facere in nobis. Nos digni non eramus vt intraret sub tectum nostrum, sed propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, vt in seculis superuenientibus ostenderet abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu, sic benigne nobiscum egit in bona voluntate sua. O viscera misericordiæ Dei, ô pietas abyssalis, ô dulcedinis torrens. Hæc est supereminens scientiæ charitas Christi. Sic sancti impleti sunt in omnem plenitudinem Dei. Sic omnia superabundantius fecit cum sanctis suis Deus, quàm nos aut petere ausi sumus, aut intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis. Et hoc facit, quia ipse bonus est, fons viuus ac exuberans, puteus aquarum viuentium, & quia sic placitum est ante eum. Pudefiant iam labia dolosa, ora sua obmutescere faciat iniquitas, quæ murmurant de Dei bonitate, perinde ac non liceret ei facere quod vult. Ecce, oculus eorum nequam est, eo quòd ipse bonus. Verùm etiam si rūperemini: ipse habitat in sanctis suis, & inambulat in eis, & est eorum Deus, & ipsi sunt populus eius.

Marginal notes: Roma. 11 · Ioan. 14 · Matt. 8 · Psalm. 50 · Ephe. 3 · Esa. 21

Et illi in eo viuunt, sunt & mouentur. Quia delitiæ eius sunt, quod est esse cum filiis hominum Sic olim fideles in apostolo Paulo glorificabant Deum. Cultus dei geminus est. Internus videlicet & externus, sed alibi latius de hoc calamum laxauimus. Sed venerandi sunt sancti in festis suis.

Venerandi affectu } videlicet, { corde granditer de eis sentiendo.
Laudandi effectu } videlicet, { ore magnalia eorū laudando.
Honorandi gestu. } videlicet, { opere, signis externis honorando.

Est item eis congratulandum & congaudendum, eo quod tantas gratias in vita habuerunt, iam mala euaserunt, tantam gloriam perceperunt.

Regratiandum est eis, pro eo quòd
Adhuc in terris positi ecclesiam dilatauerunt prædicando. Tam sancta exēpla reliquerunt, innocuè viuendo.
Totiens in cœlis positi meritis & precibus subuenerunt nobis interpellando.

Sed & torpor noster excutiendus est eorum feruore considerato. Et piger de stercore boum est lapidandus. Pensemus quàm
Fortiter viciis & diabolo in fide restiterunt,
Viriliter in virtutibus gratia & sapientia profecerunt,
Quantas passiones pertulerunt,
Ad quantam gloriam peruenerunt.

Simus item memores, quomodo salui facti sunt patres nostri, & exempla eorum consideremus: Et hoc

quo ad { Deum, seipsos, ꝓximos } q̃ etiam { virtutibus pleni, donis spiritussancti referti, omni gratia ditati.

Sed & subsidia sanctorum implorare debemus, sicut Iob ait: Voca si est qui respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Et hoc facimus,

Quia { dulces sapientes potentes } sunt ad { audiendum, succurrendum, vota implendum.

Est & modus rectus terminandi festo sanctorum seruandus.

Eccle. 18 Cum consummauerit homo, tunc & incipiet. Nam festis finitis, tecum reputa, si & quantum ex sancti illius exemplo

exemplo sis ędificatus in spiritu, quantum profecisti, quod vitium deseruisti, quam virtutem ex eius vita didicisti & opere perficis. Expende, si eam æque atque ille, vitia execraris, in omnibus operibus bonis fructificas. quantum sis illuminatus, quantum in amore inflamma tus & in spiritu.

Insuper, debes veniam petere, gratias agere, offerre.

Debet enim fieri:

- Veniæ postulatio, quia: irreuerenter, negligenter, imperseueranter festū peregisti,
- Gratiarum actio, quia: solennitati interfuisti, beneficia sanctorum percepisti, spem gloriæ præsensisti,
- Oblatio sic, tua obsequia, sanctorum merita, tua proposita offer deo.

Hic finaliter attende, quòd corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia valet. &c. 1. Tim. 4

Propter prolixitatem vitandam, summis labiis hæc solummodo tetigi, & velut per transennam ostendi. Tui muneris erit, hæc extendere pro auditorum varia qualitate.

FINIS.

CONFESSIONEM HANC cuiusdam viri sancti subiecimus, ne papyrus vacaret.

CONFITEOR tibi domine pater cœli & terræ, tibíque bone & benignissime Iesu, vna cum sancto spiritu, coram sanctis angelis tuis & coram sanctis tuis, coram hoc altari & sacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, & in peccatis natus, & in peccatis nutritus, & in Peccatis post baptisma vsque ad hanc horam sum conuersatus. Confiteor etiam quia peccaui nimis in superbia, in inani gloria, in extollentia tã oculorum quàm vestium, & omnium actuum meorum, in inuidia, in odio, in auaritia, tam honoris quàm pecuniæ, in ira, in tristitia, in acedia, in ventris ingluuie, in luxuria sodomitica, in sacrilegiis, in periurijs, in adulteriis, in furtis, rapinis, in omni genere fornicationis, in immundiciis turpissimis, in ebrietatibus, in commessationibus, in fabulis ociosis, in luxuriis, in osculis & amplexibus immundis, in fœmoribus & genitalibus meis, in homicidijs animo optatis, in fide, spe & charitate, in accipiendo corpore & sanguine domini semper indigne, in exhortationibus & adulationibus malignis, in ignotantia, in negligentia, in surreptionibus, in dandis & accipiẽdis muneribus, in vsuris faciendis, in prælationibus, in dispensatis male rebus ecclesiasticis, in subtractis eleemosinis, in pauperib. exasperatis, in hospitalitatibus & receptionibus, pauperũ. In despectione propinquorũ, in opressione pauperũ, in afflictione familiæ mihi commissæ, nõ visitando infirmos secundũ euangelicum præceptum, & in carcere positos, non sepeliendo mortuos, non vestiendo pauperes, non recreando esurientes, non potando sitientes, solennitatibus sanctorum & dominicis ac festis diebus debitum honorem & celebrationem non impendendo, nec sobrie ac caste in his viuendo, consentiendo sæuiori in malo, non adiuuando apud illum & solando indigentes, nocendo potius quàm adiuuando petentes. Senioribus et magistratib. ac principibus detrahẽdo et blaphemando, amicis & benefactoribus meis fidem & debita obsequia non rependendo, animalium et pecundum

concubitus

concubitus conſcientia immunda intuēdo,in eccleſiam Domini ſuperbe intrando, ſtando, ſedendo,iacendo et egrediendo et otioſis fabulis et ſceleratis actibus turpibúſque colloquijs in ea cum alijs inſiſtendo, Vaſa ſancta miniſterium ſanctum polluto corde et manibus immundis tangendo, orationem et pſalmodiam atque officium diuinum negligenter in eccleſia Dei faciendo, in cogitationibus peſſimis, in meditationibus peruerſis, in ſuſpicionibus falſis,iudicijs temerarijs,in conſenſu malo et conſilio iniquo, in concupiſcentia et delectatione immunda,in verbis ocioſis, ſuperfluis. luxurioſis, atque contumelioſis, in mendacijs, in falſitatibus, in iuramentis multimodis et diuerſis, in detractionibus aſſiduis: in rixis ac diſcordijs ſeminatis, in irriſionibus, in otioſitate, in contentione, in doloſitate, in malignitate, in ſuſurratione, in inani lætitia in omni malo linguæ, in murmurationibus, in blaſphemijs in ſcurrilitatibus, in cachinnis. in ſomnolentijs, in maledictis, in turpiloquijs, in inſultationibus, in concupiſcentijs carnalibus, in cogitationibus luxurioſis, in delectationibus immundis, in conſenſu diaboli, et tranſgreſſione preceptorum Domini,in negligentia propoſiti mei in dilectione Domini et proximi.In viſu, auditu, guſtu,odoratu, et tactu luxurioſo & immundo, & omnimodis, cogitatione, locutione, voluntate, actione, perditus ſum. Quoniam in his & in alijs omnibus vitijs quibuſcunque humana fragilitas contra Dominum & creatorem ſuum aut cogitando, aut loquendo, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, me peccaſſe & reum in conſpectu domini ſuper omnes hoīes eſſe cognoſco & cōfiteor. Ideo ſupplico vobis omnes ſancti angeli domini & omnes ſancti,& te Venerāde ſacerdos, in quorum conſpectu hæc omnia confeſſus ſum,vt teſtes mihi ſitis in die iudicij,contra diabolum hoſtem,& inimicum humani generis,hæc omnia me confeſſum fuiſſe. Obnixe etiam te ſacerdos domini expoſco, vt intercedas pro me, & pro peccatis meis ad Dominum deum meum, quatenus de his & de alijs omnibus ſceleribus meis veniam & indulgentiam per merita & interceſſionem omnium ſanctorum aſſequi merear.Amen

FINIS.